



HIERONYMUS
ANDOVER-HARVARD
THEOLOGICAL LIBRARY

CORPUS REFORMATORUM.

VOLUMEN XXXX.

IOANNIS CALVINI

OPERA QUAE SUPERSUNT OMNIA.

EDIDERUNT

GUILIELMUS BAUM EDUARDUS CUNITZ EDUARDUS REUSS

THEOLOGI ARGENTORATENSES.

VOLUMEN XII.

BRUNSVIGAE

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

(M. BRUHN.)

1874.

IOANNIS CALVINI

OPERA QUAE SUPERSUNT OMNIA.

AD FIDEM

EDITIONUM PRINCIPUM ET AUTHENTICARUM

EX PARTE ETIAM

CODICUM MANU SCRIPTORUM

ADDITIS PROLEGOMENIS LITERARIIS,

ANNOTATIONIBUS CRITICIS, ANNALIBUS CALVINIANIS

INDICIBUSQUE NOVIS ET COPIOSISSIMIS

EDIDERUNT

GUILIELMUS BAUM EDUARDUS CUNITZ EDUARDUS REUSS

THEOLOGI ARGENTORATENSES.

VOLUMEN XII.

BRUNSVIGAE

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

(M. BRUHN.)

1874.

Recd. July 7. 1876.

THESAURUS

EPISTOLICUS CALVINIANUS

SIVE

COLLECTIO AMPLISSIMA

EPISTOLARUM TAM AB IO. CALVINO QUAM AD EUM

SCRIPTARUM

QUAS MAXIMA EX PARTE E CODICIBUS MANUSCRIPTIS ERUTAS

ADDITISQUE PROLEGOMENIS LITERARIIS

ET ANNOTATIONIBUS CRITICIS ET HISTORICIS ILLUSTRATAS

EDIDERUNT

EDUARDUS CUNITZ ET EDUARDUS REUSS

THEOLOGI ARGENTORATENSES.

VOLUMEN III.

Rec^d July 7. 1876.

THESAURUS

EPISTOLICUS CALVINIANUS

SIVE

COLLECTIO AMPLISSIMA

EPISTOLARUM TAM AB IO. CALVINO QUAM AD EUM

SCRIPTARUM

QUAS MAXIMA EX PARTE E CODICIBUS MANUSCRIPTIS ERUTAS

ADDITISQUE PROLEGOMENIS LITERARIIS
ET ANNOTATIONIBUS CRITICIS ET HISTORICIS ILLUSTRATAS

EDIDERUNT

EDUARDUS CUNITZ ET EDUARDUS REUSS
THEOLOGI ARGENTORATENSES.

VOLUMEN III.

THESAURI

EPISTOLICI CALVINIANI

TOMUS III.

EPISTOLAE AD ANNOS 1545—1548 (IUN.) PERTINENTES.

MDXLV.

601.

CAPUNCULUS CALVINO.

Aegre fert a Calvino tale responsum ad suas propositiones accepisse quale non exspectaverat, nempe magis ἀποτόμως scriptum quam decebat, et contemptum adversarii prae se ferens. At iam ne speret ille sic rem confectam esse.

(Ex apographo Bibl. pastorum Neocomensium Vol. lig. A. N. 13.)

Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis ministro Genevae.

Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori vigilantissimo Io. Capunculus gratiam et pacem in Christo.

Aliquot propositiones [1]) tibi e Berna redeunti [2]) et apud nostros Neocomenses pro sedentaria fatigatione levanda diversanti obtuleram, vir erudite, de quibus pendulus satisfactionem hactenus exspectavi: redditaque tandem mihi est, sed non qualis a me sperabatur. [3]) Verum qua tandem id ratione factum sit non assequor, nisi quod *Capunculum* pro homine nihili ducis. Quare non aegre feres si eas cum tuis assertionibus, quas his per lusum intexuisti, visus fuero eludere. Zelus quippe domus Dei ad hoc nos impellit, quo acti, si Dominus donaverit, dabimus operam ut illos tuos theologiae candidatos, quibus tua scribitur Institutio, antevertamus, ne ad hos impingant scopulos, neve ecclesia tuae Institutionis assidua lectione periclitetur inescata. Scripsisti praeterea quid ecclesiae Genevensi (vel tibi potius) de his rebus, pro quibus controversamur, servata unitate spiritus in vinculo pacis videbatur. Ubi mihi duo fecisse videris: primum modum exercendae censurae miro verborum artificio, quo vales, niteris asserere, et mihi (cum venia loquar) fecisse videris quod Hieronymus in Vigilantium, qui quum non haberet firma scripturae testimonia, quibus hominis sententiam convelleret, miro coepit ludere artificio omnemque dicendi vim exserere. Verum ego his non moveor. Aliud sane solidius a te, quum apud nos esses et mecum pro ea ipsa re confligeres, exigebatur testimonium. Alterum quod attexis est de oblatis propositionibus, quas dissimulato ex industria autoris nomine niteris convellere. De utroque autem quid sentiam brevi intelliges. Vale. Dominus te ecclesiae suae servet incolumem. [4])

601. 1) *Iam supra vidimus in hac controversia non omnia et singula citra dubium suo unumquodque tempori et mensi assignari posse, et fortasse unum et alterum documentum deperditum esse unde caetera aliquid lucis accepissent. Interea quas hic Propositiones dicit, eae fuisse videntur quae alibi sub nomine* Libelli Capunculi *notantur, supra N.* 590.

2) *De hoc itinere nihil alibi legisse meminimus, si quidem in definiendo tempore istius libelli nos non toto coelo errasse dixeris.*

3) Tribus verbis respondere malui: *Sunt verba ipsius Calvini infra N.* 607. *Verum haec epistola non exstat.*

4) *Quum Libellus Capunculi mense Decembre* 1544 *scriptus videatur, quem sequuta est brevis illa Calvini epistola, longior autem dissertatio eiusdem ad Neocomenses (N.* 607) *ad d.* 21. *Ianuarii referatur, hanc Capunculi ante medium huius mensis scriptam fuisse coniicimus.*

602.

SULZERUS CALVINO.

Per Viretum rerum Bernensium statum cognovisse Calvinum arbitratur. De quo ergo pro tempore nihil amplius. Concilium futurum non sine spe salutat. Lutheri libellus novas commotiones minatur.

(Ex autographo Cod. Gen. 109, fol. 174.)

Viro praestantissimo D. Ioanni Calvino patrono et fratri suo unice observando.

S. Rerum nostrarum statum, pridem scio, ex *Vireto* abunde cognovisti, et si quid forte requiras a *Christophoro* homine non indiserto discas licebit. Fuit huius mihi colloquium, quemadmodum et *Vireti* ac *Tornacensis* multo gratissimum, efficacemque etiam ad sanitatis convulsae restitutionem fuisse mihi persuadeo eam tam familiarem candidamque cum amicissimis fratribus communicationem. Atque utinam detur cum talibus crebrius et convivere et commentari de ecclesia et habere συμφράδμονας: in spem certe venirem in melius omnia constituta [1]) iri. Si synodo conveniendi fiat copia, non patietur Dominus incassa [2]) fore tot sanctorum studia, quae video per eius gratiam brevi temporis decursu mirifice maturuisse. Tu, mi frater, quod facis, perge operam fratribus parandis impendere, qui id unus maxime omnium illustri cum fructu potes.

Lutheri libellus [3]) apud nos sparsus aliquem nobis metum incusserat ne turbam novam excitaret. Itaque et operam dedi ut ferociorum quorundam animos mitigarem, et sopita fere videtur commotio. Utinam Tigurini bonorum consiliis acquiescant bellumque non restaurent. Basiliensibus fama est Caesarem minari extrema omnia, sed fore arbitror Salmonei fulmina. Vale, mi frater, cum tuis omnibus, et boni consule: nam per negotia neque pluribus neque diligentius potui. 13. Ianuarii.

Tuas avidus exspecto.
T. Sultzerus.

602. 1) *sic.*
2) *sic.* — *Concilium Tridentinum in Idus Martias indictum erat, multo tamen serius auspicandum.*
3) *N.* 586.

603.

VIRETUS CALVINO.

Qui queritur Calvinum in suis postremis aenigmata quaedam scripsisse. Verum, quae hic obiter ipse attingit nobis potius aenigmata sunt.

(Ex autographo Cod. Genev. 111a, fol. 187.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori vigilantissimo
Genevae.

S. De negotio *Roseti* non eram admodum sollicitus. [1]) Verebar tantum ne res exiret in molestiorem tragoediam quia ex *Christophoro* ita rem conceperam ut exspectandum putarem syncretismum aliquem. De Neocomensibus [2]) iam dudum nihil audio. *Valerius* [3]) Bernam profectus est. Spero optime successurum. Quod nuper ad te et *Perrinum* scripsi, [4]) id feci instinctu *Christophori*, ex cuius literis facile potuisti intelligere, quam putarit esse necessarium vos praemoneri. Miror tecum unde isti rumores oriantur. Mihi dolet quod vestri non utuntur familiarius et frequentius tuis consiliis. Scripsisti aenigmata in quibusdam, sed forte dabitur, ubi mihi collega adiunctus fuerit, otium ad te proficiscendi, si Dominus uxori plus virium addiderit, quibus est mirum in modum prostratis. Nos hic et nostra omnia habemus ut solemus. Optarim ex te discere si quid est isthic quod nostra nos scire referat. Si quid est etiam in quo nostra opera usui esse possit, ad retinendam et confirmandam amicitiam, quae inter civitates amicas esse debet, ubi intellexero, nihil in me patiar desiderari. Quam metuo ne Satan aliquis nova serat dissidia. Sed Dominus cuncta diriget in melius. Nihil opus est te tui admonere officii. Saluta uxorem et amicos nostro omnium nomine. Uxor te officiosissime salutat.|| Vale. Lausannae 14. Ianuarii 1545.

Tuus P. Viretus.

603. 1) *Quidnam fuerit hoc negotium nescimus. Rosetus vero sine dubio erat Claudius, ex primoribus urbis et senatus, Michaelis celeberrimi consulis, legati et historiographi pater.*
2) *ministris quibuscum tum temporis Capunculi controversia discutiebatur.*
3) *Iac. Valier, Vireti collega.*
4) *Tales literae non exstant, neque possumus definire ad utrum Perrinum, canonicum an capitaneum, tunc adhuc Calvini amicum, scriptae fuerint.*

604.

POLLANUS CALVINO.

Ecclesiolam gallicam Argentoratensem intestinae turbant dissensiones, de quibus ille nimia et satis invidiose.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 217.)

Clarissimo theologo atque evangelii vindici praecipuo D. M. Ioanni Calvino magistro ac patri in Christo colendissimo
Genevae.

S. P. Pluribus tecum agere cupientem vetat

dolor ingens: ni enim Iesus Christus adsit huic ecclesiolae praesens imminet dissipatio. Tragoediam integram scripsissem lubens, sed discessus festinatior nostri fratris *Nicolai* impedit. Ego etiam cupio finem videre, utinam bonum. Accipe autem quid hoc biduo sit actum. Quum pauci aliquot homines, partim novi adeoque morum ignari et omnis disciplinae, partim factiosi et rebelles, totam ecclesiam turbassent, ac viderem propter illos paucos novos, sane bonos et pios, si ita licet ex aliquo convictu et consuetudine iudicare, propter illos, inquam, ubi animadvertissem D. *Sturmium* [1]) et *Sevenum* [2]) fovere causam iniquissime, uti iudicarat iam saepius D. *Bucerus*, tandem convocatis nudius tertius symmystis et Ioanne *Garnerio*, [3]) convenit inter nos ut aliquis ordo servaretur in ecclesia, neque tanta licentia plebi in totum ministerium concederetur. Itaque constitutum inter nos fuit ut singuli ordine per totam hebdomadam quotidie concionaremur. Et quoniam is *Garnerius* venerat postremus, ac nos optabamus purgari apud nos quod non esset is Baptista *Bacinetus* qui aliquem ministrum a sana doctrina voluisset avertere (nam antea semel rogatu ecclesiae quod esset illi nomen, respondit: Baptista *Bacinetus*, unde mihi illa suspicio incessit ut peterem id purgari omnino, prius quam ad ordinarium ministerium cum caeteris admitterem): deinde etiam ut quod supererat probationis atque examinationis canonicae perficeretur, quum mihi prima cessisset, illi quinta est concessa. Vide, ego quamvis apud meos occupatissimus, tamen non recusavi in gratiam ecclesiae tantum oneris imponi. Scripta est concordia, D. *Bucero* tradita: probat, sed referri ad populum placet. Heri adsunt, sed vocantur tantum illi factiosi, non ecclesia universa: deinde non caeteri ministri, sed tantum D. *Sturmius*, *Sevenus* et doctor *Andernacus*, qui hoc nomine causae favebat, tum quia ex muliercula audierat hunc *Garnerium* optime concionari. [4]) Aderant etiam cum *Emmanuele* D. doctor *Petrus*, [5]) qui proposuit duo haec mala, vel ordinem in ecclesia confundi, si concedatur quod petitur, vel turbari istos homines si non illis concedatur quod petunt. Hoc secundum gravius est visum. Ita enim responderant rogati homines illi: Quum sibi esset abeundum Wormaciam, [6]) postulare ut tranquilla conscientia possent discedere: id non posse nisi prius isto audito. Valde hanc causam sustinuerunt D. *Sturmius* et *Sevenus*. Tandem maxime ac gravissime renitentem D. *Bucerum* coegerunt *Garnerio* secundum locum concedere. Et quoniam non ante proximam hebdomadam eram incepturus, hos quatuor dies passus est, qui de praesenti supererant, populo dari ad audiendum illum. Rogati num placeret, annuunt omnes. Sed ecce unus qui videbatur optimus ac sanctulus quispiam, cuius gratia *Sevenus* quiritabatur (allegant ipsi cum sociis ultra 3000 fl. amisisse causa evangelii, ergo aliquid concedendum), is nescio quid turbare coepit, ita ut mihi discedendum fuerit. Quid postea sit factum nescio: ubi cognovero, scribam copiosius. Ego iam in eo statu sum, ut quamvis peccet populus nullum tamen habeat locum monitio mea. Et ut illum placarem, quamvis minuta graviter ministerii dignitate, quum haec postularent propter verbum Dei, quasi vero per nos hactenus illis defuisset, tamen haec omnia dissimulantes non dubitavimus etiam supplices illis esse. Sed ita visum Deo, tantum Satanae concedere, ut probetur ecclesia sua atque sanctuli deprehendantur hypocritae. Dominus adsit nobis suo spiritu. Ego valde vereor quo res haec evadat: etiam in exemplum esse ecclesiae germanicae. Ego etiam urbe iubeor excedere propter insalubrem aerem. Ita scripsit illustris comes meus [7]) D. *Bucero*. Attamen ad finem ego usque persistam, ut si qua possem ecclesiam Dei adiuvem. Oro te atque obtestor ut quam potes citissime ad nos et ad ecclesiam scribas. Caetera fere tibi narrabit hic bonus frater noster qui magna ex parte interfuit. Christus optimus maximus te sospitet ac diu suae servet ecclesiae. Argent. postridie Idus Ian. 1545.

T. paternitati devotissimus filius ac discipulus in Christo

Valerandus Pollanus.

---

604. 1) *Io. Sturmius, coetui gallico adscriptus, non is erat qui factiosis hominibus foveret, ob tam futiles causas quales hic proferuntur. Ex criminatione potius ipsius Pollani concitatum animum et ad invidiam pronum cognosces.*

2) *De Gerhardo Seveno v. Bucer. ad Calvinum* (*N.* 406).

3) *Fuit is Avenionensis, ob religionem profugus, mox Petri Brulyi successor, disciplinae ecclesiasticae vindex, a.* 1549 *occasione constitutionis Interim Argentorato pulsus. Cui splendidum testimonium exhibet Bucerus ap. Roehrich. II.* 70.

4) *Haec sic interpretamur ut dicamus Sturmium cum sociis etiam plebis sententiam in negotio eligendi pastoris audire voluisse.*

5) *Uterque Italus, Emmanuel Tremellius Ferrariensis, olim Iudaeus nunc hebraicus vel inter paucos eminens et pluribus doctisque scriptis clarus. Petrus Martyr Vermilius iam per biennium Argentorati theologiam docebat.*

6) *ad comitia.*

7) *Cf. N.* 550, *not.* 2.

605.

CALVINUS LUTHERO.

Mittit ei libellos duos nuper editos de vitandis superstitionibus, petitque ut sententiam suam de quaestione ibi tractata in commodum Gallorum aliquo modo patefaciat.

(Haec epistola, cuius autographon diu desideratum reperimus in Cod. Gen. 196, fol. 70, saepissime descripta est, sed mirum quantum variata. Quam varietatem hic exempli gratia praeter morem integram annotare non piget. Contulimus ex Bibliotheca Genevensi Cod. 194, fol. 43; Cod. 111, fol. 100 (Turretini), ex Arch. Bern. Epp. Tom. VII. p. 640 (B.), Turici in Bibl. civica (T.) Cod. Carolin. 45 nunc F. 80, p. 347 et Simleri Vol. 56 qui bis eam descripsit, primum ex cod. modo laudato, deinde ad exemplar a Füsslino pastore Velthemiensi ipsi traditum (S.). In Cod. Carol. legitur: Has Clar. A. Tronchinus inter schedas abiectas (verba sunt scriptoris ad patrem p. m. A. 1665. 2. Febr.) in Bibliotheca Genevensi olim invenit et tum ex autographo mihi Barth. Wegelino min. S. Gall. describendas communicavit. — Impressa est olim in opusculo cui titulus est: Alex. Mori oratio in qua H. Grotius refellitur. Accedit Calvini ad Lutherum epistola nondum edita. Gen. s. a. 4 (M.). Cuius versio gallica exstat: Al. Morus Harangue pour Calvin, trad. du latin où il répond aux invectives du Sr. Grotius. Ensemble une lettre de C. à Luther. Gen. 1648. 4. Postea in Loescheri diario Unschuldige Nachrichten 1722 p. 626 (L.). In eodem diario 1724 p. 1077 vir doctus aliquis Loescheri (cui Mori editio non innotuerat) textum cum eo quem Mori libellus exhibet contulit. Iam legitur etiam ap. Henry T. II. app. p. 106 (H.) Anglice l. l. I. 416.)

Excellentissimo christianae ecclesiae pastori [1]) D. [2]) Martino Luthero patri mihi plurimum observando. [3])

S. Quum Gallos nostros viderem, quotquot a tenebris papatus ad fidei sanitatem reducti erant, nihil tamen de confessione [4]) mutare ac perinde [5]) se polluere sacrilegiis papistarum, ac si nullum verae doctrinae gustum haberent, temperare mihi non potui quin tantam hanc [6]) socordiam, sicuti meo iudicio merebatur, [7]) acriter reprehenderem. Qualis enim haec fides, quae intus in animo sepulta nullam in fidei confessionem erumpit? Qualis religio, quae sub idololatriae simulatione demersa [8]) iacet? Verum argumentum hoc [9]) tractandum non suscipio, quod libellis duobus [10]) copiose sum prosequutus, unde si obiter eos inspicere [11]) molestum non erit, tum quid sentiam, tum quibus impulsus rationibus ita sentiam, melius perspicies. [12]) Horum vero lectione nonnulli ex nostris hominibus expergefacti, quum ante securi [13]) dormirent altum somnum, cogitare coeperunt, quidnam sibi agendum foret. Sed quia durum est vel omissa ratione sui vitam exponere periculo, vel concitatis hominum offensionibus mundi invidiam subire, vel relictis fortunis ac [14]) natali solo voluntarium adire exsilium, his difficultatibus retinentur quominus certi quidquam constitutum [15]) habeant. Alias tamen [16]) rationes, et quidem speciosas, obtendunt, sed quibus appareat praetextum qualemcunque ab ipsis [17]) quaeri. Caeterum quia suspensi quodammodo haesitant, tuum iudicium audire desiderant, [18]) quod ut merito reverentur ita illis magnae confirmationis loco erit. Me ergo rogarunt ut certum nuncium data opera ad te mitterem, qui responsum super hac re tuum ad nos referret: ego vero, quia et ipsorum magnopere interesse putabam tua autoritate adiuvari, ne sic perpetuo fluctuentur, et mihi etiam [19]) ipsi ultro expetendum id fuit, negare illis [20]) nolui quod postulabant. Nunc ergo, pater in Domino plurimum observande, per Christum te obtestor hoc ut taedium mea et ipsorum causa devorare non graveris, primum ut epistolam eorum nomine scriptam [21]) libellosque [22]) meos, tanquam per lusum, [23]) otiosis horis percurras, vel legendi negotium alicui demandes qui tibi summam referat: deinde ut sententiam tuam paucis verbis rescribas. Invitus hoc quidem [24]) facio ut tibi inter tot tam graves tamque [25]) varias occupationes hanc molestiam exhibeam: sed quae tua est aequitas, quum non nisi necessitate coactus id faciam, veniam te mihi daturum confido. Utinam isthuc mihi, [26]) quo saltem ad paucas horas tuo congressu fruerer, liceret advolare! Mallem enim, et longe praestaret, non de hac quaestione modo sed de aliis etiam tecum coram [27]) agere. Verum quod hic in terris non datur, brevi, ut [28]) spero, in regno Dei nobis continget. Vale, clarissime vir, praestantissime Christi minister ac pater [29]) mihi semper observande. [30]) Dominus te spiritu suo gubernare pergat usque in finem, in commune ecclesiae suae bonum. [31])

Ioannes Calvinus tuus.

---

605. 1) doctori 194, 111 *M.*
2) D. doctori 194, 111 *M.*
3) *Totam inscriptionem om. L. S.*
4) de fidei confessione *T.*
5) proinde 111 *H.*
6) sane *H.*
7) merebant *M.*
8) submersa *L.*
9) hic 111, 194 *B.* hic arg. *T. S. H.*
10) *postea sub communi titulo:* De vitandis superstitionibus *comprehensis. Vide Opp. VI. Proll. p.* 31.
11) conspicere 194 adspicere *B. T. S. H.*
12) percipies *L.*
13) secure *H. om. L.*
14) et *H. om. L.*
15) constituti *T. S. H.*
16) *om. L.*
17) ab illis qualemcunque *T. S. H.*
18) *Cf. N.* 587, *not.* 3.
19) *om.* H.
20) iis 194.
21) *De qua vide Prolegg. nostra supra not.* 10 *laudata.*
22) et libellos *T. S. H.*
23) casum 194.
24) invitus quidem 111 *B. T.* inv. equidem *H. M. S.*
25) et *H.*
26) *om. L.*
27) *om. L.*
28) *om.* 194, 111 *B. T. S. M. H.*
29) frater 194.
30) honorande 194, 111 *B. T. S. H.*
31) *Add.* 196 *M.* Ianuario 1545. — *Caeteri* 12. Calend. Febr. 1545. *Praeterea Cod.* 194 *haec habet:* Il y avoit pour le cachet de M. Calvin une main tenant un cueur. La devise

606.

CALVINUS MELANCHTHONI.

Plura de eodem negotio cum simili petitione. Epistolam Luthero tradendam ei commendat. Cuius novus in Turicenses impetus de pace servanda ipsum vix sperare sinit. Etiam Osiandri apologia igni fomenta addit. Regis et Caesaris machinationes conciliationis desiderium simulantium et colloquii Melodunensis comoedia.

(Ex apographo coaevo Cod. Genev. 196, fol. 68 coll. c. alio Cod. 106, fol. 124 et tertio Turicensi imperfecto, Bibl. civic. F. 46, olim Epp. XI. p. 628. Simlerus Vol. 56 ex hoc lacunam in impressis supplevit. Edita est enim a Beza Genev. p. 52, Laus. p. 129, Hanov. p. 145, Chouet p. 67, Amst. p. 31. In Corp. Reform. sub h. d. non legitur. — Anglice ed. Edinb. I. p. 410 cuius autor textum impressum sequitur.)

Clarissimo viro D. P. Melanchtoni amico suo singulari et inprimis honorando Io. Calvinus S.

Cur hic nobilis et pius adolescens [1]) profectionem hanc meo rogatu ad vos susceperit, paucis exponam. Libellum [2]) edideram lingua vulgari, quo eorum simulationem reprehendebam, [3]) qui quum evangelii luce donati sint, non tamen abstinent ab ullis papistarum sacris, quae sciunt sacrilegii et anathematis plena esse. Malles forte me aliquid de tam praecisa severitate remittere. Verum quam iustam causam habuerim, re bene perpensa et cognita iudicabis. Quum audirem multos de meo rigore conqueri, ac praesertim ex eorum genere qui tanto sibi plus sapere videntur, quanto diligentius vitae suae cavent, excusationem composui, quae illis aures aliquanto durius vellicat [4]) quam prior libellus. Multi, quibus religio pro philosophia est, hoc totum secure contemnunt. Quicunque Deum serio timent eo saltem usque sunt promoti ut sibi displicere incipiant. Sed quoniam perplexa illis res videtur, adhuc haerent dubii, donec tua et D. *Lutheri* autoritate confirmentur. [5]) Et quidem vereor, ne ideo vos consulant, quod sperent vos sibi fore mitiores. Quocunque tamen id faciant animo, quia certo persuasus sum vos fidele ipsis pro vestra sinceritate, et pro vestra etiam singulari prudentia salutare consilium daturos, [6]) libenter me facturum recepi quod petebant, ut hominem data opera ad vos mitterem. Quoniam autem magnopere referre arbitrabar, non modo sententiam meam vobis perspectam esse, sed rationes etiam quibus adductus ita sentirem non esse incognitas, libellos in linguam latinam statim vertendos curavi. Tametsi autem improbe hoc facere videri possim, tamen per nostram amicitiam te rogo, ut legendi taedium subire non recuses. Tanti iudicium tuum facio, sicuti par est, ut mihi sit molestissimum quidquam recipere, [7]) quod tibi minus probetur. Te quidem pro eximia tua humanitate multa aliis indulgere scio, quae tibi non permitteres. Sed videndum quid nobis liceat, ne relaxemus ubi Dominus adstringit. Neque vero ut mihi assentiaris rogo, quod nimiae impudentiae foret, vel ut in meam gratiam ullo modo a libera [8]) simplicique sententiae tuae expositione deflectas, sed tantum ut legendi molestiam devorare non graveris. Equidem cupio sic inter nos penitus convenire, ut ne in verbulo quidem uno dissensionis ulla species appareat. Sed tuum est potius mihi praeire, quam spectare quid mihi placeat. Vides quam tecum agam familiariter: neque tamen vereor ne modum excedam: scio enim quantum mihi apud te pro singulari tua in me benevolentia liceat.

In D. *Martino* plus aliquanto difficultatis erit: [9]) quantum enim ex rumore et quorundam literis intelligere potui, vixdum bene placatus hominis animus levi de causa excitari [10]) posset. Proinde quas ad eum literas scripsi, nuncius tibi ostendet, ut illis inspectis totum negotium consilio tuo regas. Ne quid ergo perperam aut inconsulte tentetur quod infeliciter postea cedat, tuum erit providere: quod te, pro summa tua dexteritate, facturum probe scio. [11]) Caeterum quales istic contentiones vos exercuerint, et qualis fuerit exitus, nondum certo rescire potui: nisi quod atrocem libellum [12]) exiisse audio, novo incendio excitando instar facis futurum, nisi ab alia parte Dominus animos retineat, alioqui plus iusto

estoit: *Prompte et sincere.* Possible quil na pas date ceste lettre a Geneve, a cause que la peste y estoit pour [*lors*] comme il est indique dans la lettre au post [*scriptum*] a cause quils estoient en quelque lieu proche de Geneve. Voyez la lettre quil a escrite a Melanchthon du mesme iour sur le mesme suiet qui est imprimee et de mesme date. *Apud Simlerum quoque aliquis de sigilli calviniani epigraphe docte et curiose disserit. Epistolam ipsam Luthero traditam non fuisse ex proxima pagina disces.*

606. 1) *Claudius Senarcleus (de Senarclens) Sabaudus qui postea de morte Diazii scripsit, vide N.* 612, 613.

2) Petit traicté *etc. Opp.* VI. 537. *Cui subiuncta est* Excuse à Messieurs les Nicodemites.

3) reprehenderem 106.

4) vellicavit *edd.*

5) *Cf. N.* 587 *et Opp. T. VI.* 617 *et Prolegg. p.* 30, *quae ex hac ep. locupletari possunt.*

6) *Add.* spero 106.

7) quidquam me suscipere *edd.*

8) vera 106.

9) *Cf. Epp.* 555, 559, 586 *et quae ad eas annotavimus.*

10) *Sic* 196, *ubi tamen a prima manu* excusari *legitur. Ergo ex coniectura natum videtur. Caeteri praebent:* exulcerari, *quod magis placet.*

11) *Hic incipit fragmentum codici Turic. insertum.*

12) Kurtzes Bekenntniss *etc. mense Octobre editum, de quo Melanchthon ad Bullingerum d. d.* 30. *Aug. sic loquitur:* Fortassis priusquam hae meae literae ad te perferentur accipies atrocissimum Lutheri scriptum in quo bellum περὶ δείπνου κυριακοῦ instaurat (*Corp. Ref.* V. 475).

feroces et inflatos, sicut nosti. Quid autem, ubi sic provocantur? Dum reputo quam nunc alieno tempore intestinae concertationes [13]) nos abripiant, propemodum exanimor. Quia [14]) hactenus prae se tulerunt Tigurini nonnullam erga me benevolentiam, statim re audita me interposui, [15]) ne in arenam ipsi quoque prodirent. Quid mea intercessione profecerim nescio. Sed quum ab eo tempore nihil inde literarum acceperim, nihil mihi boni animus praesagit.

Nuper mihi ostendit Nurembergensis mercator, hac iter faciens, apologiam quandam *Osiandri:* [16]) cuius me vehementer eius nomine puduit. Quorsum enim attinebat, Zvinglianos tertio quoque versu lacessere, ac *Zvinglium* ipsum taxare [17]) tam inhumaniter, ac ne sancto quidem Dei servo *Oecolampadio* parcere? quem utinam dimidia ex parte referret. Mihi certe longe maiori esset in pretio. Neque vero postulo, ut famam suam impune traduci tacitus sinat: sed vellem ab eorum virorum contumelia abstineret, quorum memoria piis omnibus in honore esse debet. Itaque sicut mihi displicet illius petulantia, cuius elegis [18]) se infamatum fuisse queritur, ita in ipso et moderationem et prudentiam vel sanitatem potius desidero. Deus bone, quales et quam iucundos lusus praebemus papistis! quasi illis locaverimus nostram operam. Sed ego importune facio, qui malis istis recensendis, quibus mederi non potes, moerorem tibi frustra augeo. Gemamus tamen, quoniam ecclesiae incommodis nos affici decet: sed hac spe interea nos sustentemus, quod utcunque aestuemus [19]) ac vexemur inter magnos fluctus non tamen opprimemur.

Magna concilii exspectatione erecti sunt omnium animi in Gallia: nec dubium quin *Rex* ipse, saltem initio, spem aliquam et voluntatem concilii cogendi habuerit. [20]) Nam a *Caesare* reversus Cardinalis *Turnonius* [21]) illi persuaserat, *Caesarem* id in animo habere. Interea consulebat *Caesaris* nomine, ut duos aut tres ex vobis *Rex* ad se accerseret: idque seorsum: quo a singulis aliquid per blanditias eliceret, vel quovis modo extorqueret, quod ab omnibus non posset simul impetrari. Pollicebatur *Caesar* idem se facturum. Hic porro finis erat, ut illis quasi praeiudiciis obstricti eo minus possetis, quum ad seriam disputationem [22]) ventum esset. Nam quia frangi nos in recta et simplici causae actione desperant, nullum vident melius compendium, quam si Principes habeant obnoxios, et quasi vinctam ac alligatam teneant eorum libertatem. Hoc consilium quum *Regi* placeret, negavit *Castellanus* [23]) committendos vobiscum [24]) ad disputationem Gallos theologos, nisi bene ante instructi essent et comparati. Vos homines esse in hoc pugnae genere exercitatos: nec tam facile posse labefactari. Cavendum esse ne *Rex* prodita suorum inscitia totum regnum magno ludibrio exponeret. Ambitio *Regis* fecit ut praevaleret haec sententia. Duodecim sunt delecti, qui Meloduni de capitibus controversis disputent, [25]) et tandem ad *Regem* referant quid censuerint. Silentium iureiurando promiserunt. Sed illis tacentibus certo scio, nihil nisi de opprimenda veritate acturos, se qualemcunque reformationem quaerere utcunque simulent: certo certius est hoc unum agitare, [26]) qualiter sepulta sanae doctrinae luce [27]) suam tyrannidem stabiliant. Ego Cardinalis *Turnonii* consilium a Deo fuisse discussum interpretor: ne quem ex nostris [28]) incautum et nihil tale suspicantem irretirent. Meministi iisdem te artibus tentatum fuisse a *Langeo.* [29]) Verum si in Dominum respexerimus, frustra nos adorientur omnibus machinis. Vale, clarissime vir et amice mihi semper observande. Dominus tibi semper adsit, diuque ecclesiae suae incolumem te servet. Ianuario [30]) 1545.

Ioannes Calvinus tuus.

---

13) contentiones *Tur.*

14) Quia . . . . . praesagit. *Haec absunt ab edd. et in ed. angl.*

15) *N.* 586. *Etiam Myconius et Bucerus Bullingero autores fuerunt ut ne responderet* (*Simler. Vita Bull. f.* 20. *Hess, Bull.* I. 442). *Bullingerus Melanthoni d. d.* 3. *dec.* (*quae ep. apud Bretschn. desideratur*) *promisit in responso edendo Turicenses summa moderatione usuros* (*Pestalozzi, p.* 228).

16) Apologia contra libellum famosum scelerati cuiusdam et Zwingliani nebulonis 1544 (*Will, Nürnb. Gelehrtenlexicon* III. 99, *Moeller, Osiander p.* 263.)

17) vexare *edd.*

18) elegiis 106 (*libellus ille carmine elegiaco scriptus erat*).

19) premamur *edd.* (*Genev.* praestemus).

20) *Cod.* 196 *a secunda manu:* ostenderit *quod postea deletum est.*

21) *De Franc. a Tournon, card. Ostiensi, archiep. Lugdunensi, magnae autoritatis viro ap. Franciscum I. eiusque tres proximos successores, protestantium acerrimo adversario, Iesuitarum patrono, v. Thuanum L.* 34 *et passim.*

22) disceptationem *edd.*

23) *Petrus du Chastel s. Chatelain, Erasmi et Alciati olim discipulus, vir probitate et morum gravitate, teste Thuano l. III. p.* 86, *praestantissimus, episc. Matisconensis, magnus eleemosynarius, et magister bibliothecae regiae. Vide Gallandii Vitam P. Castellani ex rec. Baluzii P.* 1674.

24) vobis *edd.*

25) *Sleidan. II.* 371. *Galland. l. l. p.* 83. *Strobel, miscell. lit. III.* 221. *Conventus ille celebratus est* 15. *Nov.* 1544 *sed inter se mirum quantum dissidentes illi nihil effecerunt nisi ut* 25 *Articulos biennio ante a Fr. Landry et Cl. Espencaeo constitutos denuo commendarent.*

26) *Add.* istos 106.

27) sana doctrina 106.

28) vestrum 106.

29) *Quem Franciscus Rex* 1535 *ad Electorem Saxoniae misit, ut ecclesiarum unionem per liberum concilium, adiuvantibus Bucero et Mel. promoveret* (*Corp. Ref. II.* 1010, 1023; *Schmidt, Mel. p.* 281).

30) *Sic Codd. Edd. habent:* 12. Cal. Febr.

607.

CALVINUS MINISTRIS NEOCOMENSIBUS.

Nova et superciliosa refutatio propositionum Capunculi de Christi αὐτουσίᾳ.

(Exemplaria authentica exstant duo, alterum autographon Cod. Gen. 106, fol. 110, multis in locis ab autore correctum (G.) alterum Neocomi in Bibl. pastorum (N.) in quo inscriptio et subscriptio propriam Calvini manum referunt. Utrobique praeterea servantur apographa, Neocomense et Genevense Cod. 111, fol. 104 (T.) ex quo deinde fluxerunt Bernense Epp. VII. 603 et Turicense Simleri Vol. 56.)

Optimis et integerrimis Christi ministris pastoribus Neocomensis ecclesiae in urbe et in agro, fratribus, carissimis, excepto uno quem ego indignum ministerio iudico et ministri honore ac nomine.[1])

S. Scripsit ad me nuper *Capunculus*,[2]) mirari se quod, quum observationes aliquot ex Institutione mea excerptas mihi dedisset, ego tribus verbis respondere maluerim quam longa oratione de unoquoque articulo[3]) disputare. Addit sibi videri, contemptu hoc sui fuisse factum. In eo demum aliquid ipsum sapere intelligo. Quanquam certe hominem, vel hac una causa quod verbi ministerio fungitur, non contempsi. Sed quum me ineptiarum eius pigeret, quid attinebat in illis tractandis plus operae ponere? Nunc vero, quando tam ingratum esse video, vel horam unam me perdidisse eius rogatu poenitet. Caeterum minatur se facturum ne theologiae candidati mea doctrina inescati fallantur. Praeposterane elegantiae affectatione an verbi magis proprii magisque congruentis penuria sic loquutus fuerit nescio. Ignorantiae hoc libenter concedam. Quod si ex industria scripta mea captiones vocavit, iam agnoscitis virulentum hominis animum. Multa illi in scriptis meis displicere, neque miror neque moleste fero. Nec vero unquam eius similibus me approbare studui, ac ne id quidem mihi vel spectandum ab initio fuit vel nunc optandum est. Mihi, si sum Christi servus, unius conscientiae meae testimonium semper pluris erit quam universi orbis applausus. Caeterum si hominum spectem iudicia, mihi tum quoque plus satis esse debet quod bonis omnibus ac piis grati sunt mei labores, quod docti omnes ac prudentes viri utiles ecclesiae esse ac fructuosos iudicant.

Nolo ulterius progredi ne cui nimius esse videar. Quid ergo mihi ab istis Sorbonici gregis[4]) quisquiliis metuendum? Annon potius voluptati esse debet, quod ab iis solis improbor quorum vel iudicium vel malignitatem pro nihilo duco, sicuti par est? Utinam cum homine vel gravi et moderato negotium mihi esset, vel saltem compositi cerebri, et qui sanis consiliis auscultaret. Iam inter nos res fuisset transacta, neque vobis cogerer molestus esse. Verum quid facerem? Quacunque illum ratione aggrediar operam lusero. Haec causa est cur ad eum scribere supersedeam, quum eum[5]) silentio meo gloriari malo quam eius importunitati indulgendo cum eo delirare. Verum ne sibi non fuisse dictum causetur, denuncio in tempore, ne stultitiam suam magis ac magis prodat. Ego nisi eius honori consultum vellem, nunquam id suaderem. Si quis ex papistis tam insulso more me impeteret, provocarem ac lacesserem, ut in medium prodiret. Quid enim magis expetendum quam ut pietatis hostes omnium se ludibrio exponant? Neque vero responso dignarer. Quid enim opus esset? Nam[6]) non me latet quantum sibi blandiatur hic vester, praesertim tam praeclaro ingenii sui specimine edito. Videre mihi videor ipsum protensa lingua genas lambentem, fricantem humeros, iactantem caput, os oculosque torquentem, collum oblongum proferentem, denique toto illo thrasonico gestu exsultabundum, quem prae se ferre solet quum sibi triumphum de nihilo canit. Atque id est quod iam dixi, a rescribendo me ideo abstinere, quod nihil me profecturum apud eiusmodi hominem confidam.

Si utrumque sibi contumeliosum existimat, et quod a me praeteritur, et quod minus honorifice de ipso apud vos loquor, perinde accipiat ut volet: modo ne quidquam praeter officium aut aequitatem me fecisse iure conqueratur. Condonare certe mihi debet, si illius voluntati morem hac in parte non geram. Petulanter maledictis certare non est meum. Huc autem me provocat. Atqui hoc consilio scripserat ut inter nos placide ultro citroque privatis epistolis velitaremur. Quid se optare dicat, nihil moror. Rem ipsam mecum paulisper expendite ac inde[7]) aestimate quo animo me lacessiverit. Postquam mihi inscitiam, hallucinationes, caecitatem obiecit, postquam dixit me perinde ineptire ac si oleum nunquam vidissem, turpiter desipere, ut nemo eius opinione adeo desipuerit, non contentus hac maledicendi insolentia altius evehitur.[8]) Non enim tantum me imposturis et strophis ludere[9]) ait, sed

---

607. 1) *Sic N. Exemplar G. simpliciter habet:* Fratribus Neocomensibus. *Apographa omittunt inscriptionem.*
2) *N.* 601.
3) *sic utrumque N. Caeteri* (*G. T. B.*)*:* apiculo.
4) *Capunculus theologiae doctor erat* (*Hist. eccl.* I. 10).

5) *Sic G. T. B. S. omnino probandi.* N. *habent:* enim.
6) Etsi *G. T. B.* At si (?) *S.*
7) idem *T. B.* itidem *S.*
8) *Talia in Capunculi ep. N.* 590 *non leguntur verbo tenus, sed magis tecte ita ut nostrum nimium fuisse in criminando vix dixeris.*
9) laedere *T. B. S.*

etiam adiungit me facere quod solent rabulae forenses, qui pro asserenda mala causa contra conscientiam leges ad falsos sensus detorquent. Ac tandem astutam vulpeculam appellat. Taceo quod me in Anticyras relegat, ac mille eiusmodi conviciis proscindit. Hae sunt delitiae quibus mecum ludit tanquam amicus. Ego vero neque ad istam vernilem proterviam sum assuetus, neque me assuefieri patitur natura. Animus etiam repugnat et a mea persona nimis est alienum. At scriptum ad me misit bene ac diligenter occlusum, ne famam apud alios meam laederet. Quasi vero non passim iam a toto triennio [10]) iactaverit se in eo consarcinando esse occupatum, quasi etiam non suis amiculis lectitaverit, quasi non eo usque improbitatis sit progressus, ut piis et doctis quibusdam viris aliquid ex eo recitaret. Si voluit hoc omnibus passim notum esse, non est quod vobis per me innotuisse conqueratur.

Nunc de scripto quod responsum illi volo breviter dicam. Vehementer profecto me ipsius [11]) miseret, dum reputo quantum se in opere tam infelici ac praepostero fatigaverit. Nam quum elegantiae et nitoris cupidior esset, ac interim vera ratione destitueretur, corrasit hinc inde quidquid potuit proverbiorum, quidquid tota vita legerat quod haberet speciem facetiae coacervavit, mutuatus est hinc inde verba quae videbantur sonantia. Itaque diu multumque sudavit ut putida affectatione magis corrumperet suam orationem quam ornaret. Interea vero sub pelle leonis apparent albae auriculae. Sed hoc quoque omitto. Venio ad argumentum.

Multum de reduplicativis rixatur mecum. Primo, quia vere reduplicativam esse hanc dixerim: Christus, in quantum Deus, est a se ipso. Deinde, quia non teneam ordinem reduplicativarum. Quasi unquam ego in mentionem istarum rerum inciderim nisi eius et *Cortesii* improbitate coactus, [12]) quasi mihi propositum aliud fuerit quam partim concedendo quod petebant eorum tamen calumnias diluere. Si negassem reduplicativarum legibus subiacere propositionem illam, clamitassent [13]) ambo me tergiversando lucem fugere. Nunc quia nimium liberalis fuerim plus illis largiendo quam debui, tanquam meum impugnat hic bonus vir quod suum est. Multum exagitat quod dixi, secundum quendam intellectum verum esse, licet non simpliciter, Christum a se ipso esse. Quasi aliud voluerim his verbis nisi adhibendum esse candorem, sicuti solent dextri et ingenui interpretes, non autem barbara ferocia, quod hic facit, quaerenda esse in syllabis aucupia. Valde invehitur in meam inscitiam, quia, quum de affirmativa propositione quaestio esset, negativas protulerim. Quasi vero in hac quaestione affirmatio aut negatio spectanda sit, ac non potius illa particula: quatenus. Acerbe mihi irascitur quod rebus claris ubique tenebras obducam. Quasi vero non omnes docti simul et indocti perspicuitatis laudem mihi tribuant. Sed quid singula persequor? Hic status est controversiae: Numquid vere de Christo praedicari possit, ipsum, quatenus Deus est, esse a se ipso? Negat hoc *Capunculus*. Cur? Quia Christi nomen secundam in Deo personam designet cui relatio est ad patrem. Fateor, si respectus ad personam habetur, non ita loquendum esse. Sed dico, hoc esse non personae sed essentiae elogium. Habeo idoneum huius loquutionis autorem spiritum sanctum, qui sententias omnes, quibus *αὐτουσία* Dei praedicatur, ad Christum refert, quum aliis locis tum primo capite ad Hebraeos. Denique satis de re ipsa inter nos convenit, nisi insatiabilis rixandi libido vel potius muliebris impotentia hominem abriperet. Contendit Christum, quia sit ex substantia patris, non a se ipso esse, quum aliunde principium habeat. Haec illi de persona confiteor. Quid amplius petit? Et adhuc iactat hic nugator sibi pro sola veritate certamen esse. Quasi vero quisquam magis strenuus magisve animosus vel acer veritatis defensor unquam exstiterit quam Paulus. At videmus quam severe nobis logomachias interdicat. Unde autem mihi controversiam movet, nisi quia ex eius praescripto non loquar? In re enim, ut dixi, nihil est dissensionis. Quid si contigisset illum esse disertum? Qualem, Deus bone, tyrannidem exercuisset in loquendi ratione, quum nunc balbus et prope infans velit tamen nos ad suas loquendi leges adigere?

Sed ad rem ipsam redeo. Fateor Dei filium esse a patre. Itaque quum personae ratio habetur, fateor eum non esse a se ipso. Quum autem absque personae intuitu de eius divinitate, vel simpliciter de essentia, quod idem est, habetur sermo, dico hoc vere de ipso praedicari quod sit a se ipso. Quis enim hactenus sub nomine Iehovah contineri expressionem *αὐτουσίας* negavit? His verbis quum nihil sit clarius, duplici obscuritate perplexa esse queritur. Dubitat enim an essentiae vocabulo divinam Christi naturam significem, an aliquid confuse ex duabus naturis conflatum. Ita ingeniosus artifex monstra ipsa sibi fingit ut aliquid perplexitatis in rebus planis inveniat. Sed postea sui oblitus relicta secunda obscuritate alio transsilit. Longo verborum circuitu conficere hoc studet, Christum non esse a se ipso. Plures in eius rei probationem

---

10) *Si haec exacte ut sonant computanda sunt et non καθ' ὑπερβολὴν dicta, patet Capunculi in Calvinum declamationes iam antea incepisse quam id ex thesauro epistolico superstite discere et demonstrare possumus.*

11) eius *N.*

12) Cf. N. 459, 472 etc.

13) clamassent *T. B. S.*

syllogismos contexit. Hilarii et Cyrilli adducit testimonia, sed non videt se aerem verberare, quum non aliud tandem colligere possit quam personae non convenire quae ego de essentia recte praedicari affirmo. Quin etiam, quo videretur ad pugnandum instructior, probat mihi Athanasii autoritate Christum esse ex patris substantia genitum. Quasi hoc ego unquam in quaestionem vocaverim, imo quasi non id me docuisse sciat. Quid potest hoc homine fingi impudentius? Quanquam miror qualiter fidei articulum hominis unius testimonio satis firmum esse duxerit, quum paulo ante meam incogitantiam risisset, quia ex Augustino et Cyrillo testimonia, non ad probandum, sed tantum explicandum fidei articulum essem mutuatus. Dionysium enim citabat, qui illicitam audaciam esse pronunciat, loqui de essentiali divinitate praeter id quod est in sacris elogiis expressum. Qui fit ut legem non servet hic bonus magister quam aliis tam severe iniungit? Atque hoc quidem eo pertinet ut videatis, quum omnes cavillandi ansas canino dente mordeat, ea reprehendere quae proximo deinde versu imitando probet. De loco Ioannis: Dedit pater filio vitam habere in se ipso, magnam concertationem movet. Nam quia hoc de tota Christi persona dictum interpretor, non autem competere in alterutram ex duabus naturis, magnum testimoniorum acervum congerit, ut probet filium Dei habere omnia a patre quia sit ex ipso genitus. Ego autem locum illum ad aeternam generationem pertinere fortiter nego, sed tantum eo doceri, quibus dotibus ornaverit filium pater quum in carne fuit exhibitus. Contendo, inquam, de officio Christi potius quam de essentia illic fieri mentionem, nec tam Christum docere velle qualis in se ipso sit, quam qualem se nobis praestet. Atqui aliter intellexerunt plerique ex patribus. Quid tum? An eorum opinio mihi praeiudicium afferet, ne germanum loci sensum audeam sequi? Totus orationis contextus mihi suffragatur. Res ipsa mihi testimonium perhibet. Quam ergo puerile est certam veritatem hac sola machina impetere quod alios secus sensisse dicat? Ex libello etiam meo, quem de animarum immortalitate edidi, locum unum citat, ubi ad humanum Christi naturam hoc refero. Quasi vero hic me in aliqua repugnantia deprehendat. Nam fateor hanc praerogativam Christo homini datam esse. Unde enim alioqui vivifica eius caro foret? Sed addo, hoc esse factum quia Deus sit manifestatus in carne. Apud sanos et integros lectores mihi nulla excusatione [14]) opus est. Homini autem tam maligno et praefracto nulla unquam excusatio sufficiet. Postea extra oleas evagatur. Nam multum verborum in hoc profundit ut ostendat dona, quae humanitati Christi collata fuerunt, non tantum a patre sed a tribus simul personis prodiisse. Non mirum si aliis sit molestus, quum ipse sibi frustra nullaque ratione tantum negotii facessat. Quod probandum suscipit, primum in confesso est, deinde adeo vulgare ut ridiculum sit inter nos tanquam de re ardua verbosius disseri. Video tamen quid captet. Nam dum instar pueri me docet, sibi intus plaudit, quasi me puerilis inscitiae convictum teneat. Nam hanc tandem clausulam subiungit, huius tanti mysterii ignoratione factum esse ut tam turpiter desiperem. Ego autem hac tam ieiuna [15]) ostentatione hoc eum consequi dico ut omnes intelligant sensu communi prorsus et cerebro ipsum carere. Sed hoc quoque nihil obstat, quominus rite Christus accepta patri uni referat quae sibi ut homini donata sunt.

Tandem quum ad refellenda quae ex Cyrillo adduxeram testimonia descendit, me facit haereticum et impium. Hoc si vobis tolerabile videtur, optimi fratres, ego tacitus hanc iniuriam devorabo. Sed ignoscite si ego vos parum cordatos existimem, quamdiu hanc pestem in sinu fovebitis. Hac autem occasione in tantam intemperiem vel potius rabiem prorumpit. Citaveram haec Cyrilli verba: Quod a se ipso vitam non habet, quomodo corruptibile non erit? Excipit ipse: Miseret me tui, qui Cyrillum haereseos nota pergis insimulare. Quis enim nisi summe impius verum hoc pronunciatum dixerit: Christus est a se ipso? Sed unde hanc vel impietatem vel haeresim convincit, nisi quia filius sit a patre genitus? Negare non potest quin loquutus sit Cyrillus quemadmodum a me citatur, sed quia Cyrillus filium esse a patre simul dicat, hoc se modo illius suffragium mihi excutere arbitratur. Ego autem utrumque verum assero, et esse Christum a patre, ut secunda est persona, et a se ipso esse, si divinam eius essentiam simpliciter respicimus. Nam sicut hoc inter orthodoxos patres semper fuit receptum, atque adeo ex scripturis colligi rite potest, Christum a patre esse, ita audio quid de eius essentia ubique scriptura praedicet, quid etiam iidem illi sancti scriptores profiteantur. Atque id est quod orientales episcopos definisse Hilarius refert: Si quis intemporalem filii de patre hypostasin ad innascibilem Dei essentiam referat, quasi filium patrem dicens, anathema sit. Sed quid tanquam de re ambigua disputo? Cyrillus Christum fore mortalem et corruptibilem ratiocinatur, nisi a se ipso vitam et immortalitatem habeat. Haereticum esse pronunciat haec belua et impium, quicunque sic

14) excusatione .... nulla. *in B. omissa, S. ex coniectura non male restituit, quamvis paulo aliter atque in authenticis exx. leguntur.*

15) nimia *T. B. S.*

etiam adiungit me facere quod solent rabulae forenses, qui pro asserenda mala causa contra conscientiam leges ad falsos sensus detorquent. Ac tandem astutam vulpeculam appellat. Taceo quod me in Anticyras relegat, ac mille eiusmodi conviciis proscindit. Hae sunt delitiae quibus mecum ludit tanquam amicus. Ego vero neque ad istam vernilem proterviam sum assuetus, neque me assuefieri patitur natura. Animus etiam repugnat et a mea persona nimis est alienum. At scriptum ad me misit bene ac diligenter occlusum, ne famam apud alios meam laederet. Quasi vero non passim iam a toto triennio [10]) iactaverit se in eo consarcinando esse occupatum, quasi etiam non suis amiculis lectitaverit, quasi non eo usque improbitatis sit progressus, ut piis et doctis quibusdam viris aliquid ex eo recitaret. Si voluit hoc omnibus passim notum esse, non est quod vobis per me innotuisse conqueratur.

Nunc de scripto quod responsum illi volo breviter dicam. Vehementer profecto me ipsius [11]) miseret, dum reputo quantum se in opere tam infelici ac praepostero fatigaverit. Nam quum elegantiae et nitoris cupidior esset, ac interim vera ratione destitueretur, corrasit hinc inde quidquid potuit proverbiorum, quidquid tota vita legerat quod haberet speciem facetiae coacervavit, mutuatus est hinc inde verba quae videbantur sonantia. Itaque diu multumque sudavit ut putida affectatione magis corrumperet suam orationem quam ornaret. Interea vero sub pelle leonis apparent albae auriculae. Sed hoc quoque omitto. Venio ad argumentum.

Multum de reduplicativis rixatur mecum. Primo, quia vere reduplicativam esse hanc dixerim: Christus, in quantum Deus, est a se ipso. Deinde, quia non teneam ordinem reduplicativarum. Quasi unquam ego in mentionem istarum rerum inciderim nisi eius et *Cortesii* improbitate coactus, [12]) quasi mihi propositum aliud fuerit quam partim concedendo quod petebant eorum tamen calumnias diluere. Si negassem reduplicativarum legibus subiacere propositionem illam, clamitassent [13]) ambo me tergiversando lucem fugere. Nunc quia nimium liberalis fuerim plus illis largiendo quam debui, tanquam meum impugnat hic bonus vir quod suum est. Multum exagitat quod dixi, secundum quendam intellectum verum esse, licet non simpliciter, Christum a se ipso esse. Quasi aliud voluerim his verbis nisi adhibendum esse candorem, sicuti solent dextri et ingenui interpretes, non autem barbara ferocia, quod hic facit, quaerenda esse in syllabis aucupia. Valde invehitur in meam inscitiam, quia, quum de affirmativa propositione quaestio esset, negativas protulerim. Quasi vero in hac quaestione affirmatio aut negatio spectanda sit, ac non potius illa particula: quatenus. Acerbe mihi irascitur quod rebus claris ubique tenebras obducam. Quasi vero non omnes docti simul et indocti perspicuitatis laudem mihi tribuant. Sed quid singula persequor? Hic status est controversiae: Numquid vere de Christo praedicari possit, ipsum, quatenus Deus est, esse a se ipso? Negat hoc *Capunculus*. Cur? Quia Christi nomen secundam in Deo personam designet cui relatio est ad patrem. Fateor, si respectus ad personam habetur, non ita loquendum esse. Sed dico, hoc esse non personae sed essentiae elogium. Habeo idoneum huius loquutionis autorem spiritum sanctum, qui sententias omnes, quibus *αὐτουσία* Dei praedicatur, ad Christum refert, quum aliis locis tum primo capite ad Hebraeos. Denique satis de re ipsa inter nos convenit, nisi insatiabilis rixandi libido vel potius muliebris impotentia hominem abriperet. Contendit Christum, quia sit ex substantia patris, non a se ipso esse, quum aliunde principium habeat. Haec illi de persona confiteor. Quid amplius petit? Et adhuc iactat hic nugator sibi pro sola veritate certamen esse. Quasi vero quisquam magis strenuus magisve animosus vel acer veritatis defensor unquam exstiterit quam Paulus. At videmus quam severe nobis logomachias interdicat. Unde autem mihi controversiam movet, nisi quia ex eius praescripto non loquar? In re enim, ut dixi, nihil est dissensionis. Quid si contigisset illum esse disertum? Qualem, Deus bone, tyrannidem exercuisset in loquendi ratione, quum nunc balbus et prope infans velit tamen nos ad suas loquendi leges adigere?

Sed ad rem ipsam redeo. Fateor Dei filium esse a patre. Itaque quum personae ratio habetur, fateor eum non esse a se ipso. Quum autem absque personae intuitu de eius divinitate, vel simpliciter de essentia, quod idem est, habetur sermo, dico hoc vere de ipso praedicari quod sit a se ipso. Quis enim hactenus sub nomine Iehovah contineri expressionem *αὐτουσίας* negavit? His verbis quum nihil sit clarius, duplici obscuritate perplexa esse queritur. Dubitat enim an essentiae vocabulo divinam Christi naturam significem, an aliquid confuse ex duabus naturis conflatum. Ita ingeniosus artifex monstra ipsa sibi fingit ut aliquid perplexitatis in rebus planis inveniat. Sed postea sui oblitus relicta secunda obscuritate alio transsilit. Longo verborum circuitu conficere hoc studet, Christum non esse a se ipso. Plures in eius rei probationem

10) *Si haec exacte ut sonant computanda sunt et non καθ᾽ ὑπερβολὴν dicta, patet Capunculi in Calvinum declamationes iam antea incepisse quam id ex thesauro epistolico superstite discere et demonstrare possumus.*

11) eius *N.*

12) Cf. N. 459, 472 etc.

13) clamassent *T. B. S.*

syllogismos contexit. Hilarii et Cyrilli adducit testimonia, sed non videt se aerem verberare, quum non aliud tandem colligere possit quam personae non convenire quae ego de essentia recte praedicari affirmo. Quin etiam, quo videretur ad pugnandum instructior, probat mihi Athanasii autoritate Christum esse ex patris substantia genitum. Quasi hoc ego unquam in quaestionem vocaverim, imo quasi non id me docuisse sciat. Quid potest hoc homine fingi impudentius? Quanquam miror qualiter fidei articulum hominis unius testimonio satis firmum esse duxerit, quum paulo ante meam incogitantiam risisset, quia ex Augustino et Cyrillo testimonia, non ad probandum, sed tantum explicandum fidei articulum essem mutuatus. Dionysium enim citabat, qui illicitam audaciam esse pronunciat, loqui de essentiali divinitate praeter id quod est in sacris elogiis expressum. Qui fit ut legem non servet hic bonus magister quam aliis tam severe iniungit? Atque hoc quidem eo pertinet ut videatis, quum omnes cavillandi ansas canino dente mordeat, ea reprehendere quae proximo deinde versu imitando probet. De loco Ioannis: Dedit pater filio vitam habere in se ipso, magnam concertationem movet. Nam quia hoc de tota Christi persona dictum interpretor, non autem competere in alterutram ex duabus naturis, magnum testimoniorum acervum congerit, ut probet filium Dei habere omnia a patre quia sit ex ipso genitus. Ego autem locum illum ad aeternam generationem pertinere fortiter nego, sed tantum eo doceri, quibus dotibus ornaverit filium pater quum in carne fuit exhibitus. Contendo, inquam, de officio Christi potius quam de essentia illic fieri mentionem, nec tam Christum docere velle qualis in se ipso sit, quam qualem se nobis praestet. Atqui aliter intellexerunt plerique ex patribus. Quid tum? An eorum opinio mihi praeiudicium afferet, ne germanum loci sensum audeam sequi? Totus orationis contextus mihi suffragatur. Res ipsa mihi testimonium perhibet. Quam ergo puerile est certam veritatem hac sola machina impetere quod alios secus sensisse dicat? Ex libello etiam meo, quem de animarum immortalitate edidi, locum unum citat, ubi ad humanum Christi naturam hoc refero. Quasi vero hic me in aliqua repugnantia deprehendat. Nam fateor hanc praerogativam Christo homini datam esse. Unde enim alioqui vivifica eius caro foret? Sed addo, hoc esse factum quia Deus sit manifestatus in carne. Apud sanos et integros lectores mihi nulla excusatione [14]) opus est. Homini autem tam maligno et praefracto nulla unquam excusatio sufficiet. Postea extra oleas evagatur. Nam multum verborum in hoc profundit ut ostendat dona, quae humanitati Christi collata fuerunt, non tantum a patre sed a tribus simul personis prodiisse. Non mirum si aliis sit molestus, quum ipse sibi frustra nullaque ratione tantum negotii facessat. Quod probandum suscipit, primum in confesso est, deinde adeo vulgare ut ridiculum sit inter nos tanquam de re ardua verbosius disseri. Video tamen quid captet. Nam dum instar pueri me docet, sibi intus plaudit, quasi me puerilis inscitiae convictum teneat. Nam hanc tandem clausulam subiungit, huius tanti mysterii ignoratione factum esse ut tam turpiter desiperem. Ego autem hac tam ieiuna [15]) ostentatione hoc eum consequi dico ut omnes intelligant sensu communi prorsus et cerebro ipsum carere. Sed hoc quoque nihil obstat, quominus rite Christus accepta patri uni referat quae sibi ut homini donata sunt.

Tandem quum ad refellenda quae ex Cyrillo adduxeram testimonia descendit, me facit haereticum et impium. Hoc si vobis tolerabile videtur, optimi fratres, ego tacitus hanc iniuriam devorabo. Sed ignoscite si ego vos parum cordatos existimem, quamdiu hanc pestem in sinu fovebitis. Hac autem occasione in tantam intemperiem vel potius rabiem prorumpit. Citaveram haec Cyrilli verba: Quod a se ipso vitam non habet, quomodo corruptibile non erit? Excipit ipse: Miseret me tui, qui Cyrillum haereseos nota pergis insimulare. Quis enim nisi summe impius verum hoc pronunciatum dixerit: Christus est a se ipso? Sed unde hanc vel impietatem vel haeresim convincit, nisi quia filius sit a patre genitus? Negare non potest quin loquutus sit Cyrillus quemadmodum a me citatur, sed quia Cyrillus filium esse a patre simul dicat, hoc se modo illius suffragium mihi excutere arbitratur. Ego autem utrumque verum assero, et esse Christum a patre, ut secunda est persona, et a se ipso esse, si divinam eius essentiam simpliciter respicimus. Nam sicut hoc inter orthodoxos patres semper fuit receptum, atque adeo ex scripturis colligi rite potest, Christum a patre esse, ita audio quid de eius essentia ubique scriptura praedicet, quid etiam iidem illi sancti scriptores profiteantur. Atque id est quod orientales episcopos definisse Hilarius refert: Si quis intemporalem filii de patre hypostasin ad innascibilem Dei essentiam referat, quasi filium patrem dicens, anathema sit. Sed quid tanquam de re ambigua disputo? Cyrillus Christum fore mortalem et corruptibilem ratiocinatur, nisi a se ipso vitam et immortalitatem habeat. Haereticum esse pronunciat haec belua et impium, quicunque sic

14) excusatione .... nulla. *in B. omissa, S. ex coniectura non male restituit, quamvis paulo aliter atque in authenticis exx. leguntur.*

15) nimia *T. B. S.*

loquitur. Eadem quoque protervia insurgit deinde in Augustinum. Nam quum ex pluribus locis quos adduxeram unum velit refellere, primum mihi affingit quae nunquam in mentem venerunt, nempe quod dixerim: aliud ad aliud. Mitto ipsam epistolam quam a vobis recepi, ut inde vobis appareat quantus eum calumniandi furor agitet. Statim vero hunc locum sic claudit: Alius pater, alius filius, dicendum est, qui nolit in Arianismum incidere. Ego autem tametsi confiteor, hunc esse proprium atque usitatum loquendi morem, ut dicamus alium esse patrem a filio, non aliud, tamen nequaquam ferre possum Arianismi Augustinum immerito accusari, qui sic epistola ad Maximum sexagesima sexta loquitur: Haec omnia nec confuse unum sunt, nec disiuncte tria, sed quum sint unum tria sunt, et quum sint tria unum sunt. Proinde qui tam multis cordibus fidelium donavit ut essent unum cor, quanto magis conservat in se ipso ut sint haec tria et singula Deus, et simul omnia non tres dii sed unus deus. Certe qui tria confitetur unum esse, aliud ab alio dicere non horreret. Nam ubi tres sunt, primus alius est a secundo, ubi tria, illic esse aliud et aliud necesse est. In eundem etiam modum scribit Nazanzenus, se unum intueri in Deo non posse, quin tria mox discernat. Haec tantum ideo adduxi ut paululum huius furiosi tauri impetum cohiberem [16]) qui Arianismos et Sabellianismos identidem crepat, quoties verbulo uno offenditur. Alioqui nec de re ab eo dissentio, et libenter in loquendi ratione distinctionem ab eo positam sequor, modo ne tyrannica servitute non tantum omnes qui hodie vivunt, sed defunctos etiam attingat.

Redeo ad illud atrocissimum haereseos et impietatis crimen quod mihi et vobis simul impingit. Si vobis non est tantum animi ut hanc ferociam [17]) coerceatis, vestram quidem nimiam patientiam improbabo, sed commendata Domino mea et ecclesiae causa quietus me in silentio continebo. Sin collectis animis ad repurgandam [18]) hoc coeno et hac labe ecclesiam vos accinxeritis, non dubito quin exitum tam sanctae actioni daturus sit Dominus, qualem optari a bonis omnibus par est. Mihi, quod meam querimoniam ad vos detuli, videor officio perfunctus. Reliquum est ut quae sint vestrae partes cogitetis, nec sinatis vestra cessatione (ut ne quid gravius dicam) malum nimis noxium et exitiale gliscere ulterius et grassari. Valete, fratres carissimi et mihi semper colendi in Domino: quem precor ut vobis semper adsit ac [19]) spiritu prudentiae fortitudinis zeli constantiae instruat in regni sui aedificationem. 21. Ianuar 1545. [20])

Ioannes Calvinus vester.

---

16) *Hoc vocabulo in T. et B. casu omisso, Simlerus ex coniectura* excipiam *inseruit.*
17) furiam *G. T. B. S. quod nobis praeferendum videtur.*
18) repugnandam *N.*
19) *sic. S. supplet:* vos.
20) *Datum cum subscriptione autographa leguntur in solo cod. N. primario.*

608.

VIRETUS BULLINGERO.

De libello Lutheri nuper de negotio eucharistiae contra Turicenses edito. Cui ut vel omnino non respondeant vel saltem moderate et tantum germanice multis prolatis argumentis suadet. Calvini libellus contra Libertinos.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 166 olim Epp. XXIV. fol. 232. Simler. Vol. 56.)

Singulari eruditione ac pietate ornatissimo D. Henricho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori vigilantissimo

Tiguri.

Gratia et pax a Deo patre per Iesum Christum. Vehementer gravisus sum, *Bullingere* doctissime, quod ex tuis ad *Coelium* literis intellexerim, te ac tuos collegas et symmystas omnes esse prospera valetudine: sed valde cruciavit animum meum nuncius ille qui ad nos pervenit de libello quem nuper edidit *Lutherus* de negotio eucharistiae. [1]) Utinam capularis senex aliam nobis cygneam cantionem cecinisset, quae plus ei attulisset ornamenti, amicis vero et bonis omnibus plus voluptatis atque utilitatis, et minus oblectamenti hostibus nostrae religionis. Nam quamvis sim eius linguae ignarus qua liber ille scriptus est, me tamen parum recreat, imo graviter angit animum meum, si vera sunt quae de eo audivi, tum ex tuis literis tum ab amicis, nuper quum Bernae essem: quae a vobis omnibus scripta non arbitror nisi vera sunt. Audio vos adversus eum parare responsum, [2]) quod vobis non ausim dissuadere. [3]) Non enim opinor vos ad scribendum fuisse animum appulsuros, nisi id magnopere res ipsa postularet et a vobis extorqueret.

---

608. 1) *Vide supra N.* 586, *not.* 9 *et* 606, *not.* 12.
2) *Prodiit mense Martio: Titulum descripsimus supra ad N.* 586, *n.* 12.
3) *Imo revera dissuadet, quod et Melanchthon fecit qui nihil intempestivius esse dixit quam hoc tempore πῦρ ἐπὶ πῦρ addere et domestica accendere certamina.* (*Corp. Ref. V.* 525. *Cf. etiam Calvinum N.* 586.)

Nam quid hactenus profectum sit huiusmodi scriptionibus, quibus contentiones magis accensae sunt et quibus nos ipsos fabulam praebuimus hostibus, res ipsa satis superque loquitur. Optarim itaque omnes huiusmodi occasiones nobis praeripi et penitus adimi, ne spem hostibus faciamus, futurum ut aliquando nostris ipsorum telis Madianitarum more confodiamur, et mutuis concidamus vulneribus. Non possunt non esse vehementer cruenti isti congressus inter eos qui eandem religionem profitentur, in ipsis ecclesiae visceribus ac tanta externorum hostium turba. Sed quid agamus in tanta quorundam importunitate, qui malum utcunque sopitum excitant, qui tales se gerunt ut silere non possimus? Ardentissimis votis id nobis serio esset a Domino poscendum, ut linguas et calamos cogeremur tantum acuere ac stringere in eos qui se apertos ecclesiae hostes profitentur, non autem in eos qui nomen aliquod retinent in ecclesia, quorumque ministerio non vulgariter pietatis studia aucta sunt. Sed quando veritatis suscipiendum est patrocinium, silentium abrumpendum est, ne eo ecclesiam prodidisse videamur. Non ausim igitur meam sententiam vestris opponere consiliis, nec a vobis perpetuum silentium postulare, postquam audio vobis iustam esse oblatam scribendi occasionem. Neque ausim rursum vos modestiae admonere, ne convicium retalietis convicio, quandoquidem eam vos vestra sponte, nullo accedente monitore, talem spero exhibituros, ut nemo non possit iudicare quantum moroso seni peperceritis, quamque vestra iuventus temperata sit senili maturitate. Hoc solum a vobis cupio impetratum, si quid habent ponderis meae apud vos rationes, ut quoad eius fieri poterit studeatis ista, quae a bonis audiri non possunt citra gravissimum animi dolorem, iis non patefacere qui eorum sunt penitus ignari: quae eius sunt generis ut tutius ignorentur quam exeant in vulgus. Haec adiicio quod audiam, si verus est rumor qui ad nos sparsus pervenit, vos gallica, germanica et latina lingua responsuros. Nolim temere vestra damnare consilia, ut qui forte causas ignorem vestrarum deliberationum. Sed nisi aliud est quidpiam gravioris causae, aut sanioris consilii, quod non pervideo, in hac potius sum sententia, et mecum amici omnes quos hic habeo, et quotquot melius consultum cupiunt paci ecclesiarum, ut lingua tantum vernacula, qua liber editus est, respondeatis.[4]) Satis vestro functi officio, meo quidem iudicio, videbimini, si iis satisfeceritis qui eo libello offensi fuerunt, ac deinceps offendi possunt. Qui ignorant, quique non intelligunt, tutius ignorabunt. Qui solum latine, germanice[5]) aut italice norunt, linguae germanicae ignari et imperiti, nullo suo incommodo ignorabunt, quod forte sine suo aliquo periculo discere non poterunt. Utinam ne verbum quidem audirent nostri unquam de huiusmodi contentionibus. Non haberent adversum nos arma hostes nostri quibus nos impetunt. Si in alias linguas liber transfusus esset, iustiorem videremini occasionem habuisse, si et vos linguarum beneficio usi earum multitudine causam vestram et ecclesiae tueremini.

Haec scribo ad te, *Bullingere* amantissime, liberius forte quam me decuit, sed non liberius, opinor, quam tuam deceat humanitatem, et istam tuam ingenii suavitatem, et nostram amicitiam, qua fretus hanc mihi sumpsi audaciam, non ut sus docerem Minervam, sed ut aliquid amicus apud amicum de communi ecclesiae profectu et negotio ad te scriberem, et occasionem arriperem interrumpendi diuturni tui atque mei silentii, quo nostra amicitia nonnihil expergefieret. Nostri omnes recte valent gratia Domini. Genevae editur liber *Calvini* nomine adversus Libertinos, de quorum secta et moribus nihil opus ut ad te scribam, quippe qui rem totam probe teneas. Si non gravaris salutabis meo nomine collegas ac symmystas tuos. Fratres nostri te omnes salutant. Vale. Lausannae 21. Ianuarii 1545.

Tuus Petrus Viretus.

4) *Versionem latinam simul ediderunt. Vide infra N.* 622.

5) *Sic autogr. lapsu calami evidentissimo. Scribe:* gallice.

609.

LIBERTETUS FARELLO.

Instante sententiae capitalis de civibus quibusdam latae exsequutione citius praeterita Lausanna rediit. Opusculum de Metensibus prelo paratum Vireto et Calvino relegendum tradit antequam excudatur.

(Ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium. Fascic. Epp. Oph. Fabri N. 42.)

Suo Gulielmo Farello
Neocomi.

S. Meministi, opinor, causae quae me sic redire ursit, nimirum vinctorum nostrorum trucidationem,[1]) quam sequenti Iovis die futuram conieceram ex famulo praefecti, quem Bernae sententiam

609. 1) *Causam hanc alibi illustratam legisse non meminimus.*

loquitur. Eadem quoque protervia insurgit deinde in Augustinum. Nam quum ex pluribus locis quos adduxeram unum velit refellere, primum mihi affingit quae nunquam in mentem venerunt, nempe quod dixerim: aliud ad aliud. Mitto ipsam epistolam quam a vobis recepi, ut inde vobis appareat quantus eum calumniandi furor agitet. Statim vero hunc locum sic claudit: Alius pater, alius filius, dicendum est, qui nolit in Arianismum incidere. Ego autem tametsi confiteor, hunc esse proprium atque usitatum loquendi morem, ut dicamus alium esse patrem a filio, non aliud, tamen nequaquam ferre possum Arianismi Augustinum immerito accusari, qui sic epistola ad Maximum sexagesima sexta loquitur: Haec omnia nec confuse unum sunt, nec disiuncte tria, sed quum sint unum tria sunt, et quum sint tria unum sunt. Proinde qui tam multis cordibus fidelium donavit ut essent unum cor, quanto magis conservat in se ipso ut sint haec tria et singula Deus, et simul omnia non tres dii sed unus deus. Certe qui tria confitetur unum esse, aliud ab alio dicere non horreret. Nam ubi tres sunt, primus alius est a secundo, ubi tria, illic esse aliud et aliud necesse est. In eundem etiam modum scribit Nazanzenus, se unum intueri in Deo non posse, quin tria mox discernat. Haec tantum ideo adduxi ut paululum huius furiosi tauri impetum cohiberem [16]) qui Arianismos et Sabellianismos identidem crepat, quoties verbulo uno offenditur. Alioqui nec de re ab eo dissentio, et libenter in loquendi ratione distinctionem ab eo positam sequor, modo ne tyrannica servitute non tantum omnes qui hodie vivunt, sed defunctos etiam attingat.

Redeo ad illud atrocissimum haereseos et impietatis crimen quod mihi et vobis simul impingit. Si vobis non est tantum animi ut hanc ferociam [17]) coerceatis, vestram quidem nimiam patientiam improbabo, sed commendata Domino mea et ecclesiae causa quietus me in silentio continebo. Sin collectis animis ad repurgandam [18]) hoc coeno et hac labe ecclesiam vos accinxeritis, non dubito quin exitum tam sanctae actioni daturus sit Dominus, qualem optari a bonis omnibus par est. Mihi, quod meam querimoniam ad vos detuli, videor officio perfunctus. Reliquum est ut quae sint vestrae partes cogitetis, nec sinatis vestra cessatione (ut ne quid gravius dicam) malum nimis noxium et exitiale gliscere ulterius et grassari. Valete, fratres carissimi et mihi semper colendi in Domino: quem precor ut vobis semper adsit ac [19]) spiritu prudentiae fortitudinis zeli constantiae instruat in regni sui aedificationem. 21. Ianuar 1545. [20])

Ioannes Calvinus vester.

16) *Hoc vocabulo in T. et B. casu omisso, Simlerus ex coniectura* excipiam *inseruit.*
17) furiam *G. T. B. S. quod nobis praeferendum videtur.*
18) repugnandam *N.*
19) *sic. S. supplet:* vos.
20) *Datum cum subscriptione autographa leguntur in solo cod. N. primario.*

608.

VIRETUS BULLINGERO.

De libello Lutheri nuper de negotio eucharistiae contra Turicenses edito. Cui ut vel omnino non respondeant vel saltem moderate et tantum germanice multis prolatis argumentis suadet. Calvini libellus contra Libertinos.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 166 olim Epp. XXIV. fol. 232. Simler. Vol. 56.)

Singulari eruditione ac pietate ornatissimo D. Henricho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori vigilantissimo

Tiguri.

Gratia et pax a Deo patre per Iesum Christum. Vehementer gravisus sum, *Bullingere* doctissime, quod ex tuis ad *Coelium* literis intellexerim, te ac tuos collegas et symmystas omnes esse prospera valetudine: sed valde cruciavit animum meum nuncius ille qui ad nos pervenit de libello quem nuper edidit *Lutherus* de negotio eucharistiae. [1]) Utinam capularis senex aliam nobis cygneam cantionem cecinisset, quae plus ei attulisset ornamenti, amicis vero et bonis omnibus plus voluptatis atque utilitatis, et minus oblectamenti hostibus nostrae religionis. Nam quamvis sim eius linguae ignarus qua liber ille scriptus est, me tamen parum recreat, imo graviter angit animum meum, si vera sunt quae de eo audivi, tum ex tuis literis tum ab amicis, nuper quum Bernae essem: quae a vobis omnibus scripta non arbitror nisi vera sunt. Audio vos adversus eum parare responsum, [2]) quod vobis non ausim dissuadere. [3]) Non enim opinor vos ad scribendum fuisse animum appulsuros, nisi id magnopere res ipsa postularet et a vobis extorqueret.

608. 1) *Vide supra N.* 586, *not.* 9 *et* 606, *not.* 12.
2) *Prodiit mense Martio: Titulum descripsimus supra ad N.* 586, *n.* 12.
3) *Imo revera dissuadet, quod et Melanchthon fecit qui nihil intempestivius esse dixit quam hoc tempore πῦρ ἐπὶ πῦρ addere et domestica accendere certamina.* (*Corp. Ref. V.* 525. *Cf. etiam Calvinum N.* 586.)

Nam quid hactenus profectum sit huiusmodi scriptionibus, quibus contentiones magis accensae sunt et quibus nos ipsos fabulam praebuimus hostibus, res ipsa satis superque loquitur. Optarim itaque omnes huiusmodi occasiones nobis praeripi et penitus adimi, ne spem hostibus faciamus, futurum ut aliquando nostris ipsorum telis Madianitarum more confodiamur, et mutuis concidamus vulneribus. Non possunt non esse vehementer cruenti isti congressus inter eos qui eandem religionem profitentur, in ipsis ecclesiae visceribus ac tanta externorum hostium turba. Sed quid agamus in tanta quorundam importunitate, qui malum utcunque sopitum excitant, qui tales se gerunt ut silere non possimus? Ardentissimis votis id nobis serio esset a Domino poscendum, ut linguas et calamos cogeremur tantum acuere ac stringere in eos qui se apertos ecclesiae hostes profitentur, non autem in eos qui nomen aliquod retinent in ecclesia, quorumque ministerio non vulgariter pietatis studia aucta sunt. Sed quando veritatis suscipiendum est patrocinium, silentium abrumpendum est, ne eo ecclesiam prodidisse videamur. Non ausim igitur meam sententiam vestris opponere consiliis, nec a vobis perpetuum silentium postulare, postquam audio vobis iustam esse oblatam scribendi occasionem. Neque ausim rursum vos modestiae admonere, ne convicium retalietis convicio, quandoquidem eam vos vestra sponte, nullo accedente monitore, talem spero exhibituros, ut nemo non possit iudicare quantum moroso seni peperceritis, quamque vestra iuventus temperata sit senili maturitate. Hoc solum a vobis cupio impetratum, si quid habent ponderis meae apud vos rationes, ut quoad eius fieri poterit studeatis ista, quae a bonis audiri non possunt citra gravissimum animi dolorem, iis non patefacere qui eorum sunt penitus ignari: quae eius sunt generis ut tutius ignorentur quam exeant in vulgus. Haec adiicio quod audiam, si verus est rumor qui ad nos sparsus pervenit, vos gallica, germanica et latina lingua responsuros. Nolim temere vestra damnare consilia, ut qui forte causas ignorem vestrarum deliberationum. Sed nisi aliud est quidpiam gravioris causae, aut sanioris consilii, quod non pervideo, in hac potius sum sententia, et mecum amici omnes quos hic habeo, et quotquot melius consultum cupiunt paci ecclesiarum, ut lingua tantum vernacula, qua liber editus est, respondeatis.[4]) Satis vestro functi officio, meo quidem iudicio, videbimini, si iis satisfeceritis qui eo libello offensi fuerunt, ac deinceps offendi possunt. Qui ignorant, quique non intelligunt, tutius ignorabunt. Qui solum latine, germanice[5]) aut italice norunt, linguae germanicae ignari et imperiti, nullo suo incommodo ignorabunt, quod forte sine suo aliquo periculo discere non poterunt. Utinam ne verbum quidem audirent nostri unquam de huiusmodi contentionibus. Non haberent adversum nos arma hostes nostri quibus nos impetunt. Si in alias linguas liber transfusus esset, iustiorem videremini occasionem habuisse, si et vos linguarum beneficio usi earum multitudine causam vestram et ecclesiae tueremini.

Haec scribo ad te, *Bullingere* amantissime, liberius forte quam me decuit, sed non liberius, opinor, quam tuam deceat humanitatem, et istam tuam ingenii suavitatem, et nostram amicitiam, qua fretus hanc mihi sumpsi audaciam, non ut sus docerem Minervam, sed ut aliquid amicus apud amicum de communi ecclesiae profectu et negotio ad te scriberem, et occasionem arriperem interrumpendi diuturni tui atque mei silentii, quo nostra amicitia nonnihil expergefieret. Nostri omnes recte valent gratia Domini. Genevae editur liber *Calvini* nomine adversus Libertinos, de quorum secta et moribus nihil opus ut ad te scribam, quippe qui rem totam probe teneas. Si non gravaris salutabis meo nomine collegas ac symmystas tuos. Fratres nostri te omnes salutant. Vale. Lausannae 21. Ianuarii 1545.

Tuus Petrus Viretus.

609.

LIBERTETUS FARELLO.

Instante sententiae capitalis de civibus quibusdam latae exsequutione citius praeterita Lausanna rediit. Opusculum de Metensibus prelo paratum Vireto et Calvino relegendum tradit antequam excudatur.

(Ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium. Fascic. Epp. Oph. Fabri N. 42.)

Suo Gulielmo Farello
Neocomi.

S. Meministi, opinor, causae quae me sic redire ursit, nimirum vinctorum nostrorum trucidationem,[1]) quam sequenti Iovis die futuram conieceram ex famulo praefecti, quem Bernae sententiam

4) *Versionem latinam simul ediderunt. Vide infra N.* 622.

5) *Sic autogr. lapsu calami evidentissimo. Scribe:* gallice.

609. 1) *Causam hanc alibi illustratam legisse non meminimus.*

a Dominis exspectantem reliquerum. Unde Morgias mihi properandum fuit, tametsi Lausannae transire pollicitus fuissem, et multa illic mihi essent negotia. Id sane *Vireto* displicuit, cui hoc pacto satisfactum esse non dubito. Dominus tandem effecit ut principes exactissime omnia facinorum indicia et argumenta disquiri ac comprobari * ne solis eorum confessionibus credatur. Quamobrem omnibus, ut potuerunt, disquisitis processus ad principes remiserunt, et indies extremam exspectamus condemnationem. Suppeditet Dominus prudentiam ac sui timorem, quo omnia decenter fiant in gloriam suam et ecclesiae suae aedificationem. *Viretum* urgebo ad relegendum de Metensibus opusculum. Et si saltem curare ut excudatur valeam,[2]) mox ad me mittat. Quod si opus fuerit, ut existimo, *Calvino* recurrendum tradetur: ipse lubenter perferam et eum urgebo meo more, pro Christi gloria alioqui paratissimum — — — — — — — — — — —
Tononii penult. Ian. 1545.

Tuus obsequentissimus filius et frater
Christoph. Libertetus.

Adventus meus vinctis opportunus et gratissimus fuit, gratia Domino, nec diutius morari expediebat.

610.

CALVINUS INCERTO. [1])

Frustra aliquis quidquam a concilio aut comitiis Imperii in causa religionis speraverit. Coloniae res indies magis ambiguae et parum faustae. Osiandri praepostera diatribe. Senarcleus Wittembergam missus. Alius cuiusdam negotii mentio obscurior.

(Manu scripta non exstat. Legitur in thesauro Bezano Gen. p. 376, Laus. p. 679, Hanov. p. 763, Chouet p. 517, Amst. p. 235 et Anglice ap. B.-C. I. 418.)

Ergo perinde ac si in proximum mensem indictus esset habendi concilii dies copias vestras adornatis.[2]) Sed hoc ipsum argumento est, quam temere omnia et fortuito apud vos, nihil prudenter nec consulto agatur, quod quum ex toto regno deligendi essent idonei homines, talibus mandatum sit negotium: nisi forte, quod alioqui inertissimi omnium semper ad nocendum plus satis sunt instructi. Caeterum concilii exspectationem, quae apud vos summa esse fertur, de nihilo conceptam arbitror. Conventus Imperii Februario agetur.[3]) Verum ante Martium nulla seria consultatio haberi incipiet. Novi Germaniae morem. Hoc tibi tam certo possum asserere, ac si praesens interessem. Instabunt nostri, ut Antichristo excluso tandem ordinis inter se aliquid constituant: negabunt hoc sibi licere, qui adhuc voluntaria servitute idolo sunt obnoxii. *Caesar*, ut nostris ex parte satisfaciat, paratum se ad omnia fore pollicebitur. Forsan et aliquam actionis speciem ostentabit: sed quam statim ab initio abrumpet inventa aliqua occasione, quae nunquam istis hominibus deest. Hic certe erit exitus, non licere nisi ex papae autoritate quidquam in religionis causa decerni. De cogenda synodo ubi coeptum fuerit agitari, nostri mox reclamabunt, indignum esse ut haec religionis cognitio professis Dei hostibus deferatur. Antichristum postulabunt reum ad causam dicendam: iudicem certe nullo modo admittent. Quibus autem conditionibus Tridentum pertrahi posse existimas? Verum ut a nostris nihil sit remorae, quum nihil libentius facturus sit *Caesar*, quam ut conversis ad bellum turcicum omnium animis suspensum ecclesiae statum ad tempus relinquat: annon in ea re, ad quam expetendam sponte alioqui propensus erit, facile idolo gratificabitur? Quanquam fingamus iam indictum esse concilium, iam omnia esse comparata: putamusne artem idolo defuturam, qua rem totam disturbet? Quid ergo religioni horrendum in modum lacerae ac dissipatae, quid miserae ecclesiae, quae iamiam videtur ad interitum ruere, quid nomini christiano, quid Dei gloriae fiet? Petendum certe ab eo, ut horum omnium curam suscipiat ipse solus ac sustineat. Nostri torpent, nec spes est cordate strenueque acturos, nisi Dominus aliunde eos expergefaciat. Quanquam impii satis illis occasionis praebent, ut sibi incipiant cavere. Omnia tentarunt Colonienses canonici, cum tota clericorum faece, ut archiepiscopum deiicerent suo loco.[4]) Convocarunt omnium ordinum comitia, ut sibi permitteretur alium subro-

---

2) *An unquam tale opusculum excusum fuerit dubitamus.*

610. 1) *In Germania quaerendo sed non Wittebergae quo eodem tempore Senarcleum mittebat.*

2) *Indictum fuerat ad Idus Martias* 1545 (*Sleidan. II.* 423), *sed demum m. Decembre inchoatum.*

3) *Imo die demum* 24. *Martii rite inceptum.*

4) *Iam per totum annum* 1544 *Canonici se praesulis sui conatibus minime favere palam ostenderant, tandem* 9. *Octobr. publice protestati sunt in eundem sensum et finem* (*Sleid.* 364, *Seckend. III.* 473, *Deckers* 121). *Quibus quum archiepiscopus responderit, universus clerus praeeunte capitulo et universitas d.* 25. *Octobr. et denuo d.* 8. *Nov. declaratione facta quasi unanimiter ne ille ultra progrederetur obstiterunt, quod iterum factum est in comitiis d.* 29. *Decemb. postquam d.* 18 *eiusdem mensis archiepiscopus sua consilia defenderat* (*Deckers* 130, 137).

gare. Negatum est. Idem a *Caesare* postularunt: respondit se non defuturum, modo officium suum facerent. Palam illis concedere noluit. Verum ex illis ambagibus divinare licet eum minime refragaturum, si quid turbarum moverent: si ultra progressi fuerint, certum bellum, quo totus Germaniae status aut labefactabitur, aut graviter concutietur: sed haec quoque viderit Dominus. Haec mihi unica consolatio est, quod mors misera esse non potest homini christiano. Interea gemam, ut debeo, ecclesiae calamitates, et afficiar piorum sorte: sed ita ut non exanimer. Si inter nos bene conveniret, minus essem anxius: sed inter istos hostium apparatus, satis ad insaniendum otii quibusdam esse portento simile est.

Ecce ex altera parte, nescio quis elegia *Osiandrum*[5]) lacessivit, parum et ipsum sani cerebri hominem. Quum se purgaret, ita libellum inspersit atra bile, ut me vehementer eius pudeat: sed nihil me peius torquet, quam quod tertio quoque verbo Zvinglianis insultat. Ita quasi impiis linguam et manus locaverimus, ipsis praebemus iucundum suaveque spectaculum, mutuo nos lacerando. Quis non animum despondeat, inquies, tot obiectis offendiculis? Fateor certe nullum esse tam ferreum animum, qui non frangatur, nisi in Dominum respexerit. Itaque sic interpretor, velle Dominum modis omnibus experiri, num quid ab hominibus pendeamus: sed tantum abest quin debiliter, ut non vulgaris inde confirmatio mihi accedat. Nam dum ecclesiam inter istos fluctus mirabiliter regi a Domino video ne obruatur, dum ipsas tempestates, quum omnia iamiam permixturae videntur, momento residere ac quiescere cerno: cur non bonam inde spem concipiam? Pergamus igitur in vocationis nostrae cursu, hac fiducia subnixi, emersuram ecclesiam, quae Deum habeat perpetuum salutis suae custodem: sed quia non omnibus eadem est animi fortitudo, quo familiarius omnia depono in tuum sinum, eo paucioribus communicabis.

Quod postremis tuis literis postulabas, an exsequi deberem, aliquantisper haesitavi. Longum enim est iter, asperum et difficile. Non ante diem vicesimum nuncius illuc equo perveniet. Quemlibet autem mittere sine delectu, periculosum erat. Erronibus aut levibus nulla fides, pauci autem alii reperiuntur. Linguae imperito molestissima esset via, summa etiam ubique propter anni sterilitatem caritas. Ego a pecunia nequaquam instructus. Etiam quum tempus non est incommodum, oneribus quae mihi incumbunt sustinendis par esse nequeo, quin totus exhauriar. In hac vero annonae penuria, cum qua iam biennium conflictamur, me aere alieno implicari necesse fuit. Quanquam haec non dico conquerendi causa. Benigne enim mecum agit Deus, quod habeo quantum animo meo satis est. Sed ut intelligas mihi hic non facile esse invenire, a quibus pecuniam mutuo sumam. Sunt enim omnes mercatores, et quidem famelici. Huc accedebat quod iam dixi, tempus consulendi *Lutheri* esse adhuc alienum, quia animus vixdum bene a contentionis fervore resedisset. Verum quum tam vehementer instares, totque obtestationibus me urgeres ut facerem, nihil mihi prius fuit quam votis tuis morem gerere. Ab honesto et non indocto adolescente[6]) impetravi, ut hanc molestiam subiret mea causa. Libellos meos[7]) ad verbum in linguam latinam verti, quos adiunxi meis literis, ut inde iudicarent. Nec aliud petii meis literis, nisi ut libere simpliciterque quod sentiant proferant: nisi quod adiunxi, nequaquam mihi gratum facturos si quam mei haberent rationem. Vix ante duos menses redibit nuncius. Quadraginta enim dierum viam habet conficiendam. Quatriduum ad interquiescendum assigno. Reliquum temporis consultationi cedet. Vale.[8])

5) *N.* 606, *not.* 16.

6) *Senarcleo.*

7) *Contra Nicodemitas.*

8) *Referimus hanc epistolam ad m. Ianuarium a.* 1545, *tum propter ea quae de concilio indicto et de comitiis Imperii instantibus, item de Osiandro dicit, tum maxime propter ea quae sub finem leguntur et evidenter ad Senarclei missionem spectant.*

611.

CALVINUS VIRETO.

Quae in causa Capunculi nuper gesta sint, et in literis ad Melanchthonem tractata paucis tangit.

(Ex apographo Ionvillaei Cod. Genev. 111a, fol. 38 v. Exstat praeterea in Cod. Turretini Genev. 111, fol. 102, in Arch. Bern. Epp. VII. 643 et ap. Simlerum Vol. 56.)

Libellum *Capunculi*[1]) una cum responsione misi nuper Neocomum ad *Farellum* et reliquos fratres. Ex eorum manibus petere licebit si legere volueris. Misi praeterea *Farello Roberti*[2]) literas quibus indicabat quid consilii attulisset ex aula Caesaris *Tornonius*, nempe ut ex nostris evocarentur

611. 1) *N.* 590, 607.

2) *Quis hic fuerit dicere non ausimus. Fuerunt plures huius nominis in hoc thesauro nobis obvii. Hic aliquis significari videtur in Gallia degens. Caetera omnia in notis ad Epist. N.* 606 *elucidavimus.*

quatuor aut quinque alius post alium. Ita seorsum aut blanditiis pellicerentur, aut minis permoverentur ad aliquid largiendum quod praeiudicio nobis futurum esset. Scis hoc fuisse olim *Langaei* artificium. Statim opportune adfuit nuncius per quem *Bucerum* admonui, de quo ideo plus timebam quod et vicinior est et ab hostibus ex primis deligeretur. *Melanchthoni* quoque postea scripsi diligenter per Claudium *Senarclenium* quem alia de causa illuc mittebam. Nam quorundam amicorum rogatu a *Luthero*, *Melanchthone* et *Bucero* petivi ut de libello meo, qui tui similis est, sententiam nobis suam perscriberent. Non quia mihi placeret ipsos consulere, aut quia spes aliqua successus foret. Verum quum id iam in animum induxissent Galli, sciebam omnino facturos. Malui igitur ut ex re ipsa potius iudicarent quam causa inaudita.

Quod autem non protinus *Caesari* et *Tornonio* obsequutus est, id accidit *Castellani* ambitione magis quam prudentia. Quanquam non dubito quin hunc Dominus impulerit, ut illum tam periculosum astum interverteret, ne nostri incauti obruerentur. Ostendit Regi verendum esse ne, si doctores suos imparatos nobis hominibus ad pugnam instructis et in ea exercitatis committeret, non ipsos modo exponeret dedecori sed totum quoque regnum. Hoc ergo potius agendum, ut aliquot viri docti nominarentur a Rege qui collatis operis se ad nos impetendos armarent. Sunt Meloduni duodecim ex quibus duo existimantur boni. Nescio an unum debeam talem iudicare. Exspectabimus quid ferat tandem hic magnus apparatus. Certe nihil boni cogitant. Sed est in coelo qui ipsos derideat, ac in terra etiam ridiculos faciat. Vale. Dominus te et familiam tuam conservet, quam salutabis meo et meorum nomine. Genevae 4. Nonas Februar.[3])

Ioannes Calvinus tuus.

3) *Annum adscribere* 1545 *nullius negotii est, quum tot res aliunde notas, ut his ipsis diebus gestas, commemoret autor. Attamen Turretinus multus est in demonstrando.*

612.

VIRETUS CALVINO.

Paucis praemissis de iis quae Calvinus in nupera sua epistola attigerat, pluribus agit de novo quodam Farelli opusculo, de suis ipsius conaminibus literariis, de statu rerum apud Bernenses et controversia Turicensium cum Luthero.

(Ex autographo Cod. Genev. 111ª, fol. 60. Praeterea descripta est in Cod. 116, fol. 85, in Arch. Bern. Epp. VII. p. 647, et ap. Simlerum Vol. 56.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino fratri et amico quam carissimo

Genevae.

S. Exspectabam abs te literas expostulatorias quod tam raro ad te scribam, sed occupatior es quam ut vel expostulare liceat. Ego autem etsi magis otiosus sim quam tu, nolo tamen tecum expostulare de diuturno tuo silentio, imo magis miror quod vel apiculum mittere possis. Lubens abs te audivi quae de apparatu Gallorum ad conflictum cum nostris scripsisti.[1]) Audiveram prius nonnihil, sed satis incerto autore. At quaedam inseruisti tuis literis quae non facile capio. *Senarclenium* missum abs te scribis ad *Melanchthonem*, quod hactenus ignoravi. Miror quod illuc proficiscens hac iter non fecerit. Adiicis te ab ipsis poscere quid sentiant de libello quodam tuo qui mei similis est. Quis ille libellus sit non satis assequor, quum nihil scripserim quod cum ullo tuo opere aliquid habeat simile, nisi forte epistolam missam ad Gallos de ratione vivendi cum superstitiosis papistis.[2]) Sed quum ante annos aliquot latine idem tractaris argumentum,[3]) non puto illos hactenus ignorasse quid scripseris, aut te latuisse quid ea de re sentirent.

Sunt clausulae aliquot in medio tuae epistolae quas nulla ratione potui intelligere, aut quoniam non satis rem explicas, quam mihi forte notam esse putasti, aut quoniam aliquid forte abs te omissum est scribendi festinatione. Libellus *Capunculi* nondum ad manus meas pervenit. *Farellus* misit ad me non ita pridem libellum quendam a se compositum,[4])

612. 1) *Melodunense colloquium innuit.*

2) Epistre envoyee aux fideles conversans parmi les chrestiens papistiques pour leur remonstrer comment ils se doivent garder d'estre souillez et polluz par leurs superstitions et idolatries et de deshonorer Iesus Christ par icelles. 1543. 8. (*Bibl. Turic.*) *Recusa est in:* Traittez divers pour l'instruction des fideles qui resident et conversent es lieus et pais esquels il ne leur est permis de vivre en la pureté et liberté de l'Evangile. Reveus et augmentez. Geneve 1559. 8. *In hac collectione Tractatuum exstat praeterea libellus Vireti:* Deux discours adressés aux fideles qui sont parmi les papistes, *cuius primam editionem Haagius ad a.* 1543, *Senebierius ad a.* 1544 *refert, neuter de visu. Si quod autor hic de se ipso dicit bene perpenderis, vix tibi persuadebis hunc libellum tunc temporis iam prodiisse.*

3) *in Epistolis duabus Opp. T. V.*

4) Forme d'oraison pour demander à Dieu la saincte predication de l'Evangile et le vrai et droit usage des sacremens. Geneve. Girard. 1545. 8. *Hunc libellum ab alio eiusdem diversum fuisse existimamus* (*hactenus a collega nostro doctissimo C. Schmidtio dissentientes*) *a.* 1543 *edito sub titulo:* La tressaincte oraison que nostre Seigneur Iesus Christ a baillé à ses apostres . . . . avec un recueil d'aucuns passages de la saincte Escriture fait en maniere de priere. Geneve 12.

quem valde cuperet a me et abs te emendari, ut excuderetur aut supprimeretur si nobis ita visum esset. At id a neutro audet postulare, quod satis intelligat quibus negotiis uterque obruatur, tu praesertim. Ego quidem perlegi quantum licuit per otium. Quid autem profecerit mea lectio satis coniicere potes. Non sum enim eo iudicio qui ausim quidquam in censuram eius cuius velim censuram subire. Nam quid de idiomate iudicare possum eius ignarus? Porro quam temerarium esset sententias invertere ut bene dicta depravarem. Legendo notavi duntaxat minio quae aliunde requirenda erant, in marginibus quae videbantur inventu difficilia, qua in re oculatos typographos esse oportet. Proinde huius admonebis *Girardum*, ubi liber ad manus tuas pervenerit, si dignum iudicas qui excudatur. Nam plus fidit *Farellus* nostro quam suo iudicio. Vix tibi legere vacabit, sat scio. Poteris tamen gustum aliquem capere. Ex titulo coniicies argumentum et rationem tractandi. *Farellus* sui semper similis est, gravis et plenus affectuum, quos potissimum exserit in suis ad Dominum precibus, in quibus totus iste liber versatur. Scripsit Augustinus olim libros confessionum, cum quibus aliquid simile habet *Farellus*, quamvis aliud agat et in persona loquatur omnium qui famelici suspirant ad evangelium. Non dubito quin a piis cum fructu legatur. Ita confitetur populi peccata ut simul abusus et blasphemias indicet quibus vera religio obruta est, quas apud Dominum velut confitens recenset. Pauca haec tibi aperire volui, si forte non vacat legere. Misi libellum ad *Christophorum*, ut ad te ac deinde ad *Girardum* typographum perferendum curaret, si tibi consilium de excudendo probatur. Idque feci ocyus, quod audiam isthic esse fratres qui exspectent ut secum abituri in patriam comportent. *Girardus* non ita dudum petiit a me ut ad se mitterem meam Necromantiam[5]) excudendam, postquam absolutae erant tuae Institutiones[6]) et liber in Libertinos. At malo illum libellum *Farelli* praecedere. Interea parabo dialogos aliquot,[7]) quos *Girardus* si volet excudet, donec Necromantia paratior sit. Nam occupatior fui quam ut ei operam quam constitueram impendere potuerim. Cui accedit quod nisi urgear non tam ardeo ad opus.

Duae illae legationes Bernam,[8]) quas me cum *Tornaco*[9]) obire oportuit, hac tota hyeme a studiis paene avocarunt. Scis praeterea quem comitem habeam.[10]) Nusquam, omnium iudicio, graviorem aut nocentiorem inflixit plagam ecclesiae. Sed de his alias. Nolo enim hoc ingredi pelagus, nec iusto meo dolori nunc indulgere. Exitus tandem acta probabit. Praeterea constituimus circa Aprilem aut Maium, aut si se prius obtulerit commoda occasio, isthuc ad te proficisci, ego, Franciscus *Rivius*[11]) et *Tornacensis*, de multis tecum collaturi. Sed dices te adhuc exspectare quid nostris legationibus effectum sit. Tum plenius omnia intelliges. Sed ne te diutius suspendam, in praesentia pauca adiiciam ex quibus reliqua facile coniicies. Effecimus quod illic solet. *Porcelletus* a ministerio abdicatus est. Scriptum est ad praefectos super articulis quos proposueramus. Quid profectum sit nondum apparet. Quid autem postulaverimus alias fusius audies. De synodo quid responsum sit, arbitror te a *Christophoro* rescivisse. Nec concessa est hoc tempore, nec in posterum negata. Non puto tamen nostram illic aliquot dierum consuetudinem obfuisse controversiae quae illic adeo fervet.[12]) Sensimus nonnihil utrinque emollescere animos, quamvis non magna spes sit diuturnae concordiae. Sed ista in nostrum ad te adventum differantur. Nos enim oportet aliquam excogitare viam qua his morbis mederi possimus. Id autem quo modo fieri commodius possit, melius intelligemus ubi sententias contulerimus. Nam nobis

---

Vix enim autor secundam aliquam editionem opusculi pridem editi amicorum censurae quasi novum opus submisisset. Prior ille liber: Forme d'oraison, *recusus est in Hist. des martyrs* 1619 *fol.* 169 *et in collectione Fickii:* Du vray usage de la croix 1865 p. 278. *Exstant praeterea alia duo Farelli opuscula eiusdem generis, olim separatim edita, postea itidem cum illo recusa in Hist. des Martyrs fol.* 164 *et* 166 *v. et apud Fickium p.* 242 *ss. et* 272 *ss. scilicet:* A tous cueurs affamez du desir de la predication du sainct Evangile et du vray usage des sacremens, *et:* Aux Eglises de nostre Seigneur et a tous Chrestiens pour avoir aide et confort en la necessité et famine de la parole de Dieu. *Utrumque primum Metensi ecclesiae destinatum fuerat.*

5) La necromance papale faite par dialogue en maniere de devis 1553. *Annum adscribimus ex autoritate Schmidtii et Haagii, et facile nobis persuademus eo usque editionem dilatam fuisse, quum ipse autor h. l. librum nondum paratum dicat.*

6) *gallicae scilicet, a.* 1545 *apud Girardum excusae, quarum iam exemplar nacti sumus et quidem solum quod integrum superesse videtur.*

7) *Continuatio eius libri qui a.* 1544 *prodierat:* Seconde et troisieme partie des disputations chrestiennes. Dialogues du desordre qui est a present au monde. Geneve. Girard 1545.

8) *Ex sequentibus apparet de disciplina maxime agendum fuisse.*

9) Iean de Tournay dit de la Tour ayant presché purement l'Evangile en habit d'Augustin dans Alençon et depuis exercé le ministere avec grande reputation de doctrine et de zele es terres des Srs. de Berne avoit este finalement accordé a l'Eglise de Chinon 1559 et fut l'un des deputez pour la conference de Poissy (*Hist. eccl.* II. 589). *Pro tempore erat minister verbi in agro Vadensi.*

10) *Ludit in nomine Beati Comitis collegae.*

11) *Franc. Martoret du Rivier olim monachus, V. D. M. in Moudon* 1537 *postea in S. Blaise et alibi* (*Hermj. passim*).

12) *Inter Lutheranisantes et Zwinglianos, quibus senatus mense Decembre silentium imposuit, ita ut aliquamdiu lassati magis quam satiati utrique quiescerent* (*Hundesh. p.* 190 *seqq.*).

illic via non est omnis exclusa, nec penitus male audimus utrinque, quamvis nec prorsum vacemus omni suspicione. Qui a *Luthero* dissident [13]) valde offenduntur postremo ab eo edito libello qui germanice duntaxat excusus est. Quod si vera sunt quae Bernae audivi et quae de eo ad nos scripsit *Bullingerus*, non valde miror si offendantur. Tigurini parant responsum. Statuerant germanice latine et gallice adversus eum scribere et eius conviciis respondere, quamvis modestissime. Ego vero, et meo instinctu *Coelius*, dissuasimus, nostrisque consiliis obsequuturos promisit suis literis *Bullingerus*, qui germanice responsum parat, postquam germanice scriptus est libellus.

De *Fontano* [14]) quid actum sit, opinor te audivisse. Nostro munere functi sumus. *Sulzerum* denuo admonui omnium quum Bernae essem. Ad B. ministros vestrum testimonium cum nostro misimus. Nihil tamen obstitit quominus idoneus indicatus sit. An nostras literas reddiderint nescio. Quum rediit, gloriabatur se in duobus locis desiderari, si bicorpor esset. Nam Iverdunenses homines valde cupiebant, quorum autem suasu facile divinas. Narrabant quidam, virum illum sibi valde fuisse a *Beato* Bern. commendatum, ac ipsum consuluisse ut postquam classi opus esset ministro, eum in eam asciscendum curarent, quod modis omnibus conati sunt, nisi praeventi fuissent a Gaiensibus. Qua fide egerint illi ipsi viderint. Quod potuimus praestitimus, ut manus nostrae purae essent ab eo flagitio, si quod hac in parte committeretur. Salutant te amici. Iam totos duos menses concionor quotidie. Quod si collega non concionaturus est donec ego urgeam, diutius concionabor. Saluta amicos, praesertim domesticos. Vale. Lausannae 7. Febr.

Tuus P. Viretus.

Ludovicus *Bernardus* [15]) me rogaverat literis ut, si commode possem, nepotem apud me alendum et instituendum susciperem. Sed quam parum mihi opportunum sit hoc tempore, nihil opus est ut multis explicem apud te. Domus mea iam plena est et non est mihi parata annona tantae alendae familiae. Constitueram posthac me penitus puerorum onere liberare, sed invitus et precibus victus coactus sum Bernates aliquot admittere, quos puto propediem venturos. Te igitur quaeso ut apud illum me excuses, ad quem scribam ubi plus otii nactus fuero.

13) *Ritterus cum suis asseclis.*

14) *ministro Vadensi ut videtur. Crottet, Hist. et Ann. de la ville d'Yverdon, de eo tacet.*

15) *olim presbyter ad D. Petri Genevae, fuit inter primos qui abiecto cucullo m. Maio 1534 ad evangelica sacra transierunt. Sororem Amadei Perrini uxorem protinus duxerat.* (*Spon, hist. de Genev.* I. 246. Herminj. III. 186.)

613.

CALVINUS VIRETO.

Epistolae nuper Wittebergam missae. Farelli opusculum. Novi consules electi et alia nonnulla obiter delibata.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 128. Vidimus praeterea apographa Turretini Cod. 111, fol. 111, Bernense Epp. VII. p. 654 et Simleri Vol. 56. Anglice legitur T. I. p. 425.)

Fidelissimo Iesu Christi Domini nostri servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et amico integerrimo.

Vide quam nondum me ignaviae meae pigeat.[1]) Rationem inveni qua me scribendi labore sublevarem. Exemplar literarum quas *Luthero* et *Philippo* scripsi [2]) ad te mitto, ut inde intelligas cur ad eos *Claudium* miserim. Adiunxi tertias ad eum qui me de ea re rogaverat.[3]) *Girardo* librum *Farelli*, pridie quam tuae venirent, *Textor* a *Christophoro* attulerat. Brevi imprimetur. Ludovicum *Bernardum* nondum sum alloquutus. Bis iam mihi a concione elapsus est. Sed cras aut perendie te illi excusabo. De *Comite* audiam quum veneris. Nam auribus meis, ut video, nunc parcitur, quod aliorum male audire non coguntur. Et certe abunde nostra cogitando discrucior. Mihi enim cum hypocrisi in tenebris pro more luctandum est. Amblardus *Corneus*, quo se abdicaret quaestura, senatum expergefecit. Protulit enim ad plebem quae in adytis curiae hactenus latuerant. Quia suspicantur, non sine mea conscientia id fuisse factum, tametsi palam non audent succensere, ac ne ullum quidem dare signum indignationis, video tamen quam male affecti sunt. Et iam decem fere concionibus statum urbis interiorem ventilavi. Quid tamen in hunc labyrinthum ingredior? Venias ergo ut inspicias ea quae audiendo cognoscere non potes. Syndici creati sunt Amedaeus *Curtetus*, Amedaeus *Perrinus*, Dominicus *Arlot*, *Iacobus* [4]) Tononiensis. In senatum allecti Ludovicus *Bernardus*, Petrus *Verna* et duo alii. Ipsi de se optima sperari volunt. Nescio quid sperare debeam. Nam sub Christi praetextu regnare sine Christo volunt. Vale, frater et amice mihi in Domino carissime. Salutant te ac domum tuam omnes nostri. Saluta *Ribittum* et *Imbertum*,

613. 1) pudeat *T. B. S. Angl.*

2) *N.* 605 *et* 606 *ubi et de Cl. Senarcleo.*

3) *Val. Pollanum fortasse quae tamen non exstat. Vide N.* 587, *vel potius Capnium* (*v. N.* 600). *De iis quae proxime sequuntur vide ep. Vireti N.* 612.

4) *Iacobus des Ars, quem Anglus nescio qua fretus autoritate* Iac. de Tortonne *vocat.*

a cuius uxore velim sciscitaris numquid ad *Perrotum* velit. Nam bonus vir exspectat non absque summa anxietate. Genevae 12. Februar. 1545.

Ioannes Calvinus tuus.

614.

VIRETUS CALVINO.

De Comite collega eiusque nuptiis. Varia domestica.

(Ex autographo Cod. Genev. 111a, fol. 138.)

D. Ioanni Calvino fratri et amico quam carissimo

Genevae.

S. Redditae sunt mihi tuae literae cum exemplaribus ex quibus sensum intellexi tuarum literarum. Nunc quod scribam non habeo, nisi quod *Comes* semper sui similis est.[1]) Proxima hebdomade fuit Bernae, ubi a senatu mutuo sibi dari pecuniam rogavit, opinor sexcentos coronatos, ad redimendam ditionem quam ipse emit. Reversus offendit neptem domi peste correptam. Exactis tamen sex illis hebdomadibus, quae vulgo huic expurgando morbo tribuuntur, ille dominico die, praeter omnem exspectationem, voluit suum matrimonium in ecclesia consecrari, sed sine nuptiis, id est sine convivio, quia domus peste infecta erat, omnibus tamen adhuc huius rei ignaris. Vides quae fuerunt fausti huius matrimonii auspicia. Neptis hodie sepulta est. Faxit Dominus ut toties monitus a Domino resipiscat tandem. Ex his coniicis, opinor, quo in statu sint res meae, qui tali sum collega comitatus[2]) et sine diacono. Vereor ne pestis nos serio tandem aggrediatur.[3]) Nam et hic et Viviaci recruduit. Mitto ad te 2 scutatos[4]) quos extorsi a *Magdalena*, sed non sine molestia et iurgio. Semper queritur se premi, ab se peti quod non debet. *Hymbertus* se soluturum negat. Ipsa erogat quod mittitur, sed nonnisi invita. Denuo negavit se mittere quod debere agnoscat, ne *Perrotus*[5]) id sibi persuadeat. Quocunque velit mittere titulo, nihil mea refert. Nolui recusare aureos nummos. Tu illi reddendos curabis accepta acceptilatione. Admonebis, si videbitur, horum omnium. Saluta uxorem et domesticos. Nostri te omnes salutant. Vale. Lausannae 16. Febr. 1545.

Tuus P. Viretus.

Audio iudices appellationum Berna huc hac hebdomade venturos. An appulerint nondum intellexi.

614\. 1) *De quo iam tecte questus est N.* 612, *not.* 10.

2) *sic.*

3) *Qui metus eum non sine causa anxium tenuit. Ineunte vere per totam Helvetiam occidentalem saeviit illa lues. (Ruchat V.* 261.)

4) *In codice signum est trianguli cruce superposita, sed non forma solita exaratum.*

5) *De Himberto et Perroto v. N.* 560. *Fuit quoque aliquis Aemilius s. Mileus Perrotus Parisiensis olim Farelli discipulus in collegio Le Moine, postea ibidem professor grammatices, demum iurisprudentiae studiosus Tolosae et Paduae, et cum Farello commercio epistolico iunctus. De quo tamen hic vix cogitandum videtur (Cf. Hermj. II.* 164 *et passim).*

---

614 bis.

CORDERIUS CALVINO.

(Talem epistolam ad d. 18. Februarii 1545 referendam apud se asservari Sarravius nobis affirmavit. Qua cur potiri nobis non contigerit alibi significavimus.)

615.

FARELLUS MINISTRIS TURICENSIBUS.

Quum ad priores literas non responderint iterum quaestionem de censura fraterna iis proponit.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 115 olim B. Epp. Tom. VIII. p. 2809, unde descripsit Simlerus Vol. 56. Aliud exemplar authenticum exstat Neocomi in Bibl. pastorum Vol. A. N. 20.)

Clarissimis viris pastoribus et doctoribus ecclesiae Tigurinae ut doctissimis ita valde piis

Tiguri.

S. Facile potestis intelligere, viri tum doctrina tum pietate suspiciendi, quam studiose fratres, qui hic docent Christum, incumbant paci et concordiae, in uno qui inter nos agit ferendo, qui iam annos aliquot obstrepit, dum censurae[1]) mentio fit, et li-

615\. 1) *Cf. omnino supra N.* 580. *Capunculum notari memineris.*

cet omnes eam admittant, et fructum fateantur ex ea se percipere, solus tamen eam damnat et contrariam verbo Dei affirmat. Exspectatum fuit diu, et multis actum et scripturis et exemplis, quae a nobis proposita fuerunt, et nonnunquam ab aliis qui in coetu nostro cum repugnante egerunt, sed nihil profectum fuit. Demum, ne quid omitteretur intentatum quin ad veram concordiam adduceremus ultro resilientem, rogatus fuit an ecclesiarum iudicio stare vellet. Quod ubi admisit se facturum, magnas Deo gratias egimus. Rogatae fuerunt aliquot ecclesiae, prout vestram quoque rogavimus, literis ad *Megandrum* datis, qui hic per Domini spiritum autor nobis fuit censurae. Scriptum itidem fuit ad *Bullingerum*,[2]) magnum cum *Caspare* pastorem istius ecclesiae. Quum ab aliis responsum acceperimus, a vobis non item. Unde fit ut vereamur ne redditae vobis nostrae fuerint, aut, si forte rescribere duxeritis, vestrae interceptae fuerint literae. Quare iusserunt me fratres ut ad vos scriberem, et censuram qua utimur paucis explicatam mitterem, una cum positis repugnantis quibus putat censuram nostram eversum iri, si ea posita steterint. Rogamus itaque vos in Domino et per Christum obtestamur, ne vobis molestum sit vestrum de re hac iudicium proferre, et ea demum facere quae ad conservandam inter nos veram pacem et concordiam utilia iudicaveritis. Modo salva sit pietas et conserventur ecclesiae, parati sunt fratres agere omnia ne quid dissidii gliscat et regnet inter nos. Si nos a vobis multa quum acceperimus, nihil praestemus, ne quaeso putetis id ab ingratitudine esse profectum, neque deesse animum nobis bene merendi de vobis studiosum: sed non fuisse pares votis nostris vires et occasionem defuisse. Et quum omnes ecclesias Domino commendemus, vestrorum officiorum memores vos inter postremos non habemus, exoptantes ut Christus vos omnibus locupletet donis spiritualibus, quo possitis magis et magis hoc tam perverso saeculo gloriam Christi et evangelii illustrare, et quam plurimos ab errore in viam veritatis revocare, non tantum sancto hortatu omnes ad meliora ut invitetis, verum etiam exemplo vere christiano trahatis. Valete felicissime cum ecclesiis vobis commissis, quibus omnia fausta precamur. Neocomi 22. Februarii 1545.

Vester totus Farellus
suo et fratrum nomine.[3])

2) *N.* 594.
3) *Bullingeri responsum habebis infra N.* 622.

616.

LIBERTETUS FARELLO.

Plurium negotia obiter delibat, ex parte nobis difficilius intelligenda.

(Ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium, fascic. epp. Cph. Fabri N. 43.)

Fideli Christi servo Guillelmo Farello ecclesiae Neocomensis pastori diligentissimo fratri et amico in Domino perquam observando

Neocomi.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Ioannes[1]) ille mihi pariter retulit carissimum fratrem *Thomassinum*[2]) Deo animam efflavisse, quod sane molestum fuit et *Calvino* et nobis omnibus. Volendum tamen quod vult optimus ac prudentissimus pater cui soli et vivimus et morimur. Fratres nostri *Ioannem* meum[3]) probant, ut per Lausannenses fratres eum Bernam mittant, principibusque diligenter commendent, quo Lausannae inter exspectantes bonam Domini voluntatem exspectet. Si concionibus foret exercitatus, *Vireto* erat animus ut Lausannae diaconus constituendus proponeretur. *Calvinum* de eo conveni, qui ei maxime cupit bene et mature consultum iri ob tam diutinam uxoris et liberorum absentiam, tametsi eam (ut a multis intelleximus) patientissimam crucique assuetam intellexerimus. Tuum igitur de negotio hoc exspectabimus consilium. Si apud alium quam me ageret eum magis impellerem. At mei causa potius reiiceretur quam admitteretur. Ita vicem mihi perinde atque tibi multi rependunt. Is te accuratissime salutat, uxor mea, ludimagister *Alexander*, et reliqui fratres. Quum de ludi vestri literarii statu cum *Calvino* agerem, ac spem nunc potissimum adfulgere aliquam dicerem, commodamque occasionem esse qua *Corderius*[4]) noster ad restaurandum Genevense collegium revocetur, tractatum fuit inter fratres negotium et principibus demum (ut arbitror) propositum — — — — Tho. 24. Febr. 1545.

Tuus Christoph. Faber Libertetus.

616. 1) *An Tornacensis?* (*N.* 612, *not.* 9.)
2) *Fortassis ille quem habuisti N.* 358.
3) *Nempe alium quam quem supra* illum *dixerat. Hic vero nisi fallimur fuit Io. Cavent quem mox mense Iunio Lausannae videbimus Vireti diaconum.*
4) *Quum Castellionis successor Carolus Damont officio minus par esse videretur, Calvinus ex senatus autoritate Corderium adiit ut labentibus scholae rebus succurrere vellet. Sed d.* 4. *Maii his rescripsit se Neocomi mansurum, ea praesertim de causa quod haec schola opibus destituta et bonis ecclesiasticis ad profanos usus destinatis periclitari coeperat. Anno demum* 1559 *Genevam rediit* (*Bétant p.* 16).

617.

CALVINUS FARELLO.

Petit ut operam suam interponat apud suos ut Corderius Genevensibus concedatur.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 185 coll. cum Cod. 111, fol. 163 v. Epp. Bern. VII. p. 810 et Simler. Vol. 63.)

Fideli Domini nostri Iesu Christi servo Guilelmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fratri mihi carissimo.

Nunc opus est ut te virum praebeas. *Corderium* nostri vehementer desiderant. Hic ad manum vobis est successor idoneus, ne schola vestra *Corderii* discessu pessum eat. Senatui autor esse nolui ut publice accerseretur, donec res iam confecta esset. Nam indigne laturos sciebam si toties repulsam passi nunc etiam nihil efficerent. Incumbe igitur quantum potes ut a vobis quoquo modo explicetur. Nec respicite solum quid vobis expediat, sed vos aliis quoque debere nonnihil existimate. Quoniam rem tibi alioqui satis esse cordi certo sum persuasus et fratres non admodum difficiles fore confido, supersedeo a longioribus literis. Si nihil fuerit impetratum, ego tibi totam culpam imputabo. Quantum ad tuum adventum spectat, si vis bonae fidei vir a nobis iudicari, fac ut te huc quam primum sistas. Certe si *Franciscum* solum remiseris iam eris in mora. Nullis te rationibus impello, quia fidem tuam iam habeo obstrictam. Vale, optime et integerrime frater. Fratribus et familiae plurimam salutem. Dominus vos omnes conservet. Sed videte ut vos omnes amicos experiamur in obtinendo *Corderio*. Genevae 25. Februar. 1545 [1]).

Ioannes Calvinus tuus.

Francisco cupimus magnopere esse consultum. Sed quia vobis notus est ac probatus sicut nobis, ideo parcius eum vobis commendo.

617. 1) *Quum in autographo ultimum siglum* (5) *minus distincte scriptum sit Turretinus ad a.* 1547 *hanc retulit, sed sibi ipse diffidens; qui ab eo pendent, librarius Bernensis et Simlerus nihil cunctati falsum numerum expresserunt. Verum nullo negotio ex proximis restitues. Constat praeterea Corderium iam a* 1545 *Lausannam demigrasse* (*N.* 669. 697. 724).

617 bis.

BUCERUS CALVINO.

Pertinet ad seriem epistolarum mutuarum de superstitionibus vitandis occasione libelli Calviniani conscriptarum.

(Fragmentum hoc epistolae quae alias non exstat reperimus in Bibl. civica Turicensi Cod. MS. F. 46 olim Epp. T. XI. p. 628 per amanuensem Hottingeri scriptum, unde et descripsit Simlerus Vol. 56.)

Ex epistola Buceri ad Calvinum.

An piis liceat sacris pap. interesse? 26. Febr. 1545. De modo et gradibus confessionis singulorum, item de quarundam caeremoniarum contaminatione et usu haereo quidem adhuc, sed spero Dominum certum aliquid et de iis revelaturum, ubi et Wittembergensium responsa cum tuis scriptis contulero. Interim a tua conclusione non recedam. [1]).

618.

MYCONIUS CALVINO.

Gratias agit de novo eius opusculo contra Papam scripto et hac occasione statum rerum protestantes inter et catholicos perlustrat.

(Manu scripta non exstat. Edita est a Beza Genev. p. 57, Laus. p. 131, Hanov. p. 147, Chouet p. 75, Amst. p. 34.)

Ago tibi gratias, doctissime *Calvine*, pro libro tuo quem scripsisti ad *Carolum* Quintum [1]), ut maiores nequeam. Profuerit, nec ne, perinde est, quasi ipsis non fuerit scriptus: aliis tamen proderit. Nam, crede mihi, habere tuam inventionem saltem, quae pie studiosis plurimum valet prodesse. Unum dolet mihi quod qui attulit primum quaternionem, fecit illegibilem, adeo madore nescio quo literae penitus sunt abrasae. Caesar si legit, in contrarium motus est, adeo persequitur in Belgis sanctos. *Maria* regina [2]), Imperatoris soror, non potuit tueri sacella-

617 bis. 1) *Ipsum Buceri consilium postea editum* (*Opp. Calv. VI.* 625) *mense Maio exaratum est.*

618. 1) *Cave cogites de Supplice exhortatione ante biennium edita. Loquitur de Admonitione Pauli ad Caesarem cum Scholiis Calvini recusa. Opp. T. VII.* 253 *et Prolegg. p.* 28 *cf. infra N.* 627 *et* 628.

2) *Ludovici Hungariae regis vidua, Belgii inde ab a* 1531 *gubernatrix.* (*Sleid. I.* 457).

num suum Carmelitam, quin fuga consulere sibi sit coactus [3]). Et postquam iam periculo liberatus erat, condemnatus est ut haereticus, et quia ipse non aderat, libri eius combusti sunt publice. Sic accidit filio *Margravii* Antverpiensis, et aliis bonis ac piis viris sine numero. Conatur vir ille sic reconciliare sibi papam indignantem: quidni conatus idem est ad Deum, a cuius manu gravius premitur? dicitur enim laborare gravissimis diversissimisque morbis. Schola Lovaniensis per Brabantiam eiicit ex ludis minoribus omnia quae Christi sunt [4]). Iulianica, ut ita dicam, reformatio. Dominus confirmet ecclesiam suam. Misi ad te literas D. *Buceri*, et cum tuis [5]) literas papae ad suos, et eas quas scripsit ad Caesarem, dignas certe quae ab omnibus legantur, et scholiis adiectis intelligantur. Obsequutus es nimirum consilio *Buceri*. Quod si sic habet, velim nos, statuto pretio, tuo labore non prives. De concilio veluti per somnium audivi, revocatum esse [6]). Comitia [7]) non procedunt. Hactenus solus episcopus *Augustanus*, nuper Cardinalis factus, Wormatiae fuit, et eas nugas egit quae in more sunt inferiorum civitatum, et Romae nunquam cessant. Larvati, ut non cognoscantur, domos intrant civium: ibi edunt, bibunt, ludunt, saltant, libidinantur, et quidquid esse potest iucundum faciunt, aliquoties ingenti cum damno et ignominia patrisfamilias. Et non est, ut audio, qui vel mutire audeat. Praeparationes dignae, sive ad comitia, sive ad concilium. Exsurgat Dominus, rogemus, ad iudicandum causam suam de gente non sancta: sic enim in dies flagitia magnorum hominum crescunt, ut mihi videatur iram Dei propiorem esse quam putemus. Largiatur is nobis, ut diem eius exspectemus cum gaudio. Volui te, mi *Calvine*, sic salutare: boni consulas rogo. Vale cum familia in Domino. Ministros Christi pios nomine meo salutabis. Basileae, 6. Martii. Anno 1545 [8]).

Os. Myconius tuus.

---

3) *Ranke IV.* 283.

4) *Quum de ludis minoribus dicat, vix hic cogitare possumus de* 32 *articulis d.* 6. *Nov.* 1544 *a Lovanensibus promulgatis ad quos studia theologorum deinceps exigi debebant.* (*Sleid. II.* 372. *Gerdes Hist. ref. III.* 182 *et in App. IX. p.* 87. *Luther, wider die* 32 *Art. d. Theologisten v. Loewen* 1545.)

5) *Has literas Calvini ad Bucerum Myconius resignaverat* (*N.* 627) *ibique didicerat, nisi fallimur* (*ipsae enim non exstant*) *Calvinum contra Papae Admonitionem scripturum esse. Interea iam primum quaternionem acceperat excusum. Legas enim oportet:* qui attulit primum quaternionem, *et non ut Beza habet:* qui attulit, primum quaternionem *etc. distinctione in medio posita. De ep. Papae d.* 24. *Aug.* 1544 *scripta v. Rainaldi Annales* 1544 *n.* 7 *T.* XXI. *Seckendorf III.* 480 *seqq. Sleid. p.* 357 *et Prolegg. nostra VII. p.* 28.

6) *bello scilicet impeditum, et iam in Idus Martias prorogatum.* (*Sleid.* 364 *Sarpi-Courrayer, p.* 199.)

7) *Wormatiensia* (*Sleid. II.* 373).

8) *Suspicio nobis vel invitis oritur de hac epistola, qualis hic legitur ad initium Martis referenda. Nam infra N.* 627 *d.* 27. *Martii Calvinus illum primum quaternionem Myconio se mittere dicit, quem hic die* 6 *iam accepisse affirmat. Praeterea Myconii epistola exstitisse videtur ad quam C. respondisse putandus est quum Myconii excusationem supervacaneam dicat, de qua tamen in hac nihil. Quid si Besam dicas ex duabus unam fecisse, nonnullis omissis, ita ut nunc in fronte legantur quae revera recentius scripta fuere? Sed penes te iudicium esto.*

619.

CRODELIUS [1]) CALVINO.

Calvini laudes canit epistolae ad Sadoletum et libri adversus Pighium scriptoris, imo et Institutionis, uno tamen loco, qui de coena est, excepto.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 10.)

Ornatissimo viro D. Ioanni Calvino libertatis evangelicae vindici domino suo observandissimo.

Ornatissime vir! Quantum lucubrationes tuae doctis ac piis viris placeant atque probentur, epistolae angustia in praesentia denarrare haud permittit. Profecto reverendo patri *Luthero* tua epistola qua *Sadoleto* respondes ita modis omnibus perplacet ac praedicatur ut nihil supra. Breviter autem rogant nunc tuam pietatem mecum christiani fratres et optimi quique per christianam caritatem, ut alteram tui scripti partem contra *Pighium*, quam te de praedestinatione adversus eundem editurum adeo sancte polliceris in libro tuo de servo arbitrio, tandem in publicum emittas. Faciet enim hoc mirifice ad imbecillium fratrum et confortationem et aedificationem, qui alioqui *Pighii* ampullosis verbis et sententiis fucatis possent labefactari, quum subdolus ille argumento nullo plausibiliori rationi humanae imponere potuisset. Iis enim principiis de libero arbitrio et praedestinatione labefactatis, facile apud simpliciores aliorum articulorum seu capitum christianae religionis ruina sequetur. Quo officio plane pio atque etiamnum pernecessario haud scio an maius reipublicae christianae hac tempestate praestare posses, praesertim quum papa, antichristus ille, denuo suas naenias vaferrime per bullam Caesaris mundo obtrudere et insinuare conetur. Confice ergo, rogamus per Christum, bestiam illam Pighianam in hoc quoque praedestinationis negotio, quemadmodum eandem superiore tuo libro summa cum laude et gloria penitus stravisti.

Caeterum de Institutione tua de religione christiana, libro multis nominibus aureo, murus aheneus exsistente [2]) nullis arietibus expugnabili, nihil satis

---

619. 1) *Marcus Crodelius scholae Torgensis gubernator, etiam cum Melanchthone commercio literario iunctus.*

2) *Ita iste.*

dignum dici potest: cuius lectione omnes, quotquot sanam evangelii doctrinam amplectimur, adeo quum tenemur, tum delectamur unice, ut post *Lutheri* scripta nullum sub sole huius argumenti facile reperiatur, quod lectione magis et capiat et in sui admirationem rapiat, uno loco de coena Domini excepto, in quo plus nimis in Zwinglianam et Oecolampadianam opinionem inclinare videris.

Caetera *Claudius* noster coram exponet. Nam pluribus tuam pietatem longe melioribus occupatam enecare prorsus indignum fuerit. In Domino Iesu bene vale, vir magnifice, hocque scriptum meum, importunius forte, pro tua christiana pietate in meliorèm partem accipere digneris. Torgae 6. Martii 1545.

Tuae pietati addictissimus
Marcus Crodel ludimagister apud Torgam.

620.

POLLANUS CALVINO.

Argentinam reliquit ubi lites etiam per Calvini literas non sedatae. Nova ex inferiore Germania et de comitiis Wormaciensibus. Persequutio piorum in Flandria saevit.

(Ex autographo cod. Genev. 112, fol. 222.)

Clarissimo viro D. M. Ioanni Calvino evangelii Christi vindici primario D. praeceptori ac parenti in Christo colendissimo. Genevae.

S. P. Postridie Idus Februarii redditae mihi sunt abs te literae [1]) quae pergratae fuerunt, multum tamen gratiores futurae, si eas quum adhuc Argentinae essem [2]) accepissem. Postea nunciatum est, abs te etiam venisse ad nostram ecclesiam epistolam illam iamdudum a me desideratam [3]). Verum, ut sunt quorundam ingenia prorsus intractabilia, maiores iras quorundam in me excitarunt, ac praeterea aut parum aut nihil profecerunt. Scriptum est ab uno atque altero, plurimos illis literis valde offensos atque incitatos, ac praecipue *Garnerium* [4]), in me fuisse. Imo *Franciscus* Org^ta [5]) Metensis, quem huc iussu Ill. Co[*mitis*] mei vocavi, renunciavit, me ab illo ita accusari, ut etiam nebulonem improbum et nequam appellare audeat. Hi fructus evangelio digni. Atque equidem nihil his moveor, conscientiae rectitudine fretus. Attamen dolet mihi illorum miseria, qui quum se veritatis studiosos profiteantur, nihil tamen hac una magis oderint. Atque in illo tantum maiorem prudentiam desidero, ut aliquoties coram admonui: puta, ut ego et ipse perpenderemus, quamnam in ecclesia Dei personam sustineamus, itaque ne nos vulgi more sic vinci affectibus pravisque studiis duci pateremur. Audio illos tibi scripsisse: quidnam ignoro. Uti neque quid illis scripseris scio. Proinde scripsi ad *Antonium* [6]) meum carissimum et fidelissimum in Christo fratrem, de quibus putavi illos moneri oportere. Sed quoniam iussi ad te epistolam illam mitti, his supersedebo. T. H. oro atque obtestor, si unquam te in patris loco colui, ut me candide ubi erratum sit moneas.

Quoniam autem a me petis ut scribam si quae te digna cognoverim, nudius tertius quum adesset Ill. Comes meus, narravit compertum habere se (nam oraveram antea ut nuncio misso ad Rev. *Coloniensem* de statu ac profectu illius ecclesiae inquireret) compertum, inquam, se habere narravit, *Coloniensem* iam pacem aliquam adeptum, ac penitus quiescere adversarios [7]). Id quia ne victi, aut quia insidiosi sint, ignoro. Illud noster sperat, istud ego magis metuo. Narrabat insuper apud Electorem *Palatinum*, a quo nuper redierat, intellexisse, *Caesari* in animo esse, perfici Wormatiae iam illa quae proximis comitiis Spirae recepta fuerant. [8]). Magnas insuper huius iras adversus pontificem, ac nescio quid conspirationis duorum monarcharum adversus illum τὸν τριστέφανον θεὸν commemorabat. Haec Deus bene vertat ad sui nominis gloriam atque ecclesiae suae quietem. De concionatore nostro [9]) fortasse aliquid ac tota illa ecclesia exspectas. Intellexi illum adhuc superstitem, sed magnum esse metum ut brevi vivus exuratur. Est praeterea alius quidam in vinculis [10]) apud meos Insulenses, trium linguarum peritissimus, qui sexennio sincerissime evangelium docuit, omnes tyrannorum minas contemnens, ita ut etiam quum sibi periculum certissimum animadverteret nunquam tamen suum gregem deserere voluerit. Saepius vocaveram, sed

---

620. 1) *Non exstant.*

2) *Quam nuperrime reliquisse videtur. Vide N.* 605.

3) *Etiam haec desideratur. Si quid videmus agebat de illis contentionibus quas Pollanus modo denunciaverat.*

4) *qui iam munus suum adierat, rite vocatus.*

5) *Compendium resolvendum tibi permittimus.* (*organista?*)

6) *Vide an Firnium significet, an vero ignotum aliquem.*

7) *scilicet nonnisi ad tempus.*

8) *comitia Wormaciensia hoc ipso mense Martio instabant, et vera erant quae hic ex rumore publico refert. Cf. Ranke IV.* 277.

9) *Petrus Bruly d.* 19. *Februarii supplicio affectus fuerat.*

10) *Nomen definire non possumus. Plures paulo post interemptos in Flandria producit Hist. Martyrum fol.* 170. *seqq.*

frustra. Ita mori didicerat ut nihil gladios, flammas tormentave moraretur. Illum ego vestris precibus publice et privatim commendo, ut Dominus illi adsit, ut, quod spero, ex illius vinculis et morte ad laudem et gloriam sui nominis atque ecclesiae suae incrementum perficiatur. Tota illa ecclesia miris modis afflictatur, exsulantibus undique magno numero optimis quibusque. Scripsit ad me de his D. Eustathius *Quercetanus* [11]), tibi ut puto non ignotus, nunc apud Eburones exsul. Attamen non occiderunt hactenus nisi tres, Tornacenses unum, nostri duos, quorum alter fratrem perfosso carcere liberaverat. Hunc capite damnarunt, alterum flammis. Si quae de Ill. Comite meo audivi vera sunt, spero aliquam illis tranquillitatem. *Caesar* Bruxellae adhuc est [12]), neque in publicum prodit, unde nonnulli mortuum suspicantur. Ego puto gallicum [13]) morbum esse. Sed *Granvella* Wormatiam venit, ipse venturus non ante pascha.

Haec sunt quae non ingrata fore speravi et quae certissima comperi. Si quid hic erit vitii a me, tuum erit condonare. Nam maturante nuncio et negotiis aliis obruentibus non vacat relegere. Oro me excuses nobili illi Christi fideli a *S. Andrea*, ad quem lubens scripsissem, si non me impedirent temporis angustiae. Ego nundinis proximis per fratrem scribam, quem convenire spero Francofurti. Salutabis igitur nomine meo, ac caeteros omnes mei amantes cum tuis symmystis. Si quid nostri curatum per me velint, habent fratrem, imo servulum ad omnia paratissimum. Ego alterum fasciculum, quem cum tuis literis acceperam, statim curavi Coloniam: hunc quoque postremum iam ibi esse puto. Christus te sospitet ac diu suae servet incolumem ecclesiae. Rombergae Non. Martii 1545.

T. quam observantissimus filius ac discipulus in Domino Valerandus Pollanus.

Valde moleste tuli quod illum nuncium non vidi, de quo me aliquid scitari iubebas. Si dignaberis facere participem, si quid est in rem ecclesiae aut tuam, meam fidem nosti. Tacere possum, atque si quid obeundum est ad gloriam Christi, nunquam recusabo. D. *Comes* te plurimum salvere iubet. Item D. *Dionysius* quondam tuus discipulus.

11) *vide ad N.* 671.
12) *Postridie demum Id. Maii Wormatiam venit* (*Sleid. II.* 387).
13) *articularem dicit Sleid. p.* 373.

621.

VIRETUS CALVINO.

Hectorem aliquem introducit qui psalmos et epistolas paulinas carmine gallico reddidit et a Girardo excudi cupit.

(Ex autographo Cod. Genev. 111ª, fol. 61, cuius apographa reperies Cod. Genev. 116, fol. 87, Bernae in Epp. VII. p. 656 et Turici ap. Simlerum Vol. 56.)

Praestantissimo Ioanni Calvino fratri et amico suavissimo. Genevae.

S. *Hector*, de quo te alias audivisse opinor, istuc profecturus me oravit ut ad te scriberem sua causa, quod non potui detrectare. Causam prolixius non exponam, nam ipse praesens narrabit copiosius. Laboravit annos multos in reddendis psalmis aliquot et epistolis paulinis carmine gallico [1]). Legi aliquando obiter quaedam, quae non videntur penitus contemnenda. Concessit istuc ut ea de re cum *Girardo* conferret, si forte excudere vellet. Sed inveniet, opinor, quod ei praedixi. Nam cupit simul musicas notas quas addidit imprimi, quod vix poterit *Girardus*, etiamsi alioqui librum excudere pararet. Hoc solum abs te cupit impetratum, idque ut te rogarem, obnixe efflagitavit, ut scilicet ei aliquid gratificeris in libri examine. Scit enim nihil istic excudi nisi prius a vobis examinatum. Admonui tuarum occupationum, respondique tibi non licere per negotia vacare legendis libris qui istic imprimuntur. Sed ut intelligas quid velit, sive tu legas, sive collegis tuis committatur, te orat ut quam licebit brevissime expediatur. Nam ipse cupit praesens adesse et praelegere iis qui examinabunt, ut ipsi leventur taedio, et propterea quod non vult suum exemplar a se dimittere donec excudatur. Si id fieri non possit, vellet rem mihi committi: ego vero lubens carebo, nec scio an satis expediat. Dabis tamen operam ut intelligat me hac de re serio ad te scripsisse. Nam si *Girardus* nolit excudere, nihil erit hoc labore opus.

De rebus nostris nihil ad te scribo. Nam malo nihil quam pauca scribere. Nimis multa habeo de quibus velim tecum colloqui. Differo ergo omnia in meum ad vos adventum. Exspecto *Farellum* in dies, quoniam audio apud vos esse. Non enim puto rediturum quin hac iter faciat: alioqui me valde offenderet in tantis meis angustiis. Si adhuc istic est, ut credo, saluta eum meis verbis, et admoneto

621. 1) *De his adeoque ipso autore alibi nihil. Neque Bovetus, qui nuper exoptatissimum librum de psalmis gallice versis edidit, usquam haec attingit.*

ne redeat quin nos invisat, si velit haberi qualis mihi semper habitus est. *Hector* tibi narrabit quid scripserit *Capunculus* ad classem Paterniacensem de tuis Institutionibus: proinde non scribo ea de re copiosius. Saluta uxorem et amicos. Vale. Lausannae 11 Martii 1545.

Tuus P. Viretus.

622.

BULLINGERUS MINISTRIS NEOCOMENSIBUS.

Cur prius non responderit ad quaestionem pridem propositam: tum Turicensium methodum in censura fraterna exercenda exponit, Capunculi obiectiones diluit. Mittit responsum contra Lutherum nuper editum.

(Ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium Vol. A. N. 21. Versio Gallica manu Farelli scripta exstat in Vol. B.)

Fidelibus Christi et ecclesiae Neocomensis pastoribus et ministris, dilectis et colendis fratribus.

Gratiam et vitae innocentiam a Domino. Vestras, fratres carissimi, scriptas 22. Februarii circa Martii principium accepimus, ac ingenue fatemur nos eadem de re et ante mensem alteras a vobis missas recepisse. Quod vero ad priores illas non respondimus, non aliud fuit in causa quam quod sero nimis nobis essent redditae, ut suspicaremur totum negotium apud vos confectum esse prius quam nostrae ad vos perferrentur. Nunc vero, quum audimus nostram sententiam etiamnum exspectari, paucula haec damus. Neque enim pluribus in re tantula opus esse arbitramur. Non alium modum, non aliam rationem servamus in censendis doctrinis et moribus ministrorum, quam illam ipsam quam vos quoque exercetis. Quotannis semel et iterum ex agro et urbe in synodum coeunt ecclesiarum ministri omnes. Praesident coetui sacro delecti ex ministris et magistratibus. Initium fit ab invocatione numinis. Deinde recitatur catalogus fratrum omnium ac quaestio fit de absentibus. Hinc obstringunt se dato sacramento ad praedicationem evangelii sinceram, si qui nuper ad ministerium sacrum vocati sunt. Postea disserit praecipuus ecclesiae minister de doctrina et vita episcoporum sive ministrorum, qualis esse debeat. Hortatur, quisque in censendis fratribus iudicium sequatur, non affectum, primusque omnium egreditur finito sermone. Quo egresso mox praesidum unus vicinos interrogat quid norint in fratre quod offendat aut unde impediatur aedificatio ecclesiae? Hic ergo vita et doctrina eius discutitur. Quod si laude dignum aliquid gessit, revocatur et instigatur ut pergat. Sin peccavit in aliquo, auditur an peccatum agnoscat, quomodo excuset, aut quid respondeat. Deinde consultatur, audita illius responsione, illoque rursus egresso, quid illi nomine coetus iniungatur. Ita fit inquisitio viritim etc. Hunc morem habuit ecclesia nostra iam multis ab annis, suffulta in hoc certis scripturae locis et veterum exemplis. In usu enim ante mille annos fuisse coetus huiusmodi sacros et censuras ministrorum ecclesiasticas ipsa satis arguunt Iustiniani Caesaris scripta, ut nihil aliud dicamus. Sed et fructus et utilitatis inde plurimum dimanat et ad ecclesiam nostram, ut non dubitemus Deum huic instituto nostro benigne favere, ac quod bonum est a fonte omnis boni manare.

Bonus ille frater qui conclusiones collegit multa de caritate disserit. Efficiat ergo ut valeat apud ipsum caritas, et hactenus sese fratribus omnibus, censendi modum in omnibus ecclesiis approbantibus, impendat ipsiusque censurae subiaceat. Si causam habet bonam, laudem feret a fratribus. Sin malam, amicam audiat admonitionem et fraternam correptionem. De qua sapiens, vulnera, inquit, amici suaviora sunt osculis hypocritae. Videmus optimos quosque non raro iuri suo cessisse, saltem ut sese impenderent fratribus iisque inservirent. Ergo ut donemus illum ius habere sui consilii, talem tamen se exhibeat nobis omnibus, quales sese fratribus dedisse sanctissimos legimus viros. Imo oramus bonum illum fratrem, ne valeat apud illum nostra admonitio et postulatio fidelis. Omnia inter sanctos ad aedificationem ordine fiunt iusto et decoro.

Commendamus nos et nostras ecclesias vestris piis precibus, et oramus ut semper nos caritate sincera complecti pergatis. Nam diligimus vos dilectione vera et ex animo. Dominus Iesus servet vos. Adiecimus his quae praeteritis diebus scripsimus contra *Lutheri* contumelias, calumnias, convicia et condemnationem. Germanice scripsimus, *Gualtherus* fecit latina [1]). Valete, fratres dilecti et colendi. Tigurii XII. Martii 1545.

Vestri ex animo
pastores, lectores ac ministri omnes
Tigurinae ecclesiae.

---

622. 1) *ad haec cf. N.* 609 *Porro Hess, Bullinger I.* 445. *Pestalozzi p.* 229 *ss.*

623.

CALVINUS VIRETO.

Hectorem eiusque psalmos ad eum remittit.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 129. Exstant praeterea exemplaria Ionvillaei Cod. 111a, fol. 6 verso, Turretini Cod. 111, fol. 112, Bernense Epp. VII. p. 658, Simleri Vol. 57.)

Fideli Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et amico carissimo.

S Quod unum petiit *Hector* nullo negotio a me impetravit, ut de suis opusculis tuo iudicio staremus. Porro dabis veniam quod tibi hoc imponam oneris. Neque enim aliter potui utrique vestrum morem gerere. Tibi, quod ipsum intelligere volebas, diligenter sua causa mihi fuisse abs te scriptum. Haec autem una fuit ratio qua testatum hoc illi facerem, si non recusarem quod unum urgebat. Quis enim credat serio te aliquid a me postulasse quod non concedam? Quantum ad ipsum spectat, si vellem eius voto satisfacere, hoc illi dari oportuit. Cum *Girardo* nondum sum colloquutus. Si inter se transigant, per nos nulla erit mora. Quanquam certe maluissem, ipsum aliis psalmis vertendis dare operam, quam iis qui iam versi erant a *Maroto* [1]). Sed neque istud obstabit editioni. Praeter librum quem mihi ostendit, indicavit se plures habere cantilenas [2]): de quibus ut tibi idem iuris permitterem rogavit. Tantum admonui ne asperius principes alicubi perstringeret: quod memoria tenebam ante annos septem nescio quid tale ab eo profectum. Sed tu facile animadvertes, si quid erit quod non expediat longius manare.

Ex Germania nihil pridem. Aliquot locis in Gallia antichristi insaniunt [3]). Lugduni ulterius non est saevitum, quam quod tenentur pauci in carcere: plures fuga elapsi sunt. Dominus manum suam in piorum salutem extendat. Quum venies libere de omnibus colloquemur. Vale, frater carissime. Dominus te conservet. Saluta *Ribittum*, *Coelium*, *Imbertum* et alios diligenter, cum tua familia. Genevae. 15. Martii 1545.

Ioannes Calvinus tuus.

---

623. 1) *Quae olim in Prolegg. T. VI. delibavimus, ea iam fusius et doctius a Felice Boveto V. Clar. exposita leges, de psalmorum carmine gallico versorum paulatim absoluta editione, in libro recens edito:* Histoire du psautier des églises réformées. 1872.

2) *Probabiliter nunquam editas. Etiam H. Bordier,* (le Chansonnier huguenot du 16. siècle. Par. 1870) *nomen Hectoris ignorat.*

3) *Caedes illa atrocissima in Cabrières et Merindol, de qua mox plura dicentur, post medium m. Aprilem patrata fuit.*

624.

HARDENBERGIUS [1]) CALVINO.

Hucusque frustra literas ab eo exspectavit, tamen denuo adire eum audet ut de coena Domini eius sententiam nondum satis perspectam accuratius ediscat. Idem cupit vir summus Io. a Lasco qui nuper contra Mennonem scripsit.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 11.)

Eruditione et vera pietate spectatissimo viro D. Ioanni Calvino Noviodunensi, ecclesiae Gebennensis pastori longe vigilantissimo domino suo observandissimo ad manus proprias.

Devotissimus tibi Albertus Hardenbergius Frisius.

Scripsi ad te aliquoties Argentina [2]), semel etiam Brema, vir ornatissime, sed hactenus non merui abs te responsum. Quod tamen vehementer cupiebam, non tam ob id quod praeclarum mihi esset et aliquid autoritatis adderet apud auditores meos, quae alioqui mediocris est, quam ut de dubiis quibusdam quaestionibus me certum faceres. Quod autem aliquot meae epistolae ad te allatae sint, indicant aliorum ad me literae, praeterea quidam qui istinc ad nos Argentinam veniebant, eo tempore quo ego ex peregrinatione mea, qua omnes Germaniae fere ecclesias visitaram, ad D. *Bucerum* redieram.

Prima quaestio erat ea quae nunc cum magna iactura pietatis in ecclesia excitatur, imo resuscitatur, de eucharistiae forma. Quam videbar mihi satis aperte ex Institutione tua didicisse, deinde et ex Catechismo tuo in quo lego verum Christum sumi in coena sed spirituali convectione qua homo fidelis sit contentus. Id ego pro oraculo habebam donec Simon *Sulserus* vir doctissimus mihi diceret te fateri, miraculum contingere circa panem in corpore Christi sanctificatum, et aliam esse in coena praesentiam quam in verbo credito. Idem asserit amicus et hospes meus D. *Bucerus*. Sed ego hoc non intelligo et puto doctrinam quam simplicissimam in ecclesia exstare debere. Audio esse naturalem

---

624. 1) *De hoc viro Alberto Rizaeo dicto Hardenberg v. El. Wagner, Hardenbergs zu Bremen gefüretes Lehramt* 1779 *et B. Spiegel, D. Alb. Rizaeus Hardenberg. Br.* 1869. *Natus in provincia Ysselia superiore, studiis vacaverat Lovanii, Wittenbergensibus, Bucero, Lasco, Dryandro familiaris. Nunc Archiepiscopo Coloniensi a consiliis in reformanda ecclesia. Postea pastor Bremae cryptocalvinismi accusatus ab Heshusio, longis et asperis controversiis et tumultibus famosus.*

2) *quo se contulerat post comitia Spirensia* 1544. *Plura habet Spiegel p.* 44.

praesentiam sed non modo huius saeculi, esse spiritualem quidem sed veram tamen et naturalem. Sed hoc ego quum non assequar, non video quomodo auditoribus meis proponere debeam. Scio te multorum molestias ferre, vir doctissime: itaque te oro ut mihi in hac parte saltem succurras. Nam spero in Deo meo quod, quaecunque tu mihi de hac re scripseris, sim facile crediturus et docturus. Et si contingat me non assequi sententiam tuam, tamen captivabo sensum meum et credam quod ex te discam. Dicam ingenue quod res est. Pars magna meae illius aestivae profectionis erat ut cum doctis super ea quaestione conferrem, at quidem tecum hoc non segniter: sed visus sum mihi magnam dissonantiam sententiarum deprehendisse. Et illi qui sublimem illam naturalis corporis praesentiam asserebant, non scio an sese omnes ipsi intellexerint: certe eos assequi non potui. Tamen ut debui consensi, et malui hoc totum meae imperfectioni adscribere quam tantorum virorum discordantiae. Utinam licuisset nobis tunc colloqui: certe tunc nihil opus esset ut ego te tam importune lacesserem. Sed veniam mihi dabis, eo quod studium sit percipiendae religionis, non curiositas alioqui ulla. Sed de verbis coenae dubitatio nulla, sed de interpretatione verborum mihi semper tutissimum visum est, in omnibus doctrinae ecclesiasticae capitibus non tam structurae apparatum ullum, aut illius ministrum etiam, quam potius fundamentum capitis spectare, ac doctrinae nostrae fontes in prophetis et apostolis quaerere. Quos si reperiamus, iam facile structuram sit iudicare. Iam aliorum sacramentorum ratio mihi esse alia videtur, ad quam si huius etiam sacramenti fontes accommodemus, fallor nisi tam sacramentaliter quam naturaliter corporis praesentia in coena asseri possit. Neque video quomodo pugnantias in hac re ipsius scripturae bene vitare possimus. Si autem praesentiam ex distributione membrorum corporalium asseramus (et sane *κοινωνία* apud Paulum videtur non sine coactione active exponi posse: linguis etiam audio et active sumi et passive, communicamus cum his quibus damus et a quibus accipimus) iam non video quomodo vitare possemus apud argutos homines illam transsubstantiationis absurditatem, si naturalem praesentiam et distributionem ipsi asserimus. Quid quod omnis idolomaniae circa coenam abominatio hinc fluxisse videtur? Quid quod Davidianis nostris[3]) et haereticis, aut certe germanicis Swencfeldianis hic videtur data occasio blasphemandi Christi et ludendi tam absurde in humanitate Christi? Quid quod nostri Anabaptistae, dum quam ipsi statuunt in hac re absurditatem vitare volunt, negant Christum nostrae carnis participationem naturamque non adsumpsisse?

De qua horrenda stultitia ad te mitto libellum amici mei Ioannis a *Lasco*, Baronis Poloni, quem pridem mecum ex Frisia mea adduxi ad Electorem principem *Coloniensem*. Qui hic me hortante libellum edidit contra *Mennonem* civem nostrum, qui omnes nobis ecclesias in Frisia exscindit et conspurcat.[4]) Rogabat me Ioannes a *Lasco* ad ministerium suum redirem. Nam minister est ecclesiarum orientalis Frisiae, post relictas amplissimas dignitates. De qua re tuus *Raimundus*[5]) qui Coloniae est apud piissimum virum Iacobum a Burgundia Dominum a *Phales*.[6]) Is, inquam, Io. a *Lasco* me rogavit ut tibi exemplum mitterem et officium ipsius pollicerer. Cupit enim tibi esse quam notissimus, et certe vir est tua amicitia dignissimus, qui quum primas esset duorum regnorum Poloniae et Hungariae, maluit tamen nudus nudum Christum sequi. Is vir rogavit ut sententiam tuam discerem de forma coenae. Nam ille hactenus in ea est sententia ut dicat sacramentorum eandem esse rationem, esse autem obsignationem divinae erga nos voluntatis, alios fines esse subordinatos, neque aliud cogitandum quam quod sint sacramenta. Nec putat proprie dici posse quod sacramenta sint canales et instrumenta quibus ad nos gratia dei derivatur. Omnino putat satius esse ut sacramentaliter loquamur de praesentia coenae, quam ut statuamus corporalem aliquam praesentiam physicam. Sed suam ipse sententiam tuae prudentiae submittit. Quare recte facies si nos, qui in eodem haeremus luto, una resti extrahas. Interrogo vero te, vir Dei, ecquid non recte dicatur, ita panem in coena esse corpus Christi, ut corpus Christi est vere cibus noster. Id si vere dicitur, iam non admodum laborabo. Sin minus, cupio explicari. Haec tibi soli scripta sint, mi Calvine: malo enim clam discere et audire quam ullam dare de me novi dogmatis in ecclesia suspicionem. Scio invidiosam nunc rem hanc quaestionem, sed tamen discenda est. Tu itaque caede sed audi, et vale in Christo servatore. 1545, 24. Martii. Bonnae in Ubiis.

3) *Davidis Ioris asseclis.*

4) *Anno* 1544 *Menno Simonis Lascum aggressus est libello cui titulum fecit*: Een corte ende clare Belijdinghe eude schriftelijcke aenwijsinghe. Ten yersten van der menschwerdinghe ons liefe Herren I. C. Ten tweede hoe dat beide de leeraers ende de ghemeinte Christi sullen ende moeten geacht zyn. Geschreven aen H. Ioh. a Lasco met tsamen zynen medehulpern binnen Emden a. 1544. *Huic libello Lascus opposuit suum tractatum:* Defensio verae semperque in ecclesia receptae doctrinae de Christi incarnatione adv. M. Simonis Anabaptistarum doctorem, per Io. a Lasco. Bonnae 1545. *Kuyper, Io. a Lasco. Opp. I. p.* 1 *vide praef. p.* 70, *qui nescire videtur Electorem Hardenbergio suadente librum edi curasse. Cf. etiam Bartels, Lasco, p.* 17.

5) *N.* 530, *not.* 5.

6) *Mox Argentoratum abiturum.*

625.

GUALTHERUS [1]) CALVINO.

Tradit ei libellum Turicensium ministrorum contra Lutherum nuper editum et ab ipso latine versum.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 13.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae vigilantissimo antistiti Domino ac fratri suo in Christo summe observando.

Gratiam et pacem a Domino. Accepi ante menses aliquot Epinicion tuum Christo salvatori nostro per te cantatum et editum [2]), *Calvine* plurimum observande, et pro illo ingentes me tibi gratias debere fateor: quas utinam aliquando eiusdem argumenti opere aliquo modo referre queam. Institueram nuper Minotaurum romanum vel Antichristum heroicis versibus describere [3]) in *Cochlei* gratiam, qui in libris suis contra *Bullingerum* nostrum editis, omnes eos qui sincerioris doctrinae sectatores sunt, poeticos theologos frequenter vocitat. Sed interrupit inchoatum iam opus et aliquo usque deductum Apologia quam vides, quae *Zwinglii* operibus praefigenda erat [4]). Incidit praeterea infelix illud et triste nostrorum cum *Luthero* de coena Domini certamen, cui ille talem libello suo occasionem dedit, quam salva doctrinae nostrae autoritate negligere nemo nostrum potuit. Scimus equidem quantum malorum ex dissidiis in ecclesia oboriatur, sed et illud scimus, quantum periculi et isti afferant qui privatis affectibus abrepti contra quosvis nemine prohibente indomitum furiunt. Responsionem ergo hanc communi tam doctorum nostrae ecclesiae quam prudentissimi Tigurinae civitatis magistratus consensu nostri maturaverunt [5]), et eandem ut a vestrae quoque gentis hominibus legi posset, latinitate donandam esse iudicarunt. Mihi autem ea ab illis provincia commissa est, non quod me illam omnium dignissime ornare posse putarent, sed quod omnibus aliis multo graviores negotiorum moles incumberent. Et quia nundinarum tempus instabat propius, omnia haec inter summam festinationem, ut primum exciderant, emittenda fuerunt. Spero tamen impolitum dicendi genus veniam apud illos mereri posse, qui ipsam rem potius cognoscere cupiunt. Hanc autem communi ecclesiae nostrae ministrorum iussu ad te mitto, *Calvine* colende, quod te iam olim talem esse cognoverint, qui, ut verae religionis amantissimus, ita etiam orthodoxae simplicitatis studiosissimus exsistas. Tuum ergo de hac iudicium audire omnes nos ex animo cupimus. Nec enim cuiquam mortalium praescribere et leges ferre stat sententia. Ecclesiae ministri sumus: ecclesia ergo de nostris laboribus iudicet. Sed faxit Deus ut huiusmodi contentionum scandalo multorum infirmorum animi cito liberentur. Salvum te cupiunt cum omnibus tuis fratres qui nobiscum sunt omnes. Vale. Tiguri 26. Martii 1545.

Tuus ex animo
Rodolphus Gualtherus.

625. 1) *Rud. Walther a* 1519 *natus, Zwinglii gener, Bullingeri, qui puero orphano patris vice fuerat, postea in antistitio successor: (Adami et Hottinger.)*
2) *Opp. Tom. V. Prolegg. p.* 47.
3) *Nescimus an perfecerit, alioquin non infoecundus poeta. Edidit quoque* 1544: Der Endtchrist. Kurtze klare einfaltige Bewysung in fünff Predigen begriffen dasz der Papst zu Rom der Endtchrist sye, *quem librum Landgravio Hassiae dedicavit. De latina editione nuper sibi missa Viretus, qui germanice non callebat, scripsisse putandus est, cuius v. ep. Cal. Mart.* 1547.
4) *Zwinglii opera in* 4 *voll.* 1545 *a Gualthero edita sunt, mense Februario.*
5) *Bullingeri opus. Cf. supra N.* 608 *et* 622.

626.

BELENYES CALVINO.

Tristem Hungariae statum depingit a Turcis et indigenis tyrannis misere vastatae. Res suas Genevae olim relictas et a Girardo neglectas repetit sine spe recuperandi.

(Ex autographo Cod. Goth. 405, fol. 68.)

Eximio Domini Iesu Christi ministro Ioanni Calvino antistiti ecclesiae Genevensis domino suo carissimo. Genevae.

Gratiam Iesu Christi. Mi domine *Calvine*, habeo tibi gratiam quod me, dum istic essem [1]), summa humanitate amplexus es. Dominus tibi benefaciat. Quum paulo postquam venissem Argentinam statim incidi in varios morbos, quibus mihi res fuit tota hac hyeme, tempore veris tandem Dominus me restituit sanitati opera medicorum. Haec erat potissimum causa cur hactenus ad te literas dare non potuerim. Deinceps nullum tabellarium praetermittam cui literas non dederim, etiam ex ipsa mea patria quae nunc a Turca miserrime affligitur [2]).

626. 1) *Anno etiam superiore ut ex sequentibus efficies.*
2) *Post Zapolyi mortem Turcarum potentia praevalebat, adeo ut ipsa Buda praefecti turcici sedes fuerit.*

Cuius calamitatem paucis verbis tibi ostendam. His proximis diebus accepi literas a meis, in quibus maximam cladem Hungariae mihi depinxerunt, unde non parvum accepi dolorem. Nam ab eo tempore quo abfui a patria, nempe a triennio, novem civitates cum multis castellis et arcibus, cum pagis universis circum eas iacentibus, Turcae sunt depopulati cum magno incolarum interitu. Ex illa parte Hungariae quae vergit versus Dalmatiam, occupaverunt duas civitates, scil. Quinqueecclesias et Soklos: quae versus Austriam spectat, quatuor civitates, Strigonium, Waaz, Besprin et Albam regalem, quarum duas funditus everterunt, duas vero tantum occuparunt, sed cum magno periculo populi. Versus Poloniam similiter omnino everterunt duas civitates, Miskocz, Sikso: populum partim abduxerunt in captivitatem, partim trucidarunt. Iuxta Tibiscum sita est quaedam civitas cui nomen est Segedinum, quae ante decem et novem annos similiter fuit eversa ab ipso Turca: postea vero populus convenit rursus et coepit aedificare. Quum Turca hoc videret, proclamavit pacem et libertatem, quicunque eo confluerent ac aedificarent. Civitas itaque in tantum creverat ut magnitudine excederet priorem. Quum esset iam opulenta et Turcae tributaria facta, iussit accersiri primum magistratum illius civitatis cum duobus consulibus. Quos quum venissent statim decollari iussit et civitatem eorum cum ingenti exercitu occupavit, incolas vero ipsos pecunia in Turciam vendiderunt. Nunc ex illis oppidulis ac civitatibus occupatis eruptiones faciunt in reliquas partes Hungariae et sic quotidie abducunt in captivitatem infinitas animas, exercentque in eos inauditam tyrannidem. Iis malis adiunctum est aliud. Tempore regis defuncti, scilicet Waywodae, aliquae civitates in illis reliquiis Hungariae verbum Dei receperant: nunc vero post mortem illius successerunt quidam tyranni nobiles, qui omnem Turcarum tyrannidem et Hungariae calamitatem reiiciunt in evangelium, putantes tantorum malorum causam esse. Eam ob rem mirum in modum saeviunt in Christianos. Paucis abhinc diebus quendam Christianum combusserunt: aliis civibus bona ac fortunas diripiunt, alios coniiciunt in carcerem, quod antea nunquam factum fuerat. Nihilominus illi miserrimi Christiani, quum tantis calamitatibus sint subiecti, tamen non cessant audire et praedicare verbum Dei, etiam cum periculo vitae et omnium bonorum. Quum ergo ista audio et cogito, non possum me cohibere a maximo luctu. Etsi corpore ab illis procul sim, animo tamen sum praesens cum illis, et una cum illis patior. Praeterea duobus proximis annis continue saevit pestis mirum in modum per totam Hungariam, ita ut quicunque fuerunt doctiores, tum in ecclesia, tum in republica, peste sublati sint omnes. Ad hoc aliud malum additum est. Mense Iulio superioris anni maximum agmen locustarum advolavit in Hungariam, ac uno die devoravit omnes fructus agri, unde maxima fames consequnta est. Quum viderem tantam calamitatem patriae, etiam literis nostratium admonitus, deinde paupertate quoque urgente, statui in his proximis nundinis redire in patriam, ut possem illi afflictae ecclesiae inservire. Sive hoc fiat per meam vitam, sive per mortem, non curo: modo in Dei gloriam cedat. Etsi certo sciam, ex una parte periculum mihi imminere a Turca, ex alia vero a tyrannis et persequutoribus veritatis, tamen ista contemno et a suscepto itinere non desistam. Itaque te oro, mi domine *Calvine*, ob caritatem Christi, ut digneris preces fundere ad Deum patrem, una cum tota ecclesia vestra, pro hac nostra afflicta ecclesia, ut pater ille misericors mitiget poenam illatam nostrae afflictae ecclesiae. Deinde tuis literis ne desinas me recreare ac consolari: nam per *Wendelinum* facile poteris ad me literas dare. Scis enim quantum eiusmodi homines egeant consolatione talium virorum.

Huic meo dolori ac luctui praeter omnem meam spem aliud male accidit. Nam quum essem apud vos, *Ioanni* bibliopolae vestro socio *Guillelmi* [3]) commendavi meas sarcinas, propterea quod esset homo pius et mihi amicus, cui tantum confidebam quantum homini christiano ac fratri, ut quam primum fieri posset res meas ad me mittendas curaret. Ille recepit in fidem suam se velle curare et mittere, etiam si abesse cogeretur, ipse tamen velit commendare vel uxori vel socio suo, quo commode ad me mitterentur. Iam ab eo tempore praeterierunt sex menses: adhuc nondum accepi res meas in tanta opportunitate mittendi, praesertim quum etiam ipse iam sim in itinere. Socius suus *Guillelmus* venit, tantum attulit literas nostri *Gelasii*, ac respondit se non potuisse res meas cum suis ferre, eo quod vas non satis fuit capax. Et sic negligentia illius boni viri res mihi pereunt, nec unquam poterunt deinceps ad me tam procul pervenire. Ut ingenue fatear, maluissem sedecim coronatos perdere quam res meas sic amittere, etsi non tantum valeant, tamen mihi erant valde utiles. Hic noster *Ioannes* sua negligentia me hominem exterum coniecit in damnum. Certe nunquam puto me posthac res meas accepturum, nisi tu per literas diligenter egeris cum *Wendelino:* ille multum poterit iuvare ne omnino pereant.

Revertor ad propositum. Obsecro te, mi D. *Calvine*, vestris precibus instate apud Deum patrem pro hac nostra adflicta ecclesia, quo Dominus illam

---

3) *Ioannem scil. Girardum, Guillelmum fortasse Du Bois significat.*

poenam mitigare dignetur. Vale. Argentinae 26. Martii anno Domini MDXLV.

Gregorius Belenyesi,
natione Hungarus.

627.

CALVINUS MYCONIO.

Genevae detecta coniuratio hominum pestem per veneficia serentium. Persequutiones in Provincia exorsae. Responsio ad papae scriptum excudi coepit.

(Autographon non exstat. Exemplar saeculo decimo sexto scriptum habetur in Cod. Genev. 106, fol. 115 verso; unde derivata sunt tria alia saeculi superioris, Turretini Cod. 111, fol. 115, Bernense Epp. VII. p. 660 et Simleri Vol. 57. — Anglice versa legitur Tom. I. p. 428.)

Fideli Domini nostri Iesu Christi ministro D. Osualdo Myconio Basiliensis ecclesiae pastori fratri mihi colendissimo.

Ago tibi summas gratias quod mihi quae de Caesare et conventu imperiali audieras communicaveris. [1]) Quod literas meas inscienter resignaveris, ego vero id tibi non ignosco, quando nihil peccasti. Hic nos Dominus mirabiliter exercet. Detecta enim nuper fuit coniuratio [2]) virorum et mulierum, qui hoc triennio pestem in urbe sparserant nescio quibus veneficiis. Quum iam exustae sint quindecim mulieres, viri aliquot atrocius plexi, quidam in carcere sibi mortem consciverint, teneantur adhuc capti viginti quinque, non tamen quotidie unguentis suis illinere domorum seras desinunt. En quibus in periculis versemur. Hactenus intactam domum nostram servavit Deus, utcunque saepius fuerit appetita. Bene est quod nos illi curae esse scimus. Vale, ornatissime vir et frater mihi plurimum observande. Genevae 27. Martii 1545.

Hic nobilis tibi non ignotus, quantis angustiis nunc premantur fratres Provinciales [3]) exponet. Quia eorum salutem scio tibi, ut par est, esse commendatam, tantum peto ut, quum tempus erit agendi, talem illis te praestes qualem hactenus experti sumus. Sed ante omnia placuit rem Bucero indicari, ut apud suos dispiciat numquis erit aditus opportunus ad Regem. Saluta uxorem tuam et amicos diligenter.

Ioannes Calvinus tuus.

Quaternionem primum libri mei mitto. [4]) Responsio ad papae scriptum istic est excusa. Nec dubito quin prostet in tabernis librariis. Ego nullum adhuc exemplar habui.

627. 1) N. 618.

2) *De hac coniuratione, imo portentoso superstitionis et credulitatis monumento, v. Reg. du Conseil, mens. Mart. et seqq. passim, e quibus excerpta dabimus in Annalibus. Praeterea cf. Spon. I.* 285. *Ruchat V. p.* 261. *Galiffe, nouvelles pages d'hist. exacte, soit le procès de P. Ameaux p.* 98 *suiv. Caeterum cave Calvinum hic nimium oneres, quum etiam Bonnet in notis ad vers. angl. plebeios istos rumores pro indubitatis factis habeat:* a fearful conspiracy!

3) *Ipsa persequutio circa m. Aprilem medium acrius saevire incepit v. infra passim.* (*Hist. eccles. p.* 44. *Hist. des Martyrs f.* 155 *v. Ruchat V.* 252. *Salig, Augsb. Conf. II.* 253. *Sleidan, II.* 380 *ss.*)

4) *Admonitionem Pauli III. c. scholiis.*

628.

BULLINGERUS BLAURERO.

Nunciat ei novum Calvini librum prodiisse, sed sine nomine autoris, contra Pontificis admonitionem ad Caesarem.

(Ex autographo Bibl. civic. Sangallensis MSS. T. 35 al. VI. fol. 24. Exemplar recentius est in Archiv. Turic. olim D. Tom. II. nunc Plut. VI. Vol. 171, fol. 79, unde descripsit Simlerus Vol. 57. Nos pauciora tantum excerpimus.)

Clarissimo viro D. Ambrosio Blaurero fratri et amico sincero et semper colendo.
Constantiae.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Respondit quidam (aiunt *Calvinum* esse autorem) erudite prudenter severiter et cum autoritate scripto Pauli III. ad Carolum V., quo hunc ille dehortatur ne quid religionis gratia pasciscat [1]) aut transigat cum Protestantibus Caesar. [2]) Nisi vero arbitrarer id te vel ante me vidisse, misissem exemplum quod penes me unicum est. Curavit primum imprimi Admonitionem papae, deinde subiunxit huic scholia. — — — — — — Tiguri 27. Martii 1545.

Tuus H. Bullingerus.

628. 1) sic.

2) Cf. N. 618 et 627 *et omnino Prolegg. nostra T.* VII. p. 28.

628 bis.

CAPNIUS CALVINO.

Gratias agit quod tam sollicite negotium sibi commissum perfici curarit, promittitque expensam ei redditurum. Simul gaudet dissidium inter pios ab eo compositum fuisse.

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 74.)

Clarissimo viro D. Passelio.

Accepi literas tuas circa 15. Kal. Martii, quibus profecto sum maxime delectatus, tum quod omnes tibi redditas intellexi per legatum vestrum hominem suavissimum atque humanissimum, tum, quod optabilius fuit, quod statim mihi obsequutus nisi demum re perfecta non conquiesse.[1]) Hoc unum, fateor, imprudens commisi quod non simul cum literis argentum misi: sed, mihi crede, negotii gravitas tenuit oculos, quominus omnia quae conveniebant prospicerem. Tua quoque familiaritas multa, hoc me male docuit. Sed id omne, quodcunque est, tuum damnum omnino a me resarcietur. Idque iterum tibi spondeo. Hoc tantum rescribe, cui quantumque vis persolvam. Festinat dies quos[2]) nos responsum exspectare iubes, ob idque sollicite καὶ ἐν ἀποκαραδοκίᾳ exspectamus.

De eo quod scribis dissidio nonnihil ante inaudieramus, sed adhuc incertum erat: non enim erant haec de tantis viris creditu facilia, quae tamen melioribus etiam temporibus nonnunquam inter Petrum et Paulum contigerunt. Sed ea sunt tamen ad virtutem et evangelii propagationem omnia. Gaudeo tua intercessione res tandem bene compositas esse, eoque nunc plurimas Domino gratias habeo.

De rebus nostris nihil ad te certo tutoque possum scribere. Si rerum humanarum cursum inspicimus peiore loco esse non possunt. Caetera disces ex aliis. Cupio fidelissimae uxori tuae esse commendatus, item legato vestro, qui meas tam diligenter literas tibi reddiderat. Scripsit 6. Kal. April.[3])

Tuus Capnius.

628. bis. 1) *sic!* (conquievisses?)
2) *sic!* (quo?)
3) *Haec epistola, nisi omnia nos fallunt, ad a.* 1545 *pertinet. Quod dicit de resarciendo damno, deque persolvenda pecunia, suam lucem accipit ex ep.* 600 *pag.* 827 *seqq. Epistola Calvini deperdita cuius mentionem facit, sine dubio Capnium certiorem fecerat de itinere Senarclaei in Germaniam ad obtinenda virorum doctorum consilia de vitandis superstitionibus suscepto. Quodnam illud dissidium fuerit de quo loquitur, definire non ausimus. Sed fortasse de Lutheri libello contra Turicenses cogitandum, ad quos hos ne responderent Calvinus monuerat.*

629.

FARELLUS CALVINO.

Praemissis Neocomensibus quibusdam negotiis paucis agit de rebus Provincialium deque Turicensium ad Lutheri diatriben responso.

(Ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium Epp. Farelli fasc. III. N. 1.)

Doctissimo et Christi amantissimo Ioanni Calvino pastori quam vigilantissimo fratri et symmystae observando.

Genevae.

S. Cuperem tuis et Genevensium votis satisfacere: verum tam cito non possum, nisi quidquid hic est in totum corruat. Scis quam sint amantes pietatis et literarum, qui omnia volunt usurpare et ex arbitrio agere. De successore actum.[1]) Spes est rem transigi posse. Si hoc fiat, quod optas habebis. Contuli de *Francisco* cum *Corderio*. Visum fuit ut istic retineatur: licet, si plenius rescire cupias quid statuendum sit, dies plus minus decem exspectandi sunt.

Provinciales hostem non habent maiorem quam eum qui praefectus est provinciae.[2]) De quo spes aliqua erat, siquidem simulavit se evangelii amantem, et hac ratione apud reginam *Navarrae* non parum potuit. Evectus in id quod ambiebat et maioribus inhians, ad quae putat viam sibi patefieri per *Turnonum*,[3]) scelestus Christi proditor regem inflammavit in pios quam potuit maxime, impulsu *Turnonii* et eorum quos nosti non minus hostes pietatis esse quam sint perniciosi regno. Et ut possit magis pietati obesse, et regno maius parare malum, legationem obtinuit ad *Caesarem* et inde in Germaniam ad comitia, ut illum sponte currentem instiget, et in his cum pontificiis agat in Christum, et interea, quum teneat aliqua quae sunt pietatis, de quibus garrire potest, piis imponat et omnia misceat, siquidem appositissimus est ad res turbandas. Tuum igitur fuerit eos admonere apud quos noveris tales belluas nocentiores esse, ut sibi caveant.

Tigurini responderunt *Lutero*, et latine redditus fuit liber,[4]) in quo patet nimis acerbe *Luterum*

629. 1) *An Corderii? quem tum Genevam vocabant ad instaurandum collegium* (N. 616). *Franciscus ille posthac saepius occurret.*
2) Iean Menyer Sr. d'Opède, president du parlement de Provence, voire mesmes gouverneur en l'absence du Sr. de Grignan (Hist. eccl. I. 43).
3) *Cardinalem, protestantibus infestissimum.*
4) *N.* 622, 625. *In editione libelli Turicensis germanica, Lutheri diatribe recusa fuit, non item in latina, scil. μεταφράσεως impatiens.* (Pestalozzi, Bull. p. 235.)

poenam mitigare dignetur. Vale. Argentinae 26. Martii anno Domini MDXLV.

Gregorius Belenyesi,
natione Hungarus.

627.

CALVINUS MYCONIO.

Genevae detecta coniuratio hominum pestem per veneficia serentium. Persequutiones in Provincia exorsae. Responsio ad papae scriptum excudi coepit.

(Autographon non exstat. Exemplar saeculo decimo sexto scriptum habetur in Cod. Genev. 106, fol. 115 verso; unde derivata sunt tria alia saeculi superioris, Turretini Cod. 111, fol. 115, Bernense Epp. VII. p. 660 et Simleri Vol. 57. — Anglice versa legitur Tom. I. p. 428.)

Fideli Domini nostri Iesu Christi ministro D. Osualdo Myconio Basiliensis ecclesiae pastori fratri mihi colendissimo.

Ago tibi summas gratias quod mihi quae de Caesare et conventu imperiali audieras communicaveris. [1]) Quod literas meas inscienter resignaveris, ego vero id tibi non ignosco, quando nihil peccasti. Hic nos Dominus mirabiliter exercet. Detecta enim nuper fuit coniuratio [2]) virorum et mulierum, qui hoc triennio pestem in urbe sparserant nescio quibus veneficiis. Quum iam exustae sint quindecim mulieres, viri aliquot atrocius plexi, quidam in carcere sibi mortem consciverint, teneantur adhuc capti viginti quinque, non tamen quotidie unguentis suis illinere domorum seras desinunt. En quibus in periculis versemur. Hactenus intactam domum nostram servavit Deus, utcunque saepius fuerit appetita. Bene est quod nos illi curae esse scimus. Vale, ornatissime vir et frater mihi plurimum observande. Genevae 27. Martii 1545.

Hic nobilis tibi non ignotus, quantis angustiis nunc premantur fratres Provinciales [3]) exponet. Quia eorum salutem scio tibi, ut par est, esse commendatam, tantum peto ut, quum tempus erit agendi, talem illis te praestes qualem hactenus experti sumus. Sed ante omnia placuit rem Bucero indicari, ut apud suos dispiciat numquis erit aditus opportunus ad Regem. Saluta uxorem tuam et amicos diligenter.

Ioannes Calvinus tuus.

Quaternionem primum libri mei mitto. [4]) Responsio ad papae scriptum istic est excusa. Nec dubito quin prostet in tabernis librariis. Ego nullum adhuc exemplar habui.

627. 1) N. 618.

2) *De hac coniuratione, imo portentoso superstitionis et credulitatis monumento, v. Reg. du Conseil, mens. Mart. et seqq. passim, e quibus excerpta dabimus in Annalibus. Praeterea cf. Spon. I.* 285. *Ruchat V. p.* 261. *Galiffe, nouvelles pages d'hist. exacte, soit le procès de P. Ameaux p.* 98 *suiv. Caeterum cave Calvinum hic nimium oneres, quum etiam Bonnet in notis ad vers. angl. plebeios istos rumores pro indubitatis factis habeat:* a fearful conspiracy!

3) *Ipsa persequutio circa m. Aprilem medium acrius saevire incepit v. infra passim.* (*Hist. eccles. p.* 44. *Hist. des Martyrs f.* 155 *v. Ruchat V.* 252. *Salig, Augsb. Conf. II.* 253. *Sleidan, II.* 380 *ss.*)

4) *Admonitionem Pauli III. c. scholiis.*

628.

BULLINGERUS BLAURERO.

Nunciat ei novum Calvini librum prodiisse, sed sine nomine autoris, contra Pontificis admonitionem ad Caesarem.

(Ex autographo Bibl. civic. Sangallensis MSS. T. 35 al. VI. fol. 24. Exemplar recentius est in Archiv. Turic. olim D. Tom. II. nunc Plut. VI. Vol. 171, fol. 79, unde descripsit Simlerus Vol. 57. Nos pauciora tantum excerpimus.)

Clarissimo viro D. Ambrosio Blaurero fratri et amico sincero et semper colendo.

Constantiae.

— — — — — — — — — — — — — — — — —

Respondit quidam (aiunt *Calvinum* esse autorem) erudite prudenter severiter et cum autoritate scripto Pauli III. ad Carolum V., quo hunc ille dehortatur ne quid religionis gratia pasciscat [1]) aut transigat cum Protestantibus Caesar. [2]) Nisi vero arbitrarer id te vel ante me vidisse, misissem exemplum quod penes me unicum est. Curavit primum imprimi Admonitionem papae, deinde subiunxit huic scholia. — — — — — — Tiguri 27. Martii 1545.

Tuus H. Bullingerus.

628. 1) sic.

2) Cf. N. 618 et 627 *et omnino Prolegg. nostra T.* VII. *p.* 28.

628 bis.

CAPNIUS CALVINO.

Gratias agit quod tam sollicite negotium sibi commissum perfici curarit, promittitque expensam ei redditurum. Simul gaudet dissidium inter pios ab eo compositum fuisse.

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 74.)

Clarissimo viro D. Passelio.

Accepi literas tuas circa 15. Kal. Martii, quibus profecto sum maxime delectatus, tum quod omnes tibi redditas intellexi per legatum vestrum hominem suavissimum atque humanissimum, tum, quod optabilius fuit, quod statim mihi obsequutus nisi demum re perfecta non conquiesse.[1]) Hoc unum, fateor, imprudens commisi quod non simul cum literis argentum misi: sed, mihi crede, negotii gravitas tenuit oculos, quominus omnia quae conveniebant prospicerem. Tua quoque familiaritas multa, hoc me male docuit. Sed id omne, quodcunque est, tuum damnum omnino a me resarcietur. Idque iterum tibi spondeo. Hoc tantum rescribe, cui quantumque vis persolvam. Festinat dies quos[2]) nos responsum exspectare iubes, ob idque sollicite καὶ ἐν ἀποκαραδοκίᾳ exspectamus.

De eo quod scribis dissidio nonnihil ante inaudieramus, sed adhuc incertum erat: non enim erant haec de tantis viris creditu facilia, quae tamen melioribus etiam temporibus nonnunquam inter Petrum et Paulum contigerunt. Sed ea sunt tamen ad virtutem et evangelii propagationem omnia. Gaudeo tua intercessione res tandem bene compositas esse, eoque nunc plurimas Domino gratias habeo.

De rebus nostris nihil ad te certo tutoque possum scribere. Si rerum humanarum cursum inspicimus peiore loco esse non possunt. Caetera disces ex aliis. Cupio fidelissimae uxori tuae esse commendatus, item legato vestro, qui meas tam diligenter literas tibi reddiderat. Scripsit 6. Kal. April.[3])

Tuus Capnius.

---

628. bis. 1) *sic!* (conquievisses?)
2) *sic!* (quo?)
3) *Haec epistola, nisi omnia nos fallunt, ad a.* 1545 *pertinet. Quod dicit de resarciendo damno, deque persolvenda pecunia, suam lucem accipit ex ep.* 600 *pag.* 827 *seqq. Epistola Calvini deperdita cuius mentionem facit, sine dubio Capnium certiorem fecerat de itinere Senarclaei in Germaniam ad obtinenda virorum doctorum consilia de vitandis superstitionibus suscepto. Quodnam illud dissidium fuerit de quo loquitur, definire non ausimus. Sed fortasse de Lutheri libello contra Turicenses cogitandum, ad quos hos ne responderent Calvinus monuerat.*

629.

FARELLUS CALVINO.

Praemissis Neocomensibus quibusdam negotiis paucis agit de rebus Provincialium deque Turicensium ad Lutheri diatriben responso.

(Ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium Epp. Farelli fasc. III. N. 1.)

Doctissimo et Christi amantissimo Ioanni Calvino pastori quam vigilantissimo fratri et symmystae observando.

Genevae.

S. Cuperem tuis et Genevensium votis satisfacere: verum tam cito non possum, nisi quidquid hic est in totum corruat. Scis quam sint amantes pietatis et literarum, qui omnia volunt usurpare et ex arbitrio agere. De successore actum.[1]) Spes est rem transigi posse. Si hoc fiat, quod optas habebis. Contuli de *Francisco* cum *Corderio*. Visum fuit ut istic retineatur: licet, si plenius rescire cupias quid statuendum sit, dies plus minus decem exspectandi sunt.

Provinciales hostem non habent maiorem quam eum qui praefectus est provinciae.[2]) De quo spes aliqua erat, siquidem simulavit se evangelii amantem, et hac ratione apud reginam *Navarrae* non parum potuit. Evectus in id quod ambiebat et maioribus inhians, ad quae putat viam sibi patefieri per *Turnonum*,[3]) scelestus Christi proditor regem inflammavit in pios quam potuit maxime, impulsu *Turnonii* et eorum quos nosti non minus hostes pietatis esse quam sint perniciosi regno. Et ut possit magis pietati obesse, et regno maius parare malum, legationem obtinuit ad *Caesarem* et inde in Germaniam ad comitia, ut illum sponte currentem instiget, et in his cum pontificiis agat in Christum, et interea, quum teneat aliqua quae sunt pietatis, de quibus garrire potest, piis imponat et omnia misceat, siquidem appositissimus est ad res turbandas. Tuum igitur fuerit eos admonere apud quos noveris tales belluas nocentiores esse, ut sibi caveant.

Tigurini responderunt *Lutero*, et latine redditus fuit liber,[4]) in quo patet nimis acerbe *Luterum*

---

629. 1) *An Corderii? quem tum Genevam vocabant ad instaurandum collegium* (N. 616). *Franciscus ille posthac saepius occurret.*
2) Iean Menyer Sr. d'Opède, president du parlement de Provence, voire mesmes gouverneur en l'absence du Sr. de Grignan (Hist. eccl. I. 43).
3) *Cardinalem, protestantibus infestissimum.*
4) *N.* 622, 625. *In editione libelli Turicensis germanica, Lutheri diatribe recusa fuit, non item in latina, scil. μεταφράσεως impatiens.* (Pestalozzi, Bull. p. 235.)

scripsisse. Sed dum hoc indicant Tigurini, totam *Luteri* doctrinam reddunt suspectam. Ita pergitur dum humani affectus utrosque rapiunt. Quam esset necessarium ecclesias omnes hic suam interponere autoritatem et contendentes in ordinem cogere. Cuperem te hoc curare ut serio omnes hortareris. Quid tandem fiet, si utrinque insanire ita liceat? Vale, et tui omnes quos salvos opto. Nostri tibi salutem dicunt. Neocomi 4. Aprilis 1545.

Farellus tuus.

630.

VIRETUS CALVINO.

Literae commendatitiae vel potius commendationem expetentes cuiusdam a Genevensibus ad Lausannenses nuper transgressi, cuius nomen pro more tacetur.

(Ex autographo Cod. Genev. 111a, fol. 139.)

Singulari eruditione ac pietate ornatissimo Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori vigilantissimo ac fratri meo quam carissimo.

Genevae.

S. Hic frater apud nos quaesivit conditionem aliquam, de quo audivimus multa quae testantur hominem apud Divionenses se strenue gessisse in negotio Domini. Si res ita habet non visus est nobis dignus cuius nulla haberetur ratio. At quoniam nobis non satis constat quam vera sit historia, quamvis testibus non careat, et ipsius matrem hic audiverimus, nihil voluimus temere tentare. Attulit ille quidem literas classis Gaiensis aut Terniensis ad Bernenses, aut potius libellum supplicem quo illi fratres petebant conditionem aliquam in qua ludi magistrum ageret. Sed quum ipse literas apud se habeat, non opus est ut pluribus de iis apud te agam. Nam si legere voles licebit. Hoc solum nos remoratur, quod nullo venerit vestro ad nos testimonio commendatus, praesertim quum narret se multos menses istic egisse. Miramur, si is est qui dicitur, quid obstiterit quominus maiorem eius rationem habueritis. Aut vobis non innotuit, aut insigniter a vobis contemptus est, aut aliquid latet quod magis suspicamur quam intelligamus. Nescio an eo sit pudore ut vos non fuerit ausus familiarius aggredi. Nam si istic non notus est, nusquam notior esse poterit. Da igitur operam ut fratres intelligant qualem se gesserit apud vos, et quam de eo spem conceperitis. Quod si vobis nondum ita innotuit ut certi aliquid de eo testari possitis, date operam ut inquiratur de eius vita et moribus apud eos qui hominem penitius norunt. Nam ad vos remisimus ut aliquod vestrum testimonium afferret, non privati alicuius, ne quid suspicionis in aliquorum animis relinqueretur, sed a toto vestro coetu: quamvis nihil ei ad vos literarum dederimus, quia nec petiit ipse, nec venit in mentem quum de eo deliberaremus. Proinde huius te volui admonitum, ut si hominem iudicas commendatione dignum, eius causam agas apud fratres, ut redeat digno aliquo testimonio commendatus, si dignus est qui a nobis principibus commendetur. Haec duntaxat in praesens ad te scribere volui, ut hominem haberes commendatum, quatenus aequum iudicaris ac tuo officio dignum. Reliqua differo in meum ad vos adventum, cuius diem praescribere non possum ob varia negotia quibus urgeor: praesertim propter classis conventum quem sumus habituri tertio Mercurii die huius mensis. Saluta domesticos et reliquos amicos. Nostri te omnes salutant. Vale. Lausannae 4. Aprilis 1545.

Tuus P. Viretus.

631.

MYCONIUS BULLINGERO.

Certiorem eum facit de iis quae nuper a Calvino circa pestem Genevae a veneficis satam propagatamque acceperat.

(Ex autographo Bibl. civic. Turic. MSS. F. Vol. 62 olim 27, fol. 387. — Simler Vol. 57.)

D. Heinricho Bullingero viro doctissimo ecclesiae Tigurinorum antistiti domino suo in Christo venerando.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Scripsit praeterea D. *Calvinus* 27. Martii anni huius,[1]) detectam esse diebus superioribus coniurationem virorum et mulierum qui proximo triennio pestem in urbe Geneva sparserint nescio quibus veneficiis. Et quum iam exustae sint mulieres quindecim, viri aliquot atrocius plexi, quidam in carcere sibi mortem consciverint et captivi teneantur adhuc xxv, non tamen unguentis suis illinere seras domorum desinant. Sic enim intoxicatio facta est

631. 1) *N.* 627.

et inde magni viri praesertim in Domino perierunt. Hactenus, inquit, intactam domum nostram servavit Dominus, utcunque saepius fuerit adpetita. Haec ideo ut, si prius ignorasti machinationes diaboli in hominibus contra Christum Dominum, plenius videas, et expendas quantum sit hostium hoc tempore, qui conantur vi vel fraude tollere et exstirpare doctrinam Christi. Domine Iesu, intende in adiutorium nostrum et averte iram tuam a nobis — — — — Basileae 7. April. ann. 1545.

Os. Myconius tuus.

632.

MELANCHTHON CALVINO.

Sibi potius consulendum cum gemitu affirmat quam ut ipse aliis consulere valeat. Tristia haec tempora tristiora sequentur. Luthero Calvini epistolam non tradidit.

(Autographon non exstat. Antiquissima exemplaria habes in Cod. Genev. 106, fol. 125 v. et 196, fol. 69 v. Alia exstant in Cod. 194, fol. 43 v. et 111, fol. 108 quod est Turretini. Unde fluxit Bernense Epp. VII. p. 646 quod descripsit Simlerus Vol. 56 et edidit Henry T. II. app. p. 107. Abest a Corp. Reform.)

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis pio et fideli, amico suo carissimo P. Melanchthon S.

Imo vero,[1] *Calvine* carissime, mihi consilium de me ipso ostendas. Crescit enim hic certamen quod antea defugi. Quumque hactenus parcendum tranquillitati ecclesiarum in his regionibus feris et horridis senserim, moderatissimeque loquutus sim, nunc duriora a me postulantur. Oro autem te ut me Deo piis votis commendes.

Pericli[2]) non exhibui tuam epistolam. Multa enim suspiciose accipit, et non vult circumferri suas responsiones de talibus quaestionibus quales[3]) proposuisti. Ego utcunque respondi, nec meum iudicium antefero tuae et aliorum piorum et doctorum[4]) sententiae. Scio me ἄνευ φιλονεικίας versatum esse in negotiis ecclesiasticis, et mediocriter dedisse operam ut multas res involutas evolverem et explicarem. Nunc exsilia et alias aerumnas exspecto.[5]) Bene vale.

Die quo ante annos 3846[6]) Noha arcam ingressus est, quo exemplo Deus testatus est se ecclesiam suam, etiam quum ingentibus fluctibus ac procellis[7]) quassatur, non deserere.[8])

632. 1) *Respondet ad N.* 606.
2) *Sic solus Cod.* 196 *cuius textus inde prae caeteris sequendus demonstratur. Caeteri omnes per exegesin:* D. Martino.
3) *sic* 196. *Caeteri:* quas.
4) *sic* 196. *Caeteri Genev.:* piorum virorum sententiae. *quod recipit H.* doctorum et piorum virorum *S.*

5) excepto H.
6) *S. a prima manu:* 3546. *Caeterum d. h. l. confer quae annotavimus Opp. T. VI. p.* 624. *Dies est* 17. *Aprilis.*
7) ac procellis *om.* 106. 111. *H.*
8) *Cum hac epistola Vir. Clar. misit consilium suum libello Calvini de Vitandis superstitionibus subiiciendum, quod reperies in huius Opp. VI.* 621.

633.

CALVINUS FARELLO.

Genevae pestis usque saevit et venefici poenas dant. De scholae rectore adhuc ambigitur. Ipse queritur de suis obtrectatoribus. Legati Waldensium. Michaelis Copi adventus.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 130. Exstant apographa Turretini Cod. 111, fol. 116, Bernense Epp. VII. p. 661, et Simleri Vol. 57.)

Eximio Christi ministro Guillelmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori amico et symmystae carissimo.[1])

S. Quoniam videbat *Textor* se tantopere istic expeti, tuo et aliorum desiderio obsequi maluit, quam a vobis omnibus accusari negligentiae. Quanquam parum opportuno tempore nunc proficiscitur, quia uxorem et parvulos liberos relinquit,[2]) peste nunc acrius saeviente quam hactenus. De veneficiis[3]) quid scriberem? quum ante ex fratre maiorem partem audieris, et nunc *Textorem* habeas, qui multo clarius exponere sigillatim totam historiam possit quam ego literis complecti. Valde nos obstupefecit *Renatus*, quod summam usque ab initio simplicitatem prae se tulerat. Mirum autem quod qui in tormentis perstiterat, levi pollicitatione fuerit victus: quum illi dictum foret, me impetrasse ut illi senatus ignosceret. Uxor eius octodecim homines se veneficio sustulisse confessa est, ipse quatuor aut quinque. Mira in morte Domini virtus apparuit. Tanta fuit animi eius conversio. Nam mane nullum

633. 1) *Farellus adscripsit:* 25. Aprilis 1545.
2) *Textor Matiscone relicta iam Genevae pedem fixisse videtur.*
3) N. 627.

poenitentiae signum quum daret, tandem etiam phanaticis opinionibus abreptus videbatur. Nam cum magistratu expostulabat, qui de se, postquam a Domino veniam obtinuerat, exigebat adhuc supplicium. Dominus tamen, sicut dixi, praeter spem meam mirabiliter operatus est. Ambo in summa constantia, in summa fide, et claris poenitentiae signis ad mortem alacriter perrexerunt.

De schola nosti quid scripserim *Corderio.*[4]) Nihil aliud cupio quam pueris bene prospectum. Non est tam opima conditio magistrorum, ut ambiri magnopere debeat. Ambitur tamen, et quidem tanta contentione ut mihi instar portenti videatur. Senatus, ut nuper animadverti, in *Carolum*[5]) inclinat: sed quia semel *Corderio* permissa est potestas, hoc statum fixumque manet. Si scias quid canis ille deblateret adversum me (*Sebastianum*[6]) intelligo), dicas, prae eo placidos modestosque esse monachos. Quid dicturus erat si causam alterutram in partem suscipere me vidisset, quum ita insaniat nulla occasione? Me enim gessi in hac re prorsus medium. Nunc virus suum pleno ore evomit. Dicit se fuisse mea tyrannide ex ministerio deiectum, quo solus regnarem, mea ambitione *Henrichum* ablegatum[7]) alio, et quid non? (Quia unus ministerio nuper abdicatus fuit quem Bossiensi ecclesiae praefeceramus,[8]) insultat nobis, ac id manifesta Dei ultione factum clamitat, quod sanctus ille Dei angelus, Claudius *Veronus*[9]) eius sodalis, illinc fraude mea exclusus esset.) Mihi gravissima minatur, nisi timor magistratus impediret. Nihil enim pudet eum ita loqui. Quum *Ferronius*[10]) ingratitudinem illi exprobraret, ac inter alia diceret, se aliquoties adfuisse quum eius ego lapsui illacrymarer, respondit lacrymas fuisse crocodili. Tandem nos omnes nequam nihilique esse dixit.

Quae ex Germania ad me scribebantur vellem legisses. Quia tamen adeo timidum te fuisse video, hac te religione in posterum solvo, ne quaecunque ad me literae scriptae erunt eas resignare dubites. Quanquam in istis postremis nihil prorsus erat novi. Quae enim erant recentissimae longe prius scriptae fuerant. Simul atque a *Claudio*[11]) vel *Guillelmo* aliquid accepero rescisces.

Duo huc nuper a fratribus Provincialibus missi erant:[12]) qui hic substiterunt meo rogatu circiter duodecim dies. Postquam mihi spes excidit maturi reditus vel *Claudii* vel *Guillelmi*, eos abire passus sum. Promisi tamen illis absentibus negotium nobis omnibus curae fore, ac te praesertim non defuturum spopondi. Mihi doluit eos aliam prorsus confessionis formam exhibuisse ab ea quam *Petro*[13]) dederam. Nescio quid illi in mentem venerit ut improbaret quod omnibus placuerat, et ipse simulaverat sibi placere. Non miror si Rex exacerbatus fuerit in capite de eucharistia. Certe Germanis non satisfaciet quod dicunt. Ego autem receperam apud *Bucerum* omnia bene habere. De praeside Provinciae[14]) iam admonitus fueram, ac primo nuncio diligenter hortabor *Bucerum* ut sibi caveat.

Vale, optime frater et amice integerrime. Dominus te conservet omnesque fratres nostros, quibus salutem plurimam dices meo nomine, simul et tuae familiae. Nostri omnes te salvum esse ex animo cupiunt: praeter solitos, Michael *Copus*, Cleriacensis canonicus,[15]) qui sacerdotiis omnibus sponte relictis huc commigravit, nuncque nobiscum est, vir integer et vere Copi filius.

Vester male castratus[16]) nuper ad fratres classis Terniacensis scripsit, esse sibi in animo librum quendam adversum me edere. Rogabat ne offenderentur ubi editus foret. *Marcurtius*[17]) qui pedibus sustinere se domi vix poterat, sua phrenetide abreptus fuit, ut ad tam praeclarum nuncium perferendum advolaret. O dira impiorum tormenta!

Ioannes Calvinus tuus.

4) N. 629.
5) *Car. Damont, qui eo tempore scholae praeerat.*
6) *Castellionem.*
7) *De la Mar, ex urbe in agrum, nempe in vicum Jussy.*
8) *Simon Moreau* 1544 *V. D. M. in Bossey et Troinex, cui anno seq. successit Franc. Bourgoing qui et d'Agnyon vocabatur.*
9) *N.* 598, *not.* 5. *Quae parenthesi includimus in margine autographi addita sunt.*
10) *Io. Ferron V. D. M. Genevensis quem hic Simlerus perperam cum Verono confundit.*
11) *Senarcleo. Quem Guillelmum dicat nescimus.*
12) *et quidem ante caedes illas de quibus mox plura leges. Nam excidium oppidorum Cabrières et Merindol ad* 20 *Apr. referendum.*
13) *Fuit olim aliquis Petrus Masson (Latomus) cum Geo. Morel a Waldensibus Genevam Basileam et Argentoratum missus. An forte hunc significat? Inter Provinciales a.* 1545 *nominatim declaratos apparet aliquis Petrus, infra N.* 643.
14) *N.* 629, *not.* 2.
15) *quartus Guilelmi filius* (N. 5, *not.* 2), *qui a.* 1546 *in ministerium Genevense receptus est sec. Hermj. III.* 130; *sec. Archinard. tamen demum a.* 1549.
16) *Capunculus.*
17) *Nunc Neoduni minister.* (*N.* 545.)

634.

CALVIN A LA REINE DE NAVARRE.

Il maintient et justifie son jugement sur Pocque et Quintin, que la Reine avait accueillis à sa cour, et dont il avait démasqué les tendances pernicieuses dans son traité contre les Libertins.

(Il existe de cette pièce deux copies à la bible de Genève Cod. 107 fol. 1 et fol. 4. La seconde est plus récente et moins bonne. Nous ne l'avons pas trouvée ailleurs. Elle a été imprimée par Crottet, Chronique N. 16, par Henry T. II. p. 112, et dans les Lettres françaises de M. Bonnet T. I. p. 111. — Théod. de Bèze l'a publiée en latin Ed. Gen. p. 53, Laus. p. 132, Han. p. 148, Chouet p. 69, Amst. p. 32. C'est sur cette traduction qu'est faite celle en français de l'édition de Cologne p. 72. La traduction anglaise I. 429 est faite sur l'original.)

Madame, [1]) iay receu lettres dun homme de ceste ville, escriptes comme il dict de vostre commandement, par lesquelles ientendz questes fort mal contente de moy a cause dun certain livre par moy compose, lequel iay intitule contre les libertins. Il me faict mal de vous avoir contristee, sinon que ce fust pour vostre salut, car telle tristesse, comme dict saint Paul, est si bonne quil ne sen fault point repentir den avoir este cause. Mais ie ne scay pas, Madame, comment ce livre vous a peu tant animer. [2]) Lhomme qui ma rescript mallegue la raison que cest dautant quil est compose contre vous et vos serviteurs. [3]) Quant est de vous, mon intention na pas este dattoucher vostre honneur, ne diminuer la reverence que tous fidelles vous doyvent porter. Ie dy oultre celle que nous vous devons tous, pour la maieste royale en laquelle nostre seigneur vous a exaltee, pour la maison dont vous estes descendue, et pour toute l'excellence qui est en vous, quant au monde. Car ceulx qui me cognoissent, scavent bien que ie ne suis pas tant barbare ne inhumain, que de mespriser ne tascher de mettre en mespris les principaultez, la noblesse terrienne, et ce qui appartient a la police humaine. Davantage, ie cognois les dons que nostre seigneur a mys en vous, et comment il s'est servy de vous, et vous a employe pour l'advancement de son regne, lesquelles choses me donnent assez doccasion de vous honnorer, et avoir vostre honneur en recommandation. Aussi, Madame, ie vous prye de ne vous laisser point persuader par ceulx qui en vous enflambant contre moy ne cherchent ne vostre proffict, ne mon dommage, mais plus tost de vous aliener de la bonne affection que vous portez a Leglise de dieu, et vous oster le courage de servir a nostre seigneur Iesus, et a ses membres, comme vous avez faict iusques a ceste heure. Quant a voz serviteurs ie croy [4]) que vous nestimez pas vostre maison plus precieuse que celle de nostre seigneur Iesus, de laquelle un membre est nomme diable, voyre un serviteur qui estoit assis a la table de son maistre, et constitue en cest estat tant honnorable destre ambassadeur du filz de dieu. Combien que ie nay pas este si inconsidere [5]) que de nommer vostre maison, mais dissimulant que ceulx dont iavoye a parler vous attouchassent en rien, ay parle en verite, et comme devant dieu. Il reste de regarder si iay prins plaisir a les diffamer, ou si iay este contrainct, par grande et iuste raison, voyre par necessite, a les taxer [6]) ainsi. Or, Madame, si vous estes bien advertye de tout, iestime bien tant de vous que nonseullement vous excuserez ce que ien ay faict, mais estimerez ma simplicite digne de louenge.

Ie voy [7]) une secte la plus pernitieuse et execrable qui fust oncq au monde. Ie voy quelle nuyst beaucoup, et est un feu allume pour destruire et gaster tout, ou comme une contagion pour infectioner toute la terre, si lon ny remedie. Puis que nostre seigneur ma appelle a cest office, ma conscience me contrainct dy resister tant quil mest possible. Il y a plus, quavec grandes obtestations et vehementes, ie suis sollicite des pauvres fidelles qui en veoient [8]) le pays bas de Lempereur tout corrompu, que bien tost et sans plus dylayer ie mette la main a loeuvre. Neantmoins encore apres telles requestes, ay ie differe un an entier, pour veoir si le mal se pourroyt assopir par silence. Si on mallegue que ie pouvois bien escryre contre la meschante doctrine, laissant les personnes la, iay mon excuse plus que raisonnable. Cest que scachant quelle ruyne a faict messgr. Antoyne *Pocque* [9]) au pais d'Artois et de Heinault, selon la relation des freres qui sont expressement icy venuz pour cela, layant ouy mesme icy, scachant que *Quintin* ne pretend a autre fin que dattirer les pauvres simples ames a ceste secte plus que brutalle, et non point par rapport daultruy tant que pour lavoir ouy de mes oreilles, entandant quilz sont tousiours apres pour renverser la saine [10]) doctrine, tirer les pauvres ames en per-

---

634. 1) *Voir les lettres N.* 125 *et* 226. *Au sujet des circonstances qui ont provoqué la présente, voici ce que dit l'Hist. ecclés. I. p.* 22: La Royne de Navarre .... se plongeoit aux idolatries comme les autres: non pas qu'elle approuvast telles superstitions en son coeur, mais d'autant que Ruffi (*Roussel*) et autres semblables luy persuadoyent que c'estoyent choses indifferentes. Dont l'issue fut telle que finalement l'esprit d'erreur l'aveugla, aiant fourré en sa maison deux malheureux libertins, l'un nommé Quintin et l'autre Pocques, les blasphemes et erreurs desquels avec une ample refutation se trouvent es Oeuvres de Calvin. (*Opp. VII., prolegg. p.* 23.)
2) displicuerit.
3) *les deux signalés note* 1.

4) pense *Bt. H.*
5) praeceps.
6) acceperim.
7) Sic de illa secta audio et sentio ut nihil perniciosius ...... audiri possit.
8) enverrent. *Bt. H.* querantur. *Comp. la lettre de Poullain N.* 550.
9) Pocquet *H. Bt. Angl. Bz. Sur Pocque et Quintin v. Opp. VII.* 159 *suiv.*
10) saincte *Bt. H. Angl.*

dition, engendrer au monde un contemnement de Dieu, iugez, Madame, sil mestoit licite de dissimuler.[11]) Un chien abaye, sil voyt quon assaille son maistre; ie serois bien lasche, si en voyant la verite de dieu ainsi assallye, ie faisois du muet sans sonner mot. Ie suis tout persuade que vous nentendez pas quen faveur de vous ie trahysse la defense de Levangille que dieu ma commise. Parquoy ie vous supplie, Madame, de ne vous point offenser, si estant contrainct par le devoir de mon office, soubz peine dencourir loffense de Dieu, ie nay point espargne voz serviteurs,[12]) sans toutesfois maddresser a vous.

Quant a ce que vous dictes[13]) que vous ne vouldriez avoir un tel serviteur que moy, ie confesse que ie ne suis pas pour vous faire grandz services. Car la faculte ny est pas, et aussi vous nen avez pas faulte. Mais si est ce que laffection ny deffault pas, et tant que ie vivray, ie persisteray tousiours en ce propos au plaisir de dieu, et quoy que vous desdaigniez mon service, cela ne mempeschera pas que ie ne soye vostre humble serviteur de cueur et de bonne voulonte. Au reste, ceulx qui me cognoissent, scavent bien que nay iamais aspire davoir entree aux courtz des princes, dautant que ie nestois pas tente de parvenir aux estatz[14]). Quant iy eusse tasche, ceust este possible en vain. Mais ie remercye nostre seigneur, que ie nen ay iamais este tente, car iay bien occasion de me contenter de servir a un si bon maistre qui ma accepte et retenu en sa maison, voire en me constituant en un office tant digne et excellent, quelque contemptible quil soyt, selon le monde. Ie serois par trop ingrat si ie ne preferois ceste condition a toutes les richesses et honneurs du monde. Quant a la reprosche dinconstance que vous me faictes, dautant que ie me suis desdict, ie vous adverty, madame, quon vous a mal informee. Car iamais nostre seigneur ne ma admene iusques la, quon mayt demande confession de ma foy. Quant il luy eust pleu mesprouver en cest endroict, ie ne me vante pas de ce que ieusse faict, mais ie ne doubte pas, que puis quil ma donne ceste constance dexposer ma vie en danger pour autruy, au regard seullement de sa parolle quil ne meust adsiste par sa vertu, quant il eust este question de glorifier son nom. Tant y a quil ma preserve de ceste reprosche,[15]) que iamais ie me soys desdict ne directement ne obliquement. Qui plus est iay tousiours eu en horreur une telle laschete, que de renoncer Iesuschrist pour saulver sa vie, ou ses biens, ie dy mesme du temps que iestoye en France, comme plusieurs en sont tesmoings. Mais afin que vous soyez plus acertenee que ceulx qui vous ont faict tel rapport de moy, ont abuse de vostre audience trop humaine, ie men rapporte a monsieur de *Clerac*,[16]) lequel vous pourra dire que cest une faulse calomnie quon mimpose, laquelle ie ne doys nullement porter, dautant que le nom de dieu en seroit blaspheme. Car combien que ie ne soys rien, toutesfois puis quil a pleu a dieu duser de moy, comme dun de ses instrumens a ledification de son eglise, ie voy quelle consequence[17]) tyreroit un tel blasme, sil estoit en ma personne pour diffamer levangille. Mais ie loue le seigneur qui na pas tant permis sur moy a Sathan, et mesme a supporte mon infirmite, en ce quil ne ma iamais esprouve par examen ne par prison.

Ie vous prie de mescuser en la brievete et confusion de mes lettres; car incontinant apres avoir receu les nouvelles de vostre mescontentement, ie me suis voulu efforcer de vous satisfaire en tant quen moy seroit, non pour autre raison que pour eviter que ie ne fusse cause de vous refroidir ou destourner de la bonne affection quavez montree iusque icy envers les pauvres fideles. Et sur ce, Madame, apres mestre treshumblement recommande a vostre bonne grace, ie supplye le seigneur Iesus de vous maintenir en sa garde et vous guyder par son esperit, tant en prudence quen zele de poursuyvre vostre saincte vocation. De Geneve, ce 28 davril 1545.[18]).

Vostre treshumble et obeyssant serviteur en nostre seigneur,

Iehan Calvin.

635.

GUYMONNEUS[1]) CALVINO.

Morbo vix liberatus tardius respondet. Petri Brulii constantem in morte animum laudat. De rebus Calvini domesticis plura tradit nobis haud clare perspicienda, inter alia de eius privigno. Garnerium coetui gallico pastorem optat eligendum.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 215.)

---

11) tectius agere.
12) illi certo homini ex tuis.
13) epistolae autor tuo nomine.
14) honorum studio titillatus (to court worldly honour).
15) beneficio illius ita mihi constiti.
16) *Gérard Roussel, abbé de Clairac.*
17) candam.
18) *Les éditions latines portent la date du 20.*
635. 1) *Hic vir alibi non occurrit. Gallico coetui Argentorati adscriptus fuisse videtur. Calvini ad eum epistolae exstant nullae.*

Integerrimo pastori D. Ioanni Calvino viro piis omnibus observando fratri et amico carissimo.

Gebennae.

S. P. Quod tuis serius respondeo, pastor fidissime et mihi carissime, in causa fuit morbus quo superiore mense laboravi. Quo quidem nondum plane liberatus sum: sunt enim adhuc quaedam reliquiae illius, quibus liberarer procul dubio si a lectione mihi temperare possem. Sed in eo non possum mihi ipsi imperare. Dum semel suscepi aliquid legendum, non possum illud relinquere, nisi satisfactum sit animo meo. Meam ad vos profectionem remoratur partim valetudo, partim etiam hebraicarum literarum studium. Non quod sperem me etiam vel mediocrem huius sanctae linguae cognitionem assequuturum, sed optarim saltem, si possem, illius prima rudimenta assequi et a limine salutare, dum multa ad manum nobis habemus.

De literis quod scribis tibi fidem habeo, eas scilicet non fuisse tibi redditas. Rogo te, si quae ad te perveniant eas ne graveris ad nos perferendas. Ecclesiae nostrae dissensio ita me male habuit, ut non semel poenituerit me reditus mei huc, quin maluissem recta ad vos instituisse. Nunquam in has turbas incidissemus, si primo nos aequiores praestitissemus, et nisi aliqui sibi nimium placuissent. Sed Domini gratia omnia sunt nunc sedata, et magis tranquilla erunt omnia quum pastorem certum habebimus. Nam de pastore nostro D. *Petro*[2]) constans fama est constanter pro Christi nomine mortuum esse Tornaci et duos alios cum eo exustos esse. Episcopus Tornacensis magna in eum usus est inhumanitate, biduo antequam moreretur. De eo nihil praeterea scribo, quia te puto certiora et veriora ex literis D. *Buceri* et aliorum scire quam ex meis. Hoc tamen addam, me plurimum gratulari pastori *Petro*, et Deo opt. max. gratias ago per Iesum Christum, qui tanta constantia et animi fortitudine eum donarit, quam etiam nobis omnibus non denegabit si res ita postulet. Ego D. *Petrum* familiarius novi et vidi in eo magnam in retinenda sana doctrina constantiam, et non vulgarem in pauperes caritatem, non mediocrem modestiam. Antequam a nobis discederet, magno affectu et ardore concionabatur: suspiria etiam illi incauto in ipsa concione erumpebant: ita Dominus illum selegerat. Certe nobis erit exemplo et aliis, quod utinam sequamur, si modo ad hoc a Domino vocati fuerimus. Dei enim est singularis vocatio, qui eos novit quos tanto honore dignos existimat. Eadem etiam constantia mortuus est secretarius[3]) cardinalis *Bellaii* Lutetiae, qui hic nobiscum vixit aliquot menses. Fuit illi lingua abscissa antequam igni admoveretur. Nunquam satiata erit sanguine piorum meretrix impura, donec sibi iudicium horrendum acceleret, quod semel experietur.

Conveni *Egidium* uxoris tuae cognatum, quem obnixe rogavi ut tibi satisfaceret. Sed nihil ab eo impetrare potui. Is promittit se brevi satisfacturum. Urgebo hominem etiam ad molestiam usque. Petrus *Teschius*[4]) promisit se ad tuam uxorem scripturum de filio suo. Quantum vero ad commutationem attinet, non potest hoc praesertim tempore eam prosequi: filius enim illius est in Hessia. *Franciscus* nondum hinc abivit: brevi tamen est abiturus. Tantum exspectat doctoris *Brunonis* reditum ex Gallia. Is te plurimum salutat. Salutat te etiam Petrus *Duthon* qui proxime rediit ex Italia. Is non vulgarem fecit iacturam ex incendio urbis suae.

Mihi videtur ecclesiae nostrae consultum si Ioannes *Garnerius* in pastorem eligatur. Nam praeter id quod magna diligentia et dexteritate docet, est vir modestus et pius quantum iudicare possum. Sed de eo prudentius iudicare possunt alii quibus hoc relinquo. Is etiam te plurimum salutat et mittit responsionem ad tuas literas nomine totius ecclesiae Tu boni consules nostras infirmitates: certe a multis in eo peccatum est, nec ipse a culpa absum. Dominus sua bonitate ignoscet. Quem pro nobis omnibus, candide pastor, rogabis, et pro me praesertim, ut in confessione fideli et sanctissima sui nominis ad finem usque permanere possimus. Salutat te hospes meus D. *Emmanuel*[5]) et illius uxor. Saluta meo nomine fratrem tuum *Antonium*, uxorem tuam et Petrum *Stampeum*, si ad te redierit, Dominus Iesus te, pastor optime, servet et perpetuo soletur et fortificet in sanctissimo tuo munere. xxviij[a] Aprilis.[6])

Tuus Hilarius Guymonneus.

636.

CALVINUS LIBERTETO.

In ipsa amici absentis domo scribit, lautas dominae epulas extollit, et nova quaedam ab exteris allata tradit.

---

2) *Vide Pollani epp. N.* 604 *et* 620.
3) *Cuius nomen etiam Coquerel, hist. de l'Egl. de Paris* (*Revue de Théol. III.* 148.) *non suppeditat.*

4) *Hunc eundem esse suspicamur atque P. Coriarium de quo Calvinus ad Hubertum pridie Cal. Sept.* 1545. *Caeteri quorum nomina sequuntur nobis aliunde non cogniti.*
5) *Tremellius.*
6) *Annum* 1545 *certo certius indicant Brulii mors et Garnerii accessio.*

(Ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium. — Inscriptio adest nulla. Sed quin Liberteto epistola scripta sit nobis dubium non est. Nam autor dicit se sperasse, amicum, in cuius domo scribebat absentis, una cum Vireto traiecturum, Lemanum puta, in quo tamen perficiendo itinere, adversis ventis impeditus, promissis ille stare non potuit. Haec minime obscure ripam Sabaudicam et domum ministri Tononiensis indicant.)

Male me et comites meos habuit multas ob causas quod te domi non invenerimus. Praecipua fuit quod tecum de rebus variis colloqui cupiebamus. Sed haec quoque accessit una, quod ab uxore tua impetrare nunquam potuimus ut nos familiarius tractaret. Adeo enim profusa fuit ut viderer mihi esse apud hominem ignotum. Patiebatur se admoneri. Rogabat saepe ut meo iure imperarem quidquid liberet. In caeteris obsequuta est mihi: in hoc uno suo iudicio stetit quod nimis sumptuose nos excepit. Duplo enim plus cibi quam oportuit semper fuit paratum. Hoc tamen nequaquam nobis obstitit, quominus hospitio tuo familiariter uteremur. Perinde fuimus securi ac si adfuisses. Quia *Vireto* indicaveram quo die hic futurus essem, sperabam utrumque simul traiecturum. Sed ventus semper adversatus interea vobis fuit.

Nunc vero, ne exinanita domo tua vacuum te a rebus novis relinquam, brevi quaedam accipe. Claudius meus *Senarclensis* Witeberga mihi scripsit, totam illam Germaniae partem mire turbatam esse, Saxoniam vexari a quinque hostibus, non magnae quidem potentiae, sed qui nocendo aliquid valeant. Ipse in itinere a praedonibus spoliatus fuit. Benedictus Dominus, qui illum eripuit a praesenti mortis periculo. Imperator solito crudelius saevit in Belgis. Unum est quod in tantis calamitatibus solari nos debet, quum videmus tanta constantia fratres ad mortem alacres pergere. Non dubito quin tibi et *Ioanni* aliquid scribatur. Si Genevam brevi, quod fore confido, veneris, plura audies. *Caesar* tandem e lecto surrexit ut ad conventum Wormaciensem veniat. Interea dux *Aureliensis* ad eum ante dies quindecim profectus est, nuptias cum eius nepte *Ferdinandi* filia celebraturus. [1]) Provinciales etiam inhumaniter tractantur. Exusti nuper fuerunt tres pagi. Exusti aliquot intra aedes, pauci trucidati, alii ad remos abducti. Needum compertum habemus quem latrocinandi finem hostes fecerint.

Non scribo plura, ne tuum ad nos adventum remorer. Ex commatris meae sedulitate intelleximus quam nos habeas commendatos. Sed denunciamus, nos huc nunquam venturos posthac, nisi pactione inter nos constituta. Vale optime, frater et amice carissime. Gratias tibi ingentes pro humanitate nobis exhibita agimus omnes. Domi tuae sub discessum. [2])

Ioannes Calvinus
mee et comitum nomine.

636. 1) *Quae nuptiae nunquam celebratae fuerunt. Frater Henrici II. natu minor ante patrem diem suum obiit*, d. 8. *Sept.* 1545.

2) *De definiendo tempore scriptae huius epistolae sic habe: In Provincia tres pagi exusti sunt d.* 20. *April.* 1545. *Caesar Wormatiam appulit d.* 16. *Maii* (*N.* 620 *n.* 11). *Iam vero nuncio illo de excidio Waldensium confirmato Calvinus sine mora nonis Maiis legationem ad civitates suscepit* (*N.* 640) *et magnam partem m. Maii in itinere versatus est. Quid quod iam primis Maii diebus Genevae erat* (*N.* 638), *et quae hic ex Provincia relata narrat, ita sonant ut primos rumores recens patrati facinoris dicas, nondum autem consilium captum de fratribus intercessione iuvandis. Referimus ergo ad finem Aprilis.*

637.

CRISPUS CALVINO.

Senarclei et Fallesii adventum nunciat, Capnio commendari cupit, Calvinum caeterosque reformationis ecclesiasticae antesignanos bono animo esse iubet, quidquid moliantur adversarii.

(Ex autographo Cod. Genev. 113, fol. 74 cui quidem autor manu propria subscripsit: epistola ipsa alia manu exarata est.)

Ornatissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori.

Tandem huc [1]) appulit tuus ille *Claudius* [2]), vir ornatissime, eo propemodum temporis momento quo nactus commodos itineris in Galliam comites discessum parabam. Ego tamen quantumvis spatiis disclusus iniquis, non potui quin ad te per eum brevibus scriberem. Quum enim hesterno die ipse mihi obitae legationis initia tantum narrasset, neque superesset tempus legendi ea quae a Domino *Philippo* attulerat, vix etiam audiendi summa rerum capita, venit in mentem mihi, quum viderem meos comites itineri iam accinctos, saltem unico verbo ad te scribere et rogare ut, si ad D. *Capnium* ea omnia mittas, aliquam Ioannis *Burgundi* (ita enim me, si voles, in literis tuis nominabis) mentionem facias, ut eorum quae ad eum mittes ego atque inprimis amici aliquot nostri etiam participes fieri possimus. Quocirca ut tu me tuis literis commendes etiam atque etiam rogo. Pluribus id ego abs

637. 1) *Argentoratum, nisi omnia nos fallunt.*

2) *Senarcleus, Wittenberga redux et literas Melanchthonis d.* 17. *April. datas referens, de quibus hic satis aperte dicitur, posthac ad Capnium remittendis cf. N.* 600.

te contenderem et tibi pro summa illa animi pietate atque humanitate, quam insignem mihi exhibuisti, gratias agerem: verum, ut tu ipse modum supervacaneis laudibus et illis gratiarum actionibus praescripsisti, tecum in praesentia agam (quod non tantum iubebat lex illa Atheniensis, verum etiam christiana hodie admittit) ἄνευ προοιμιῶν καὶ παθῶν dicere. Novisti arcanos nostros affectus atque interiora animi,[3]) desiderio vestrae consuetudinis iam penitus accensi, suspiria. Quod itaque instat potius perficiam. Dominus, spero, ingratas compedes disrumpet. Interim commendamus sanctis precibus vestris dispersiones Israelis, praecipue vero infirma Domini vascula, uxores nostras. Vix enim crederes quam totus saeviat et crudelius magis atque magis insurgat noster Antiochus.[4]) Publicata sunt edicto etiam ipsius publico certa quaedam dogmata atque articuli doctorum Lovanensium multo magis blasphemi quam illi Sorbonici.[5]) Misissem ad te, sed non fuit otium eos vertendi, nam flandrica lingua scripti sunt. Dominus *Falesius* heri huc venit.[6]) Illum convenire atque alloqui vix potui, tum ob discessum, tum etiam quia is, ut mihi renunciatum est, de itineris molestia lassus dubia valetudine decumbebat. Quare ego nos ipsos, maxime vero etiam illa infirmiora vascula, ut dixi, ex animo tibi commendo. Nos etiam interim in nostris gemitibus et lacrymis (adhuc enim in illis acquiescimus et dum nobis Dominus aliam consolationem ostendat ad eas recurrimus) Domino commendabimus vestrum certamen sanctumque ministerium. Ille dabit vires et sufficiet animos pares tantae molis operi. Maior est Dominus quam ille hostis communis: maior, inquam, est Christus cuius auspicia sequimini et classicum iam toti orbi intonatis. Necdum tot annis luctati estis quot prophetae, qui in simili arena sunt versati. Ventum est ad summum et spes bona fovet nos. Iam enim Satan atque eius ministri exhausti malorum videntur omnes nocendi artes adhibuisse atque etiam profudisse. Fuit Baal in populo Israelitico multis annis antequam insurgerent prophetae. Ubi vero Hieroboam hanc εἰδωλομανίαν tueri coepit, tum velut agmine facto eruperunt prophetae a Deo exciti, et paulatim coepit concidere idolum, quod in populo Dei principem locum habebat. Luctati sunt prophetae annis plus quam quingentis adversus hoc malum, nec tantum profecerunt quantum vos annis viginti, si rem propius conferamus. Ita Dominus per vestram infirmitatem totum orbem paulatim concutit: ultro iam corruunt moenia inimicae urbis Hiericho, ultro dissiliunt altaria Hieroboam, contra surgit opus vestrum. Atque utinam cognosceres totum vestrae sementis fructum, qui si nunc latet, certe bona spes est, aliquando erumpet ex suis sulcis. Quare lubet etiam in mediis iam bacchantis mundi furoribus certo sperare, brevi Dominum Deum nova facturum omnia. In melius omnia referet suosque fovebit. Verum quid audio de *Martino?*[7]) Profecto, nisi adfuerit Dominus, vereor ne det turbas ut ille Davus. Utinam .... sed desino plura scribere. Sum enim longior et in publica commoda pecco qui te detineo. Etiam ego institutum iter ac reditum interea remoror. Bene vale itaque, vir praestantissime, et amicos omnes meo nomine saluta, praecipue *Nicolaum* cognatum[8]) cum tota familia, *Henricum* illum nostrum cum uxore, Dominos *Davidem*, de *Sancto Andrea*, *Magdonade*, *Dessauchz* atque illos duos itineris Parisiensis comites.

Tuus ex animo Ioannes Crispus.[9])

---

3) *Utrum haec significent Crispum nondum publice evangelicis sacris fidem dedisse, an aliud quidpiam sibi velint, tu videas.*

4) *De Caesaris in Belgio saevitia in evangelicos patrata, audias Melanchthonem ad Camerarium scribentem d.* 17. *Mart.* 1545 (*Corp. Ref. V.* 705) *ubi etiam Petri Busly meminit.*

5) *Cf. N.* 729 *not.* 1 *et Sleidan. II.* 372.

6) *Qui d.* 24. *Mart. adhuc Coloniae fuerat* (*N.* 624). *Mense Maio Calvinus eum Argentorati invisit* (*N.* 651).

7) *Luthero?*

8) *ipsius an Calvini? Gallasium crediderimus innui nisi hic fortasse in ultimo nomine, evidenter corrupto, (de Saules) lateat. Etiam in Maldonato peccatum. Hic ut S. Andreas et David Busanton Belga fuit.*

9) *Autor epistolae ipse Belga fuisse videtur, iam olim Genevae Calvini familiaritate usus. Fortassis idem ac Io. Crispinus Atrebas, qui Lovanii et Parisiis studiis iuridicis incubuerat, Balduini amicus, qui passim in suis epp. et Burgundi et Crispini meminit. Quod ad tempus scriptae ep. attinet tum ex mentione articulorum Lovanensium definiendum est quos Caesar pridie Id. Mart.* 1545 *sanxit, tum maxime ex reditu Senarclei cum literis Melanchthonis et adventu Falesii.*

638.

CALVINUS VIRETO.

Duos fratres commendat, alterum, ut videtur, in agro Vadensi ministerio ecclesiastico functurum, alterum qui relictis sacerdotii lautitiis nuper ad castra piorum transierat.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 298. Exstant exemplaria Ionvillaei Cod. 111a, fol. 37, Turretini Cod. 108, fol. 184, Bernense Epp. VII. p. 43, Simleri Vol. 57.)

Eximio Christi Domini nostri servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et amico carissimo.

S. Hunc fratrem publice vobis commendamus

(Ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium. – Inscriptio adest nulla. Sed quin Liberteto epistola scripta sit nobis dubium non est. Nam autor dicit se sperasse, amicum, in cuius domo scribebat absentis, una cum Vireto traiecturum, Lemanum puta, in quo tamen perficiendo itinere, adversis ventis impeditus, promissis ille stare non potuit. Haec minime obscure ripam Sabaudicam et domum ministri Tononiensis indicant.)

Male me et comites meos habuit multas ob causas quod te domi non invenerimus. Praecipua fuit quod tecum de rebus variis colloqui cupiebamus. Sed haec quoque accessit una, quod ab uxore tua impetrare nunquam potuimus ut nos familiarius tractaret. Adeo enim profusa fuit ut viderer mihi esse apud hominem ignotum. Patiebatur se admoneri. Rogabat saepe ut meo iure imperarem quidquid liberet. In caeteris obsequuta est mihi: in hoc uno suo iudicio stetit quod nimis sumptuose nos excepit. Duplo enim plus cibi quam oportuit semper fuit paratum. Hoc tamen nequaquam nobis obstitit, quominus hospitio tuo familiariter uteremur. Perinde fuimus securi ac si adfuisses. Quia *Vireto* indicaveram quo die hic futurus essem, sperabam utrumque simul traiecturum. Sed ventus semper adversatus interea vobis fuit.

Nunc vero, ne exinanita domo tua vacuum te a rebus novis relinquam, brevi quaedam accipe. Claudius meus *Senarclensis* Witeberga mihi scripsit, totam illam Germaniae partem mire turbatam esse, Saxoniam vexari a quinque hostibus, non magnae quidem potentiae, sed qui nocendo aliquid valeant. Ipse in itinere a praedonibus spoliatus fuit. Benedictus Dominus, qui illum eripuit a praesenti mortis periculo. Imperator solito crudelius saevit in Belgis. Unum est quod in tantis calamitatibus solari nos debet, quum videmus tanta constantia fratres ad mortem alacres pergere. Non dubito quin tibi et *Ioanni* aliquid scribatur. Si Genevam brevi, quod fore confido, veneris, plura audies. *Caesar* tandem e lecto surrexit ut ad conventum Wormaciensem veniat. Interea dux *Aureliensis* ad eum ante dies quindecim profectus est, nuptias cum eius nepte *Ferdinandi* filia celebraturus. [1]) Provinciales etiam inhumaniter tractantur. Exusti nuper fuerunt tres pagi. Exusti aliquot intra aedes, pauci trucidati, alii ad remos abducti. Necdum compertum habemus quem latrocinandi finem hostes fecerint.

Non scribo plura, ne tuum ad nos adventum remorer. Ex commatris meae sedulitate intelleximus quam nos habeas commendatos. Sed denunciamus, nos huc nunquam venturos posthac, nisi pactione inter nos constituta. Vale optime, frater et amice carissime. Gratias tibi ingentes pro humanitate nobis exhibita agimus omnes. Domi tuae sub discessum. [2])

Ioannes Calvinus
meo et comitum nomine.

---

636. 1) *Quae nuptiae nunquam celebratae fuerunt. Frater Henrici II. natu minor ante patrem diem suum obiit, d.* 8. *Sept.* 1545.

2) *De definiendo tempore scriptae huius epistolae sic habe: In Provincia tres pagi exusti sunt d.* 20. *April.* 1545. *Caesar Wormatiam appulit d.* 16. *Maii* (*N.* 620 *n.* 11). *Iam vero nuncio illo de excidio Waldensium confirmato Calvinus sine mora nonis Maiis legationem ad civitates suscepit* (*N.* 640) *et magnam partem m. Maii in itinere versatus est. Quid quod iam primis Maii diebus Genevae erat* (*N.* 638), *et quae hic ex Provincia relata narrat, ita sonant ut primos rumores recens patrati facinoris dicas, nondum autem consilium captum de fratribus intercessione iuvandis. Referimus ergo ad finem Aprilis.*

637.

CRISPUS CALVINO.

Senarclei et Fallesii adventum nunciat, Capnio commendari cupit, Calvinum caeterosque reformationis ecclesiasticae antesignanos bono animo esse iubet, quidquid moliantur adversarii.

(Ex autographo Cod. Genev. 113, fol. 74 cui quidem autor manu propria subscripsit: epistola ipsa alia manu exarata est.)

Ornatissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori.

Tandem huc [1]) appulit tuus ille *Claudius* [2]), vir ornatissime, eo propemodum temporis momento quo nactus commodos itineris in Galliam comites discessum parabam. Ego tamen quantumvis spatiis disclusus iniquis, non potui quin ad te per eum brevibus scriberem. Quum enim hesterno die ipse mihi obitae legationis initia tantum narrasset, neque superesset tempus legendi ea quae a Domino *Philippo* attulerat, vix etiam audiendi summa rerum capita, venit in mentem mihi, quum viderem meos comites itineri iam accinctos, saltem unico verbo ad te scribere et rogare ut, si ad D. *Capnium* ea omnia mittas, aliquam Ioannis *Burgundi* (ita enim me, si voles, in literis tuis nominabis) mentionem facias, ut eorum quae ad eum mittes ego atque inprimis amici aliquot nostri etiam participes fieri possimus. Quocirca ut tu me tuis literis commendes etiam atque etiam rogo. Pluribus id ego abs

---

637. 1) *Argentoratum, nisi omnia nos fallunt.*

2) *Senarcleus, Wittenberga redux et literas Melanchthonis d.* 17. *April. datas referens, de quibus hic satis aperte dicitur, posthac ad Capnium remittendis cf. N.* 600.

te contenderem et tibi pro summa illa animi pietate atque humanitate, quam insignem mihi exhibuisti, gratias agerem: verum, ut tu ipse modum supervacaneis laudibus et illis gratiarum actionibus praescripsisti, tecum in praesentia agam (quod non tantum iubebat lex illa Atheniensis, verum etiam christiana hodie admittit) ἄνευ προοιμιῶν καὶ παθῶν dicere. Novisti arcanos nostros affectus atque interiora animi,[3]) desiderio vestrae consuetudinis iam penitus accensi, suspiria. Quod itaque instat potius perficiam. Dominus, spero, ingratas compedes disrumpet. Interim commendamus sanctis precibus vestris dispersiones Israelis, praecipue vero infirma Domini vascula, uxores nostras. Vix enim crederes quam totus saeviat et crudelius magis atque magis insurgat noster Antiochus.[4]) Publicata sunt edicto etiam ipsius publico certa quaedam dogmata atque articuli doctorum Lovanensium multo magis blasphemi quam illi Sorbonici.[5]) Misissem ad te, sed non fuit otium eos vertendi, nam flandrica lingua scripti sunt. Dominus *Falesius* heri huc venit.[6]) Illum convenire atque alloqui vix potui, tum ob discessum, tum etiam quia is, ut mihi renunciatum est, de itineris molestia lassus dubia valetudine decumbebat. Quare ego nos ipsos, maxime vero etiam illa infirmiora vascula, ut dixi, ex animo tibi commendo. Nos etiam interim in nostris gemitibus et lacrymis (adhuc enim in illis acquiescimus et dum nobis Dominus aliam consolationem ostendat ad eas recurrimus) Domino commendabimus vestrum certamen sanctumque ministerium. Ille dabit vires et sufficiet animos pares tantae molis operi. Maior est Dominus quam ille hostis communis: maior, inquam, est Christus cuius auspicia sequimini et classicum iam toti orbi intonatis. Necdum tot annis luctati estis quot prophetae, qui in simili arena sunt versati. Ventum est ad summum et spes bona fovet nos. Iam enim Satan atque eius ministri exhausti malorum videntur omnes nocendi artes adhibuisse atque etiam profudisse. Fuit Baal in populo Israelitico multis annis antequam insurgerent prophetae. Ubi vero Hieroboam hanc εἰδωλομανίαν tueri coepit, tum velut agmine facto eruperunt prophetae a Deo exciti, et paulatim coepit concidere idolum, quod in populo Dei principem locum habebat. Luctati sunt prophetae annis plus quam quingentis adversus hoc malum, nec tantum profecerunt quantum vos annis viginti, si rem propius conferamus. Ita Dominus per vestram infirmitatem totum orbem paulatim concutit: ultro iam corruunt moenia inimicae urbis Hiericho, ultro dissiliunt altaria Hieroboam, contra surgit opus vestrum. Atque utinam cognosceres totum vestrae sementis fructum, qui si nunc latet, certe bona spes est, aliquando erumpet ex suis sulcis. Quare lubet etiam in mediis iam bacchantis mundi furoribus certo sperare, brevi Dominum Deum nova facturum omnia. In melius omnia referet suosque fovebit. Verum quid audio de *Martino?*[7]) Profecto, nisi adfuerit Dominus, vereor ne det turbas ut ille Davus. Utinam .... sed desino plura scribere. Sum enim longior et in publica commoda pecco qui te detineo. Etiam ego institutum iter ac reditum interea remoror. Bene vale itaque, vir praestantissime, et amicos omnes meo nomine saluta, praecipue *Nicolaum* cognatum[8]) cum tota familia, *Henricum* illum nostrum cum uxore, Dominos *Davidem*, de *Sancto Andrea*, *Magdonade*, *Dessauchz* atque illos duos itineris Parisiensis comites.

Tuus ex animo Ioannes Crispus.[9])

638.

CALVINUS VIRETO.

Duos fratres commendat, alterum, ut videtur, in agro Vadensi ministerio ecclesiastico functurum, alterum qui relictis sacerdotii lautitiis nuper ad castra piorum transierat.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 298. Exstant exemplaria Ionvillaei Cod. 111a, fol. 37, Turretini Cod. 108, fol. 184, Bernense Epp. VII. p. 43, Simleri Vol. 57.)

Eximio Christi Domini nostri servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et amico carissimo.

S. Hunc fratrem publice vobis commendamus

---

3) *Utrum haec significent Crispum nondum publice evangelicis sacris fidem dedisse, an aliud quidpiam sibi velint, tu videas.*

4) *De Caesaris in Belgio saevitia in evangelicos patrata, audias Melanchthonem ad Camerarium scribentem d.* 17. *Mart.* 1545 (*Corp. Ref. V.* 705) *ubi etiam Petri Busly meminit.*

5) *Cf. N.* 729 *not.* 1 *et Sleidan. II.* 372.

6) *Qui d.* 24. *Mart. adhuc Coloniae fuerat* (*N.* 624). *Mense Maio Calvinus eum Argentorati invisit* (*N.* 651).

7) *Luthero?*

8) *ipsius an Calvini? Gallasium crediderimus innui nisi hic fortasse in ultimo nomine, evidenter corrupto,* (*de Saules*) *lateat. Etiam in Maldonato peccatum. Hic ut S. Andreas et David Busanton Belga fuit.*

9) *Autor epistolae ipse Belga fuisse videtur, iam olim Genevae Calvini familiaritate usus. Fortassis idem ac Io. Crispinus Atrebas, qui Lovanii et Parisiis studiis iuridicis incubuerat, Balduini amicus, qui passim in suis epp. et Burgundi et Crispini meminit. Quod ad tempus scriptae ep. attinet tum ex mentione articulorum Lovanensium definiendum est quos Caesar pridie Id. Mart.* 1545 *sanxit, tum maxime ex reditu Senarclei cum literis Melanchthonis et adventu Falesii.*

bona fide. Caeterum privatim hoc tibi scriptum volo, admonitum a me de omnibus fuisse, a quibus periculi aliquid timebam. Ut est modestus, facile regetur bonis consiliis. Inprimis mandavi ut omnia dissimulans, devorans omnes indignitates, quae ab homine importuno oriri possent, totum se *Francisco*[1]) tradat. Ne id occasionem praebeat simultatibus obscuris et tandem apertis dissidiis, *Franciscum* laudavi coram *Richardo.*[2]) Ipse etiam pudore vel astutia liberalius quam ego eius laudes praedicavit. Et hac commoditate allexit hominem, quod ex *Francisci* consuetudine proficere multum posset. Animo est sincero, et spero in hac sinceritate fore constantem. Statuerat nostro consilio conferre se in patriam. Sed quia non invitus modo, sed magno cum moerore hinc abibat, gavisus sum hanc occasionem nobis esse oblatam. Tuum est efficere ut non frustra illi consultum voluerimus.

Alterum fratrem qui ad vos proficiscitur libenter tibi commendarem si opus foret. Verum quid tibi coram dixerim meministi. Quisquis eum exceperit, hospitem habebit quietum et continentissimum. Quantum intelligo, quum laute ex sacerdotiis tractare se posset, erga alios sumptuosus semper fuit, in victu vestituque suo frugalis. Ego hominem iudico non indoctum, et hoc nomine ipsum amo. Sed pietas et simplicitas tractabileque ingenium magis amabilem eum mihi reddunt. Quid tamen his opus est, quum eadem et plura coram? Vale. Dominus te servet ac regat semper, una cum uxore, cui salutem plurimam dices. 5. nonas Maii.[3])

Ioannes Calvinus tuus.

639.

CALVINUS FARELLO.

Nuncio de crudeli fratrum Provincialium caede et incendio allato placuit Senatui ut ipse Helveticas ecclesias adiret, intercessionem apud Regem sollicitatum. Cras abiturus Farellum Bernam evocat.

(Ex autographo Bibl. Basil. Epp. ad Coelium Curionem G. I. 66, fol. 65. Apographon exstat ibid. Epp. fascic. 25, fol. 49. Anglice legitur T. I. p. 434.)

Fidelissimo Christi Domini nostri servo G. Farello Neocomensis ecclesiae pastori, fratri integerrimo.

Quum duo illi fratres de quibus scripseram me autore ad suos reversi forent, alter cum luctuoso nuncio rediit iam ad nos: pagos aliquot exustos esse, complures ex senibus fuisse exustos, alios trucidatos gladio, alios ad crudelius supplicium abductos, tantamque fuisse saevitiam ut neque puellis, nec gravidis mulieribus, nec infantibus fuerit parcitum. Tanta est rei atrocitas ut cogitando obstupescam. Tantum abest ut verbis possim exprimere. Re audita fratribus primo visum fuerat, ut hominem ad te mitteremus cum meis literis, quae causam omnium ecclesiarum ministris commendarent. Deinde petiimus a senatu consilium, quia inter nos minus certe constaret quidnam factu esset opus. Senatui placuit ut ipse ad Helveticas ecclesias concederem. Cras igitur me ad iter dabo. Bernae vix potero esse ante diem Iovis. Quum primum potero, ut mihi senatus detur instabo apud consulem. Si expedire censueris, fac Bernae te Veneris sistas. Illinc simul ibimus. Sin minus, pergam. Quia *Bucerus* proximis suis literis spem fere praecidit, vereor ne perdam operam illuc eundo. Si tamen id Basilienses consuluerint, tentabo nihilominus. Gratissimum erit mihi Bernae te saltem videre. Vale, mi frater. Saluta omnes. Confectus moerore scribo nec sine lacrymis, quae sic erumpunt ut verba subinde abrumpant. 4. Maii.[1])

Ioannes Calvinus tuus.

Salutant te collegae mei qui omnes adsunt excepto *Genistono* qui in patriam nuper est profectus.

640.

RIBITTUS GUALTHERO.

De Calvini itinere ad Helvetios et libello adversus Libertinos.

(Ex autographo Bibl. civic. Turic. MSS. F. 40, fol. 228.)

---

638. 1) *Utrum Viviacensis de quo N.* 404, *an Martoretus de quo N.* 612, *not.* 11, *tu dispicias.*

2) *Richardum habuimus olim Paterniacensem ministrum postea* (1543) *in agro Vadensi alicubi, fortasse Viviaci degentem* (*N.* 518). *An vero hunc dicat, affirmare non ausimus.*

3) *Hanc epistolam anno* 1545 *scriptam fuisse ex eo demonstrare conatus est Simlerus, quod alterum fratrem, quem Calvinus dicit ex sacerdotiis laute se tractare potuisse, Mich. Copum significari putat de quo nuper similia ad Farellum* (*N.* 633) *scripta legisti. Verum quam parum firmum sit hoc argumentum non est quod te moneamus.*

639. 1) *De anno non ambigendum. Vide modo eam quae praecedit ad Libertetum et quae ibi annotavimus, item sequentes plures.*

Clarissimo et doctissimo viro D. Rodolpho Gualthero Tigurinae ecclesiae pastori vigilantissimo Tiguri.

S. De rebus nostris et gallicis nihil est cur hoc tempore per literas quidquam significem, quum istuc ad vos sit profectus *Calvinus*,[1]) qui quum omnia optime novit, optime et fidelissime coram vel narravit vel narraturus est, si nondum isthinc discessit. Eius librum gallicum, quia hoc a me petebas novissimis literis, a Petro *Vireto* mitto. Quum enim consultarem cum homine de aliquo mittendo, nominassemque *Calvini* libellum adversus spirituales,[2]) coepit ipse dicere, domi se habere aliquot exemplaria: libenter se daturum, si qui perferret reperirem. Literas ad te dedisset si scribere vacasset: sed quum Genevam ei festinandum esset post *Calvini* discessum,[3]) vehementer a me contendit ut se apud te excusarem. Itaque maiorem in modum te oro ut accusationem[4]) iustissimam accipias. Si quid te dignum aliud Geneva edidisset, libentissime hoc nuncio mitterem. — — — — — Lausannae 1545. 13. Maii.

Tuus ex animo
Ioannes Ribittus.

641.

VOGTIUS BULLINGERO.

Quid Calvinus Schafhusii egerit et profecerit.

(Fragmentum hoc excerpsimus ex Cod. Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 108 olim Epp. Tom. IV. P. 1 fol. 309. Simlerus integram descripsit Vol. 57.)

Doctrina et pietate eximio viro D. Henrycho Bullingero fratri et domino suo in Christo observando

Tiguri.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Calvino successit negotium melius quam vel ipse speraverim. Nosti enim cuiusmodi cum hominibus nobis luctandum sit. Senatus destinavit legatum Argogeam.[1]) An quid habeat in libello tuo[2]) *Calvinus* quod displiceat, rogo significato per literas. Non enim potuimus ab ipso expiscari quidquam tale. — — — — Scaffusii ascensionis dominicae die anno a Christo nato 1545.[3])

Tuus ex animo
Simpertus Vogtius.

642.

BULLINGER AN BLAURER.

Certiorem eum facit de causa et effectu itineris Calvini in gratiam fratrum Waldensium suscepti.

(Aus der Urschrift in der S. Galler Stadt-Bibliothek MSS. Bd. 35, früher VI. n. 36.)

Clarissimo viro D. Ambrosio Blaurero fratri semper colendo H. Bullingerus.[1])

— — — — — — — — — — — — — — — —

Aber, lieber Herr vnd Bruder, es ist leider nitt daby bliben dasz der Bapst by Avinion sölch mord volbracht, sunder der frantzosz bewegt durch den Cardinal von *Durnung* hat die knächt so vff das mer wider den Engellender gewöllt vorhin geheissen die armen fratres Waldenses in provincia anstossend an die herrschafft Avinion vzrüten.[2])

---

640. 1) *scil. ut Bernatium Turicensium Basiliensium et Argentoratensium intercessionem pro Provincialibus a Regis praefecto crudelissime vexatis sollicitaret.* (*Reg. du Conseil.* 4. *Mai, Staehelin p.* 310.) *Vide et praeced.*

2) *quo nomine ipsi gloriabundi utebantur:* Contre la secte phantastique et furieuse des Libertins qui se nomment Spirituelz (*Vide Opp. T. VII.*)

3) *Calvini vices obituro.*

4) *sic.*

641. 1) *Aroviam legas, nescio quo pacto ita corruptam. Vide sequentem Bullingeri.*

2) *Scil. in responso Turicensium ad Lutherum.*

3) *qui fuit eo anno pridie Idus Maii.*

642. 1) *Blaurerus adscripsit*: 15. Maii 1545 Gressenbergi.

2) *Quum hic Bullingerus nonnulla habeat quae in caeteris epistolis non occurrunt, excerpta quaedam ex Hist. eccl.* I. 43 *h. l. addere libet:* Le Roy continuant sa benignité envers eux, evoqua à soy l'execution dudit arrest de contumace . . . Mais nonobstant ceste evocation insinuee et publiee au Parlement sur la fin du mois d'Octobre (1544) le Cardinal de Tournon, ennemi capital de ceux de la Religion, feit tant que suivant les memoires et tresfausses instructions envoyees en Cour par Philippe Courtain huissier du Parlement (*de Provence*), par lesquelles il donnoit à entendre que ceux de Merindol et autres leurs voisins jusques au nombre de 15000 hommes s'estoient mis aux champs à enseignes desployees en deliberation de prendre d'emblee la ville de Marseille et d'en faire comme un canton suisse, il y eut letres toutes contraires expediees au mois de Ianvier ensuivant, sous le nom du procureur general du Roy au conseil privé, pour executer ledit arrest de contumace, avec commandement d'emploier Ban et Arriereban du pais, avec les vieilles bandes de Piemont qui se preparoient pour le voyage d'Angleterre. Ces lettres receues, d'Opede, espiant l'absence du Sr. de Grignan, les garda depuis

Ac illi recte sapiunt et sanctissime vivunt: nostram religionem nostraque dogmata receperunt in omnibus. Also sind by 10 Stettlin dörffer vnd fläcken verbrent: darinn alles iungs vnd allts erstochen. Etliche flecken sind plündert, das arm volck ist vorhin darusz entrunnen in die wäld vnd wie sy gemögen. Da sy übel ze besorgen verdorben sind merteyls. Ach des kläglichen mordts. Dorumb ist *Caluinus* von einem ersamen rat zu Genff abgefertiget mit botten vnd brieffen hie gewest, hat mir diesen brieff gelassen üch den zuzesenden. Er hat ylen müssen vff ander Stett, hat nitt können zu üch kummen wie er gern gewöllt. Bitt ir wöllindts nitt achten. 12. Maij hab ich inn vor vnsern herren interpretirt. Da hat er lassen fürtragen den grosz mord der fürgangen, die namen der Stett vnd dörffer hat er yngelegt etc. Min herren habend sy ein grosz beduren empfangen, habend ein ylenden tag denen von Bern Basel Schaffhusen Sangallen etc. beschriben gen Arow vff 21. Maij daruff zu beradtschlagen von einer bottschafft an könig in franckrych zeschicken in vnsern kosten, den armen getrengten vmb friden ze wärben. Also ist *Caluinus* ylendts geritten vff Basel. Dannen wil er gen Strazburg, zu versuchen ob dieselben möchtind vffbringen bottschafft in Frankrych von fürsten vnd rychstetten. Dorumb wöltend vwer herren ettwas thun, mögend irs wol gen Straszburg fürderlich schriben etc. Als sy aber in provincia den mord begangen sind sy vsz bitt legati Avenionensis ouch in die Bäpstisch gegne gen Auenion kummen, habend da och gemetzget. Gott erbarm sich siner betrüpten glöubigen. Amen.

643.

FARELLUS CALVINO.

Turbae nuper Neocomi ortae. Novissima ex Gallia. Fratres Gratianopoli nihil efficiunt.

(Ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium. Epp. Farelli fascic. III. N. 3.)

Doctissimo et summae pietatis viro Ioanni Calvino pastori Genevensi fratri et symmystae observando

Basileae.

S. Tam feliciter egi post abitionem tuam,[1]) ut nisi Dominus sano hic mihi consilio prospexisset, seditiosis data fuisset ansa insaniendi ac ecclesiam mire turbandi. Sed redeunti tibi et huc transeunti (quod vide facias) plenius omnia dicentur. Nihil tamen motum esse scito, imo ne verbum quidem factum fuisse. Quod attinet ad fratres, delecti sunt ex singulis aedibus qui persequendis in dies incumbunt et trahuntur plurimi in carceres. Narrabat heri qui Lugduno veniebat pius, constantem famam esse Herum a *Tourriers*,[2]), ut vocant, ad *Regem* literas tulisse quibus extermium[3]) narrabatur piorum. Lectis eis risisse fertur *Rex* ac dixisse: *C'est une belle deffaicte.*[4]) Tandem is ad reginam *Navarrae* ivit. Quae fertur multis lacrymis miseram piorum sortem flevisse et nuncium dure excepisse, minatamque fuisse socero nuncii *Dopedano*[5]) praesidi, ac dixisse: Tuus socer haec omnia curavit, sed ego adnitor pro viribus efficere ut is calamitosus prae caeteris evadat. Passa est supra horam nuncium in genua procumbere, nec ut surgeret iussit. *Petrus*[6]) evasit, et alter cum eo qui ministrabat, et iam sunt Genevae, ubi haec eadem referuntur. Fratres mei[7]) luduntur a senatu Gratianopolitano, autoribus praeside et *Faysando,* ut ex literis fratris potes intelligere. Si posses efficere ut Tigurini scriberent ad ducem illum cuius meminit frater, qui anno superiore tam feliciter pugnavit pro Rege in Italia,[8]) et si commendaveris Basiliensibus et Argentorati, sperarem te non parum effecturum pro miseris meis fratribus. Hodie egressus fuit *Caspar* noster ad Bernenses. Spero eum tibi indicaturum quid effecerit. *Claudius* tuus eo die quo Bernam egrediebar, te Tigurum sequebatur. Laetior eris adventu tam optato et exspectato, sed non sine aliquo admixto . . . .[9]) Agendum tibi erat cum Tigurinis, ut per iudicium ecclesiarum controversia

---

le mois de Ianvier iusques au 12. Avril 1545 qu'il delibera de lexecuter en personne: combien qu'il n'y eust plus au lieu de Merindol que deux ou trois de ceux qui avoient esté condamnés. Mais le malheureux en vouloit à tous ceux dont il souhaitoit le pillage, qui estoient iusques au nombre de vingtdeux, que villes que villages. (*Nominantur oppida et pagi exusti:* Cabrierette, Papin, La Mothe, St. Martin, Lormarin, Ville Laure, Treizemines, Gensson, La Rocque, Merindol, Cabrieres. *Cf. Sleidan. II.* 380 *ss. Hist. des Martyrs fol.* 151, *v. seqq.*

643. 1) *Ex Geneva, an ex Berna, an vero ex Neocomo? De hac itineris parte, deque Farelli cum Calvino conventu si quis fuerit, nihil uspiam dicitur. Etiam de turbis illis ad quas alludere videtur, ubique altissimum silentium.*
2) *qui in Hist. Martyrum non nominatur.*
3) *sic.*
4) *quem tamen dicunt in articulo mortis sero nimium facti poenituisse, et Henricus II. in idem inquiri iussit, sed absque effectu, quod minime mireris.* (*Hist. des Martyrs fol.* 155 *v.* 195 *v. Hist. ecclés. I.* 47 *et* 70.)
5) *N.* 629, *not.* 2.
6) *N.* 633, *not.* 13.
7) *N.* 538, *not.* 6. 551 *not.* 5.
8) *Le duc d'Enghien. Alludit ad praelium prope Carignanum factum a.* 1544.
9) *Deest aliquid.*

cum *Luthero* componeretur. Sane sunt omnes ecclesiae huius admonendae, ut officium faciant et sese opponant murum contra insanientes tam misere. Tu hic potes si quisquam alias, et omnes cessantes urgere debes. Dominus Iesus suae prospiciat ecclesiae et te cum suis omnibus servet. Saluta mihi *Myconium* cum aliis piis. Castigandus est tibi typographus [10]) quod tam male excuderit tam bene a te tractatum Paulum tertium. *Bucerum* quoque et alios pios Argentorati salutabis et illic meorum fratrum memor eris. Vale. Nunc pluribus non licet. Saluta Parisinos plurimum. Nostri te salvum optant. Neocomi 15. Maii 1545.

Farellus tuus ex animo totus.

644.

PELLICANUS CAMPIO.

Autor ei est ut Calvinum conveniat propediem Aroviae cum Helvetiorum legatis adfuturum. Cuius iudicium de nova Turicensium confessione contra Lutherum edita excutitur.

(Ex autographo Bibl. civic. Turic. MSS. F. Vol. 47 olim 12, fol. 255. Simler. Vol. 57. Quum de textus corruptione cogitari nequeat, satis negligenter scriptam dicas oportet.)

Suo Gerardo a Campf Phrysio Emdano [1]) in thermis Helveticis [2]) amico carissimo.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Calvinus dicitur interfuturus comitiis in Arovio celebrandis vigesima prima Maii quinta feria ante pentecosten. [3]) Cuperem te eum alloqui propter negotium Waldensium fidelium. Nobis loquutus est de eis quae displicuerunt sibi et aliis in nostra confessione: [4]) quod *Zwinglium* defendimus in eo quod gentiles nominat ob virtutes beatificatos. Id quod non impium fuisse respondimus per exempla. Secundo, quod non satis declaravimus communionem Christi nobiscum per coenam. Cui item satis respondimus. Tertio, quod *Carolostadium* excusavimus. Quarto latine respondimus et durius tractaverimus *Lutherum* quam ferre possit plebs. [5]) Tandem et semper se nostram probare sententiam dixit et amicitiam redintegravit a qua nunquam ceciderat. Interim secundo legi confessionis tres partes et mihi displicere non possunt, nisi quod necessitatem deploro quae nobis huiusmodi responsionem post tot iniurias iteratas doctrinae et ecclesiae nostrae et Christi extorsit. Utinam ultima sit ad quam cogamur. Timemus autem non facile mutandam mentem viri tam vehementis. Dominus negotio suo succurrat et largiatur pacem in fide et regiminibus — — — xviii. Maii ocyssime, ut parcas. [6])

Tuus Conradus Pellicanus.

645.

CALVINUS VIRETO.

Ex itinere redux quid singulis in locis effecerit et impetraverit narrat summa sequens fastigia rerum.

(Autographon in Bibl. Genevensi sub vitro expositum est. Alia exemplaria exstant Ionvillaei Cod. Genev. 111ª, fol. 38 v., Turretini Cod. 111, fol. 117, Simleri Vol. 57, qui descripsit ex Arch. Bernens. Epp. VII. p. 666. — Anglice legitur ex vers. Constabli Tom. I. p. 436.)

Optimo fratri meo Petro Vireto eximio Christi servo pastori Lausannensi fidelissimo.

Ignosces quod isthac [1]) non redierim. Festinabam multas ob causas sed praecipue quod nobis indicaverat Claudius *Farellus* [2]) domum *Genistonis* [3]) peste iterum infestari. Breviter referam quid consequuti fuerimus. Bernates non tantum dederunt quod petieramus, sed aliis quoque fuerunt hortatores. Tigurini statim conventum Aroviae indixerunt. Alios eo vocarunt propriis nunciis. Schafusianis et Basiliensibus iusserunt nos significare. Interea Argentoratum profecti sumus. Ubi ne unum quidem diem transigere licuit, tametsi summa celeritate iter faciebam. Aroviae non tale decretum factum est quale optassem. [4]) Itaque bis in consilium

---

10) *Ergo Basileae hoc opusculum excusum fuerat, quod ignorabamus quum scriberemus Prolegg. VII. 29.*

644. 1) *Verbi divini ministro* (*N.* 691).

2) *Badenae, nisi fallimur.*

3) *Feria quinta est dies Iovis, stilo ecclesiastico sic dictus, Pentecoste incidit in 24. Maii. De hoc conventu in causa Waldensium celebrato v. Hottinger KG. III. 764.*

4) *Cf. ep. Vogtii paulo supra descriptam.*

5) *vox dubia.*

6) *Annum nullo negotio ex iis quae de Calvini itinere et Aroviensi conventu dicuntur expedies.*

645. 1) *per Lausannam quo Viretus ergo ante Calvini reditum abierat.*

2) *quem igitur tum temporis Genevam rediisse dicas oportet.*

3) *qui ipse m. Iulio vergente eadem correptus obiit.*

4) *Legationem non literas mitti iubebat.*

meo postulatu reditum est. Sed efficere non potui ut a sententia abducerentur. Censuerunt proprio nuncio mittendas esse literas quibus serio apud *Regem* intercederent. Accepto responso mittendam grandem [5]) legationem. Putant enim fore utilius si auditis excusationibus legatum mittant bene praemunitum. Testantur interea se nec sumptibus nec labori parcere. Quando hoc illis fixum est consilium, literis prius experiri, feramus. Iussus sum praeterea, si quid novi rescivero, Bernam mox scribere. Senatus Bernensis se aliis indicaturum recepit. Mitto exemplar scripti quod eorum rogatu obtuli, [6]) postquam omnia fusius exposueram. Vereor ne alicubi falsus fuerim, et magis vereor ideo quod fidem meam apud eos extenuari periculosum foret, si quid in posterum velim prodesse. Perscribat mihi *Nicolaus* [7]) summas rerum, aut si commodius fore putaveritis, ipsi Bernam scribite. Valete, fratres dilectissimi. Dominus vos conservet. Pendeamus toti ab ipso. Genevae. [8])

Ioannes Calvinus.

Nicolaus *Gallasius* tui amantissimus te officiose salutat et gratias agit quod ei operam tuam impenderis. Bene cessurum est Deo adiuvante negotium. [9])

646.

VIRETUS CALVINO.

Gratulatur ei peregrinationem feliciter transactam. Si quid ultra curandum ipsi manum porrigent. Zebedaeus usque Orba abire cupit. Geneva ipse aliquot Calvini libellos asportavit.

(Ex autographo Cod. Genev. 111[a], fol. 62. Legitur praeterea in Cod. 116, fol. 89. Bernae in Epp. T. VII. p. 668 et Turici ap. Simlerum Vol. 57.)

---

5) *apographa habent:* gravem. — *Responsum Regis praeter spem durum fuit et minime urbanum, suas res minime Helvetiorum interesse quum nec ipse eorum res curet (Hottinger, KG. III.* 764).

6) *Hoc scriptum Calvini cuius etiam Hottingerus et Ruchatius meminerunt, incertum an de visu, si hodieque exstiterit, nostris certe oculis se subduxit.*

7) *Hunc Lausannae quaeras, oportet. Vide sequentem.*

8) *Calvini peregrinatio summa diligentia facta fuit, quum d.* 5. *Maii Genevam reliquerit et visitata Berna, Turico Schafhusia, Basilea, Argentina d.* 21. *Aroviae fuerit et iam d.* 30. *Viretus reduci ad hanc responderit. Quae igitur c.* 28 *scripta esse potest.*

9) *Hoc post-scriptum manu Gallasii additum.*

Eruditione ac pietate ornatissimo Ioanni Calvino fidelissimo ecclesiae pastori

Genevae.

S. Gaudeo non infeliciter cessisse tuam peregrinationem, atque eo magis quod breviori tempore quam suspicabar plura assequutus es quam speraremus, gratulorque tibi et nobis omnibus quod tam cito rebus confectis incolumis et salvus redieris. Contuli cum *Nicolao* [1]) de negotio, sed quantum ex ipsius oratione et testimonio intelligo, non est quod metuas ne mendacii arguaris. Optima fide testatur omnia abs te exposita, et perbelle quadrare quae gesta sunt cum iis quae ad nos scripsisti. Si quid est in quo putes nostram requiri operam, significato. Si opus est *Nicolaum* istuc ad te proficisci, aut Bernam, aut alio quopiam, simul atque indicaris paratum invenies. Gratissimum mihi fuisset, si hac tibi redire licuisset. Nam multa erant de quibus tecum cupiebam fusius conferre. Sed postquam secus visum est Domino, alias se commodior offeret occasio. Forte brevi ad vos reversurus eram, nisi res hic valde turbatae essent. Nam pestis recrudescit et saevit inclementius quam antehac unquam: sed utinam his plagis possimus ad poenitentiam invitari. Salutant te nostri omnes. *Zebedaeus* hic est, quem iam multis mensibus nec videram nec audieram, imo ne eius quidem literam videram. Ego eram in hac sententia, ut *Nicolaus*, quem nobis Dominus restituit, ecclesiae Orbanae sufficeretur, postquam fixa manet Zebedaei sententia ut alio migret. [2]) Quod sane expedit. Tu scribe, quaeso, quid de hoc meo consilio sentias. Saluta amicos, nominatim domesticos, praecipue uxorem quae me nimis delicate tractavit. [3]) Non tantum praestitit quae mandaras, sed longe plura. Vale Lausannae 30. Maii 1545.

Tuus Viretus.

Cepi domi tuae meo iure aliquot libellos, Catechismum scilicet et Psychopannychiam, quod viderem multa tibi esse exemplaria. Attuli et quosdam chartas bibliorum *Roberti* in Ioelem et aliquot minores prophetas. Si tibi opus est scribe, et ego remittam. Accepi commodato quod Ioelis aggressus sum enarrationem.

---

646. 1) *Vide praecedentem.*

2) *quod tamen ei non ex voto cessit.*

3) *Scil. quum Calvino absente Genevae eius vices subiret.*

647.

CALVIN A M. DE FALAIS.

Il le félicite d'avoir trouvé quelque tranquillité à Strasbourg, lui conseille de ne point se rendre à Worms auprès de l'empereur, et lui annonce la grave maladie de M. de Busanton.

(Autographe de la Bibl. de Genève, Cod. 194, fol. 18. Copie ibid. fol. 38 v. Imprimé dans les Lettres à Iaques de Bourgogne p. 28. Bonnet I. 117 et en anglais I. p. 437.)

A Monseigneur Mr. de Falez.

Monseigneur, combien que ie ne puis assez louer le seigneur de ce quil vous a retire [1]) a si bonne heure du lieu ou vous pouviez estre surprins en grande anguoisse et vous a si bien conduit pardessus lesperance des hommes au lieu ou vous pouvez avoir quelque relasche en vostre esperit, toutefois si avez vous a present aussi bon mestier que iammais quil vous assiste, tant en vous enseignant ce qui sera bon et expedient de faire, quen vous fortifiant en bonne constance pour nestre point esbranle pour assault qui vous vienne. Car estant si prochain du lieu ou est le principal instrument quait auiourdhuy sathan pour vous fascher, [2]) ie ne fais doubte que vous naiez a resister a beaucoup plus de tentations que nen avez senties iusque icy. Quant est de prolonger plus longuement par excuses, [3]) ie ny vois nul moien, veu que tout ce que pretenderez naura pas grant couleur, au moins a mon advis. Ientens envers ceux lesquelz vous avez a contenter. Car quelque apparence que vous aiez de la maladie, ilz sont desia si preoccupez d'opinion contraire, que tout cela naura lieu envers eux, et dadvantaige le lieu de vostre retraicte leur en ostera toute doubte. Oultre ce que ie pense bien quilz nont pas tant tarde a vous espier, pour en assoir certain iugement.

Le meilleur doncq a mon semblant en telle extremite, sera de vous taire et tenir quoy, recommandant vostre cause a Dieu, affin quil la meine sans procureur ne sans advocat. Or pource quentre autres propos de voz lettres, vous dictes que vous estes en doubte sil vous fauldra aller a Wormes, ie vous prye devant quentreprendre le voiage dy bien penser. Car devant toutes choses, il vous convient davoir ceste resolution de confesser pleinement nostre seigneur, sans fleschir pour rien qui soit. Il ne sera pas question duser la dexcuses civiles pour donner bonnes paroles en payement, comme vous scavez. Qui pis est, ie crains que vous naiez point daudience pour faire la confession que desireriez. Quant au saufconduit, il vous souvient de ce que nous en devisasmes. Toutefois iespere bien quil ny aura pas grant inconvenient de le demander. Car ie pense estre asseure quil ne sensuivra que le refus. Il y aura un bien, que vous serez par ce moien declaire tout oultre. Combien que ie croy que sur ce poinct il ne sera pas grant besoing de longue consultation, pource que Dieu en aura rompu le commencement, si ie ne suis trompe. Parquoy le principal est de vous armer de patience, priant Dieu quil luy plaise de se glorifier en vous de plus en plus, comme il a commence.

Cest peu de chose de ce que nous avons a endurer en ce monde, si nous regardons a la briefvete de nostre vie. Et quant le terme seroit long, cest belle chose que le filz de Dieu soit glorifie par noz passions, et que nous soions participans de sa gloire. Puis que vous avez commence de mourir au monde pour lamour de luy, il vous fauldra apprendre doresnavant que cest destre ensepvely. Car la mort nest rien sans la sepulture. [4]) Cest la consolation quil vous convient prendre pour ne nous point tromper, de vous preparer a endurer iusque en la fin. Combien que la croix que vous portez est bien aysee au pris de celle du maistre. Quant il luy playra de vous imposer plus poisant fardeau, il vous donnera aussi bien les espaules pour le soustenir.

A mon retour iay trouve le bon seigneur *David* [5]) en bien paovre estat, comme vous diront les presens porteurs. Ie crains bien fort quapres avoir traisne long temps il ny demeure en la fin. Toutefois il nous fault pryer Dieu quil vueille avoir pitie de luy et de nous. Car ce seroit bien a nostre grande consolation sil luy plaisoit le reserver.

Surce, Monsr., apres mestre humblement recommande a vostre bonne grace, et celle de Madamoiselle, ie supplye nostre bon Dieu de vous tenir la main en sorte que ne defailliez et ne choppiez pour empeschement que sathan vous puisse mectre au devant. De Genefve, ce dernier [6]) de May 1545.

Vostre humble frere, serviteur et entier amy,

Iehan Calvin.

---

647. 1) *Au mois de Mars il était encore à Cologne* (*N.* 624, *not.* 6). *Depuis il s'était retiré à Strasbourg, où C. l'avait vu lors de son passage vers la mi-Mai.*

2) *L'empereur était à Worms depuis le* 16. *Mai, où la diète siégeait depuis le mois de Mars.*

3) *Il avait été invité à se rendre à la cour, où il aurait sans doute été mal reçu.*

4) Mortuum esse mundo nihil est sine sepultura. Quae theologia! *Note marginale de M. de Falais.* (*Voyez l'éd. d'Amsterdam pg.* 31 *et pg. XII.*

5) *David de Busanton, gentilhomme du Hainaut réfugié à Genève, dont il a déjà fréquemment été question. Il mourut au mois de Iuin.*

6) *L'autographe porte le* premier de May, *la copie le*

648.

CALVINUS VIRETO.

Quod Aroviae inchoatum est fortiter continuandum. De Zebedaei successore eligendo. In agro Genevensi plures ministri pravis moribus dediti vel iam se ipsos removerunt vel mox removendi erunt. Prima Trollieti mentio.

(Ex autographo in Archivis Tronchinianis Pressingiae prope Genevam asservatis. Exstat quoque Ionvillaei manu descripta Cod. Genev. 196, fol. 83. Edidit Beza Gen. p. 367, Laus. p. 672, Han. p. 756, Chouet p. 504, Amst. 230. — Confer Ruchat, V. 528. Beza se ex gallico vertisse dicit, quod nonnisi memoria lapsus scribere potuit.)

Fideli Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri mihi carissimo et amico integerrimo.

Ego vero nihil fore melius arbitror, quam a *Nicolao* nostro [1]) coram verbis exponi quae literis complecti iussus fueram. Nam et oratio testis oculati plus fidei ac ponderis, meo iudicio, habitura est, et multas calumnias diluere poterit, quas illic spargi quotidie a regiis credibile est. Nam quum adhuc illic essemus, non credas quam variis criminibus gravarentur pii fratres. Ego, tametsi facile poteram suspicari ex quo fonte oriebantur, suppressa autorum mentione simpliciter respondebam. Quin etiam Aroviam [2]) non nulli ex legatis imbuti falsis rumoribus venerant, quos difficile fuit ex animis revellere. Omnino igitur consulo, ut Bernam concedat *Nicolaus*, et ea explicanda curet senatui, quae cognosci expediat. Ego literis fidem eius commendo, ac rogo ut cognoscere velint ex illius ore, quae ego scribere debueram. Tu quoque privatim aliquod verbum ad consulem addere poteris, si videbitur. Iterum dico, ne refrigescant animi, utile est ab ipso *Nicolao* calefieri. Ipsum quoque in *Zebedaei* locum subrogari, non displicet. Erit enim, meo iudicio, valde appositus. Unum dolet, quod nunquam hic se retineri passus est. Quanquam enim non palam recusabat, videbam tamen quorsum magis propenderet. *Farellus* mecum de *Roberto* [3]) quodam gravi et moderato sene, facili tamen et placido, loquutus erat. Quod ideo tibi in memoriam revoco, ne prorsus nullam sui consilii rationem habitam putet, si non illi quoque satisfacere aliqua excusatione studeas. Erit autem non difficilis excusatio, quum tam idoneus successor nunc vobis sit ad manum. Ego hic valde sum anxius de duobus eligendis. Nam *Ioannes* [4]) Dralliani minister ad Dominum migravit. Clusanus vero, ut quotidiana petendi molestia creditores liberaret, nescio quo profugit. En quid faciant cauponae. Ita enim propter gulae intemperiem se aere alieno immerserat, ut non alio remedio emergere potuerit. Vereor ne et alii quidam sequantur hoc exemplum. Duos enim habemus, qui biennii stipendio, si interea ieiunent, nequeant se extricare: nec tamen propterea desinunt furtim se abdere saepe in cauponas, et prandio uno plus absumere, quam in diarium totius familiae alimentum habeant. [5]) Verum redeo ad electionem. Nunc *Trollietus* quidam, quod natione sit Genevensis, nobis obtruditur: in quo multa signa apparent nobis omnibus parum grata. Nescio autem quid ministro dignum habeat: nisi quod simiae amant suos catulos. Utinam hic nobis adesses proximo Veneris die, quo de ea re consultabimus. Sin minus: fac tamen ut ad Nicolai *Galasii* nuptias te sistas, quae futurae sunt die dominico, hinc ad 12. diem. Quoniam certo te venturum confido, haec causa est, cur sim brevior. *Nicolao* plurimam salutem dices, *Imberto, Ribitto* et uxori tuae. Dominus vos conservet omnes. Ubi veneris, audies quid Witembergae agatur. Genevae, 4. Nonas Iunias. [7])

Io. Calvinus tuus.

649.

VIRETUS CALVINO.

De eligendo ministro qui Orbanae ecclesiae praeficiatur. De Ioanne diacono nuper Tononiensi nunc Lausannensi.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 69.)

---

dernier. *Comme Calvin parle de son retour, évidemment d'un voyage dont M. de Falais avait connaissance, il est impossible de s'arrêter à la première de ces dates, et nous sommes d'accord avec M. Bonnet qui a préféré la seconde. Cependant cela n'explique pas comment l'auteur lui-même a pu se tromper, personne ne confondant le premier d'un mois avec le dernier du même mois. Nous sommes convaincus que la lettre est du premier Juin et que Calvin a écrit par inadvertance le nom de May. L'auteur de la copie a pu vouloir rétablir la vraie date en changeant le chiffre au lieu du nom propre.*

648. 1) vestro *Edd.*

2) Aroniam *Edd. vide N.* 640. 641.

3) *N.* 707.

4) *N.* 717, *not.* 7.

5) *Vide ibidem.*

6) Nunc *om. Edd.*

7) *Annum facile definies ex mentione conventus Aroviensis, et iis quae de Zebedaei successore, deque ministris Genevensibus dicuntur.*

D. Ioanni Calvino
Genevae.

S. Quod scribis[1]) de *Nicolao* curabitur, si volet Dominus. Quominus autem maturius iter arripuerit, in causa est febris quae eum denuo accessit. Curabit se unum atque alterum diem, deinde itineri accingetur. Quod scribis de sene illo Neocomensi[2]) sufficiendo Orbae, id ego quoque cum *Farello* contuleram. Nam tum non erat ad manum *Nicolaus*, de quo scripsi (sicut ad te) ad *Farellum:* quem non arbitror aegre laturum sed potius consilium amplexurum, quoniam difficilius erat a classe Neocomensi unum aliquem in nostras ecclesias asciscere, quam sic ecclesiae prospicere sine molesta permutatione. *Farellus* nihildum respondit quia defuit nuncius. Caeterum meum ad vos adventum tam cito polliceri[3]) non audeo, ne vanus vobis videar. Gratulor sponso et sponsae, precorque Dominum ut utrique bene fortunet. Salutant te nostri omnes. Cupio intelligere ut valeat *David* noster,[4]) quem meis verbis quaeso salutes, cum tua uxore et reliquis amicis, praecipue *Textore.* Vale. Lausannae.

Tuus P. Viretus.

Ioannes[5]) qui erat apud *Christophorum*, diaconus noster, scribit ad te de rebus suis, et exponit quid abs te expetat. Eius causam ut habeas quam commendatissimam obsecro, si quid potes. Non dubito autem quin plurimum possis et quin tibi notus sit is cuius operam requirit bonus vir et animo valde afflicto. Dominus eum consoletur.

650.

FARELLUS WATTEVILLIO.

Agit praesertim de rebus ecclesiae et scholae Neocomensis, ubi tamen et Calvini fit mentio utpote passim intervenientis.

(Ex archivis ill. familiae de Wattenwyl edidit R. Ruetschi in Theol. Studien u. Kritiken. 1863. III. p. 552, cuius annotationes apponimus.)

Clarissimo viro Nicolao Wattevillensi genere et pietate insigni
Bernae.

S. Gratissimum fuit *Corderii* institutum de adornanda istuc profectione, idque ut tibi morem gereret, ut ex animo exoptat. Spero non ingratum tibi futurum huius adventum, nec ecclesiae huic inutilem. Audire poteris multa quae profuerit, pro gloria Dei, rescire eos qui ex animo student gloriae Christi, et qui una possunt aliquid. Olim, priusquam praefectus[1]) subditus esset senatui et aperte hostis esset evangelii, laudi dabatur si quis istuc ad senatum venisset: nihil non tribuebatur magnificentiae et potentiae senatus. Nunc nescio quid fiat, ut in discrimen veniat quicunque isthuc venerit, motus statim apparentur, ut tumultu agatur, non ratione aut iure. Vox illa implacabilium in literis scripta superioribus annis quid non videbatur paritura? Nunc quod stipendium ludi magistri scribitur ablatum,[2]) quid non dicitur? Quid, si de omnibus quae pauperibus erant distribuenda abscissis et in nihilum redactis, quae princeps defuncta, si verum est, egerat cum urbe, proponeretur?[3]) Forte qui instigat in ruinam quam citissime in praecipitium adigitur. Speramus Deum effecturum ut perditissima et summae perfidiae consilia in lucem prodeant tandem, malumque consilium consultori pessimum fiat. Verum interea non est tentandus Deus neque negligenda quae adsunt media. Nisi totus fallor, praeluditur papismo et canonicis restituendis: quod, quam sit in votis iis qui praesunt, nemo ignorat. Qui male fuerunt semper affecti hoc quum non ignorent, non magis afficiuntur ad pietatem: alii partim praemiis, partim promissis et aliis id genus franguntur et enervantur, ne se pro Deo opponant iniquis machinationibus, quibus misellae plebi foede imponitur, adeo ut quid agat non videat, sed circumferatur quo ducunt plani. Quam expediret succurri, ne graviora contingerent.

Caspar[4]) noster, quem tu quam humanissime excepisti, ac summo studio contendisti, ut efficiat id cuius gratia venerat, ut[5]) plane est assequutus, et merito tibi ego cum eo habemus gratiam. Ubi rediisset subindicavit tecum egisse, ut quod olim ignorans (ut erant omnia ignorantiae plena) existi-

---

649. 1) *Haec Vireti ep. respondet ad praecedentem Calvini. Ergo ad mensem Septembrem aut Octobrem, ubi plura de ministro Orbam mittendo inter utrumque discussa leges, non est detrudenda. De Nicolao dicet Viretus* 2. *et* 12. *Sept. et* 1. *Oct.*
2) *Vide Farellum* 5. *Oct.*
3) *Diem ei condixerat initio Iunii* (*N.* 651).
4) *David de Busanton hoc ipse mense Iunio mortuus est, ita ut de tempore scriptae epistolae ambigi nequeat.*
5) *De Ioanne Cavent vide N.* 651 *ubi eum Calvinus de morte uxoris consolatur.*

650. 1) *De hoc, Georgio de Riva dynasta in Prangins, supra saepius iam dictum.*
2) *De quo falso rumore Cf. Kirchhofer, Farel II.* 84.
3) *Decimas defuncta princeps hospitio tribuerat, quas Senatus civibus exoneratis et alio quodam modo pauperibus prospecturus abolere statuit. Vide ibid. p.* 77.
4) *Sine dubio agit de C. Carmelo nepote suo, quem saepius iam obvium habuimus. Qua de causa is Bernam se contulerit, non liquet.*
5) *sic R. Vide an legendum:* et.

mabas agere, nimirum Deo et ecclesiae ministrare, id nunc in ea luce qua te Christus illustravit efficeres, quod saepius inter nos tractaveramus, revocatis iis quae *Capito* et alii senserunt de te. Et sane mire placuit quod fecit *Caspar*, ut rogatus fuerat. Spem quoque fecit te non refragaturum Deo, quamvis multa videas per quae impediaris: sed quid non est calcandum pro Christo! Ubi *Calvinus* huc venisset, indicavi quae per *Casparem* acceperam. Is tantum abfuit ut votum nostrum improbarit, ubi modo proponebatur, ut maxime id optet. Ideo te per Christum obtestor, ut ei, cui te totum debes, in hac sacra functione impendas, quo possis Christo quam plurimos lucrifacere, et huius partam sanguine ecclesiam instaurare ac aedificare. Spiritus ille Dei, quo acti fuerunt omnes qui paene [6]) ministrarunt, te totum perflet, ut ipsius ductu efficias quod optimum est et inprimis necessarium, panem vitae omnibus proponas.

De gallico concionatore spero te non immemorem, ne pereant tam multi quibus non adnunciatur Christus ubi maxime opporteret. Vale quam optime, cum tota familia, ne praeteream *Petrum* cum matre et alterum [7]) cum sorore. Cupio consulem salvum, et *Fischerum*, [8]) et quidquid amat Christum. Neocomi Calend. Iuniis 1545.

Tibi deditissimus Farellus.

651.

CALVIN A CAVENT.

Lettre de condoléance au sujet de la mort de sa femme et de sa mère, et de regrets au sujet de l'impossibilité momentanée de faire venir ses enfants de Belgique.

(Autographe de la Bibliothèque des pasteurs de Neuchatel. Une autre main (Viret?) a ajouté sur l'adresse: *Calvin a Iehan Cavent diacre de Lausanne.* — Bonnet, Lettres fr. I. 120. Trad. anglaise T. I. p. 440. L'orthographe très-defectueuse de l'original a été plus souvent changée qu'ailleurs par le premier éditeur.)

A mon bon frere et amy Maistre Iehan [1]) diacre de leglise de Lausane ou a Maistre Pierre Viret pour les luy faire tenir.

Tres cher frere, ie croy bien que maistre *Christophle* aura faict son devoir de vous faire tenir les lettres ou on vous mandoit les nouvelles de la mort de vostre femme et vostre mere. Si le deppart vous est dur, si avez vous occasion de vous consoler en nostre seigneur vous [2]) lhonneur quil leur a faicte de glorifier son nom en leur mort et pour la constance qui leur a donnee, comme ie ne doubte pas quil ne vous face la grace de bien considerer toutes ces choses. Quant a voz enfans [3]) il y eust eu quelque moien par Monsieur de *Fales* et leust volentiers faict pour lhoneur de Dieu et a ma requeste. Mais luy mesme est exclud du pais et le trouvay a Strasbourg malade. Que si la foiblesse ne leust empesche il fust venu par deca: parquoy il nous fauldra enquerir de quelque aultre moien, et ce pendant que vous aiez patience avec solicitude les recommandant a Dieu lequel ne permectera pas quilz demeurent a la longue en ceste captivite. Au reste ie vous prye dire a nostre frere maistre *Pierre* [4]) quil ne faille a venir au [5]) iour. Et surce apres mestre recommande a tous deux affectueusement et a tous noz amis, ie supplye nostre bon Dieu de vous avoir en sa garde vous adressant par son esperit a ce que vostre service luy soit aggreable et utile a son esglise qui en a bon mestier. [6])

Vostre entierement bon frere et amy

Iehan Calvin.

652.

FARELLUS CALVINO.

Mittit ei quidquid habet scriptorum ad negotium Caroli pertinentium contra quem Calvinus tum suam famosam parabat diatriben. De legatione ad Regem Galliae mittenda. Denique multa et confusa de Capunculo.

---

6) *vox nobis maxime suspecta (pure?)*

7) *Nicolao a Wattevilla duo erant filii, Petrus et Ioannes, uterque postea in re publica administranda clarus.*

8) *Ex Fischerorum gente tum temporis prae aliis eminebat Crispinus, qui Io. Francisco Naegelino a latere fuerat in subigendo agro Vadensi.*

651. 1) *C'est sans doute le même personnage que Libertet recommandait à Farel N.* 616, *note* 3, *et qui a dû être placé à Lausanne très-récemment, Viret n'ayant point encore de diacre au mois de Janvier (N.* 603).

2) *sic (l.* vu). *Bt. a mis:* pour.

3) *D'après ce passage il devait être originaire des Pays-bas, qu'il a dû quitter en laissant sa famille en arrière jusqu'à ce qu'il eût trouvé une place en Suisse. Maintenant sa femme et sa mère étant mortes, il s'agissait de faire venir les enfants. Calvin n'en voit pas les moyens.*

4) *Viret.*

5) un *Bt.*

6) *La date de la lettre se détermine par le voyage de Calvin à Strasbourg où il vit M. de Falais et d'où il était de retour dès le* 25. *mai, et de l'autre côté par le rendez-vous donné à Viret, lequel s'excuse le* 23. *juin (N.* 655) *de n'avoir pu venir.*

(Ex autographo Bibl. pastor. Neocom. Epp. Farelli fascic. III. N. 4.)

Doctissimo pastori ecclesiae D. Ioanni Calvino fratri et symmystae quam carissimo
Genevae.

S. Per famulum ab *Allein* ad te scripsi misso libello *Caroli* amici nostri et actis Agathopolitanis et libello supplice ad pontificem [1]). Eram omnia quae scribebam per alium curaturus ut scriberentur, sed quum nuncius instaret non licuit. Ideo tu boni consule et istic per aliquem curabis ne lectio te molestet. Existimo me habere ea quae Metis apud D. *Vincentium* insane proposuit plebi, quasi defunctorum animae in sepulcris apud ipsorum corpora versarentur: ideo non damnandum dicebat, si apud sepulcra fiant divis preces, et huius farinae quaedam, quae si petis et vis curabo invenire. Sed si quis velit tam perditi nebulonis omnia congerere, quis erit finis?

Indicabam quod acceperam instandum esse pro legatione, quae non secus agat quam si omnes qui mittunt ipsam passi essent ea quae piis contigerunt. Hac via fiet ut quae iam aguntur et quae graviora parantur (nam, ut audio, nunquam tam gravis instructa fuit persequutio) facile compescantur: ubi literis luditur opera, quae ne leguntur quidem. Nam perditissimi qui regi astant aiunt male scriptas esse literas et videndas prius, et interea rex alia curat, et illi si literae sint legendae evertunt omnia, aut addunt, vel subducunt, aut mutant, ut plus noceant ita missae literae quam prosint. Haec et alia quaedam praesens cuperem coram loqui, si per ecclesiae aedificationem liceret.

Quod ad causam eunuchi [2]) attinet, composita est utcunque. Iussus est non supra viros ferri, sed virorum ritu vivere. Multa est modestia a nostris actum, simpliciter et vere, quum audirem Agrippas, coram quibus ageretur ab eo qui tam distat a Paulo, ut nosti, quantum nos a Pauli adversariis, et omnia quae afferebat semotissima a veritate. Subduxi me, quod mihi contulit: nam in me conabatur omnia vertere, dumque aberam, minori invidia poterat a praesentibus pro me agi. Non possum satis mirari haec ingenia quae nullam habent aedificationis curam, sed sui tantum et gloriae propriae sunt adeo amantes ut prorsus amentes reddantur. Existimo eos ob suas gloriolas quas venantur, millies unoquoque die Christum et evangelium abnegaturos. Non curant quid dicant, nec contra quem loquantur, vere an false, modo sibi ipsis placeant et sibi videantur laudem parare, quantumvis se ignominiosos reddant. Fratri *Claudio* dictum fuit, *Marcurtium* [3]) nonnullis ex classe Iverdunensi dixisse, facturum tandem eadem *Capunculum* quae fecit *Carolus*. Christus mentem meliorem utrique det, et verum in ecclesias christianas affectum. Hactenus curatum est ne quam daremus occasionem, vel in speciem, quamvis quaerere saepe visus eam fuerit. Nos tantum patientes non fuimus in ferendis hominis moribus, sed etiam ignavi ac nimium cessantes in iis quae oportebat a summae patientiae viris severius argui. Si Dominus patiatur hominem abire, dabimus, ope divina adiuti, operam ea agere quae, dum abesset, maiora et meliora fuerunt acta, quam contigerit ipso praesente. Nobis tam fuit utilis ad bene agendum, quam festuca ad perspiciendum utilis est oculis. Praedixerat ante aliquot menses de ludo literario quae contigerunt, et de iis quos urbs alebat in literis Argentorati exautorandis, quod nuper factum fuit: [4]) revocati enim fuerunt. Multa fiunt quae non est opus referre, et quae me anxium tenent, ut facultatum ecclesiae dissipatio. Quidquid fiat et dicatur, pergendum esse videtur constantius: ducem habentes invictum, non est quod hostibus cedamus. Fide det et constantia firmissima ut pergamus, is qui omnia potest.

Vale cum tuis omnibus: ne praetereas *Davidem* cui bonam valetudinem precor, et sancto coniugio *Nicolai* [5]) felicem successum. Nostri te salvum cupiunt. *Tossanus* quasi frangitur plebis moribus et principis importunitate. Ideo meditatur alio se conferre [6]). Verum contraria ipsi sequenda esse scripsi et constantius haerendum. Neocomi 14. Iunii 1545.

Farellus tuus totus.

---

652. 1) *Epistola illa Farelli non exstat. Acta Agathopolitana habuisti N.* 205. *Caetera Caroli non habemus, sed libellus supplex ad Pontificem supra passim laudabatur.*

2) *Memineris istos hoc nomine Capunculum ornare solitos. N.* 633, *not.* 16.

3) *Qui tunc temporis Neoduni ad lacum Lemanum minister erat. Claudius frater Farelli.*

4) *Collegium Wilhelmitanum a.* 1543, *viginti quatuor alumnis, duodecim Argentoratensibus et totidem exteris destinatum, sub rectoris s. paedagogi Christophori Soellii auspiciis institutum fuerat.*

5) *An Gallasii?*

6) *Imo iam mense Aprile Monsbelgardiam relicturus missionem a duce poposcerat, et revera paulo post in Helvetiam se contulit. Sed Stuttgardiam vocatus et in gratiam principis denuo receptus m. Ianuario* 1546 *ad munus pristinum rediit. Vide Ep. Myconii* 29 *Iul.* 1545. *Heyd, H. Ulrich III. p.* 152.

653.

CALVINUS VIRETO.

Literae commendatitiae, quarum occasione nonnulla nova ex Wormatia et Geneva.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 132. Exemplar Ionvillaei ibid. Cod. 111a, fol. 39; Turretini Cod. 111, fol. 119, quod fuit fons apographi Bernensis Epp. VII. p. 691, et hoc Simleri Vol. 57.)

Optimo fratri meo Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fidelissimo

Lausannae.

S. *Guillelmus* [1]), quia hic obtinere non potest quod optaret, voluit istic tentare num qua melior conditio offerretur. Ego autem facile patior ut apud vos melius quam hic habeat. Sed neque expedit neque me decet quidquam eius nomine petere, quod mihi deinde probro vertatur. Dignus sibi videtur ampliore stipendio, et aequum censebat me verba facere in senatu ad causam suam promovendam. Ego autem, qui magna contentione impetrare pro collegis non potui quod volebam, qua fronte hic me interponerem? Quod si tamen consulendi illi ratio in manu vestra est, non invidebo eius fortunae.

Ex literis *Buceri* aliqua ex porte cognosces quid Wormatiae agatur. Iam te audisse arbitror *Frenesium* legatum noctu cum duobus comitibus clanculum abiisse [2]). In *Davide* nostro perquam exigua spes est [3]). Mirum si triduum adhuc vixerit. Vale, frater et amice integerrime. Dominus te conservet. Optarim te quam primum huc venire, et citius quam dicam. Si posses hac hebdomade, mihi esset gratissimum et ecclesiae nostrae non inutile. Nolo te obiicere invidiae, non est quod timeas [4]). Quanquam te id minime timere scio. Saluta diligenter amicos et familiam. *Gallasius* meus cum uxore te salvere iubet, uxor et vicini nostri [5]).

Ioannes Calvinus tuus.

653. 1) *Quisnam hic sit, tibi excutiendum relinquimus. De bibliopola Sylvio nos quidem non cogitarimus quum de stipendio ampliore dicatur.*

2) *De hoc facto adeas Sleidanum* II. 387 *seqq. qui dicit Farnesium cardinalem excitandi belli causa in Lutheranos ad comitia venisse, et paulo post pentecosten noctu clanculum relicta Wormatia magna celeritate Romam revolasse.*

3) *Vide N.* 656.

4) *Quid haec sibi velint ex caeteris epistolis non perspicitur.*

5) *Quum Calvinus iam resciverit quae Wormatiae post pentecosten* (24. *Maii*) *gesta fuerint, et mortem D. de Busanton* (25. *Iun.*) *proxime instantem praesagiverit, de tempore scriptae epistolae satis constat.*

654.

CALVIN A M. DE FALAIS.

Il est entré en négociation avec quelqu'un pour lui acheter une maison à Genève.

(Autographe de la Bibl. de Genève Cod. 194, fol. 20. — Copie ibid. fol. 39 v. — Lettres à Jaques de Bourgogne p. 32. — Ed. Bonnet T. 1, p. 122. — Trad. anglaise I. 441.)

A Monsieur Mr. de Falez.

Monseigneur, ie vous escris en haste pource que ie nay point este adverty dheure. Mais ie recompenseray en brief ceste faulte au plaisir de Dieu. Pour le present, ie vous advertiray seulement quapres avoir advise surce dont mavez requis, nous trouvons bien quil y aura marchant prest quant il vous plaira dachapter. Mais de faire nul achapt, ny mesme den tenir propos, sinon que vous feussiez devant sur le lieu pour iuger ce qui vous sera propre, nous ny voions point grant ordre; parquoy sil ne tient qua cela, le meilleur seroit, a mon advis, dy regarder sans sonner mot, iusque a ce que feussiez arrive. Combien que pour le present il a deux places, dont lune pourroit changer maistre, si on ny previent de bonne heure. Mais aussi ie croy quant vous auriez arreste de venir, et que Dieu ne vous envoiat nul empeschement, incontinent apres ces chaleurs passees, vous vous mecteriez en chemin.

Ie nose dire combien ie serois ioieulx que la conclusion en fust prinse, de paour de vous estre suspect, si ce venoit a vous en donner conseil. Toutefois ie puis bien protester en verite que le desir que iauroye de iouir de la consolation que ien attens, ne mempescheroit pas de regarder a ce qui vous seroit bon. Et mesme ce qui mincite le plus a desirer que feussiez icy, cest affin que soiez en lieu ou il y ait gens qui demandent de semployer a vous faire service. Ie mestois advise que si Monsieur de *Froment* [1]) estoit venu, et quil luy pleust se venir esbatre iusque icy, comme il est plus portatif, que son voiage vous serviroit pour advertissement. Mais en ce cas ie supplierois quil vint descendre droict chez nous.

Quant au bon seigneur *David*, cest fait, si Dieu ne le retire comme du sepulchre par grace miraculeuse. Mais ie ne vous en escris point plus au long, iusque a ce que Dieu en ait dispose du tout [2]).

Sur ce, Monsr., aprez mestre humblement recommande a vostre bonne grace, et celle de Ma-

654. 1) *Jean, seigneur de Fromont et de Han-sur-Sambre, frere de M. de Falais. L'original porte:* Froment.

2) *N.* 647, *note* 4.

damoiselle, et vous avoir presente les humbles recommandations de ma femme, ie prye nostre seigneur de vous fortifier tous deux tant en corps quen esperitz, tellement que sans defaillir nous acomplissions tous ensemble le voiage que nous avons a faire. Ce xxij de Iuing.[3])

Vostre serviteur, humble frere et entier amy

Iehan Calvin.

655.

VIRETUS CALVINO.

Consilia varia et dubia de itinere Genevam versus suscipiendo.

(Ex autographo Cod. Genev. 111ᵃ, fol. 140.)

Ornatissimo Domino Ioanni Calvino fido ecclesiae Genevensis pastori fratri quam carissimo Genevae.

S. Mitto ad te literas *Farelli*[1]) ex quibus intelliges quid a nobis exigat. Ubi perlegeris, remitte quum fidum nactus eris tabellarium. Audio hunc brevi rediturum, cui reddere poteris referendas cum tuis, si quid ad me scripseris. Animus erat ad vos proficisci, ut rogabas: sed non potui ecclesiam deserere, quoniam *Comes* aberat. Qui etsi adsit, intelligis tamen qua premar difficultate. Proxima hebdomada lubens ad vos accederem, sed scis quam hic sit difficile equos invenire, hoc praesertim tempore. Si equus esset ad manum die Lunae, ubi vices huius hebdomadis obiero, istuc me reciperem, nisi aliud quidpiam gravius accidat. Aut fortasse itineri accingar cum *Roseto* Basilea redeunte[2]), si venerit in tempore. Tu interea mittito ad me sanctum illud *Caroli* opus[3]) ut percurrere possim, ne soli istis fruamini delitiis. Saluta amicos, nominatim uxorem meo et meae nomine, et novos coniuges[4]) cum *Davide* et reliquis domesticis. Si licet vos adire latius colloquemur. Vale. Lausannae 23. Iunii 1545.

Tuus P. Viretus.

3) *Au dos, de la main de M. de Falais:* Respondu le xviij de juillet 1545, à Strasbourg.

655. 1) *deperditas.*
2) *N.* 603.
3) *N.* 652.
4) *ibid. not.* 5.

656.

CALVINUS VIRETO.

Davidis Busantonii mortem annunciat.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 133. Vidimus praeterea exemplaria Ionvillaei Cod. 111ᵃ, fol. 39; Turretini Cod. 111, fol. 119; Bernense Epp. VII. 692 et Simleri Vol. 57.)

Optimo fratri meo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fidelissimo.

Quum mihi redditae sunt tuae literae *David* noster animam agebat, quam paulo post reposuit in manum Christi[1]), singulari adeoque mirabili fidei constantia. Testamentum eius ubi veneris leges. Cave nos longius protrahas.

Ioannes Calvinus tuus.

657.

CALVINUS MELANCHTHONI.

In nova controversia inter Lutherum et Turicenses Iliacos intra muros peccatur et extra, et quidquid delirant reges plectuntur Achivi, id est ecclesia. Gratias agit de responso in causa Nicodemitarum dato.

(Autographon non exstat. Vetus exemplar per amanuensem Hottingeri descriptum habetur in Bibl. civic. Turic. MSS. Vol. 46, olim Epp. XI, p. 629, quod etiam contulit Simler. Vol. 57. Beza edidit sed non integram Gen. p. 55, Laus. p. 135, Hanov. p. 152, Chouet p. 72, Amst. p. 33, Gallice legitur ed. Berol. p. 79, anglice ed. Edinb. I. 442. In Corp. Reform. frustra quaeres.)

Utinam ut me angit adeoque excruciat moeroris tui[1]) συμπάθεια, sic aliqua eius parte sublevare te possem. Si ita est ut dicunt Tigurini[2]), habuerunt iustam scribendi causam. Verum[3]) aut aliter scribere oportuit aut penitus tacere. Praeterquam enim quod totus libellus ieiunus est et puerilis, quum in multis pertinaciter magis quam erudite,[4]) et interea parum verecunde *Zwinglium* suum excusant ac tuentur, nonnullaque in *Luthero* immerito exagitant, tum vero in praecipui capitis tractatione, id est in ipso causae statu, infeliciter meo iudicio se gerunt. Et tamen non credis quam sibi in sinu placeant, perinde de suis partibus optime defuncti. Atque

656. 1) *d.* 25. *Iunii.*

657. 1) *ob Lutheri recrudescentem in re sacramentaria discutienda vehementiam.*
2) *in sua responsione* (*N.* 606. 625).
3) Verum . . . . laborat *om. edd. et verss.*
4) *Confer simile iudicium Melanchthonis in ep. Brückii ad Electorem in Corp. Ref.* V. 740.

his quidem initiis Tigurum laborat. Vester autem Pericles quanta intemperie ad fulminandum rapitur? praesertim quum eius causa nihilo sit melior. Et[5]) quid in hunc modum tumultuando proficit, nisi ut totus mundus eum furere iudicet? Me certe, qui eum ex animo veneror, vehementer ipsius pudet. Sed hoc pessimum quod nemo ad reprimendam talem insolentiam non modo se opponere sed ne mussitare quidem audet. Multum illi debemus omnes, fateor. Nec ego invitus patiar, ut summa autoritate polleat, modo sibi ipsi moderari sciat. Quanquam in ecclesia semper videndum est, quousque hominibus deferamus. Actum enim est, ubi unus quisquam plus potest reliquis omnibus: praesertim ubi hoc ipsum non dubitat experiri quantum possit. In tanta quidem dissipatione, quantam nunc cernimus, difficile est res turbatas componere. Verum si in nobis omnibus esset is animus qui esse debet, aliquod forsan remedium posset inveniri. Et certe foedum exemplum transmittimus ad posteros, dum omnem libertatem sponte malumus proiicere, quam ut hominis unius animum offensiuncula aliqua pungamus. At est vehemens ingenium et impetus habet violentos. Quasi vero haec vehementia non magis exsultet, dum omnes illi indulgent atque omnia permittunt. Si inter prima renascentis ecclesiae initia iam emergit hoc tyrannidis exemplum, quid brevi rebus in deterius collapsis fiet? Defleamus ergo ecclesiae calamitatem, neque modo taciti apud nos hunc moerorem devoremus, sed audeamus aliquando liberum gemitum edere. Quid si etiam Domini permissu in has angustias sis redactus, ut[6]) plenior tandem de hac re confessio tibi extorqueatur? Verissimum equidem fateor esse quod doces: et quod placido genere docendi hactenus studuisti animos a contentione revocare, prudentiam moderationemque tuam laudo. Sed dum locum hunc tanquam scopulum defugis,[7]) ne in quorundam offensionem incurras, plurimos, qui aliquid certius in quo acquiescant abs te requirunt, suspensos perplexosque relinquis. Est autem, ut me aliquando tibi dicere memini, non satis nobis honestum, eam doctrinam, quam plerique sancti proprio sanguine testatam relinquere non dubitant, ne atramento quidem consignare. Ad hanc ergo plenam et solidam mentis tuae explicationem forte viam tibi patefacere nunc vult Deus, ne perpetuo haereant dubii, qui ab autoritate tua pendent, quos scis esse quam plurimos. Neque hoc tam incitandi quam consolandi tui causa dico. Nisi enim ex hac turbulenta concussione aliquid huius[8]) exoriturum sperarem, multo acerbiore luctu conficerer. Quanquam exitum quieti exspectamus qualem dare Deus vult:[9]) interea cursum nostrum infractis animis persequamur. De responso tuo[10]) magnam tibi habeo gratiam, simul etiam de humanitate non vulgari, quam sibi abs te exhibitam fuisse *Claudius*[11]) mihi testatur. Qualis erga me futurus esses inde coniecturam facio quod meos tam benigne comiterque accipias.[12]) Deo autem maximas gratias agere non desino, qui dedit ut in eius quaestionis summa de quo rogati eramus sententiae nostrae congruerent. Tametsi enim paululum est discriminis in particulis quibusdam, de re tamen ipsa optime inter nos convenit. Vale. 28. Iunii 1545.

658.

CALVINUS VIRETO.

Narrat quae sibi contraria acciderint quum nuper rus ire voluerit ut procul negotiis ornando, id est depexendo et defricando Carolo operam daret.

(Autographon non exstat. Describimus exemplar Ionvillaei Cod. Gen. 196, fol. 83 v. ex quo derivata sunt tria alia, alterum ex altero, Turretini Cod. 111, fol. 119 v.; Bernense, Epp. VII. p. 692, et Simleri Vol. 57.)

Quum die dominico rus concedere in animo haberem, ut proximum triduum ornando *Carolo* reliquis omnibus negotiis solutus impenderem, iamque alia omnia ad iter et tridui commorationem parata forent, ecce mihi ex insperato quod totum consilium everteret. Commentarios enim mihi a *Farello* missos[1]) non reperio, qui de rebus omnibus admonere me debebant. Et quia fraude ablatos esse suspicabar, sicuti etiam nunc suspicor, id mihi indignationem ita auxit ut postridie mane decubuerim. Erat etiam mihi eo molestior iactura quod legere in id tempus distuleram. Posteaquam tamen me collegi, nolui opus tibi promissum relinquere. Lunae sub vesperum proficiscimur. Sed Torneaci nox adeo nobis pulicibus infesta fuit, ut dimidiae horae somnum non ceperimus. Surgimus ante tertiam Saconetum ituri. Hic quoque pluvia obstabat, et densa et diuturna. Circiter quinta, illa remittente, in asylum illud confugimus ut duarum saltem horarum somno nos reficeremus. Aliquousque tamen progressi

---

5) Et . . . . audet *om. edd. et verss.*
6) ne *edd.*
7) scopulum aliquem refugis *edd.*
8) hinc *edd.*
9) exspectemus . . . . Dominus volet *edd.*
10) *in causa Pseudonicodemitarum, Op.* VI. 621.
11) *Senarcleus. N.* 605.
12) De responso . . . . accipias *desunt in Cod.*
658. 1) N. 652.

sumus in scripto nostro. Initium tibi mitto. Quod si placuerit mox ad finem perductum audies. Sin minus, non multum fecerimus iacturae. Sed velim mox tuum iudicium nobis significes, sed tale quod nos ad pergendum animet. Si quid animadvertas correctione dignum libere admone. Ego ut potero corrigam. *Isabellae* mittunt nostri coronatum unum. Si quid illi in posterum rogaveris non negabunt.[2])

Ioannes Calvinus tuus.

659.

POLLANUS FARELLO.

De rebus Metensibus et comitiis Wormaciensibus plura habebit ex tabellario.

(Ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium. Fascic. Epp. divers. N. 8. — Simler. Vol. 57.)

Nobilissimo Christi servo in opere evangelii D. Gulielmo Farello ecclesiae Neocomensis moderatori fidelissimo patri in Christo observando.

S. P. Non eram ad te scripturus, colendissime in Christo pater, nisi me frater hic impulisset. Is enim poterit commodius quae his diebus Metis contigerunt[1]) referre. Itaque his supersedeo. Iam eventum comitiorum,[2]) ac potius effectum literarum ex comitiis a legatis,[3]) Saxonico, Hessiae, Argentinae, Francofurti, et senatus Wormatiensis ad Metensium senatum praestolamur, tum exploraturi animos Christi fidelium, quos his diebus excitavit et confirmavit magis quam unquam post tuum discessum Christi spiritus, tum ad te quidquid evenerit scripturi, et ad *Cal.*, ut in commune quid faciendum erit consulatis, et imo etiam praesentia vestra iuvetis. Interim oro, si erit opportunum, ad me scribas quid hic probes aut speres, quidve habeas consilii. Nam omnino quum nuper illo abirem nihil minus sperabam, ac eo ad privata quaedam negotia evocabar, quae omnino negligere opus fuit. Sed haec ex *Raymondo*[4]) nostro malo cognoscas — — — — — Argentinae 10. Iulii 1545.

T. p. studiosissimus in Christo
Valerandus Pollanus.

660.

VIRETUS CALVINO.

Facete ridet eius nuperam cum pulicibus pugnam, peiorem bestiolam Carolum aggressuri. Tum nonnulla in schedis secum communicatis de huius negotio castigat. Girardi typographi discrimen.

(Ex autographo Cod. Genev. 111[a], fol. 63. — Recentiora exemplaria reperies ibid. Cod. 116, fol. 90; Bernae in Arch. Epp. VII. 670, et apud Simler Vol. 57.)

Fido ecclesiae Genevensis pastori Ioanni Calvino fratri et amico quam carissimo
Genevae.

S. Miror sane quod tot prodigiis perterritus, quae tibi scripturo contigerunt, non sis ab opere revocatus, quod adversus *Carolum* meditabaris.[1]) Sed nihil moveris, ut video, prodigiorum ac ostentorum religione. Instar tamen prodigiorum tam multa merito haberi poterant, amissi commentarii, infirma valetudo,[2]) certamen cum pulicibus nocturnum, iugis imber, quae nullum tibi noctu diuque quietis locum darent. Cogita, si pulicibus cedere coactus sis, qualem ac quam strenum militem tu te

---

2) *Tempus scriptae epistolae ex eo colligimus, quod Viretus d.* 14. *Iulii ad eam respondit, libelli autem a Farello missi circa medium Iunium iam Genevam pervenisse videntur. Sed d.* 23. *Iunii Viretus hanc nostram nondum legerat* (N. 655). *Iam eo anno dies dominici inciderunt in* 28. *Iunii et* 5. *Iulii. Ergo quae hic narrat, maxime quum dicat se iam initium libelli scripsisse, satis confidenter prima mensis decade evenisse dicemus.*

659. 1) *Nescimus an alludat ad ea quae narrat Meurisse p.* 98: Les Lutheriens qui estoient restez dans Metz alloient a l'Eglise et se trouvoient aux messes de paroisse, aux processions et à toutes les autres ceremonies de la Religion comme les catholiques mesmes, desquels on ne les pouvoit discerner qu'aux festes de Pasques, parce qu'alors ils se soustraioient de la saincte table et faisoient bande à part . . . . . *L'évêque* fit deux depeches assez severes à ceux de la Iustice de Metz, l'une de Vic en datte du 25 May 1545 et l'autre de Desneuvre en datte du 25. Iuin, par lesquelles il les exhortoit et neantmoins leur ordonnoit que suivant leur serment qu'ils luy avoient presté en la reception de leurs offices ils eussent à tenir leur main, mesmes par chastiments severes et exemplaires que telles desobeissances et transgressions scandaleuses et de tres-dangereuse consequence fussent punies et que les errants fussent ramenez à l'union de l'Eglise. — *Non audiendus ergo Bartholdus qui perhibet cardinalem Ioannem, delitiis unice deditum gregem parum curasse* (*Deutschland und die Hugenotten* I. 37).

2) *quae sub finem huius mensis dimissa fuerunt.*

3) *inter quos Io. Sturmius magnas partes agebat.*

4) *Fallesii concionatore N.* 624, *not.* 5.

660. 1) *Respondet ad N.* 658. *Caeterum harum et plurium sequentium epistolarum rationem habuimus in Prolegg. Tom. VII, p.* 30 *seqq. ubi de libello contra Carolum scripto fusius egimus.*

2) *Cuius etiam in commentariis senatus ad d.* 31. *Aug. mentio fit.*

adversus cimices praestabis. Nam dum in arenam adversus *Carolum* descendis, certamen adversus cimices suscipis, quae non solum morsibus sed et foetore pugnant adversus hostem. Metuerem ne tibi id accideret quod carmine magistrali sed eleganti aliquando Lutherus Eccio obiecit: *Hoc scio pro certo quod si cum stercore certo, Vinco vel vincor, semper ego maculor*, nisi *Carolus* ex eo hostium genere esset, qui neminem praeter se ipsum foedare ac conspurcare potest, ut qui omnium iam suae turpitudinis foetore nares oppleverit. Huc accedit quod titulo aliarum manuum[3]) ipsius foetores exagitas, quo minus ad te ipsorum halitus pestilens perveniat. At qualis sit hostis, non tamen prorsus contemnendum esse, pulicum quibus lectus tuus insessus fuit demorsiunculae satis docere debuerunt. Nam etsi pulex hostis sit vilis admodum et contemptus, non desinit tamen valde molestus esse. Perge ergo pulices et cimices istos abigere qui, etsi tibi nihil nocere possunt, possunt tamen alios infestare quibus minus noti sunt, quique minus artem norunt ipsos conterendi. Valde placuit quod hactenus scripsisti: nam hominem mihi videris pro dignitate excipere, non quam meritus est, sed quam decet eum qui adversus eius calumnias et latratus alieno titulo defensionem suscipit.

Pauca sunt tamen quorum admonere visum est, non quod displiceant, sed ut expendas diligentius si fortasse lectores offendere possint aut ansam praebere *Caroli* fautoribus calumniandi. Sunt convicia quaedam quae fortassis videbuntur duriora et acerbiora iis quibus minus notus est *Carolus*, aut qui seni deliro aliquid condonandum putant. Qualia sunt: nebulo, furcifer, et alia id genus.[4]) Expendes igitur num praestiterit ea nonnihil lenire, quo magis eluceat narrationis rei gestae simplicitas, et minus narrator affectibus indulsisse.[5]) Sed haec parva sunt, nec multo graviora quae sequuntur. Cuiuscunque titulo haec edantur scripta, videbitur tamen autor lectoribus nostri admodum studiosus et amans: quo fit ut verear ne quod interdum praedicat de nobis, ac praesertim quod de te principio scribit, nimis odiosum sit hostibus, qui perpetuo queri solent quod soli velimus esse in pretio, et nostros habeamus assentatores et encomiastas, quibus nihil arrideat nisi quod a nobis proficiscatur, et qui nos velut idola venerentur. Nam quum te recusasse narrat[6]) scriptionem adversus *Carolum*, nimio forsan contemptu de *Carolo*, nimis vero magnifice de te loqui et sentire videri poterit iis qui ita transversi aguntur affectibus, ut ipsis minus placeamus, nostraque omnia, quam *Carolus* nobis. Sed qui sunt eiusmodi non sunt nobis alio habendi loco quam *Carolus*. Haec tamen volui indicare ut expenderes num digna sint minuta haec animadversione. Praeterea ne omnia *Carolo* adimere invidia et odio hominis videatur, dum adeo indoctum omnium facit, quid si illi aliquid sophisticarum argutiarum et cavillationum tribuatur, quibus addictus est, ut sibi aliquam ingenii et eruditionis laudem[7]) apud imperitos et rudes literarum vendicet: ita ut fucus ei aliquis relinquatur, vera autem eruditione spolietur? Nam non cuivis facile persuadebitur, hominem usque adeo indoctum esse, qui sibi sua ostentatione apud plurimos aliquam eruditionis famam peperit.

Porro, quod ad historiae veritatem attinet, miror sane memoriae felicitatem et dexteritatem. Nam melius tenes plurima quae ab aliorum ore accepisti, quam ego qui vidi et pars aliqua fui. Sunt tamen quaedam in quibus metuo aut ne ego fallar memoria, aut ne parum vera tibi narrata sint, quamvis non sint magni adeo momenti. Sed hoc unum, meo quidem iudicio, diligenter cavendum, necubi mendacii historiae narratio redargui possit, in iis praesertim quorum testes esse possunt *Caroli* fautores: quorum hic et Bernae satis magnus est numerus, qui tametsi non aperte faveant, sed hominem damnare cogantur, ita tamen damnant ut partem invidiae in nos derivare studeant, quo nos gravent, illum vero exonerent, quod partem aliquam ignominiae ipsius ad se quoque redire sentiant. Atque ita causam suam agunt, crimina *Caroli* extenuantes, ac nobis culpam magna ex parte adscribentes, qui eo desperationis hominem adegerimus.

Ut autem intelligas quae te velim magis expendere, ordine attingam. Quod scribis de bulla[8]) non procul abest a vero; sed tametsi nonnihil tergiversatus sit Agathopoli quod eum valde premeret divortium cum uxore, visus est tamen mihi bullam agnoscere, et omnia se conscio facta fuisse, quamvis aliquid tale obiiceret quale narras. Deinde, quamvis missam damnarit, diu tamen multumque tergiversatus est, quo ei speciem aliquam daret, quo valde offendebantur Agathopolitani. Praeterea Bernae, quum in consistorio acta est causa de precibus fundendis pro mortuorum resurrectione,[9]) non memini damnatum fuisse ad palinodiam, et nostro rogatu remissam, sed imperatum ipsi tantum fuisse

3) *nempe Gallasii.*

4) *Quae tamen minime in edito libello deleta sunt. Ita statim ab initio nebulonem, porcum, bestiam habes, neque usquiam sibi in talibus temperat. Cf. p.* 297. 301. 305. 307 *et saepissime.*

5) *sic. Supple:* videatur.

6) *Alludit ad ea quae Calvinus dixit p.* 293, *scil. in Gallasii persona.*

7) *Apographa habent:* tandem, *quod S. ex conjectura emendavit, quia autographon non inspexit.*

8) *pag.* 296 *sq.*

9) *Haec tractantur a Nostro p.* 328 *ss. sed aliter ac Viretus hic testatur se in schedis legisse.*

ut postea silentio doctrinam illam perpetuo premeret, nobis vero, ne de victoria gloriaremur, ne quid turbarum deinceps excitaretur. Si tamen ita certo habere nosti, sequere tuam sententiam: mihi memoria reliqua exciderunt, praeter haec quae commemoro. Quorum te lubens ideo moneo, quod consistorium in testimonium vocas quod eius honori parcere voluit. Ad haec in Genevensi disputatione [10]) ita missae canonem suis interpretationibus tuebatur, ut et papismum everteret et ad veritatem tamen non accederet: contendebat tamen veteres sic intellexisse. Transsubstantiationem negabat, et sacrificium, sed interpretabatur sacrificium, memoriam sacrificii, eo tropo (inquiebat) quo nos illa Christi verba: Hoc est corpus meum etc. Utut tamen res habuerit, ita disputabat nobiscum ut nollet hostis haberi veritatis, sed tamen nervos omnes intendebat ut vinceret, ac ora nobis obstrueret, quo gloriari posset de victoria. Nam eo erat ingenio ut gloriae Dei et eius veritati detractum cuperet, ut suae gloriae accederet.

Haec sunt quae scribenda habui, quamvis indigna quibus legendis occuperis. Si nihil est quod te moveat, contemne tuto, sed vide ne desistas a coepto opere. Quamvis enim scio te melioribus studiis magis delectari, spero tamen te non prorsum lusurum operam in refellendis istius canis latratibus. Quod *Farello* scelestus ille de sicariis obiicit, idem mihi quoque obiecit in senatu Lausannensi, non solum quod qui a nobis starent id decrevissent, sed quod ego quoque conscius essem nec admonuissem.

Unum superest in quo aut tu aut ego fallor memoria quod scribis de Catone caeso et eius responso. [11]) Nisi valde fallor id Socrati ab aliis tribuitur. Non est grave peccatum, vereorque ne ego fallar potius quam tu, quamvis apud Basilium de Socrate mihi scriptum videatur: quod non ausim tamen pertinacius adserere. Sed quid frustra his nugis te remoror ab instituto? Da operam ut mox ad umbilicum perducas.

Mitto ad te exemplar literarum quibus mihi a Bernatibus commendatus est, [12]) ut certius ex scripto adscribas quod visum fuerit. Misissem et bullae prioris exemplar, nisi apud te esse putassem. *Isabella* tibi maximas agit gratias, nam illi in ipso temporis articulo missum est subsidium. Scripsimus eius nomine commendatitias literas ad Bernates, sed quibus nondum responsum est. Doleo vicem *Girardi* typographi: nam quantum ex eius literis et nuper ex eius colloquio intellexi, bonus vir magna premitur pecuniae penuria quo fit ut paene cogatur prelum deserere nisi adiuvetur. Si inveniri posset aliquis qui pecuniam suppeditaret, excuderet denuo Novum Testamentum, nec iacturam faceret qui se socium adiungeret. Eum tibi commendarem, nisi certo scirem tibi esse quam commendatissimum. [13]) Undique premitur. Libri nunc non sunt vendibiles saevientibus persequutoribus, et qui ab eo venales acceperant multi perierunt. Si alia desunt, saltem viro bono aderis consilio. Remitto scripta in *Carolum*. Epistolas vero quarum misisti exemplar remittam ubi licuerit per otium legere et maturius expendere: nam eas duntaxat obiter percurri. Salutans te nostri omnes. Saluta amicos, praesertim uxorem meo et meae uxoris nomine, quae parum valet ex animi sententia. Vereor ne tandem apertius morbus erumpat. Vale. Lausannae 14. Iulii 1545.

Tuus P. Viretus.

10) *Etiam haec in edito libello mutata videntur, si confers quae nunc p.* 304 *leguntur.*

11) *Catonis nomen nunc in Calvini scripto nisi fallimur non nisi p.* 300 *occurrit, qui locus huc non pertinet.*

12) *Cf. p.* 307.

13) *Plurima Calvini scripta ex Girardi prelo prodiisse ex Prolegomenis nostris passim didicisti. Hoc ipso anno Institutio gallica edita fuit, praeter alia. Novum Testamentum gallicum a Calvino recognitum ad a.* 1543 *laudat Gaullieur, typogr. Genev. p.* 13.

661.

LIBERTETUS FARELLO.

Calvinus Champerellum novum ministrum in suam parochiam deducit.

(Ex autographo Bibl. past. Neocomensium. Epp. Fabri N. 44.)

Fideli Christi servo Gulielmo Farello
Neocomi.

— — — — *Calvinus* die dominico [1]) hic fuit fratrem *Champerellum* Draillanum deducendi gratia, ubi constitutus est minister. Literas e Germania proxime recepturus est. Non dubito quin mox tibi significet quod in eis continebitur. Ego quoque si quid prosperum intellexero nactus tabellarium mox scribam. — — — Tho. 15. Iulii 1545.

Tuus Christoph. Faber Libert.

661. 1) 12. *Iulii.*

adversus cimices praestabis. Nam dum in arenam adversus *Carolum* descendis, certamen adversus cimices suscipis, quae non solum morsibus sed et foetore pugnant adversus hostem. Metuerem ne tibi id accideret quod carmine magistrali sed eleganti aliquando Lutherus Eccio obiecit: *Hoc scio pro certo quod si cum stercore certo, Vinco vel vincor, semper ego maculor*, nisi *Carolus* ex eo hostium genere esset, qui neminem praeter se ipsum foedare ac conspurcare potest, ut qui omnium iam suae turpitudinis foetore nares oppleverit. Huc accedit quod titulo aliarum manuum [3]) ipsius foetores exagitas, quo minus ad te ipsorum halitus pestilens perveniat. At qualis sit hostis, non tamen prorsus contemnendum esse, pulicum quibus lectus tuus insessus fuit demorsiunculae satis docere debuerunt. Nam etsi pulex hostis sit vilis admodum et contemptus, non desinit tamen valde molestus esse. Perge ergo pulices et cimices istos abigere qui, etsi tibi nihil nocere possunt, possunt tamen alios infestare quibus minus noti sunt, quique minus artem norunt ipsos conterendi. Valde placuit quod hactenus scripsisti: nam hominem mihi videris pro dignitate excipere, non quam meritus est, sed quam decet eum qui adversus eius calumnias et latratus alieno titulo defensionem suscipit.

Pauca sunt tamen quorum admonere visum est, non quod displiceant, sed ut expendas diligentius si fortasse lectores offendere possint aut ansam praebere *Caroli* fautoribus calumniandi. Sunt convicia quaedam quae fortassis videbuntur duriora et acerbiora iis quibus minus notus est *Carolus*, aut qui seni deliro aliquid condonandum putant. Qualia sunt: nebulo, furcifer, et alia id genus. [4]) Expendes igitur num praestiterit ea nonnihil lenire, quo magis eluceat narrationis rei gestae simplicitas, et minus narrator affectibus indulsisse. [5]) Sed haec parva sunt, nec multo graviora quae sequuntur. Cuiuscunque titulo haec edantur scripta, videbitur tamen autor lectoribus nostri admodum studiosus et amans: quo fit ut verear ne quod interdum praedicat de nobis, ac praesertim quod de te principio scribit, nimis odiosum sit hostibus, qui perpetuo queri solent quod soli velimus esse in pretio, et nostros habeamus assentatores et encomiastas, quibus nihil arrideat nisi quod a nobis proficiscatur, et qui nos velut idola venerentur. Nam quum te recusasse narrat [6]) scriptionem adversus *Carolum*, nimio forsan contemptu de *Carolo*, nimis vero magnifice de te loqui et sentire videri poterit iis qui ita transversi aguntur affectibus, ut ipsis minus placeamus, nostraque omnia, quam *Carolus* nobis. Sed qui sunt eiusmodi non sunt nobis alio habendi loco quam *Carolus*. Haec tamen volui indicare ut expenderes num digna sint minuta haec animadversione. Praeterea ne omnia *Carolo* adimere invidia et odio hominis videatur, dum adeo indoctum omnium facit, quid si illi aliquid sophisticarum argutiarum et cavillationum tribuatur, quibus addictus est, ut sibi aliquam ingenii et eruditionis laudem [7]) apud imperitos et rudes literarum vendicet: ita ut fucus ei aliquis relinquatur, vera autem eruditione spolietur? Nam non cuivis facile persuadebitur, hominem usque adeo indoctum esse, qui sibi sua ostentatione apud plurimos aliquam eruditionis famam peperit.

Porro, quod ad historiae veritatem attinet, miror sane memoriae felicitatem et dexteritatem. Nam melius tenes plurima quae ab aliorum ore accepisti, quam ego qui vidi et pars aliqua fui. Sunt tamen quaedam in quibus metuo aut ne ego fallar memoria, aut ne parum vera tibi narrata sint, quamvis non sint magni adeo momenti. Sed hoc unum, meo quidem iudicio, diligenter cavendum, necubi mendacii historiae narratio redargui possit, in iis praesertim quorum testes esse possunt *Caroli* fautores: quorum hic et Bernae satis magnus est numerus, qui tametsi non aperte faveant, sed hominem damnare cogantur, ita tamen damnant ut partem invidiae in nos derivare studeant, quo nos gravent, illum vero exonerent, quod partem aliquam ignominiae ipsius ad se quoque redire sentiant. Atque ita causam suam agunt, crimina *Caroli* extenuantes, ac nobis culpam magna ex parte adscribentes, qui eo desperationis hominem adegerimus.

Ut autem intelligas quae te velim magis expendere, ordine attingam. Quod scribis de bulla [8]) non procul abest a vero; sed tametsi nonnihil tergiversatus sit Agathopoli quod eum valde premeret divortium cum uxore, visus est tamen mihi bullam agnoscere, et omnia se conscio facta fuisse, quamvis aliquid tale obiiceret quale narras. Deinde, quamvis missam damnarit, diu tamen multumque tergiversatus est, quo ei speciem aliquam daret, quo valde offendebantur Agathopolitani. Praeterea Bernae, quum in consistorio acta est causa de precibus fundendis pro mortuorum resurrectione, [9]) non memini damnatum fuisse ad palinodiam, et nostro rogatu remissam, sed imperatum ipsi tantum fuisse

3) *nempe Gallasii.*

4) *Quae tamen minime in edito libello deleta sunt. Ita statim ab initio nebulonem, porcum, bestiam habes, neque uspiam sibi in talibus temperat. Cf. p.* 297. 301. 305. 307 *et saepissime.*

5) *sic. Supple:* videatur.

6) *Alludit ad ea quae Calvinus dixit p.* 293, *scil. in Gallasii persona.*

7) *Apographa habent:* tandem, *quod S. ex conjectura emendavit, quia autographon non inspexit.*

8) *pag.* 296 *sq.*

9) *Haec tractantur a Nostro p.* 328 *ss. sed aliter ac Viretus hic testatur se in schedis legisse.*

ut postea silentio doctrinam illam perpetuo premeret, nobis vero, ne de victoria gloriaremur, ne quid turbarum deinceps excitaretur. Si tamen ita certo habere nosti, sequere tuam sententiam: mihi memoria reliqua exciderunt, praeter haec quae commemoro. Quorum te lubens ideo moneo, quod consistorium in testimonium vocas quod eius honori parcere voluit. Ad haec in Genevensi disputatione [10]) ita missae canonem suis interpretationibus tuebatur, ut et papismum everteret et ad veritatem tamen non accederet: contendebat tamen veteres sic intellexisse. Transsubstantiationem negabat, et sacrificium, sed interpretabatur sacrificium, memoriam sacrificii, eo tropo (inquiebat) quo nos illa Christi verba: Hoc est corpus meum etc. Utut tamen res habuerit, ita disputabat nobiscum ut nollet hostis haberi veritatis, sed tamen nervos omnes intendebat ut vinceret, ac ora nobis obstrueret, quo gloriari posset de victoria. Nam eo erat ingenio ut gloriae Dei et eius veritati detractum cuperet, ut suae gloriae accederet.

Haec sunt quae scribenda habui, quamvis indigna quibus legendis occuperis. Si nihil est quod te moveat, contemne tuto, sed vide ne desistas a coepto opere. Quamvis enim scio te melioribus studiis magis delectari, spero tamen te non prorsum lusurum operam in refellendis istius canis latratibus. Quod *Farello* scelestus ille de sicariis obiicit, idem mihi quoque obiecit in senatu Lausannensi, non solum quod qui a nobis starent id decrevissent, sed quod ego quoque conscius essem nec admonuissem.

Unum superest in quo aut tu aut ego fallor memoria quod scribis de Catone caeso et eius responso. [11]) Nisi valde fallor id Socrati ab aliis tribuitur. Non est grave peccatum, vereorque ne ego fallar potius quam tu, quamvis apud Basilium de Socrate mihi scriptum videatur: quod non ausim tamen pertinacius adserere. Sed quid frustra his nugis te remoror ab instituto? Da operam ut mox ad umbilicum perducas.

Mitto ad te exemplar literarum quibus mihi a Bernatibus commendatus est, [12]) ut certius ex scripto adscribas quod visum fuerit. Misissem et bullae prioris exemplar, nisi apud te esse putassem. *Isabella* tibi maximas agit gratias, nam illi in ipso temporis articulo missum est subsidium. Scripsimus eius nomine commendatitias literas ad Bernates, sed quibus nondum responsum est. Doleo vicem *Girardi* typographi: nam quantum ex eius literis et nuper ex eius colloquio intellexi, bonus vir magna premitur pecuniae penuria quo fit ut paene cogatur prelum deserere nisi adiuvetur. Si inveniri posset aliquis qui pecuniam suppeditaret, excuderet denuo Novum Testamentum, nec iacturam faceret qui se socium adiungeret. Eum tibi commendarem, nisi certo scirem tibi esse quam commendatissimum. [13]) Undique premitur. Libri nunc non sunt vendibiles saevientibus persequutoribus, et qui ab eo venales acceperant multi perierunt. Si alia desunt, saltem viro bono aderis consilio. Remitto scripta in *Carolum*. Epistolas vero quarum misisti exemplar remittam ubi licuerit per otium legere et maturius expendere: nam eas duntaxat obiter percurri. Salutans te nostri omnes. Saluta amicos, praesertim uxorem meo et meae uxoris nomine, quae parum valet ex animi sententia. Vereor ne tandem apertius morbus erumpat. Vale. Lausannae 14. Iulii 1545.

Tuus P. Viretus.

10) *Etiam haec in edito libello mutata videntur, si confers quae nunc p.* 304 *leguntur.*

11) *Catonis nomen nunc in Calvini scripto nisi fallimur non nisi p.* 300 *occurrit, qui locus huc non pertinet.*

12) *Cf. p.* 307.

661.

LIBERTETUS FARELLO.

Calvinus Champerellum novum ministrum in suam parochiam deducit.

(Ex autographo Bibl. past. Neocomensium. Epp. Fabri N. 44.)

Fideli Christi servo Gulielmo Farello Neocomi.

— — — — *Calvinus* die dominico [1]) hic fuit fratrem *Champerellum* Draillanum deducendi gratia, ubi constitutus est minister. Literas e Germania proxime recepturus est. Non dubito quin mox tibi significet quod in eis continebitur. Ego quoque si quid prosperum intellexero nactus tabellarium mox scribam. — — — Tho. 15. Iulii 1545.

Tuus Christoph. Faber Libert.

13) *Plurima Calvini scripta ex Girardi prelo prodiisse ex Prolegomenis nostris passim didicisti. Hoc ipso anno Institutio gallica edita fuit, praeter alia. Novum Testamentum gallicum a Calvino recognitum ad a.* 1543 *laudat Gaullieur, typogr. Genev. p.* 13.

661. 1) 12. *Iulii.*

adversus cimices praestabis. Nam dum in arenam adversus *Carolum* descendis, certamen adversus cimices suscipis, quae non solum morsibus sed et foetore pugnant adversus hostem. Metuerem ne tibi id accideret quod carmine magistrali sed eleganti aliquando Lutherus Eccio obiecit: *Hoc scio pro certo quod si cum stercore certo, Vinco vel vincor, semper ego maculor*, nisi *Carolus* ex eo hostium genere esset, qui neminem praeter se ipsum foedare ac conspurcare potest, ut qui omnium iam suae turpitudinis foetore nares oppleverit. Huc accedit quod titulo aliarum manuum [3]) ipsius foetores exagitas, quo minus ad te ipsorum halitus pestilens perveniat. At qualis sit hostis, non tamen prorsus contemnendum esse, pulicum quibus lectus tuus insessus fuit demorsiunculae satis docere debuerunt. Nam etsi pulex hostis sit vilis admodum et contemptus, non desinit tamen valde molestus esse. Perge ergo pulices et cimices istos abigere qui, etsi tibi nihil nocere possunt, possunt tamen alios infestare quibus minus noti sunt, quique minus artem norunt ipsos conterendi. Valde placuit quod hactenus scripsisti: nam hominem mihi videris pro dignitate excipere, non quam meritus est, sed quam decet eum qui adversus eius calumnias et latratus alieno titulo defensionem suscipit.

Pauca sunt tamen quorum admonere visum est, non quod displiceant, sed ut expendas diligentius si fortasse lectores offendere possint aut ansam praebere *Caroli* fautoribus calumniandi. Sunt convicia quaedam quae fortassis videbuntur duriora et acerbiora iis quibus minus notus est *Carolus*, aut qui seni deliro aliquid condonandum putant. Qualia sunt: nebulo, furcifer, et alia id genus. [4]) Expendes igitur num praestiterit ea nonnihil lenire, quo magis eluceat narrationis rei gestae simplicitas, et minus narrator affectibus indulsisse. [5]) Sed haec parva sunt, nec multo graviora quae sequuntur. Cuiuscunque titulo haec edantur scripta, videbitur tamen autor lectoribus nostri admodum studiosus et amans: quo fit ut verear ne quod interdum praedicat de nobis, ac praesertim quod de te principio scribit, nimis odiosum sit hostibus, qui perpetuo queri solent quod soli velimus esse in pretio, et nostros habeamus assentatores et encomiastas, quibus nihil arrideat nisi quod a nobis proficiscatur, et qui nos velut idola venerentur. Nam quum te recusasse narrat [6]) scriptionem adversus *Carolum*, nimio forsan contemptu de *Carolo*, nimis vero magnifice de te loqui et sentire videri poterit iis qui ita transversi aguntur affectibus, ut ipsis minus placeamus, nostraque omnia, quam *Carolus* nobis. Sed qui sunt eiusmodi non sunt nobis alio habendi loco quam *Carolus*. Haec tamen volui indicare ut expenderes num digna sint minuta haec animadversione. Praeterea ne omnia *Carolo* adimere invidia et odio hominis videatur, dum adeo indoctum omnium facit, quid si illi aliquid sophisticarum argutiarum et cavillationum tribuatur, quibus addictus est, ut sibi aliquam ingenii et eruditionis laudem [7]) apud imperitos et rudes literarum vendicet: ita ut fucus ei aliquis relinquatur, vera autem eruditione spolietur? Nam non cuivis facile persuadebitur, hominem usque adeo indoctum esse, qui sibi sua ostentatione apud plurimos aliquam eruditionis famam peperit.

Porro, quod ad historiae veritatem attinet, miror sane memoriae felicitatem et dexteritatem. Nam melius tenes plurima quae ab aliorum ore accepisti, quam ego qui vidi et pars aliqua fui. Sunt tamen quaedam in quibus metuo aut ne ego fallar memoria, aut ne parum vera tibi narrata sint, quamvis non sint magni adeo momenti. Sed hoc unum, meo quidem iudicio, diligenter cavendum, necubi mendacii historiae narratio redargui possit, in iis praesertim quorum testes esse possunt *Caroli* fautores: quorum hic et Bernae satis magnus est numerus, qui tametsi non aperte faveant, sed hominem damnare cogantur, ita tamen damnant ut partem invidiae in nos derivare studeant, quo nos gravent, illum vero exonerent, quod partem aliquam ignominiae ipsius ad se quoque redire sentiant. Atque ita causam suam agunt, crimina *Caroli* extenuantes, ac nobis culpam magna ex parte adscribentes, qui eo desperationis hominem adegerimus.

Ut autem intelligas quae te velim magis expendere, ordine attingam. Quod scribis de bulla [8]) non procul abest a vero; sed tametsi nonnihil tergiversatus sit Agathopoli quod eum valde premeret divortium cum uxore, visus est tamen mihi bullam agnoscere, et omnia se conscio facta fuisse, quamvis aliquid tale obiiceret quale narras. Deinde, quamvis missam damnarit, diu tamen multumque tergiversatus est, quo ei speciem aliquam daret, quo valde offendebantur Agathopolitani. Praeterea Bernae, quum in consistorio acta est causa de precibus fundendis pro mortuorum resurrectione, [9]) non memini damnatum fuisse ad palinodiam, et nostro rogatu remissam, sed imperatum ipsi tantum fuisse

3) *nempe Gallasii.*

4) *Quae tamen minime in edito libello deleta sunt. Ita statim ab initio nebulonem, porcum, bestiam habes, neque uspiam sibi in talibus temperat. Cf. p.* 297. 301. 305. 307 *et saepissime.*

5) *sic. Supple:* videatur.

6) *Alludit ad ea quae Calvinus dixit p.* 293, *scil. in Gallasii persona.*

7) *Apographa habent:* tandem, *quod S. ex conjectura emendavit, quia autographon non inspexit.*

8) *pag.* 296 *sq.*

9) *Haec tractantur a Nostro p.* 328 *ss. sed aliter ac Viretus hic testatur se in schedis legisse.*

ut postea silentio doctrinam illam perpetuo premeret, nobis vero, ne de victoria gloriaremur, ne quid turbarum deinceps excitaretur. Si tamen ita certo habere nosti, sequere tuam sententiam: mihi memoria reliqua exciderunt, praeter haec quae commemoro. Quorum te lubens ideo moneo, quod consistorium in testimonium vocas quod eius honori parcere voluit. Ad haec in Genevensi disputatione [10]) ita missae canonem suis interpretationibus tuebatur, ut et papismum everteret et ad veritatem tamen non accederet: contendebat tamen veteres sic intellexisse. Transsubstantiationem negabat, et sacrificium, sed interpretabatur sacrificium, memoriam sacrificii, eo tropo (inquiebat) quo nos illa Christi verba: Hoc est corpus meum etc. Utut tamen res habuerit, ita disputabat nobiscum ut nollet hostis haberi veritatis, sed tamen nervos omnes intendebat ut vinceret, ac ora nobis obstrueret, quo gloriari posset de victoria. Nam eo erat ingenio ut gloriae Dei et eius veritati detractum cuperet, ut suae gloriae accederet.

Haec sunt quae scribenda habui, quamvis indigna quibus legendis occuperis. Si nihil est quod te moveat, contemne tuto, sed vide ne desistas a coepto opere. Quamvis enim scio te melioribus studiis magis delectari, spero tamen te non prorsum lusurum operam in refellendis istius canis latratibus. Quod *Farello* scelestus ille de sicariis obiicit, idem mihi quoque obiecit in senatu Lausannensi, non solum quod qui a nobis starent id decrevissent, sed quod ego quoque conscius essem nec admonuissem.

Unum superest in quo aut tu aut ego fallor memoria quod scribis de Catone caeso et eius responso. [11]) Nisi valde fallor id Socrati ab aliis tribuitur. Non est grave peccatum, vereorque ne ego fallar potius quam tu, quamvis apud Basilium de Socrate mihi scriptum videatur: quod non ausim tamen pertinacius adserere. Sed quid frustra his nugis te remoror ab instituto? Da operam ut mox ad umbilicum perducas.

Mitto ad te exemplar literarum quibus mihi a Bernatibus commendatus est, [12]) ut certius ex scripto adscribas quod visum fuerit. Misissem et bullae prioris exemplar, nisi apud te esse putassem. *Isabella* tibi maximas agit gratias, nam illi in ipso temporis articulo missum est subsidium. Scripsimus eius nomine commendatitias literas ad Bernates, sed quibus nondum responsum est. Doleo vicem *Girardi* typographi: nam quantum ex eius literis et nuper ex eius colloquio intellexi, bonus vir magna premitur pecuniae penuria quo fit ut paene cogatur prelum deserere nisi adiuvetur. Si inveniri posset aliquis qui pecuniam suppeditaret, excuderet denuo Novum Testamentum, nec iacturam faceret qui se socium adiungeret. Eum tibi commendarem, nisi certo scirem tibi esse quam commendatissimum. [13]) Undique premitur. Libri nunc non sunt vendibiles saevientibus persequutoribus, et qui ab eo venales acceperant multi perierunt. Si alia desunt, saltem viro bono aderis consilio. Remitto scripta in *Carolum*. Epistolas vero quarum misisti exemplar remittam ubi licuerit per otium legere et maturius expendere: nam eas duntaxat obiter percurri. Salutans te nostri omnes. Saluta amicos, praesertim uxorem meo et meae uxoris nomine, quae parum valet ex animi sententia. Vereor ne tandem apertius morbus erumpat. Vale. Lausannae 14. Iulii 1545.

Tuus P. Viretus.

10) *Etiam haec in edito libello mutata videntur, si confers quae nunc p.* 304 *leguntur.*
11) *Catonis nomen nunc in Calvini scripto nisi fallimur non nisi p.* 300 *occurrit, qui locus huc non pertinet.*
12) *Cf. p.* 307.
13) *Plurima Calvini scripta ex Girardi prelo prodiisse ex Prolegomenis nostris passim didicisti. Hoc ipso anno Institutio gallica edita fuit, praeter alia. Novum Testamentum gallicum a Calvino recognitum ad a.* 1543 *laudat Gaullieur, typogr. Genev. p.* 13.

661.

LIBERTETUS FARELLO.

Calvinus Champerellum novum ministrum in suam parochiam deducit.

(Ex autographo Bibl. past. Neocomensium. Epp. Fabri N. 44.)

Fideli Christi servo Gulielmo Farello
Neocomi.

— — — — *Calvinus* die dominico [1]) hic fuit fratrem *Champerellum* Draillanum deducendi gratia, ubi constitutus est minister. Literas e Germania proxime recepturus est. Non dubito quin mox tibi significet quod in eis continebitur. Ego quoque si quid prosperum intellexero nactus tabellarium mox scribam. — — — Tho. 15. Iulii 1545.

Tuus Christoph. Faber Libert.

661. 1) 12. *Iulii.*

661 bis.

BUCERUS CALVINO.

(Huius Sarravius autographon in sua collectione se habere testatur d. 20. Iulii 1545 scriptae.)

662.

CALVINUS VIRETO.

Quid ex mente amici in libello suo mutaverit quid porro facere instituerit significat.

(Ex apographo Cod. Genev. 145, fol. 83, cum inscriptione: *Calvini responsio ad accusationes.* Exemplar mendosum et passim a Vireto emendatum.)

Si mihi nondum ad fugandos *Caroli* morsus satis fuisset animi, tamen tua eleganti illa facetaque pulicum et cimicum similitudine prorsus inflammare poteras. Si nulla intermissio fuisset facta, quinque aut sex diebus postquam ad te scripseram opus fuisset absolutum. Sed ex eo tempore fui Thononii et Traliani,[1]) qua profectione biduum perdidimus. Altero deinde biduo *Gallasius* noster abfuit. Restat tamen nobis duntaxat paucarum horarum opera. Admonitiones tuae mihi gratae fuerunt, quanquam futurae gratiores si liberius improbasses quidquid iudicabas animadversione dignum. Nunc dum tu mihi parcis, videris nimium timidus vel indulgens esse censor, non quia ad vivum resecari omnia vitia oportuerit, sed quia nimis verecunde mecum agis, ac si censurae asperitatem suaviori verborum condimento mitigare velles. In apophthegmate puto Senecam mihi praebuisse causam erroris.[2]) Scis alterum quoque non absimile Catoni tribui. Nam quum baiulus arcam ferens eo in terram prostrato dixisset: cave, respondit ille: Bene mones, sed sero. Sed quum Plutarchus, Socratis esse illud quod refero, testetur in libro de liberis educandis, et accedat Lactantius, nomen Socratis reposui.[3]) In comitiis ita mihi temperavi, ne ullum esset nisi loco positum, hoc est, sicuti res exigebat. Ubi de inscitia loquor, illam quae tibi placuit exceptionem addidi, quam agnosco non debuisse praeteriri. Ex[4]) invidis aut malevolis laudes, quibus illic ornamur, et praesertim ego, sermonem daturas suspicaris, id tibi concedo. Sed video cum sua obtrectatione fore ridiculos. Ego *Gallasii* nostri nomen mutuabor quod operi inscribam. Erit haec opinio adiutum a me fuisse: aliquid tamen eius esse proprium. Ego autem eius tanquam ore de me ita loquutus sum, ut possem hoc praetextu eludere si quis me autorem esse arguat. Dicam enim mihi iniuriam fieri, si quis adeo me ineptire sentiat. Et tamen quid illic mihi dabitur[5]) praeter nominis celebritatem? Dum habetur de nobis tribus sermo, praedicamur sancti viri et de ecclesia optime meriti. Neque vero hoc secundum puduit nobis arrogare in mea ipsius persona. Verum prudentes et sani ex circumstantia aestimabunt, sitne levis iactantia an opportuna gloriatio. Denique haec optima est moderationis regula ut nihil nobis sumamus nisi iusta ratione impulsi. Hoc si ad excusationem satis est, quid ubi cogit necessitas? Crepent ergo medii qui ferre nequeunt ut de nobis recte sentiat quispiam. Nec vero in historia spectandum mihi fuit ut illis satisfacerem. Hac enim tandem ratione id consequemur, si totam mali culpam aut magnam partem in nos recipiamus. Ego vero temperamentum quale potui in argumento perplexo adhibui. Nihil dixi nisi quod esset verissimum. Sed multa etiam suppressi, vel quod supervacanea erant vel quod obfutura erant causae.[6])

663.

BALDUINUS[1]) CALVINO.

Moram reditus excusat. Lutetiae largior evangelii seges quam quis sperasset. Pontificiorum furor in persequendis piis.

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 58.)

A Monseigneur Monsieur Charles despeville.

S. P. Ignosce necessitati, *Carole* humanissime, si haec aetas ad tantum virum tam familiariter

---

662. 1) M. Calvin a esté vers M. le ballifz de Thonon pour presenter Champereaulx predicant de Dralliantz etc. (*Reg. du Conseil ad* 13. *Iul. vide quoque N.* 661.)

2) *Vide* 660, *not.* 11.

3) *Sic Viretus. Cod. habet:* repositi. *Sequentia ita emendanda ut pro:* comitiis, *legas* conviciis.

4) *V. superscripsit:* Quod.

5) *V. correxit:* dabatur.

6) *Patet epistolam scriptam esse post N.* 660 *et ante N.* 669.

663. 1) *De Balduino, cuius haec prima ad nostrum epistola esse videtur, quae quidem ad nos pervenit, ut caeterae fere omnes Rochii nomine signata, verba fecimus in Prolegg. T. IX, p.* 43 *seq. Anno* 1544 *vergente videtur primum adiisse Calvinum, tum Lutetiam et Argentoratum concessisse, mox Parisios rediturus. Fortasse tamen aliquis coniecerit eum*

καὶ αὐτοσχεδιῶς audet scribere. Nam ut omittam epistolas non erubescere, nosti causas quae nobis excutiunt verecundam manum et omnem significationem reverentiae. Reversus noster *Burgundus*[2]) retulit in autographo *περὶ τῆς πίστεως τῶν ἐν διασπορᾷ* non omnino placere locum *περὶ δείπνου κυριακοῦ*, nec satis explicare quid desiderares. Quod tamen inprimis scire cupiebam, ut qui tuam sententiam habeam coelestis cuiusdam oraculi loco. Sed de his melius coram. Furorem *Flaminii*,[3]) qui ut placeat *Meretori*[4]) sanguinem effundet, iam opinor ex multis audisti. Ubi Domino visum erit exsurget aliquis Cato qui eum senatu moveat. Voluimus nostrum caput obiicere tyrannidi pro confessione: sed non sunt passi parentes. Vidisses puerum Origenem cum matre luctantem.[5])

Quod ad rationem nostrae morae attinet, piget certe, pudetque nos cessationis nostrae. Sed nos infinitis difficultatibus Satan implicat. Et tribuimus aliquid affectioni amicorum. Elias suo Elisaeo, quem evocarat, permittit aliquam moram, ut osculetur parentes et iis valedicat. Et leges civiles in examinandis causis emansionis aliquid indulgent affectioni parentum, qui militem diutius retinuerunt. Agedum tu quoque, optime *Carole*, ignosce huic nostrae morae, quam alioqui molestissimam sentimus, ardentes pio desiderio vestrae consuetudinis.[6]) O quoties suspiramus:

Quis mihi, quis tandem volucres affixerit alas
    Remigium aeriae praecipitisque fugae!
Ut fugiam ingratas rapido velocius euro
    Et tristi imbutas impietate domos:
Ut sequar imbutos vera pietate fideles,
    Cum Christo coetus innocuumque gregem.

Necdum nobis exciderunt quae nobis *Burgundus* noster retulit de tua illa concione in Psalmum 43. Utinam vero penitus cognitos haberes piorum qui hic sparsi sunt gemitus. Certe satis intelligeres nequaquam irritos esse vestros conatus, quod postremis ad *Burgundum* literis scribebas. Erumpet, erumpet aliquando quod nunc latet in hisce regionibus, etiamsi coelum terrae misceat hostis. Interim Dominum precabimur ut magis ac magis lucem suae gloriae et veritatis exserat propagetque per vestrum ministerium.

Opto meo nomine plurimam salutem dici Timotheo tuo *Salycaeo*,[7]) quem arcano quodam philtro nobis conciliat magnus ille Iupiter *φίλιος*, ut omittam similitudinem formae et ingenii, quam nobis multi praedicant. Misissem lubenter nonnulla quae tuam censuram desiderant. Sed melius omnia coram. *Henrichum* nostrum cum familia profuga tuae humanitati commendamus, vir humanissime. Ex Megalopoli 20. Iulii.[8])

Tuus Petrus Rochius B.

664.

CALVINUS BULLINGERO.

Stimulat eius ardorem in procuranda legatione ad regem Galliae mittenda de negotio Provincialium, quum quae nuper decreta fuerant in nihilum recidere videantur.

(Ex autographo Arch. Turic. olim Epp. Tom. 24, nunc Plut. VI, Vol. 166, fol. 2. Genevae Cod. 106, fol. 134 exstat apographon Saec. XVI, tum Cod. 111, fol. 118 Turretini exemplar, ibid. fol. 109 aliud recentius. Quibus addendum Bernensia duo, Epp. VII. p. 52 et 682, denique Simlerianum Vol. 57. — Anglice legitur Tom. I. p. 445.)

Eximio viro D. Henricho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori dignissimo symmystae et amico carissimo.

Quantum intelligo ex amicorum literis, quod de legatione in Galliam mittenda magno tuo et bo-

---

demum post scriptam hanc et alteram (671) *ex Lutetia Genevae ad breve tempus commoratum, inde Argentoratum mox petiturus* (709). *De rebus eius consulendi etiam Haagius in France prot. Iul. Heveling de F. Balduino Icto eiusque studiis irenicis etc. Bonn.* 1871, *et M. Fabricius in Biga responsionum F. Balduini ad Calv. et Bezam, denuo ed. a G. I. de Buininck. Dusseld.* 1763.

2) *Huius viri supra N.* 637 *exstat ep. ad Calvinum. Videtur loqui de aliquo suo scripto quod Calvini iudicio submiserat. Tale scriptum autem inter Balduini opera a laudatis autoribus non recensetur.*

3) *Hoc nomine* (*T. Quinctii Flaminini olim a Catone censore propter saevitiam senatu pulsi*) *designare videtur D. de Grignan Waldensium carnificem, tum temporis Regis in comitiis Wormatiensibus legatum.*

4) *An Cardinali de Tournon?*

5) *Nescimus an hic ad aliquod recentius factum alludat. Iam antea in discrimine versatus erat, quum a Parisiis redux in patria sua apud Atrebates per evangelici praedicatoris et martyris conciones ad fidem reformatam conversus solum vertere coactus fuerit, et a curia citatus vix matris precibus exorari se fuerit passus ut ne iudicum manibus se traderet* (*Heveling p.* 4, *Fabricius p.* 153). *Verum etiam mox a.* 1545, *dum Institutiones suas Lutetiae prelo mandabat, haereseos causas exsilio multatus est.*

6) *Calvinus eius reditum exoptasse, vel ip[illegible] Balduinu promisisse videtur, quem tamen anno demum* 1547 *Genevam reversum fuisse constat.*

7) *Hunc nullum alium esse, quam Calvini collegam, Nicol. des Gallars* (*Gallasium*) *sieur de Saules, quocum Balduinus amicitia iunctus erat cuiusque negotia vel suorum oblitus et suo sumptu procurabat* (*Fabric. l. l. ad a.* 1546).

8) *Megalopolin Lutetiam esse, annum vero* 1545, *vix est quod dubites, si hanc cum proxima N.* 671 *contuleris, cuius natales accuratius declarantur.*

norum omnium studio impetraveram,[1]) in nihilum recidet nisi res iterum urgeatur. Hoc consequuti sunt suis mendaciis *Regis* pensionarii, ut ne misericordia quidem dignos iudicemus quos videmus ob causam quam nobiscum habent communem crudeliter interfici. Iam tunc Aroviae quum essem[2]) animadverti non obscuris coniecturis, quosdam non adeo nobis esse propitios, vel saltem non ita ardere, quod sinistris rumoribus essent occupati. Erat autem vanissimum crimen confictum,[3]) quo miseri fratres gravarentur: saevitum ideo in ipsos esse quod decimas solvere recusarent. Atqui ne ab hostibus quidem hoc illis unquam obiectum est. Quin potius satis notum est, semper ultro pollicitos fuisse sacrificis, tantundem se daturos illis otiosis, quantum exigere solebant quum sacra sua facerent. Semper enim habuerunt prudentes modestosque homines quorum sanis consiliis regi se patiebantur. Potes igitur fide mea asserere, hanc minime fuisse excitatae persequutionis causam. Ac ne *Grynianus*[4]) quidem, qui nunc Wormatiae *Regis* est legatus, hoc praetextu abuti ausus est ad levandam invidiam. At quis eo melius nosse potuit, quum sua perfidia totum hunc ignem accenderit? Nam quum e Provincia, cuius est praeses, accitus a *Rege* esset, fratribus recepit se fideliter acturum in aula ipsorum causam. Sed dum vult Cardinali *Turnonio*[5]) blandiri, cuius auspiciis legationem ambiebat, furore hactenus inaudito *Regis* animum inflammavit. Nunc operae pretium est cognoscere, quo in statu sint res piorum fratrum. *Rex*, ut Germanis satisfaceret, nuper illuc scripsit, se commissarium misisse qui de strage perpetrata inquireret. Sed quid inde sperari potest? Nemo est nunc qui hiscere ausit pro sublevandis miseris fratribus. Oppressa ergo iacebit eorum causa. Tenentur adhuc plus quam quadringenti in vinculis. Nam sentinae quoque navium vinctis plenae sunt.[6]) Quotidie ex comitatu Avenionensi incursiones fiunt in eos qui supersunt adhuc.[7]) Quod tametsi fit *Rege* tacente, permissu tamen eius fieri certum est. Neque enim sic conniveret nisi probaret. Nec legatus tantum sibi arrogaret nisi perspecto eius animo. Proinde nunc opitulandi tempus est, si quando antehac fuit. Sunt enim plurimi ex fuga huc illuc dissipati. Alii latent apud bonos viros, qui vitam propriam opponere periculo non dubitarunt, ut illos a morte eriperent. Alii capti tenentur. Quod *Rex* pollicetur non remedium est, neque mali mitigatio, sed latebra qua sepeliatur eorum interitus. Itane videntibus nobis ac quiescentibus fundetur innoxius sanguis? impune grassabitur in fratres nostros impiorum rabies? Christus ludibrio habebitur? Porro ita futurum prospicimus, nisi ex integro incumbas, una cum aliis quibus curae est Christi regnum. Nam Bernae et Basileae animos refrixisse audio, nisi calefiant. Nos eniti non desinemus. Tu cum fratribus effice ut vestri serio negotium suscipiant. Vale, ornatissime vir, symmysta et amice plurimum honorande. Saluta reverenter meo nomine DD. *Pellicanum*, *Megandrum*, *Theodorum*, *Galterum*, *Collinum*[8]) et alios. Dominus vos omnes servet diu incolumes et spiritu suo gubernet in perpetuum. Amen. Genevae 24. Iul. 1545.

Ioannes Calvinus tuus.

664. 1) *De Calvini itinere mense Maio suscepto et conventu Aroviensi v. supra N.* 638 *seqq.*

2) *d.* 21. *Maii. v. Ruchat* V. 253.

3) *In confessione sua d.* 6. *April.* 1541 *Merindolii conscripta ipsi dicunt Waldenses:* Touchant du Magistrat, comme les Princes et Seigneurs et toutes gens de Iustice, nous les tenons estre ordonnés de Dieu et voulons obeir à leurs loix et constitutions qui concernent les biens et corps ausquels loyaument voulons payer tributs et imposts, dismes, censes et toute chose qui leur appartiendra *etc.* (*Hist. eccl.* I. *p.* 41.)

4) *Comes Aimar de Grignan Provinciae gubernator Wormatiam missus fuerat ut Regis nomine principes protestantes ad agnoscendum et adeundum concilium Tridentinum induceret* (*Sleid.* II. 393). *Interea eius vices in Provincia obibat Oppedanus ille de quo iam supra N.* 629, *not.* 2. *Griniani odium in protestantes etiam Thuanus denunciat*, *Ed. Basil.* 1742. I. 541. *Caeterum persequutiones illae Regis consilia apud Protestantes irrita reddiderunt. V. Sturmii ep. ad Du Bellay* 15. *Mai* 1545 *ap. Schmidt, p.* 58.

5) *propinquo suo et protenstantium hosti.*

6) On nomma ensuite, par l'autorité d'Oppède, des commissaires pour faire le procès aux hérétiques que le fer avait épargnés. Une partie fut condamnée aux galères, d'autres à des amendes considérables (*de Thou l. l. p.* 544).

7) *Hist. eccl.* I. *p.* 44.

8) *De Rud. Collino* (*Am Bühl*) *cf. Ord. Furrer in Hilgenfeldii diario* 1862 *p.* 337.

665.

CALVINUS MINISTRIS SCAPHUSIANIS.

Eiusdem argumenti ac tenoris ac praecedens.

(Exstat Genevae in iisdem chartis ac praecedens ad Bullingerum Cod. 106, fol. 134 et 111, fol. 118, item Bernae epp. VII. 679 et apud Simlerum l. l. denique et in edit. Edinb. anglice versa I. 448.

Piis et eruditis viris ecclesiae Schafusianae pastoribus symmystis et fratribus mihi carissimis et ex animo colendis.

S. Quam strenue fratrum Provincialium causam susceperitis, ego optimus sum testis. Quia non dubito quin idem hodie quoque animus vobis con-

stet in vobis exhortandis non ero longior, ne fidei vestrae studioque diffidere videar, sed tantum admonebo, idque breviter, nos operam hactenus agendo perdidisse, nisi rem de integro urgeatis. Hoc enim, ut audio, consequuti sunt *Regis* pensionarii, ut multorum animos a causa alienaverint. Gravant enim fratres crimine impudenter conficto, non evangelii causa pertulisse hanc calamitatem. sed quia episcopis decimas negarent. Hoc ab omni veritatis colore tam est alienum, ut ne *Grinianus* quidem, *Regis* nunc legatus Wormatiae, qui autor fuit totius mali *Regem*que sua perfidia inflammavit ad hoc tam immane facinus perpetrandum, id unquam obtendere ausus fuerit. Audio etiam alios sua sponte iam refrixisse, ut non sint admodum de sublevandis fratrum miseriis solliciti. Vestrum ergo erit torpentes incitare et reducere ad causam, qui falsis delationibus fuerunt adversi. Neque vos moveat si *Rex* aliquam moderationem se adhibuisse nunc simulet. Misit forte commissarium [1]), sed nemo est qui promiseris fratribus verbum facere audeat. Plurimi in vinculis miserrime tabescunt, alii fuga sunt dissipati: nemo est qui ad visendam suam familiam adspirare ausit. Incursiones etiam quotidianae fiunt ex comitatu Avenionensi non absque *Regis* permissu. Curia Aquensis, quae stragem illam edidit, nihilo est facta mitior. Neque vero eorum duntaxat habenda ratio, sed omnium qui passim in regno eadem inhumanitate vexantur. Parisios undique advehuntur vincti, et nisi obviam eatur brevi audietis magna variis locis incendia flagrare nec restinguendi [2]) tempus erit. Nunc igitur quanta poteritis vehementia incumbite ut legatio gravis mittatur [3]), quae serio a *Rege* postulet vinctos dimitti, restitui profugos in sua bona, deinde quaestionem aequam haberi de fide moribusque piorum: illud autem inprimis urgeat, quod non omisimus quum istic foremus, coniecturam posse fieri quo sit animo erga Helvetios, qui fidem eorum tanto furore in suis subditis persequatur. Valete, fratres integerrimi. Dominus vos conservet ac benedicat ministerio vestro. Amen. Genevae 24. Iulii 1545.

Ioannes Calvinus vester.

---

665. 1) Apres les suadites cruautes ainsi commises, cuidans ceux de la cour couvrir leurs injustices envoierent commissaires pour informer des suspects d'heresie, et sachans que la plainte en estoit venue jusques au Roy y envoierent ledit La Fon, lequel ayant donné à entendre que tous les habitans ainsi traictés avoient esté ouis cognus et jugés pour heretiques, obtint lettres du 23. aoust 1545 approuvant taisiblement toute ceste execution (*Hist. eccl.* 1, *p.* 47 *cf. Thuan. l. l. p.* 544.)

2) *Sic omnino legendum cum Turretino caeli. Cod.* 106 *habet:* restringendi.

3) *Io. Sturmio maxime autore Argentoratenses de istis rebus apud Regem satis enixe intercesserant, sed severam tulerant repulsam,* 27. *Iunii.* (*Schmidt, Sturm p.* 59.) *Postmodum quum principum interesset Regis favorem sibi conciliare, nec minus Regis, ut principes amicos haberet, novam legationem ad Regem miserunt, cuius pars et Sturmius fuit, quae tamen in hoc quidem negotio iam penitus confecto et post internecionem Waldensium nihil amplius efficere potuit.* (*Sleid. II.* 399.) *Responsi Regis textum authenticum non reperimus: alioquin in thesaurum nostrum recipere minime dubitassemus. Exstat tamen versio germanica in Archivis nostris Thomanis, quam h. l. ex autographo lectu satis difficili describere libet: Titulus praefigitur hic:* Copey einer Missiven ausz dem frantzösischen in das deudsch transferiert, entpfangen 1. Augusti anno etc. 45. *Data est ex oppido sive castello Touques, hodie parvo portu in Dep. Calvados. Addit scriptor:* Transtuli 3. Augusti unius horae spatio, *quod sane tum magnum eruditionis gallicae in cive Argentoratensi documentum erat. Ipsa epistola sic decurrit:*

Vnseren geliebten vnnd besunders guten Freunden, Meister vnd Rath d. Stat Straszburg.

Geliebte vnd besunder gute freund. Wier habenn euwer schreibenn entpfangen durch welches Ier vnsz gebt zuerkennen, das Ier mitt groszen beschwerdenn vnnd leid vernomen die Tyrannische greyliche veruolgung so man an den waldenseren solte begangen haben, vnangesehen das es vnschuldige leuth seind, vnnd die Christliche Religion mit reynem hertzen bekennen. Geliebte vnd besunders gute freund, wier habenn euch vielmal anzeigt, das wier vns Euwer vnderthanen weisz vnd manier zu lebenn nhie mit etwas vnderzogenn, Sunder vns ieder zeit euwern guttenn freund in allem dem so wier thun kunden erzeigt, vns auch nicht verners dann der administration vnnd Regierung vnser vnderthanen, wie einem fromen potentaten geziempt, vndernomen, habenn also ein sunder befrembdenn, das Ier euch jn die händell vnnser vnderthonen, auch jn die straff vnd jnsehung, so wier gegen jhn geben, schlagen vnd mischenn wellen, das auch Ier die straff, die wier den jhenigen (so gegen vns viel vffrur vnd vngehorsam erregt) widerfaren lassenn, ein Tyranney benennen, So sie doch gegenn vnser fürnemsten frontier Stat einen, zu wider den satzungen so wier in vnserem Reich haltent vnd gehalten habenn wellend, thätliche handlung fürgenomen, vnnd kynnen gar nit befindenn das sie jn dem selbenn der warheit des Euangelij nachuolgen, ob Ier gleich sagend das sie das selbig angenomen vnnd bekennen. Wier wellenn euch hiemit auch nitt pergenn das die gemeltenn waldenser, vnnd andere ketzer so wier habenn lassenn straffen, jn sollichem jrthumb gestanden do wier für gewisz achtenn das kein furst noch Stat deudscher Nation die selbige jn jeren Landen vnnd gepieten wirden gestatten, So seind wier auch fur vnser person nie gesint sollichs jn den vnseren zugeduldenn, Vnd pitten euch, so Ier vns hienfuro wellend schreibenn, das Ier euch sollicher vnnd so vngereympter wort, als do seind Tyranney vnd greyliche straffen, enthalten, damitt wier nit verursacht werdenn, euch mit rauwer antwort zu begegnen, vnd habenn in betrachtung euwer lang herprachten fursichtigkeit ein verwunderen das Ier vns so ein leichtuertigen brief zugeschribenn. Hieruff so pitten wier vnseren schoepfer euch vnsere geliebten besunder guten freund in seinen gnaden zubewaren. Datum zu Toucques den 27. Iunij Anno etc. 45.

Franciscus.

Bayard.

Quod hic dicit de urbe in finibus Galliae sita a Waldensibus vi impetita in Historia ecclesiastica quae vulgo Bezae tribuitur (*I.* 44) *sic explicatur: A.* 1544 *vergente Card. Turnonius per aliquem suorum falsos rumores in ipsam aulam spargi curavit, quasi quindecim millia Merindolensium Massiliam oppugnatum exiissent ibi novum pagum helveticum condituri.*

666.

CALVINUS MYCONIO.

Eadem studia et Basiliensibus commendat.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Gen. p. 55, Laus. p. 136, Hanov. p. 153, Chouet p. 73, Amst. p. 33. — Anglice legitur T. 1, p. 449.)

Nunc instandi tempus est, ne frustra tantum laboris pro miseris fratribus exhauserimus. Et nunc opem ipsi nostram vel tacentes implorant, si unquam antehac. *Rex* enim, ut ex Germania intellexi, moderationem aliquam se adhibiturum simulat: iam enim profectum esse commissarium, qui de rebus eorum inquirat. Verum nihil inde levationis exspectandum. Commissionis, ut loquuntur, sibi infestissimi hostes erunt conscii. Nemo est qui mutire ausit pro veritate. Miseri fratres vel in sentinis navium et subterraneis carcerum fossis vincti tenentur, vel fuga dispersi procul absunt, vel latent apud amicos. Rogandus ergo erit *Rex*, ut vinctos primum dimittat, et omnes restituat in integrum: deinde commissarios mittat homines aequos et humanos: rabiosis istis cognitionem adimat. Tu igitur in hanc rem totis nervis enitere. Crimen quo gravantur ne illis noceat, effice. Est enim impudenter confictum: et suspicor in qua officina. Miror tantum haberi fidei nihili hominibus, quorum mendaciis aures vestrorum hominum occallescere iampridem debuerunt. Fingunt allatum esse hunc a mercatoribus rumorem. Atqui nunquam id hostes obtendere ausi sunt: quia facturi erant absque colore. *Grynianus Regis* legatus, qui perpetratae stragis auctor fuit sua perfidia, praetextu hoc non abutitur. Obsiste ergo quantum potes, ne falsis delationibus alienentur bonorum animi ab illis iuvandis. Vale, mi frater et amice honorande. Dominus te una cum symmystis conservet, quos salutabis diligenter meo nomine. Collegae mei vos etiam reverenter salutant. Genevae, 24. Iulii 1545.

Ioannes Calvinus tuus.

667.

CALVINUS VADIANO.

Post excusatum diuturnum silentium olim in se a Vadiano collata studii et amicitiae documenta praedicat, Turicensium intestina certamina deflet et causam Waldensium commendat.

(Ex apographo antiquo sed mendoso Cod. Goth. 404, fol. 11, mendosius edidit Bretschneider pag. 17. Plura nos tacite emendamus. Inscriptio adest nulla in codice.)

S. Quum mihi pridem ad te scribere saepius in animo fuerit, hoc autem unum impediret quod post tam longum temporis intervallum incipere propemodum puderet, nuper quum essem Tiguri [1]) oblata erat occasio minus quidem laeta sed tamen commoda: sed tum [2]) quoque obstitit D. *Bullingerus*, qui licere id mihi per summam nuncii festinationem negabat. Arovia [3]) autem, quum eo usque scribere distulissem, dum in negotio, cuius causa profectus illuc fueram, aliquid haberem constitutum cum legatis, tam subita fuit discessio post acceptum responsum, ut tum minus aliquando commodum fuerit quam Tiguri. Tantum rogavi legatum vestrum ut salutem tibi [4]) nunciaret meis verbis, ac me scripturum prima quaque occasione promitteret. Ego te, mi *Vadiane*, antequam de facie mihi notus esses, amavi semper ac colui. Innotueras enim mihi praeclaris tuis lucubrationibus, in quibus et mirus candor, rara hodie in doctis virtus, et pietatis studium non vulgare, et solida eruditio relucet. Quum vero Basileae multi [5]) mihi testes essent mirifici erga me amoris tui, et ipse quoque me excipiens luculentam eius significationem dares, fieri non potuit quin aliquid ad priorem illum animi mei affectum accederet. Nam ut ante impius fuissem nisi eum amore simul et observantia prosequerer quem iudicarem [6]) de ecclesia Dei optime meritum, ita inhumanum fuisset eum non mutuo diligere a quo essem tam comiter ac benigne provocatus. Adde quod tuam amicitiam videbam non parvo mihi honori fore, et illae ipsae virtutes, quarum imago in animo meo concepta me tibi devinxerat, quo mihi notiores et magis perspectae ex congressu fuerunt, eo fuerunt ad augendum amorem efficaciores. Hanc necessitudinem, talibus auspiciis inter nos quasi consecratam, hactenus sancte colui. Quo minus autem eam aluerim scribendo, et aliis communibus officiis testatam tibi [7]) reddiderim, breviter hic aperiam. Quum hinc nos per vim ac tumultum impii expulissent, et Tigurum profecti [8]) essemus ad indicandum huius ecclesiae statum, vel potius

---

667. 1) *mense Maio, in itinere de causa Provincialium suscepto.*
2) cum *B.*
3) *sic nomen restituimus urbis ubi conventus Helvetiorum celebratus fuit (N. 642) et quidem ablativo casu. Librarius inepte scripsit:* Arovius, *B. ineptius:* Aronio.
4) *Cod. habet:* sibi, *quod iam B. correxit. — Vadianum primum Basileae* 1538 *videre potuit.*
5) *Cod. et B.:* nulli.
6) indicavi *B.*
7) *cod.* sibi.
8) *sic omnino legendum. Codex habet:* professi, *quod*

miserrimam dissipationem, cuius etiamnum restant nonnullae reliquiae, facile animadvertere potui, sinistris quorundam sermonibus[9]) sic te fuisse imbutum, ut de nobis aliud suspicareris quam res haberet. Neque vero te unquam alieno a nobis animo fuisse existimavi, quidquid in aures tuas insusurrassent illi qui nos malis[10]) omnibus invisos reddere studebant. Quin potius me perspicere memini, quam sollicite nobis consultum optares: nec memoria exciderunt amicae illae tuae hortationes quibus apud nos utebaris in ipsa epitasi.[11]) Sed res postea ipsa ostendit quam iniquis praeiudiciis essemus oppressi.

Quorsum haec, inquies, tam alte repetita narratio? Nempe ut meam in amicitiae officiis cessationem tibi in praeteritum tempus excusem, ne me vel socordiae vel superbiae vel ingratitudinis tanto animi tui sensu reum agas, si me tam negligentem absque causa fuisse existimas. Illam[12]) quum a literis supersedere ad tempus aliquod eadem mihi ratio suasisset, quae tum a familiari tuo colloquio abstinere coegisset, quia scilicet verebar ne de causa nostra minus bene sentires: postea ipsa diuturnitate silentii aditus mihi fore praeclusus videbatur, donec eum mihi nova aliqua occasio iterum aperuisset.

Nunc tantum abest quin scribendi argumento destituar, ut se multo plura offerant quam literis complecti facile sit. Ut alia omittam liberet tecum deflere exitiale malum intestini certaminis[13]) quod iterum recruduit. Scio enim quantum moerorem sustineas: sed quoniam eius generis est vulnus quod attrectari vix possit quin magis exulceretur, quid superest aliud quam ut e coelo medicum assiduis precibus invocemus? Quod ad mitigandas Gallicas superstitiones[14]) attinet, periculum est ne et multum laboris frustra nuper insumpserim, et vobis fuerim molestus, nisi de integro adlaborent quicunque ex animo cupiunt salvum Christi regnum. Admonitus sum, Bernae et Basileae non multum[15]) esse ardoris, ne quid gravius dicam. Nam, ut veteri proverbio dicitur lacrymas cito exarescere, ita plerosque videmus piorum calamitate ad momentum commoveri, paulo post refrigescere. Deinde sparsus est de fratribus gravis rumor, *Regem* ideo excanduisse adversus eos quod decimas episcoporum solvere abnuerunt. Id quum Aroviae mihi obiiceretur, fortiter nullaque haesitatione asserui fabulam esse impudenter confictam. Sacrificis enim unquam[16]) obolum nunquam negarunt, quum illis pristina onera remitterent. Nunc[17]) si *Rex*, ut verbis satisfaceret, se commissarium misisse responderit, sicuti Germanos Wormatiae hoc responso nuper lactavit, scitote merum esse fucum. Infestantur enim assidue a latrunculis, quos legatus Avenionensis in ditione sua alit. Certo autem certius est eos inter se colludere. Nihil etiam de solita crudelitate *Regis* ipsius officiarii remittunt. Mittat rex commissarios ut volet, sed nemo est qui pro veritate hiscere audeat: tantus horror incussus est omnibus, et alioqui nemini ex illis accedere illuc licet, ut audiat quid decretum fuerit. Petendum ergo ut liberentur captivi, restituantur profugi in suas facultates, tum quaerere *Rex* incipiat, sicuti illis pridem fuerat pollicitus. Quum id tibi apud senatum vestrum pro eximia tua autoritate obtinere sit facillimum, te vero ad causam ultro propensum esse sum persuasus, hac supplici admonitione contentus ero, ne si accuratius exhorter diffidere tibi videar. Vale, clarissime vir, amice in primis honorande. Dominus te diu ecclesiae suae incolumem servet, ac spiritu suo gubernare pergat. Ministris vestris quaeso ne salutem dicere graveris meo nomine. Genevae 24. Iulii 1545.

Ioannes Calvinus tuus.

668.

SULZERUS FARELLO.

De Farelli vocatione a Genevensibus proposita, eiusque successore Neocomensibus quaerendo.

(Autographon non exstat, et initium cum inscriptione interiisse videtur. Exemplaria varia contulimus Genevae Cod. 111a, fol. 66 v. a Vireti amanuensi scriptum, in eadem scheda cum ep. Vireti autographa ad Calvinum N. 677, et Cod. 116, fol. 95 v. Bernae in Arch. Epp. VII. p. 708 et Turici in t. 57 Simleri.

Bretschn. hactenus plausibile reddere conatus est ut scriberet: Tigurinis professi. *Caeterum v. ad N.* 111 *et seqq.*

9) *Conzeni et suorum.*

10) *Hoc incaute sollicitatum est. In margine quidam ad scripsit* bonis. B. *coniicit:* modis.

11) in your *Epitasis.*

12) *Sic codex. B. emendandum censet*: Imo. *Vide an legendum sit:* Illinc.

13) *Lutheri et Tigurinorum. Cf. etiam N.* 555. (*In voce:* liberet, *B. mendum suspicatur, nescio qua de causa.*)

14) *Margo praebet:* persequutiones, *quod non spernendum, si de sensu quaeratur, sed minime necessarium est. B. satis infeliciter commendat:* tempestates.

15) *Cod.* nullum, *quod iam B. correxit.*

16) *B. emendat:* unicum, *nos simpliciter delendum censemus.*

17) *Locum in codice corruptum et a Br. frustra tentatum ex locis parallelis N.* 664 *et* 665 *facile restituimus suae veritati. Codex praebet*: Nunc si rex ut si rex verbis . . . . . respondeo ut siculis germanis *caett.*

Caeterum quod tuam, *Farelle*, vocationem [1]) attinet, sic respondemus: Rationes *Calvini* ad fratres perscriptas nobis neque parum validas neque incertas videri, quando et tuum ministerium et utriusque ecclesiae statum intuentes ipsi quoque uberiorem et fructuosam magis Genevae quam istic censemus operam deinceps tuam fore, modo sit qui in perturbata adflictaque ecclesia tua pastorem, pastorem inquam, agere et possit et velit [2]). Quem nisi queas tuorum auxiliis substituere tibi, cave ut latum unguem a statione delegata discedas. Sed inveniri posse arbitramur cui ea provincia committi tulo queat, nec defuturum cui cum facultate sit Christo ecclesiaeque ei serviendi exprompta voluntas. Haec D. Nicolai a *Wattewil* et D. *Beati* [3]) et mea quoque sententia est. Nos hactenus salvi sumus et in spe melioris status in ecclesia per Dominum obtinendi, modo qui aliquando futurus est collega tertius non sit importunus ille diaconus noster [4]), aut alius aliquis minus nobiscum consentiens. Dominum ergo, quaeso, cuum tuis omnibus serio precare ut nos servet a malo. Bernae 28. Iulii anno 1545 Salutant te tuosque omnes DD. *Nicol.* et *Beatus*.

T. Sulcerus.

669.

VIRETUS CALVINO.

Sollicitum eum tenent Corderii vocatio Lausannam, Farelli Genevam, Tossani Neocomum, Orbae pestis, mortes propinquorum, morbus uxoris, collegae levitas.

(Ex autographo Cod. Genev. 111a, fol. 65, coll. c. Cod. 116, fol. 92, Bern. Epp. VII. p. 686 et Simler. Vol. 57.)

Singulari eruditione ac pietate ornatissimo Ioanni Calvino fido ecclesiae Genevensis pastori.

Genevae.

S. Placet quod de libello in *Carolum* scribis. [1]) Memini abs te admonitus eorum quae in consistorio acta sunt [2]). Multa sunt de quibus copiosius ad te scriberem si per occasionem licuisset, sed tabellarius fusius coram referet. Audies ab eo de morte Matthaei *Cruciati* [3]), et quid consilii ceperim de subrogando ei successore et accersendo huc *Corderio* [4]). Quum forte haec animo volverem, insperatus ad est Corderius, qui mihi statum rerum Neocomensium narravit. Audio maiorem partem fratrum eo inclinare ut vobis *Farellus* concedatur. Fuerunt tamen qui in proximum Iovis diem negotium differendum esse censuerunt. Ergo proximo Iovis die fratres Neocomum convenient, ut communibus suffragiis negotium absolvatur. Ego vero si possum adero. Nam priusquam mihi tuae literae redderentur, constiueram Orbam et Neocomum proficisci. Nam valde urget *Farellus* ut se et ecclesiam illam invisam. Orbae autem pestis grassatur mirum in modum [5]). Filius marterterae peste sublatus est relictis tribus pupillis. Uxor alterius filii etiam sublata est. Audio valde perturbatos Orbanorum animos, maxime vero quod tempore tam dubio parum illis cum ministro [6]) conveniat. Hae itaque causae urgent ut eo usque me recipiam, quamvis parum mihi sit commodum. Inde Neocomum accurram. Hoc solum me retinet quod hinc *Comes* [7]) absit, ut solet. Nam totus est in quaerenda mutuatitia pecunia. Qui hic concionetur, aut qui me adiuvet, nemo est. Sperabam me soluturum hinc crastino die: sed nescio an *Comes* in tempore rediturus sit. Adero tamen, si possum, Neocomi ad diem Iovis, ubi cum *Farello* conferam de negotio fratrum. [8]) At sunt quaedam in tuis literis quae non satis intelligo. Quod enim scribis de legato [9]) qui *Farello* placeat, tibi vero minime, nescio quorsum illa spectent. Nam historiam illam penitus ignoro. Perferam literas omnes ad *Farellum*. Si quid vero est quod nobis significatum velis, fac ut Neocomum mittatur. Illic enim erimus toto die Iovis. Quod si *Farello* visum est ut Bernam proficiscar, sequar eius consilium: nisi ipse malit obire legationem, aut uterque. Sed optarim rem mihi explanatius et fusius exponi. *Corderius* mihi narravit quid consilii *Farellus* ceperit de surrogando successore. Sunt qui *Casparem* [10]) substi-

668. 1) *Iam in Commentariis Sen. Genev. de Farello Genevam vocando agitur d.* 22. *Iun. Vide etiam infra N.* 669, 677, 680 *et omnino plures usque ad mensem Septembrem.*

2) *Farello Neocomi Tossanum sufficere voluerunt amici.*

3) *Gerungii.*

4) *Io. Weber antea Aroviensium minister, mense Aprili* 1544 *Sulzero successerat, quum hic in defuncti Conzeni locum promotus fuisset. Zwinglianis calculum adiiciebat, hactenus Sulzero et Gerungio minus gratus.* (*Hundesh. p.* 187.)

669. 1) *respondet ad N.* 662.

2) *In negotio Caroli cf. N.* 660.

3) *M. de la Croix, olim monachus, a.* 1537 *minister in Lutry.* (*Ruchat, IV.* 376.)

4) *De cuius transitu ad Lausannenses m. Sept. et seq. plura habebis.*

5) Au mois de May se prinst la peste à Orbe laquelle y dura jusques au mois d'Octobre, de laquelle il mourut environ 300 personnes. (*Mém. de Pierrefleur p.* 226.)

6) *Zebedaeo, qui tamen his ipsis diebus Iverdunum abiit.*

7) *Béat Comte, de quo mox plura.*

8) *Provincialium, ob quod ipse postea Bernam se contulit.*

9) *Bernensi ad Regem mittendo. De quo vide N.* 697.

10) *Carmelum puta, de quo et N.* 643.

tuendum putant. *Farellus Tussanum* cogitat.[11]) Si fieri posset ut ad diem Iovis aliquid hac de re scriberes, mihi consultissimum videretur. Nam vereor ne gravis ruina sequatur *Tussani* discessum, si ecclesiam illam deserat. Si quid scripturus es, da operam ut saltem ad diem Veneris Neocomum mittatur, aut Bernam ad diem Sabbati, aut ad diem dominicum si expedire iudicaris: Sed si die Iovis Neocomum perferretur, die Veneris Bernam concederet qui eam legationem suscipiet. Sed de his omnibus agam cum *Farello.* Postquam tuas literas habemus, faciemus quod videbitur consultius.

Gaudeo sic consultum esse *Girardo* ut scribis[12]). Id enim quum ad te scripsi cogitabam. Misisti tres coronatos sed cuius gratia, non scripsisti. Mihi ergo significato primo quoque tempore. Reliqua committo tabellario qui nostra omnia novit. Nam adeo obruor ut vix suffurari hoc tantillum temporis potuerim quo haec ad te raptim scriberem. Scripsissem ad *Textorem* si vacasset. Cuperem admodum eum hucusque advolare causa uxoris.[13]) Nam illi valde metuo. Sed ante octo aut decem dies vix ero domi. Si Bernam concedam, quo praeter negotium fratrum me etiam invitant aliqua ex parte ea de quibus tecum contuli, de comite et aliis id genus negotiis. Salutant te nostri. Saluta uxorem et domesticos. *Nicolaus* non est hic. Eo ipso die quo tuae literae mihi redditae sunt, *Nicolaus* Bernam concesserat, missus a Morgiensi classe, ut illum habeant ministrum. Vale. Lausannae 28. Iulii 1545.

Tuus T. Viretus.

670.

MYCONIUS FARELLO.

Tossanus exsul Basileae. Novissima ex Wormacia. Rumores sinistri ex aula regia.

(Ex apographis duobus Genev. Cod. 111[a], fol. 66 et 116, fol. 95. Descripta exstat quoque Bernae Epp. VII. p. 707 et apud Simlerum l. l. Inscriptio abest. Prius illud exemplar Genevense ab amanuense Vireti descriptum et Calvino missum fuit, una cum N. 677.)

Petrus *Tossanus* relicto principe suo commigravit ad nos.[1]) Uxor cum liberis aliquot diebus retenta est, si sic posset ipse moveri ad reditum: sed res est tentata frustra. Tandem quid principi venerit in mentem nescio, et illos dimisit una cum supellectile reliqua. Tentat tamen adhuc reducere blande. Petiit ut scribat quibus gravatus sit hactenus: curaturum se ut quae sint emendanda emendentur. Exspectamus itaque quid possit esse futurum: quod quidem si fuerit a re Domini, constabit cuiusnam consilium exstiterit abitionis, in quam ego nunquam potui consentire, donec coactus sum. Wormaciae sunt adhuc *Caesar* et *Ferdinandus.* Quid agant nescimus. Infesti sunt evangelio Christi, quod certum. Conciones Augustiniani Colmariensis[2]) *Ferdinandus* audit frequenter, *Caesar* nullas, ut cui satisfacit religio hispanica.

Civis Basiliensis veniens his diebus ex Tiguro mihi narravit, nuncium, qui propter Waldenses fuit missus ad *Gallum*, rediisse sine literis, dixisse autem ex ore *Galli* audivisse se: Quid isti? Ego perdidi haereticos. Atque hac voce multos Tigurinos, qui faverint *Gallo*, plane defecisse. Si haec vera sunt ego certe admiror, quamvis *Galli* impietas a multis iam annis fuerit mihi et omnibus notissima. Vale, et Christum pro me orato: mutuiter fratres pios valere cupio in Domino. Basileae raptim 29. Iulii anno 1545.

Myconius tuus.

671.

BALDUINUS CALVINO.

Fere eiusdem argumenti ac prior epistola paulo ante missa: hac amicum quendam Genevam procifiscentem commendat, ipse mox sequuturus.

---

11) *Qui tamen Monbelgardiam reversus est.*

12) *Epistola Calvini N.* 662 *de hoc nihil habet. Aliam ergo nobis deperditam postea scripsisse putandus est.*

13) *Cuius valetudo indies maritum magis sollicitum anxiumque reddidit, et tandem spem salutis omnem ei ademit.*

670. 1) *Christophorus comes, non Georgius ut Simlerus vult, inde ab anno* 1542 *Monbelgardici comitatus administrator, Angelandrum et Blaesium theologos Lutheranos, a Schnepfio sibi commendatos arcessiverat, et per eos ritus et leges eccles. prout in ducatu Wirtembergico valebant etiam illic promulgandas curavit. Quod post varias ambages Tossanum permovit ut Monbelgardia relicta Basileam se conferret, ex qua urbe d.* 19. *Apr. ad principem scripsit missionem flagitans. Sub finem anni conciliatione facta Monbelgardiam rediit.* (*Heyd, Hz. Ulrich III.* 152. *Goguel, réf.* de *Montbéliard p.* 44).

2) *Io. Hoffmeister, August. Colm. prior, protestantium ardens adversarius, qui maxime in comitiis imperii, Wormatiae et Ratisbonae, concionabundus zeli sui documenta edebat et a.* 1546 *in hac posteriori urbe colloquio interfuit.*

Caeterum quod tuam, *Farelle,* vocationem [1]) attinet, sic respondemus: Rationes *Calvini* ad fratres perscriptas nobis neque parum validas neque incertas videri, quando et tuum ministerium et utriusque ecclesiae statum intuentes ipsi quoque uberiorem et fructuosam magis Genevae quam istic censemus operam deinceps tuam fore, modo sit qui in perturbata adflictaque ecclesia tua pastorem, pastorem inquam, agere et possit et velit [2]). Quem nisi queas tuorum auxiliis substituere tibi, cave ut latum unguem a statione delegata discedas. Sed inveniri posse arbitramur cui ea provincia committi tulo queat, nec defuturum cui cum facultate sit Christo ecclesiaeque ei serviendi exprompta voluntas. Haec D. Nicolai a *Wattewil* et D. *Beati* [3]) et mea quoque sententia est. Nos hactenus salvi sumus et in spe melioris status in ecclesia per Dominum obtinendi, modo qui aliquando futurus est collega tertius non sit importunus ille diaconus noster [4]), aut alius aliquis minus nobiscum consentiens. Dominum ergo, quaeso, cuum tuis omnibus serio precare ut nos servet a malo. Bernae 28. Iulii anno 1545 Salutant te tuosque omnes DD. *Nicol.* et *Beatus.*

T. Sulcerus.

669.

VIRETUS CALVINO.

Sollicitum eum tenent Corderii vocatio Lausannam, Farelli Genevam, Tossani Neocomum, Orbae pestis, mortes propinquorum, morbus uxoris, collegae levitas.

(Ex autographo Cod. Genev. 111ª, fol. 65, coll. c. Cod. 116, fol. 92, Bern. Epp. VII. p. 686 et Simler. Vol. 57.)

Singulari eruditione ac pietate ornatissimo Ioanni Calvino fido ecclesiae Genevensis pastori.
Genevae.

S. Placet quod de libello in *Carolum* scribis. [1]) Memini abs te admonitus eorum quae in consistorio acta sunt [2]). Multa sunt de quibus copiosius ad te scriberem si per occasionem licuisset, sed tabellarius fusius coram referet. Audies ab eo de morte Matthaei *Cruciati* [3]), et quid consilii ceperim de subrogando ei successore et accersendo huc *Corderio* [4]). Quum forte haec animo volverem, insperatus ad est Corderius, qui mihi statum rerum Neocomensium narravit. Audio maiorem partem fratrum eo inclinare ut vobis *Farellus* concedatur. Fuerunt tamen qui in proximum Iovis diem negotium differendum esse censuerunt. Ergo proximo Iovis die fratres Neocomum convenient, ut communibus suffragiis negotium absolvatur. Ego vero si possum adero. Nam priusquam mihi tuae literae redderentur, constiueram Orbam et Neocomum proficisci. Nam valde urget *Farellus* ut se et ecclesiam illam invisam. Orbae autem pestis grassatur mirum in modum [5]). Filius marterterae peste sublatus est relictis tribus pupillis. Uxor alterius filii etiam sublata est. Audio valde perturbatos Orbanorum animos, maxime vero quod tempore tam dubio parum illis cum ministro [6]) conveniat. Hae itaque causae urgent ut eo usque me recipiam, quamvis parum mihi sit commodum. Inde Neocomum accurram. Hoc solum me retinet quod hinc *Comes* [7]) absit, ut solet. Nam totus est in quaerenda mutuatitia pecunia. Qui hic concionetur, aut qui me adiuvet, nemo est. Sperabam me soluturum hinc crastino die: sed nescio an *Comes* in tempore rediturus sit. Adero tamen, si possum, Neocomi ad diem Iovis, ubi cum *Farello* conferam de negotio fratrum. [8]) At sunt quaedam in tuis literis quae non satis intelligo. Quod enim scribis de legato [9]) qui *Farello* placeat, tibi vero minime, nescio quorsum illa spectent. Nam historiam illam penitus ignoro. Perferam literas omnes ad *Farellum.* Si quid vero est quod nobis significatum velis, fac ut Neocomum mittatur. Illic enim erimus toto die Iovis. Quod si *Farello* visum est ut Bernam proficiscar, sequar eius consilium: nisi ipse malit obire legationem, aut uterque. Sed optarim rem mihi explanatius et fusius exponi. *Corderius* mihi narravit quid consilii *Farellus* ceperit de surrogando successore. Sunt qui *Casparem* [10]) substi-

---

668. 1) *Iam in Commentariis Sen. Genev. de Farello Genevam vocando agitur d.* 22. *Iun. Vide etiam infra N.* 669, 677, 680 *et omnino plures usque ad mensem Septembrem.*
2) *Farello Neocomi Tossanum sufficere voluerunt amici.*
3) *Gerungii.*
4) *Io. Weber antea Aroviensium minister, mense Aprili* 1544 *Sulzero successerat, quum hic in defuncti Conzeni locum promotus fuisset. Zwinglianis calculum adiiciebat, hactenus Sulzero et Gerungio minus gratus.* (*Hundesh. p.* 187.)

669. 1) *respondet ad N.* 662.
2) *In negotio Caroli cf. N.* 660.
3) *M. de la Croix, olim monachus, a.* 1537 *minister in Lutry.* (*Ruchat, IV.* 376.)
4) *De cuius transitu ad Lausannenses m. Sept. et seq. plura habebis.*
5) Au mois de May se prinst la peste à Orbe laquelle y dura jusques au mois d'Octobre, de laquelle il mourut environ 300 personnes. (*Mém. de Pierrefleur p.* 226.)
6) *Zebedaeo, qui tamen his ipsis diebus Iverdunum abiit.*
7) *Béat Comte, de quo mox plura.*
8) *Provincialium, ob quod ipse postea Bernam se contulit.*
9) *Bernensi ad Regem mittendo. De quo vide N.* 697.
10) *Carmelum puta, de quo et N.* 643.

tuendum putant. *Farellus Tussanum* cogitat.[11]) Si fieri posset ut ad diem Iovis aliquid hac de re scriberes, mihi consultissimum videretur. Nam vereor ne gravis ruina sequatur *Tussani* discessum, si ecclesiam illam deserat. Si quid scripturus es, da operam ut saltem ad diem Veneris Neocomum mittatur, aut Bernam ad diem Sabbati, aut ad diem dominicum si expedire iudicaris: Sed si die Iovis Neocomum perferretur, die Veneris Bernam concederet qui eam legationem suscipiet. Sed de his omnibus agam cum *Farello*. Postquam tuas literas habemus, faciemus quod videbitur consultius.

Gaudeo sic consultum esse *Girardo* ut scribis[12]). Id enim quum ad te scripsi cogitabam. Misisti tres coronatos sed cuius gratia, non scripsisti. Mihi ergo significato primo quoque tempore. Reliqua committo tabellario qui nostra omnia novit. Nam adeo obruor ut vix suffurari hoc tantillum temporis potuerim quo haec ad te raptim scriberem. Scripsissem ad *Textorem* si vacasset. Cuperem admodum eum hucusque advolare causa uxoris.[13]) Nam illi valde metuo. Sed ante octo aut decem dies vix ero domi. Si Bernam concedam, quo praeter negotium fratrum me etiam invitant aliqua ex parte ea de quibus tecum contuli, de comite et aliis id genus negotiis. Salutant te nostri. Saluta uxorem et domesticos. *Nicolaus* non est hic. Eo ipso die quo tuae literae mihi redditae sunt, *Nicolaus* Bernam concesserat, missus a Morgiensi classe, ut illum habeant ministrum. Vale. Lausannae 28. Iulii 1545.

Tuus T. Viretus.

670.

MYCONIUS FARELLO.

Tossanus exsul Basileae. Novissima ex Wormacia. Rumores sinistri ex aula regia.

(Ex apographis duobus Genev. Cod. 111ª, fol. 66 et 116, fol. 95. Descripta exstat quoque Bernae Epp. VII. p. 707 et apud Simlerum l. l. Inscriptio abest. Prius illud exemplar Genevense ab amanuense Vireti descriptum et Calvino missum fuit, una cum N. 677.)

Petrus *Tossanus* relicto principe suo commigravit ad nos.[1]) Uxor cum liberis aliquot diebus retenta est, si sic posset ipse moveri ad reditum: sed res est tentata frustra. Tandem quid principi venerit in mentem nescio, et illos dimisit una cum supellectile reliqua. Tentat tamen adhuc reducere blande. Petiit ut scribat quibus gravatus sit hactenus: curaturum se ut quae sint emendanda emendentur. Exspectamus itaque quid possit esse futurum: quod quidem si fuerit a re Domini, constabit cuiusnam consilium exstiterit abitionis, in quam ego nunquam potui consentire, donec coactus sum. Wormaciae sunt adhuc *Caesar* et *Ferdinandus*. Quid agant nescimus. Infesti sunt evangelio Christi, quod certum. Conciones Augustiniani Colmariensis[2]) *Ferdinandus* audit frequenter, *Caesar* nullas, ut cui satisfacit religio hispanica.

Civis Basiliensis veniens his diebus ex Tiguro mihi narravit, nuncium, qui propter Waldenses fuit missus ad *Gallum*, rediisse sine literis, dixisse autem ex ore *Galli* audivisse se: Quid isti? Ego perdidi haereticos. Atque hac voce multos Tigurinos, qui faverint *Gallo*, plane defecisse. Si haec vera sunt ego certe admiror, quamvis *Galli* impietas a multis iam annis fuerit mihi et omnibus notissima. Vale, et Christum pro me orato: mutuiter fratres pios valere cupio in Domino. Basileae raptim 29. Iulii anno 1545.

Myconius tuus.

671.

BALDUINUS CALVINO.

Fere eiusdem argumenti ac prior epistola paulo ante missa: hac amicum quendam Genevam procifiscentem commendat, ipse mox sequuturus.

---

11) *Qui tamen Monbelgardiam reversus est.*
12) *Epistola Calvini N. 662 de hoc nihil habet. Aliam ergo nobis deperditam postea scripsisse putandus est.*
13) *Cuius valetudo indies maritum magis sollicitum anxiumque reddidit, et tandem spem salutis omnem ei ademit.*

670. 1) *Christophorus comes, non Georgius ut Simlerus vult, inde ab anno 1542 Monbelgardici comitatus administrator, Angelandrum et Blaesium theologos Lutheranos, a Schnepfio sibi commendatos arcessiverat, et per eos ritus et leges eccles. prout in ducatu Wirtembergico valebant etiam illic promulgandas curavit. Quod post varias ambages Tossanum permovit ut Monbelgardia relicta Basileam se conferret, ex qua urbe d. 19. Apr. ad principem scripsit missionem flagitans. Sub finem anni conciliatione facta Monbelgardiam rediit. (Heyd, Hz. Ulrich III. 152. Goguel, réf. de Montbéliard p. 44).*
2) *Io. Hoffmeister, August. Colm. prior, protestantium ardens adversarius, qui maxime in comitiis imperii, Wormatiae et Ratisbonae, concionabundus zeli sui documenta edebat et a. 1546 in hac posteriori urbe colloquio interfuit.*

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 48.)

A Monsieur Monsieur Despeville
a Lyon.

S. P. Equidem verebar, doctissime *Carole*, pluribus epistolis te obtundere aut remorari, ne peccarem in publica commoda: sed amicus his noster, qui morae nostrae impatiens praecurrere voluit, omnino efflagitavit circumferre manum nostram comitem. Civis est et amicus familiaris D. *Eusthatii* quem nosti.[1]) Ex quo scire poteris quid hic agatur. Noster ille *Flaminius*[2]) sive Antiochus nescio quid mussat Wormatiae. Veremur ne quos primo impetu frangere non potuit cunctatione fallat. Est enim astutus cunctator et dissimulator improbus, et habet praestigias quibus fascinet ac circumveniat candida et heroica pectora. Sed vivit et vigilat Dominus qui dissipabit consilia impiorum, et dispersiones Israelis aliquando congregabit et tuebitur, fremat licet ac tumultuetur insanus orbis. Exspectat noster *Burgundus*[3]) suam uxorculam. Nos utrumque. Interea mihi tarda fluunt ingrataque tempora, quae spem consiliumque morantur agendi gnaviter id quod etc.[4]) Certe amanti vel ipsa festinatio mora est. Omnino enim istic, non hic, versatur animus sine corpore velox, et nocte dieque suspirat vestros coetus quorum magno perculsus amore tantum non contabescit. Quod si me Dominus aliquando his tandem coetibus inserat, *sublimi feriam sidera vertice*. Vicinos omnes tuos, etiam de facie minus notos, ipsumque adeo inprimis tuum Timotheum *Salyceum*[5]) nec non totam ecclesiam plurimum salvere iubeo. Vestrum autem sanctum ministerium assiduis precibus Domino commendabimus, ut magis magisque pergat vestris manibus erigere suum regnum et Satanae concussam tyrannidem evertere. Furit nunc hostis[6]) quasi in summa certaminis epitasi, et contrahit quidquid sive animis sive arte valet: sed par est pios contra obniti et devotis animis velut agmine facto prosternere funda coelesti superbum hunc Goliath. Aliud fortassis tempus permitteret in hibernis ludere et otiari nunc est necesse omnes instructos sub pellibus agere, et in procinctu stare coniunctos arctissimo illo foedere et sacramento τῶν συναποθνησκόντων. Bene vale, *Carole* humanissime, et dispersionem piorum tuis sanctis precibus Domino commenda. Ex Megalopoli pridie Calend. Augusti 1545.

Tuus Petrus Rochius B.

671. 1) *Eustache du Quesnoy* (*Quercetanus*) *Sr. de Boschénard et de la Métairie, Insulanus Flandrus, Med. D. et philosophus, postea Bezae in schola Lausannensi collega,* (*inde ab a.* 1548 *sec. Haag. IV.* 478, *vel.* 1551, *sec. Ruchat. IV.* 436) *ubi philosophiam docebat usque ad a.* 1557. *Cf. de eodem Fabric. in Biga resp. p.* 145. *Etiam Pollani familiaris erat, cf. N.* 620, 729, 736.
2) *N.* 663 *not.* 3.
3) *Ibid. not.* 2.
4) *De eius studiis et negotiis quibus illo tempore Lutetiae incumbebat v. ibid. not.* 5 *et* 7.
5) *Ibid. not.* 7.
6) *Non solum in Provincia sed etiam in Urbe, ubi mense Martio plures supplicio affecti fuerant et pridie Cal. Apr. edictum parlamenti contra blasphematores prodierat.*

672.

CALVINUS FARELLO.

Agit de eius vocatione quam paene iam ratam factam dicit, deque successore Neocomensi ecclesiae deligendo. Praeterea de libello suo contra Carolum nuper absoluto.

(Ex autographo cod. Genev. 106, fol. 135, praeter quod exstant exemplaria Turretini Cod. 111, fol. 114, Bernense Epp. VII. 709, et Simleri Vol. 57.)

Fidelissimo Christi Domini nostri servo G. Farello fratri mihi carissimo et amico singulari.

Te singulis horis iam exspecto. Quantum enim ex *Vireti* literis intellexi res confecta erat.[1]) Atque hoc iam fratribus est persuasum. In senatu publice nondum verba feci, quod verebar ne temeritatis arguerer si quid ante tempus assererem. Quibusdam duntaxat spem inieci. De *Tossano* haereo. Ecclesiam sponte relinquere alienum est a veri ministri constantia.[2]) Verum si proposita conditione repulsam ferat, non puto absurdum fore, si tyrannidi tunc cesserit. Verum sententiam meam ex literis ad eum scriptis melius perspicies. *Carolum* si probe tractatum fuisse a nobis indicabis, ages *Gallasio* et mihi gratias eius nomine. Parum abfuit quin eum impune latrare sinerem, quod verebar ne genus argumenti nonnullis suspicandi occasionem praeberet. Nunc iacta est alea, quod nobis bene vertat. Ita bene incalueram quum exorsi sumus, ut nullo negotio transvolaverim usque ad metam. Verum haec una etiam facilitatis causa fuit, quod liberius et quasi exsultans sub alieno nomine ludebam. Vide tamen quantum mihi placeam. Operae pretium mihi fecisse videor.

Unum mihi exciderat. *Viretus* me rogavit ut

672. 1) *Minime, neque postea fuit. Caeterum de Farelli vocatione vide etiam N.* 668 *et infra plures.*
2) *N.* 670 *not.* 1.

de successore iudicium tibi meum indicarem. Id quanquam sero me nunc facturum suspicor, quia tamen nihil nocet, praetermittere nolui. De *Tossano*, si locum illum relinquere coactus fuerit, tibi assentior. Multae sunt causae cur *Gaspar*[3]) placeat, si in subrogando *Tossano* non successerit. Verum quum omnia diligenter expendi, mallem Iacobum *Sorellum*, aut probum illum senem, eius conterraneum. Quid me moveat, coram melius exponam quam per literas. Et minus laboro, quod supervacuam hoc tempore deliberationem esse arbitror.

Scis nos optimo et fidelissimo fratre *Genistone*[4]) esse orbatos, cuius mors duplici nomine mihi fuit luctuosa. Nam sicut ecclesia boni pastoris iacturam fecit, ita ego singularis amici. Amphimallum[5]) frater nunc demum mittit. Moram excusabis fratri tuo *Claudio*. Nunquam enim talem nunciorum penuriam fuisse antehac memini. Saluta diligenter totam familiam et symmystas, praesertim suavissimum hospitem nostrum *Fatonum* et *Thomam*. Genevae 3. Nonas Augustas 1545.

Ioannes Calvinus tuus.

Quum literas haberem paratas ad *Tossanum* supervenit *Nicolaus*[6]) fratris mei socer, qui iam esse Basileae nunciavit. Tu tamen literas ubi legeris ad eum mittes. Perferant iidem a quibus eas accipies.

673.

DRYANDER[1]) CALVINO.

Calvini amicitiam sibi gratulatus occasione oblata Witebergensium animum in praesenti rerum discrimine declarat, et Lutheri maxime vehementiam ipsi Melanchthoni gravem.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 67.)

Clarissimo viro D. Iohanni Calvino Genevae.

S. D. Est illa quidem singularis humanitas tua, *Calvine*, ut quod laude dignum non est officiose praedices. Ego vero pulchre mihi felix videor cui pro epistolio subrustico literae repositae sunt, et ornatae et humanitatis plenae, et quidem (quod ego permagni facio) addita quoque eius viri amicitia quem ego semper impensissime amavi, perpetuo pietatis foedere sic obsignata ut nisi una mors possit dissolvere nemo. Imo vero optima mihi suboritur spes, ut solutis huius corporis vinculis multo suavius in futura vita quam in hac mortali carne amicitia nostra perfruemur, ubi demum vitam vere felicem vivemus, in conspectu Dei et sanctorum angelorum societate aevo sempiterno duraturam. Interim dum in hoc exsilio versamur, et vocationem nostram quisque pro talento a Domino accepto sedulo urgeamus, et amicitiam quibus possumus officiis tueamur. Ego tibi, mi *Calvine*, pro humanitate tuo gratiam habeo maximam, et qua potero sedulitate dignum amicitia tua me praestare curabo. Certe, quod unum de me polliceri possum, habebis amicum minime fucatum, in quo quidvis potius quam summam fidem, integritatem, diligentiam, ac in amicitia semel suscepta et tuenda et augenda constantiam queas desiderare.

Scriberem hoc tempore latius si per tempus liceret, sed quum de hoc nuncio iamiam Argentinam profecturo mihi nunciaretur, volui omnino aliquid scribere, quanquam vix ullum spatium dabatur, ne ullam omnino ad te scribendi occasionem praetermitterem, quod ipsum abs te vicissim, pro meo in te fraterno iure serio contendo. Ostendit mihi literas tuas Philippus *Melanchthon*, quas non sine magno dolore legimus.[2]). Agnosco verissima esse quae dicis omnia. Agnoscit et ille quoque, sed tamen re tota diligenter considerata, ut nulla simulatio in doctrina Christi probari debeat, ita non omnino mihi improbandum esse videtur *Philippi* consilium, qui sanare cupit, non dissolvere aut perturbare. Neque hoc ego dico quasi privato quodam affectu erga praeceptorem, quem ego sane tanquam

---

3) *N.* 669 *not.* 10. — *Sorellum ignoramus, pro quo Simlerus male:* Farellum. Senex *anonymus infra recurret.* (*Cf. N.* 707. 728.)

4) *Peste obiit, et quidem iam mense Iulio ut ex hac ep. efficies, quamvis mors eius die demum* 11. *Aug. in commentarios senatus relata sit. Alioquin oporteret ut dicamus Calvinum hanc a. d.* 3. *Idus scriptam, lapsu calami Nonis tribuisse, quod parum vero simile est.*

5) *Amphimallum* (*scil. vellus quasi dicas utrinque hirsutum*) *genus vestimenti erat, teste Plinio. Quod nescientes librarii in apographis nomen proprium fecerunt et Amphinalbum scripserunt.*

6) *Le Fert.*

673. 1) *Franc. de Ensinas Burgensis Hispanus, cum fratre Iacobo qui a.* 1546 *Romae martyrium passus est, Lovanii studiis incubuerat ibique Hardenbergio et Lasco amicitia iunctus, ab iis a.* 1541 *Luthero et Melanchthoni commendatus fuit. In Belgium reversus N. T. versionem hispanicam edidit Antw.* 1543 *propter quam in vincula coniectus post quindecim menses fuga sibi consuluit, et primum Wittebergam, deinde Argentoratum concessit, ubi etiam a.* 1552 *mortuus est, antea per aliquod tempus in Helvetia et Anglia commoratus.* (*M'Crie, Ref. in Spanien p.* 198 *ss. Roehrich III.* 130. *Boehmer, in sua edit. epp. Dryandri, de qua vide Proll. p.* 24. *Corp. Ref. V.* 709. 794.

2) *Eas innuere videtur quas sub N.* 657 *habuisti. Itaque dolor ille ex controversia sacramentaria.*

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 48.)

A Monsieur Monsieur Despeville
a Lyon.

S. P. Equidem verebar, doctissime *Carole*, pluribus epistolis te obtundere aut remorari, ne peccarem in publica commoda: sed amicus his noster, qui morae nostrae impatiens praecurrere voluit, omnino efflagitavit circumferre manum nostram comitem. Civis est et amicus familiaris D. *Eusthatii* quem nosti.[1]) Ex quo scire poteris quid hic agatur. Noster ille *Flaminius*[2]) sive Antiochus nescio quid mussat Wormatiae. Veremur ne quos primo impetu frangere non potuit cunctatione fallat. Est enim astutus cunctator et dissimulator improbus, et habet praestigias quibus fascinet ac circumveniat candida et heroica pectora. Sed vivit et vigilat Dominus qui dissipabit consilia impiorum, et dispersiones Israelis aliquando congregabit et tuebitur, fremat licet ac tumultuetur insanus orbis. Exspectat noster *Burgundus*[3]) suam uxorculam. Nos utrumque. Interea mihi tarda fluunt ingrataque tempora, quae spem consiliumque morantur agendi gnaviter id quod etc.[4]) Certe amanti vel ipsa festinatio mora est. Omnino enim istic, non hic, versatur animus sine corpore velox, et nocte dieque suspirat vestros coetus quorum magno perculsus amore tantum non contabescit. Quod si me Dominus aliquando his tandem coetibus inserat, *sublimi feriam sidera vertice*. Vicinos omnes tuos, etiam de facie minus notos, ipsumque adeo inprimis tuum Timotheum *Salyceum*[5]) nec non totam ecclesiam plurimum salvere iubeo. Vestrum autem sanctum ministerium assiduis precibus Domino commendabimus, ut magis magisque pergat vestris manibus erigere suum regnum et Satanae concussam tyrannidem evertere. Furit nunc hostis[6]) quasi in summa certaminis epitasi, et contrahit quidquid sive animis sive arte valet: sed par est pios contra obniti et devotis animis velut agmine facto prosternere funda coelesti superbum hunc Goliath. Aliud fortassis tempus permitteret in hibernis ludere et otiari nunc est necesse omnes instructos sub pellibus agere, et in procinctu stare coniunctos arctissimo illo foedere et sacramento τῶν συναποθνησκόντων. Bene vale, *Carole* humanissime, et dispersionem piorum tuis sanctis precibus Domino commenda. Ex Megalopoli pridie Calend. Augusti 1545.

Tuus Petrus Rochius B.

671. 1) *Eustache du Quesnoy* (*Quercetanus*) *Sr. de Boscbénard et de la Métairie, Insulanus Flandrus, Med. D. et philosophus, postea Bezae in schola Lausannensi collega,* (*inde ab a.* 1548 *sec. Haag. IV.* 478, *vel.* 1551, *sec. Ruchat. IV.* 436) *ubi philosophiam docebat usque ad a.* 1557. *Cf. de eodem Fabric. in Biga resp. p.* 145. *Etiam Pollani familiaris erat, cf. N.* 620, 729, 736.

2) *N.* 663 *not.* 3.

3) *Ibid. not.* 2.

4) *De eius studiis et negotiis quibus illo tempore Lutetiae incumbebat v. ibid. not.* 5 *et* 7.

5) *Ibid. not.* 7.

6) *Non solum in Provincia sed etiam in Urbe, ubi mense Martio plures supplicio affecti fuerant et pridie Cal. Apr. edictum parlamenti contra blasphematores prodierat.*

672.

CALVINUS FARELLO.

Agit de eius vocatione quam paene iam ratam factam dicit, deque successore Neocomensi ecclesiae deligendo. Praeterea de libello suo contra Carolum nuper absoluto.

(Ex autographo cod. Genev. 106, fol. 135, praeter quod exstant exemplaria Turretini Cod. 111, fol. 114, Bernense Epp. VII. 709, et Simleri Vol. 57.)

Fidelissimo Christi Domini nostri servo G. Farello fratri mihi carissimo et amico singulari.

Te singulis horis iam exspecto. Quantum enim ex *Vireti* literis intellexi res confecta erat.[1]) Atque hoc iam fratribus est persuasum. In senatu publice nondum verba feci, quod verebar ne temeritatis arguerer si quid ante tempus assererem. Quibusdam duntaxat spem inieci. De *Tossano* haereo. Ecclesiam sponte relinquere alienum est a veri ministri constantia.[2]) Verum si proposita conditione repulsam ferat, non puto absurdum fore, si tyrannidi tunc cesserit. Verum sententiam meam ex literis ad eum scriptis melius perspicies. *Carolum* si probe tractatum fuisse a nobis indicabis, ages *Gallasio* et mihi gratias eius nomine. Parum abfuit quin eum impune latrare sinerem, quod verebar ne genus argumenti nonnullis suspicandi occasionem praeberet. Nunc iacta est alea, quod nobis bene vertat. Ita bene incalueram quum exorsi sumus, ut nullo negotio transvolaverim usque ad metam. Verum haec una etiam facilitatis causa fuit, quod liberius et quasi exsultans sub alieno nomine ludebam. Vide tamen quantum mihi placeam. Operae pretium mihi fecisse videor.

Unum mihi exciderat. *Viretus* me rogavit ut

672. 1) *Minime, neque postea fuit. Caeterum de Farelli vocatione vide etiam N.* 668 *et infra plures.*

2) *N.* 670 *not.* 1.

de successore iudicium tibi meum indicarem. Id quanquam sero me nunc facturum suspicor, quia tamen nihil nocet, praetermittere nolui. De *Tossano*, si locum illum relinquere coactus fuerit, tibi assentior. Multae sunt causae cur *Gaspar*[3]) placeat, si in subrogando *Tossano* non successerit. Verum quum omnia diligenter expendi, mallem Iacobum *Sorellum*, aut probum illum senem, eius conterraneum. Quid me moveat, coram melius exponam quam per literas. Et minus laboro, quod supervacuam hoc tempore deliberationem esse arbitror.

Scis nos optimo et fidelissimo fratre *Genistone*[4]) esse orbatos, cuius mors duplici nomine mihi fuit luctuosa. Nam sicut ecclesia boni pastoris iacturam fecit, ita ego singularis amici. Amphimallum[5]) frater nunc demum mittit. Moram excusabis fratri tuo *Claudio*. Nunquam enim talem nunciorum penuriam fuisse antehac memini. Saluta diligenter totam familiam et symmystas, praesertim suavissimum hospitem nostrum *Fatonum* et *Thomam*. Genevae 3. Nonas Augustas 1545.

Ioannes Calvinus tuus.

Quum literas haberem paratas ad *Tossanum* supervenit *Nicolaus*[6]) fratris mei socer, qui iam esse Basileae nunciavit. Tu tamen literas ubi legeris ad eum mittes. Perferant iidem a quibus eas accipies.

673.

DRYANDER [1]) CALVINO.

Calvini amicitiam sibi gratulatus occasione oblata Witebergensium animum in praesenti rerum discrimine declarat, et Lutheri maxime vehementiam ipsi Melanchthoni gravem.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 67.)

Clarissimo viro D. Iohanni Calvino
Genevae.

S. D. Est illa quidem singularis humanitas tua, *Calvine*, ut quod laude dignum non est officiose praedices. Ego vero pulchre mihi felix videor cui pro epistolio subrustico literae repositae sunt, et ornatae et humanitatis plenae, et quidem (quod ego permagni facio) addita quoque eius viri amicitia quem ego semper impensissime amavi, perpetuo pietatis foedere sic obsignata ut nisi una mors possit dissolvere nemo. Imo vero optima mihi suboritur spes, ut solutis huius corporis vinculis multo suavius in futura vita quam in hac mortali carne amicitia nostra perfruemur, ubi demum vitam vere felicem vivemus, in conspectu Dei et sanctorum angelorum societate aevo sempiterno duraturam. Interim dum in hoc exsilio versamur, et vocationem nostram quisque pro talento a Domino accepto sedulo urgeamus, et amicitiam quibus possumus officiis tueamur. Ego tibi, mi *Calvine*, pro humanitate tuo gratiam habeo maximam, et qua potero sedulitate dignum amicitia tua me praestare curabo. Certe, quod unum de me polliceri possum, habebis amicum minime fucatum, in quo quidvis potius quam summam fidem, integritatem, diligentiam, ac in amicitia semel suscepta et tuenda et augenda constantiam queas desiderare.

Scriberem hoc tempore latius si per tempus liceret, sed quum de hoc nuncio iamiam Argentinam profecturo mihi nunciaretur, volui omnino aliquid scribere, quanquam vix ullum spatium dabatur, ne ullam omnino ad te scribendi occasionem praetermitterem, quod ipsum abs te vicissim, pro meo in te fraterno iure serio contendo. Ostendit mihi literas tuas Philippus *Melanchthon*, quas non sine magno dolore legimus.[2]). Agnosco verissima esse quae dicis omnia. Agnoscit et ille quoque, sed tamen re tota diligenter considerata, ut nulla simulatio in doctrina Christi probari debeat, ita non omnino mihi improbandum esse videtur *Philippi* consilium, qui sanare cupit, non dissolvere aut perturbare. Neque hoc ego dico quasi privato quodam affectu erga praeceptorem, quem ego sane tanquam

---

3) *N.* 669 *not.* 10. — *Sorellum ignoramus, pro quo Simlerus male:* Farellum. Senex *anonymus infra recurret.* (*Cf. N.* 707. 728.)

4) *Peste obiit, et quidem iam mense Iulio ut ex hac ep. efficies, quamvis mors eius die demum* 11. *Aug. in commentarios senatus relata sit. Alioquin oporteret ut dicamus Calvinum hanc a. d.* 3. *Idus scriptam, lapsu calami Nonis tribuisse, quod parum vero simile est.*

5) *Amphimallum* (*scil. vellus quasi dicas utrinque hirsutum*) *genus vestimenti erat, teste Plinio. Quod nescientes librarii in apographis nomen proprium fecerunt et Amphinalbum scripserunt.*

6) *Le Fert.*

673. 1) *Franc. de Ensinas Burgensis Hispanus, cum fratre Jacobo qui a.* 1546 *Romae martyrium passus est, Lovanii studiis incubuerat ibique Hardenbergio et Lasco amicitia iunctus, ab iis a.* 1541 *Luthero et Melanchthoni commendatus fuit. In Belgium reversus N. T. versionem hispanicam edidit Antw.* 1543 *propter quam in vincula coniectus post quindecim menses fuga sibi consuluit, et primum Wittebergam, deinde Argentoratum concessit, ubi etiam a.* 1552 *mortuus est, antea per aliquod tempus in Helvetia et Anglia commoratus.* (*M'Crie, Ref. in Spanien p.* 198 *ss. Boehrich III.* 130. *Boehmer, in sua edit. epp. Dryandri, de qua vide Proll. p.* 24. *Corp. Ref. V.* 709. 794.

2) *Eas innuere videtur quas sub N.* 657 *habuisti. Itaque dolor ille ex controversia sacramentaria.*

patrem amo, sic rapiar, ut amore caecus non videam quantum in universum hominibus, quantum gloriae Christi, quae purissima et solida plane esse debet, utcunque omnes homines offendantur aut coelum ipsum ruat, a nobis et omnibus pietatis cultoribus sit tribuendum. Audit sane, quanquam praeceptor carissimus, a me quotidie liberas voces. Agnosco quoque illius constantiam et robur et singularem virtutem, quam esse tantam affirmo ut dissolutionem aliquam fortassis opinione nostra celerius parituram esse credam. Habemus hic singulis paene diebus nova Periclis fulmina, novos paroxysmos, quorum finem valde metuo.[3]) Caeterum quam sententiam de scripto tuo statibus Imperii oblato[4]) nostrorum procerum postulas, audio a *Luthero* lectum et vehementer esse collaudatum. *Philippus* maxime probat. Doctor *Crucigerus* te mirifice amat, nec potest non approbare quidquid abs te fuerit profectum. De reliquorum censura non debes esse magnopere sollicitus. Ego sane (ut de me quoque dicam) tantum animum recepi eo scripto perlecto in vinculis, ubi tum eram, ut plane sentirem me ad mortem paratiorem quam antea fueram.

Est apud vos pietate ac doctrina praestans vir Iohannes *Decius*[5]) Hispanus, quem etsi satis sua virtute apud te commendatum esse sciam, tamen cupiam vel mea causa fieri commendatiorem. Bene vale, doctissime *Calvine*, et me quod facis ama. Witembergae 3. die Augusti anno 1545.

Scriberet quoque *Philippus*, nisi quod hodie profectus sit ad negotium satis molestum et vere Pericleum.[6]) Reversus ad tuas literas respondebit.

Tuus totus Franciscus Dryander.

Literas quas ad *Decium* nostrum
alioqui Rupeum mitto, trades.

674.

CALVIN A M. DE FALAIS.

Compliments sur sa convalescence. Compte-rendu des négociations pour l'achat d'une maison.

(Orig. autographe. Bibl. de Geneve. Vol. 194, fol. 82. — Lettres de Iq. de Bourgogne p. 180. Bonnet 1, p. 124. Ed. anglaise 1. 458.)

A Monseigneur Msr. de Fallez.

Monseigneur, ie rens graces a nostre bon Dieu de ce quil nous a resiouy des bonnes nouvelles de la sante quil vous a rendue, sans que nous ayons este contristez de la maladie. Quant nous en eussions este advertis a temps, nous leussions prye, selon que nous y estions tenus. Mais puis quil a si bien besoigne sans nous appeler a layde, nous avons a le remercier doublement. Et mesme ma ioye saugmente de ce que ientens que ceste visitation vous a servy a demy de medecine, pour vous rendre plus robuste. Quoy quil en soit, puis que nous avons un Dieu qui peult en un moment sans difficulte retirer les siens du sepulchre, il le pourra bien pourmener au bort tant quil vouldra, sans permectre quilz tombent dedans, iusque a ce quil en soit temps.

Si iavois loysir descrire a Madamoiselle, ie luy manderois que ses lettres mont aprins quil est bon de lire iusque au bout devant que iuger. Car iay cuide estre surprins en la seconde lingne, ou elle me mandoit du dangier ou vous avez este. Combien que sa prudence ma ayde a me retenir. Tant y a que iay este singuliement console, devant quavoir eu le loysir de me fascher.

Quant a laffaire dont vous mavez escrit, vostre venue na point este divulguee de par nous. Mais ce pendant le bruict vole, et ne scavons dont il vient, sinon que le vent le porte. Quant on men parle, ie laisse couller cela, sans mectre poine de le refuter. Car il y est passe quelquun venant de Strasbourg, qui en a dict comme sil avoit sceu vostre intention. Parquoy il mest advis que ce seroit poine perdue de nyer, mais que le plus expedient est den laisser causer chascun ce quil vouldra. Tel est venu a moy, qui ma racompte dun gentilhomme nomme ainsi, qui sestoit retire a Strasbourg, etc., comme sil en eust plus congneu plus que moy. Quant il me demandoit des choses manifestes, pource que ceust este impudence den faire de lignorant, ie luy concedois aultant quil estoit necessaire. Ainsi nous dissimulerons aultant que nous verrons quil pourra profiter. Ce pendant faictes vostre compte, quon devise de vostre estat en vostre absence, sans avoir commission de vous.

Touchant la place, le sire *Nicolas*[1]) en fera

---

3) *Variae Lutherum eo tempore exagitabant curae, neque solos Zwinglianos diris devovebat.* Exspatiatus est Lutherus (*Lipsiam*) et nescio quam indignationem circumfert, cur redire cunctatur. (*Mel. Corp. Ref. V.* 816.) *Cf. etiam De Wette, Briefe V.* 752.

4) *Supplex exhortatio ad Caesarem.*

5) *Diazium hunc significari credimus qui a Iacobo Enzinas ad evangelium conversus fuerat.*

6) *De quo audias ipsum loco modo laudato ad Vitum Theodorum scribentem.*

674. 1) *C'était un agent ou domestique du baron: l'édition d'Amsterdam en fait son cuisinier, M. Bonnet, son secrétaire. On l'identifie aussi avec le fameux N. de la Fontaine qui a joué un rôle dans le procès de Servet. Il s'agit du reste ici de l'achat d'une maison, lequel cependant ne fut pas effectué, l'arrivée de M. de Falais tardant à se réaliser.*

comme il le vous a promis, et nous avec luy. Seulement il y a une difficulte, que si on la haulsoit, ainsi que le bruict en est, non pas oultre sa iuste valeur, mais oultre le pris quil en vouldroit donner, quil seroit de faire en tel cas. Nous faisons nostre proiect que par raison elle viendra iusque a deux mille cincq centz ▽. *Nicolas* ne vouldroit passer oultre les deux centz ou environ. Non pas que la piece ne les vaille, mais pource que sa commodite ne sestend que iusque la. Cest desia un scrupule qui nous moleste. Quant ce lieu la ne vous duiroit, il y en a un aultre en bransle, a deux bonnes lieues loing. Mais ie craindrois que ce fust trop loing. Car cest grande commodite destre voisin de la ville, combien que ce lieu que ie diz est assez prochain du lac. En somme si cestoit a souhaitter, ie vouldrois bien que quelquun vous peult prester son oeil, de paour que les occasions ne nous eschappent.

Ientens bien par voz lettres qui cest qui vous retient. Mais ie croy que de ceste doubte il en pourroit estre decide a ceste heure. Quant ie considere le tout, mon desir seroit que de premiere arrivee vous feussiez bien loge, et vostre cas tout ordonne. Mais en vostre absence, il est bien difficile de vous proveoir de lieu par achapt. De logis a louage en la ville, cela se peult faire sans grant interest. Mais ce qui tire plus longue queue, ne se peult bonnement despescher, que la veue ny soit. Car nostre contentement ne sera pas le vostre.

Pleust a Dieu que vous peussiez estre icy pour user de lopportunite pendant quelle nous dure. Toutefois iespere que si lun ne vient a poinct, nous recourrerons a un aultre.

Ie crains de vous retarder, si ie vous diz que nostre Seigneur nous afflige aulcunement de peste. Mais iayme mieux que vous en soiez adverty de bonne heure pour vous asseurer, que destre surprins au desproveu. Du reste vous en estes deuement informe, comme ie pense. Car ie priay bien *Maldonad*[2]) et *Saint Andre*[3]) de ne vous point tromper. Combien que vous scavez de vous mesme ce qui vault mieulx que toutes admonitions ny advertissements du monde. Cest puis que nous cherchons Iesuschrist, quil nous convient attendre de le trouver crucifie par tout ou nous irons en ce monde. Mais iespere que nostre bon Pere vous donnera encor icy aultant de relasche quil sera expedient, pour la disposition de vostre corps. Nous attendrons par le premier certaines nouvelles de vous, et emportantes resolutions de ce que nous avons a faire.

Et sur ce, Monseigneur, apres mestre humblement recommande a vostre bonne grace, et celle de Madamoiselle, et vous avoir presente a tous deux les humbles recommandations de ma femme, ie supplieray nostre bon Dieu de vous maintenir en sa protection, vous conduisant tousiours par son esperit, et vous envoiant ce quil congnoit vous estre salutaire. De Genefve, ce 5 Daoust.[4])

Vostre serviteur, humble frere et entier amy a iammais,

Iehan Calvin.

2) *M. Bonnet le dit gentilhomme du Hannovre, réfugié à Genève. Bolsec* (*Vie de Calvin Ch.* 11) *l'appelle:* un Hannoyer (Hannoniensis). (*du Hainaut?*)

3) *Autre réfugié des Pays-Bas. Il fut admis l'année suivante au ministère. Il est déjà nommé dans les lettres de Poullain N.* 577. 587. 620.

4) *L'année* 1545 *n'est pas douteuse: voyez le N.* 654 *et le N.* 679.

675.

DIAZIUS[1]) CALVINO.

Proponit ei duos locos Actuum apostolicorum de quorum sensu accuratius reddendo eum consulit.

(Ex apographo Bibliothecae nationalis Parisiensis, Coll. Dupuy Vol. 102, fol. 181.)

Clarissimo viro vigilantissimoque ecclesiae Genevensis primario pastori I. Calvino, domino suo observandissimo.

Genevae.

S. p. in Domino. Quum hic fratres sese itineri accingentes spectarem, in mentem venit ad te, vir clarissime, scribere obiterque indicare duos illos locos quos in Actis hactenus observavi, gallicam versionem ex latina et graeca, si tamen ipse satis iudicare possum, non convenire. Primus est Actuum tertio sub finem, in quo videtur non de resurrectione agere, sed Petrum potius alludere ad illa Moysi verba: suscitabit vobis prophetam, ut sit sensus: Deus excitans vel exoriri faciens de medio vestrum filium suum, vobis primum eum misit ut nos benediceret etc. et in his etiam verbis alludit ad benedictionem Abrahae in Christi semine promissam. Alter locus est sub finem etiam capitis duodecimi,

675. 1) *Hispanus, oppido Cuença oriundus, post absoluta Lutetiae studia Genevam venit cum Budaeo et Crispino et Gallasii contubernalis factus est. Qui anno sequente a proprio fratre occisus est.* (*Sleidan. II.* 435, *Seckend. II.* 652, *Schelhorn Ergötzl. III.* 862.)

in quo ex praecedenti videtur Barnabam et Paulum conversos non Ierosolymam sed Antiochiam potius: ita ut mens Lucae sit Barnabam et Paulum expleto Ierosolymis ministerio reversos fuisse, Antiochiam scilicet. Observavi et contuli tantum in Actis usque ad 14tum caput. Si quid ulterius deprehendero observatione dignum, non dubitabo te aut *Gallasium* nostrum admonere, ut si quid Dominus sua gratia aperire dignatus fuerit, totum et veritati illustrandae et ipsius gloriae serviat. Interim tuarum partium erit, vir humanissime, me per otium admonere quid de his locis sentias, ut aut ipse corrigam, aut tua sententia meam versionem magis confirmem. Tibi enim multis nominibus tantum tribuo ut qui maxime, ac proinde Deum Opt. Max. perpetuo precor ut te ad ecclesiae suae gubernationem, aedificationem, defensionem et consolationem, sanum et incolumem diutissime servet. Te salutat *Claudius* noster[2]) et mater cum tota familia. Tu etiam salutabis meo nomine carissimam tuam uxorem et amicos et fratres omnes in Domino. Bene vale. Bursini 7. Augusti.

Ex animo et perpetuo tuus
I. Diazius.

676.

CALVINUS FARELLO.

Gaucherium eius fratrem in Gallia teneri in vinculis nunciat, Argentoratensium forte amicorum industria libertati reddendum. Genevae adhuc res in suspenso quoad Farelli adventum. Interea pestis saevit vel in ministros.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 123 coll. cum apographis Turretini Cod. 111, fol. 123, Bernensi Epp. VII. p. 693 et Simleri Vol. 7. Absunt inscriptio et subscriptio. Anglice legitur T. II. p. 8 edit. Edinb.)

S. Audies tristem nuncium. Hic enim tibi narrabit fratrem tuum *Gaucherium* teneri in vinculis,[1]) nec longe abesse a mortis periculo. Accidit scilicet quod semper timui, quod semper fore praedixi, et in quo doleo me non fuisse falsum vatem. Sed facessant eiusmodi querimoniae. Quod ad eum iuvandum spectat, nescio quantum in Bernatibus situm sit, quid etiam hoc tempore suscipere velint. Tu haec melius. E Germania nihil mature obtineri posse[2]) spes est, nisi per Ioannem *Sturmium* qui, utcunque erga causam bene sit affectus, fratri tuo non usque adeo amicus est. Atque utinam melius, dum tempus erat, cogitasset quid sit amicum bene meritum offendere. Praeterea obnoxios esse non ignoras, qui suum obsequium hodie principibus approbare volunt.[3]) Si tamen utile esse putabis aliquid illinc tentari, potes multum autoritate apud ipsum *Sturmium*. *Bucerum* vero tuum habes, cui nihil negare ille sustinebit. Sed longus est circuitus. Acceleret igitur Bernates, ne post tempus veniat remedium.

De te[4]) miramur nihil nobis renunciari. Quid constitutum fuerit inter fratres *Viretus* indicavit. Sed quantum coniicio ex eius literis, nihildum actum est in senatu. Quousque igitur res pendebit? Nos hic, ut scias, magnis angustiis constringimur. Tu nobis abes. *Matthaeus*[5]) in nosocomeio eorum qui peste laborant occupatur. Interea, dum te accersimus, optimo fratre et fidelissimo collega privamur, *Genistone*. Quid si tollantur etiam alii? Quid si unus tantum? Quid si praepostera nostrorum superstitione includatur? Quemadmodum nuper parum abfuit quin bona pars includeretur.[6]) Has ergo nostras difficultates respicite, ne longius quam par sit nos deseratis. Quod autem addidisse vos commemorat *Viretus*, ea conditione te nobis concedi, si effecerimus ut *Tossanus* succedat, profecto est ridiculum. Quid enim in ea re possumus?[7]) aut qua via adoriemur negotium? Summa haec sit: Tempus nequaquam tibi praescribimus, sed optamus ut quanta poteris maxima diligentia istinc te expedias, ut expeditus ad nos statim concedas. Aegre enim praesentia tua nunc caremus, ut aestimare ex statu nostro potes.

---

2) *Senarclaeus saepius iam laudatus* (606. 611. 612 *etc.*). *Apud hunc Bursini videtur tunc temporis commoratus fuisse, inde Argentoratum petiturus, quo iam ante finem mensis Augusti pervenerat. Genevam, quum hanc scriberet, vix reliquisse putandus est, quum fere eodem tempore Dryander* (673) *eum ibi apud Calvinum adhuc stare crediderit.*

676. 1) *Gratianopoli fortasse, cf.* 643, *not.* 7. *Kirchhofer II.* 88 *et infra N.* 702. *Caeterum eum ex faucibus leonis salvum evasisse scimus.*

2) *scil. ut pro captivo intercedant. Sturmius maxime in talibus mediatoris vicibus fungi poterat quum in ipsa Regis aula amicos haberet. Ita hoc ipso anno Parisiis fuerat Landgravii legatus apud Franciscum, cuius ministrum Bassofontanum deinde in Germaniam comitatus est. Cf. Schmidt, p.* 58 *sq. Sturmii nomen in Codice deletum et N. superpositum a Beza edituro.*

3) *Gaucherius Guilielmo comite Furstembergio patrono utebatur.*

4) *Genevam vocando, vel potius a Neocomensibus nobis concedendo. Cf. maxime N.* 669. *Si quid recentius Viretus scripsit, non exstat.*

5) *Non Genistonus, qui iam mortuus erat, sed fortasse Malisius.*

6) *Metu contagionis, ex autoritate magistratus.*

7) *N.* 680. *not.* 3.

Uxor *Genistonis* cum morte luctatur. Puellula agit animam. Filiolus iam est desperatus.[8])

677.

VIRETUS CALVINO.

Neocomo redux agit de negotio Farelli Genevam mittendi eiusque successore, si fieri potuerit, Tossano, simul traditis Sulzeri et Myconii de iisdem scriptis epistolis. Maxime vero legationem ad Bernensem senatum susceptam in causa Waldensium, et quid ibi profecerit quaeque sit Regis in eosdem sinistra suspicio et malevolentia exponit.

(Autographon exstat in Cod. Genev. 111a, fol. 66 verso. Folio recto exhibentur exemplaria epistolarum Sulzeri et Myconii ad Farellum scriptarum, supra N. 668 et 670. Legitur praeterea in Cod. Gen. 116, fol. 93, in Epp. Bernens. VII. p. 701 et apud Simlerum Vol. 57.)

Fidelissimo Christi servo Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori vigilantissimo fratrique quam carissimo

Genevae.

Salutem. Non potui tibi ocyus significare qualis fuerit successus nostrae legationis,[1]) partim quod per otium non licuerit, partim quod non esset fidus ad manum tabellarius. Nunc vero postquam eum nactus sum ex animi sententia, audi totam historiam nostrae peregrinationis. Neocomi fratrum conventui interfui, sicut me facturum ad te scripseram. Quod ad *Farelli* vocationem ad vos attinet, fratres in eam venerunt sententiam, quae et fratribus Bernensibus placuit, quam ut intelligas fragmentum ad te mitto literarum *Sulzeri* ad *Farellum.* Quamvis enim aegre a nonnullis *Farellus* dimitteretur, vicit tamen ea sententia quae vobis *Farellum* concedit, sed ea lege ut prius prospectum sit ecclesiae Neocomensi, non ex adversariorum sed fratrum voto. Placuit paene omnibus *Tussanus* qui *Farello* succederet, si modo ei ecclesiae praefici posset, et consuli alia quapiam ratione ecclesiae Monbelgardensi. Porro quo in statu sint res *Tussani* non scribam pluribus, quum exemplar habeas literarum *Myconii* ad *Farellum*, ex quibus omnia plenius intelliges. Hoc solum te volui admonitum, *Farellum*, simul atque Berna reversi fuimus, iter Basileam arripuisse,[2]) perlectis *Myconii* literis, tum ut cum *Tussano* et *Myconio* de statu utriusque ecclesiae latius et familiarius conferret, tum ut fratrum afflictorum causam curaret et urgeret, cuius gratia Bernam eramus profecti.

Haec sunt quae in praesentia te scire volui quod hanc causam attinet. Reliqua disces ex literis fratrum Neocomensium, quas nisi iam acceperis, brevi te accepturum spero.[3]) Summa consiliorum eo spectat, ut *Farellus* vobis concedatur, si id efficere potestis ut *Tussanus* ei sufficiatur: ea tamen lege ut ratio Monbelgardensis ecclesiae habeatur. Tu igitur dispice quid facto opus esse putes, aut si non est commodum aut tutum inde *Tussanum* evocare, quem dignum censes qui vices *Farelli* obire possit. Nam in classe vix inveniri poterit quisquam satis idoneus illi provinciae; non quod desit eruditio, sed quia alia plurima requiruntur quibus populo satisfiat, quae non est facile in quovis invenire. Adde quod forte non erit in fratrum potestate successorem pro voto eligere. Nosti enim quantum nunc in ea ecclesia possint turbulenti homines, qui pessime in ministerium sunt affecti. Non poterit autem, nec debebit *Farellus* bona conscientia ecclesiam deserere, nisi sibi substituerit successorem cui tuto eam credere possit.

Sed de his plus satis: nam per te omnia satis assequeris. Caeterum quis fuerit eventus nostrae legationis, accipe. Operae pretium esse iudicavi ut *Farellus* mecum Bernam proficisceretur, quod lubens fecit et fratres omnes optimum iudicarunt. Bernae curavimus sedulo quod nostrum erat. Animos quorundam valde offensos invenimus, propter *Regis* responsum,[4]) alios vero mirum in modum refrixisse. Accendere conati sumus, quoad eius fieri potuit, et patrocinium fratrum ex animo suscepimus, et serio eorum egimus causam refutatis hostium calumniis. *Sultzerus* et *Beatus* causam nostram egerunt coram senatu, et omnem operam praestiterunt. Sed valde falsus sum in literis quas te scripseras ad *Sultzerum* misisse.[5]) Nam reliquas omnes inveni in fasciculo, sed ad *Sultzerum* nullas. Verebar autem ne forte domi eas reliquissem, quum fasciculum resignavi ut exscribendas curarem reliquas, sicut tu monueras. Excusavi itaque apud *Sultzerum*, et quod suspicabar

---

8) *De natalibus quid habendum ex variis quae attinguntur factis satis constat. Cf.* 672, *not.* 4. — *Bonnet refert ad m. Septembrem.*

677. 1) *Duabus de causis susceptae, quum primum cum Farello Bernam ierit senatum pro Waldensibus suscitatum, deinde Neocomum, ut fratres ibi hortaretur ne Farellum Genevam vocatum detinerent.*

2) *cui Kirchhoferus ipsum Viretum comitem adiungit* (II. 88) *in quo ergo fallitur.*

3) *Quae tamen deperditae sunt. De iisdem vide N.* 683 *not.* 2.

4) *Hoc responsum eiusdem tenoris esse debuit quam quod Argentoratensibus datum fuerat N.* 665, *not.* 3.

5) *Cf N.* 685 *init.*

dixi ingenue. Fassus sum te in tuis ad me literis meminisse literarum quas ad *Sultzerum* quoque scriberes, sed aut relictas fuisse Genevae per oblivionem, aut Lausannae domi meae. Quod si per incuriam domi meae relictae essent, mox missurum. Ut autem intelligerent quid tu peteres nomine fratrum, exposui ex iis quae ad me scribebas quod satis esse putavi, et exemplar literarum ad *Myconium* communicavi, quod illae literae minus viderentur invidiosae esse in loco et brevissime rerum summam perstringere. Haec huic narrationi interserui, ut dispiceres num casu aliquo literae ad *Sultzerum* apud te relictae sint, aut an oblitus sis scribere. Quod si ad me missae sunt, miror quo casu interciderint: nam nondum invenire potui. Non protuli tamen extra domum, nec puto mihi in via periisse.

Sed redeo ad statum causae, hoc est, ad senatus consultum. Consul respondit, senatum diligentius inquisiturum, propterea quod alii assererent, fratres illos afflictos fuisse ob ea crimina quae tu audivisti eis intendi, alii vero contra asseverarent, nullam esse causam aliam quam religionis. Quum ergo senatus viam nosset qua id certo rescire posset, hoc prius curaturum, deinde reliqua facturum pro suo officio. At praeter consulis responsum quod nobis non satisfaciebat, intelleximus a viris bonis, senatum nihil obmissurum quod ad hanc causam faceret, et omnes in eam esse optime affectos. Spem itaque certam fecerunt non solum de mittenda legatione, sed etiam de circumferendis literis *Regis*, ut ab ipso intelligeretur, num eo conscio et aulae tales scriptae essent. Nam videntur admodum acerbae. Quarum haec est, quantum intellexi, summa. (Nihil amplius addo de ratione qua exactius mihi innotuerit quid continerent). Queritur primum quisquis est illarum literarum dictator, de scribendi ratione qua usi sunt Elvetii, quod vocent saevitiam sive crudelitates et horribiles persequutiones in viros pios, iustam vindictam quam sumit, non de piis hominibus, sed seditiosis, rebellibus, violentis et haereticis, qui nolunt parere ac vivere iuxta legis praescriptum et religionem cui suum regnum paret et quam ipse sequitur, quique doctrinam fovent erroneam, quam non solum ipse, sed ne Elvetii quidem aut ulli principes aut respublicae germanicae tueri velint. Proinde se mirari quod horum hominum causam tuendam suscipiant, curque sibi non permittant liberum in suos imperium, sicut ipse aliis permittit cuique in sua ditione. Deinde sub finem repetit et admonet ne posthac, si quid amplius scribant, utantur illis formulis: saevitias et horribiles persequutiones etc. Haec est paene summa argumenti literarum, quantum audire et meminisse potui. Sunt viri boni qui me brevi admonituri sunt si opus est eo redire et si qua in re amplius nostra opera desideretur. Longum esset narrare quos ultro citroque cum multis habuimus sermones.

Sed alias de his latius. *Gironus* recepit se tuas literas missurum ad eos ad quos scribuntur. Tu scribe si quid est quod a nobis desideres aut cuius velis nos admonitos. Ubi *Farellus* redierit Basilea plura audies. De statu huius ecclesiae, de nostro *Iulio* Italo,[6]) de mutatione *Zebedaei*,[7]) *Campani* et abdicatione *Malingrii* narrabit *Textor* nam pluribus nunc non vacat scribere, ne illi nimium sim in mora. Salutant te fratres omnes et ecclesiae a quibus redeo. Saluta tuos symmystas. Vale. Lausannae. Augusti[8]) 1545.

Tuus P. Viretus.

678.

CALVINUS MYCONIO.

Commendat Ochinum.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 111, olim Epp. Tom. VI. P. I. fol. 1423. — Simler. Vol. 57.)

Eximio viro D. Osualdo Myconio Basiliensis ecclesiae fido pastori fratri et amico observandissimo.

S. Hic qui meas literas tibi reddit *Bernardinus* est Senensis, vir nuper in Italia magni nominis, dignus certe qui habeatur ubique in pretio. Tametsi non dubitabam quin nomine audito protinus eum pro tua humanitate, ut singularis eius pietas et eruditio meretur, exciperes, nolui tamen praetermittere quin meam quoque commendationem adiungerem. Neque enim tantum quid illi necesse foret, sed quid deberem, spectare volui. Facies igitur, quod te sponte fuisse facturum scio, ut intelligat se ab omnibus Christi ministris amari. Quanquam hoc quoque mihi gratum erit, si meam commendationem nonnihil apud te habuisse ponderis illi ostendas. Vale, frater in Domino plurimum observande. Dominus tibi perpetuo adsit, et collegis tuis, quibus

---

6) *Fuit aliquis Iulius Santerensianus, Petri Vermilii fugitivi socius. Fortasse tunc Lausannae degebat apud Curionem.*

7) *Qui hoc fere tempore Orba relicta Malingrio Iverduni successit, unde post unius anni intervallum Lausannam concessit.*

8) *diem omisit, verum initio mensis scriptam esse ep. ex N.* 680 *patet.*

salutem meo nomine dices et similiter uxori. Genevae 15. August. 1545.[1])

Ioannes Calvinus tuus.

679.

CALVIN A MADAME DE FALAIS.

Même sujet que dans la précédente à son mari. Leur arrivée à Genève est résolue, mais le moment n'en est pas encore fixé.

(Orig. autographe. Bibl. de Genève. Vol. 194, fol. 21. Imprimée dans l'édition d'Amst. p. 35, chez Bonnet p. 127, en anglais p. 458.)

A Madamoiselle Madamoiselle de Fallez.

Madamoiselle, cest bien raison puis que iay receu deux paires de lettres de vous, pour le moins que vous en aiez une de moy pour recompense. Mais ie vous prye de ne me vouloir traicter a la rigueur pour ce coup. Car le porteur mavoit promis de madvertir deux iours devant, et depuis il a este plus haste quil ne pensoit, tellement que ie nay pas eu le loysir que iavoye espere. Mais ie me depporte de faire plus longue excuse, me confiant que vous la prendrez bien selon vostre prudence, puis que vous en estes advertie en un mot.

Au reste voz lettres mont doublement resiouy. Ce que ie ne vous mande pas comme chose nouvelle. Car vous le pouvez bien penser sans que ien dise mot. Cest de ce quil a pleu a nostre bon Dieu de restituer Monsieur en convalescence dune maladie si fascheuse, et quil se trouve mieulx dispose quil ne faisoit devant quavoir eu ceste atteincte. Par cela il nous fault apprendre que nous ne devons pas reputer estrange que nostre bon Dieu tourne les afflictions corporelles au salut de lame, veu que mesme quant au corps il convertit la playe en guairison. Il reste que nous le pryons que comme il a commence de luy restituer sa sante, il le vueille confermer pleinement, et luy donner un corps si robuste quil soit dispose pour saller esbattre, affin de recompenser le temps de la longue prison ou il a este desia passe trois mois.

Ie vous envoye les lettres que la seur de Monsieur *David* luy escrivoit,[1]) non pas quelles vous puissent apporter nulle consolation, mais daultant que ieusse pense faire incivilement en les supprimant. Iespere au plaisir de Dieu que par lhomme de messire *Bernardin*[2]) nous aurons nouvelles plus certaines, tant de la disposition de Monsieur, que de la vostre, et aussi de vos affaires, affin que nous scachons en quel temps il nous fauldra faire provision de bois, car de vergne[3]) on est apres. Il est vray que si vous craignez fort la peste, il y auroit un hocquet pour vous retarder. Neantmoins ie vous asseure bien quil ne se fault pas arrester au bruict qui augmente cent fois plus quil ny en a.

Sur ce, apres mestre humblement recommande a la bonne grace de Messieurs et la vostre, ie supplieray nostre pere celeste de vous conserver tous deux en bonne prosperite, vous resiouissant par sa grace, et vous donnant contentement spirituel pour vous delivrer de toutes facheries terriennes, vous faisant dignes de servir de plus en plus a la gloire de son nom. Amen. De Geneve, ce xv. daoust 1545.

Vostre serviteur et humble frere a iamais,

Iehan Calvin.

680.

CALVINUS VIRETO.

Causam Waldensium tam frigide tractari Bernae queritur. Neocomensium bonam voluntatem in concedendo Farello laudat, prudentiam in negotio successoris quaerendi Genevensibus demandando ridet et respuit. Malingrii abdicationem probat.

(Praeter autographon Cod. Genev. 106, fol. 136, habuimus exemplaria Ionvillaei Cod. 111a, fol. 5 verso, Turretini Cod. 111, fol. 113, Bernense Epp. VII. p. 711, et Simleri Vol. 57.)

Optimo fratri meo Petro Vireto fidelissimo Lausannensis ecclesiae pastori.

S. Quod serius respondeo ad tuas literas[1]) eo

---

678. 1) *Hoc ergo tempore Ochinus Genevam reliquit, ubi mense Aprile, intercedente Gallasio senatus ei domum ubi habitaret assignaverat* (*Reg. du Conseil* 7. *Apr.*). *Basileam se contulit, fortassis Argentoratum usque progressurus* (*vide ep. sequentem*), *ibique maxime cum Castellione versatus* (Schelhorn Ergötzl. III. 994) *postea sensim a Calvini partibus ad alienas transiit. Iam mense Octobre Augustae Vindelicorum pedem fixit.*

679. 1) *La soeur de M. de Busanton avait vécu peut-être avec la famille de Falais ou du moins avait été en relation avec elle. Elle était morte, ou C. avait quelque autre motif de renvoyer ses lettres à Mad. de F.*

2) *Comme dans la lettre précédente il est question d'un voyage d'Ochino à Bâle on est naturellement amené à penser qu'il s'agit ici de lui. Cependant cela n'est pas sûr.*

3) *Le vergne est l'arbre que nous appelons communément l'aune. Le texte imprimé porte à tort:* verjus.

680. 1) *N.* 677.

factum est quod per quendam ex nostris scribere instituerам qui se istuc iturum receperat. Sed ille diem de die extrahendo huc usque me distulit. Quod legationis a vobis obitae historiam fideliter et copiose complexus es, gratum mihi fuit. Misera vero piorum conditio nisi Dominum haberent innocentiae suae vindicem. Tantumne valere futiles et temere sine autore sparsas calumnias, ut nobis testimonium contra ferentibus fides non habeatur? Sed nulla nos indignitas abducat quominus in officio nostro pergamus. In praesens non video quid possimus ultra. Si quid tibi indicatum fuerit, sequenda erit opportunitas. Tres aureos scutatos miseramus in subsidium viatici. Si quid amplius erit opus addetur. Sic enim constitutum fuisse tibi scripsi. Pecunia ex *Davidis* testamento sumitur. [2])

Farellum nobis concessum esse ex animo gaudeo. Exceptionem, qua sibi caverunt fratres, ne quis fucus in eius locum subrogaretur, scio fuisse necessariam, ac eorum prudentiam hac in re laudo. Sed hoc nimis absurdum, quod substituendi *Tossani* partes nobis iniungunt. Sic enim ad verbum habent tuae literae: Summa consiliorum eo spectat ut *Farellus* vobis concedatur, si id efficere potestis ut *Tussanus* ei sufficiatur, ea tamen lege ut ratio habeatur Monsbelgardensis ecclesiae. [3]) Imo vero efficiant hoc ipsi, quibus est multo commodius: nobis hanc tantum praescribant quod nobis facilius videbunt esse quam sibi. Equidem de eorum animis ita sum persuasus, ut non dubitem eos sincere loqui. Verum si rem aestimes, aliquanto civilius erat negare quam ita concedere. Ignosco quia morem eorum novi. Vellem tamen ut aliquando sibi non omnia sumere discerent. Quanquam satius est exspectare dum ad nos eorum literae veniant: quas eiusmodi esse cupio, ut non plus offensionis pariant quam gratiae. Merito enim irrideri se fratres putabunt, si haec illis necessitas iniungatur, ut *Tossanum* sufficiendum curent *Farello* et Monsbelgardensi ecclesiae consulant. Spero tamen fore liberalius responsum.

De *Malingrio* [4]) bene factum. Ulcus autem comitis tui [5]) quando rumpetur? Nam eum conciones habere audio, quibus meretricium uxoris ornatum excuset. Si verum est, quousque sacrum Domini suggestum profanari feremus? Certe, si fratrum synodus cogetur, valde fallor nisi tale monstrum profligetur.

Quam commendationem habeat hic bonus vir ab ecclesia Argentinensi, videbis, nisi iam videris, quum istac transiret. Quantum subolfeci, ad spem ministerii, hoc est, stipendium scholasticum adspirat. Et sane versatus est in literis et mediocrem latinae linguae usum habet. Paucos vidi ex vulgaribus sacrificis qui tam expedite et pure loquantur. Ingenio videtur esse minime astuto. Reliqua modo respondeant. Videbis num qua sit vobis ratio illius iuvandi. Vale, frater et amice integerrime. Nostri te omnes salutant. *Galasius* inter alios, qui domi inclusus tenetur. [6]) Audisti enim de morbo ancillae. Ex *Genistonis* familia nemo est superstes, praeter *Matthaeum* qui animam agere dicitur. Genevae 17. Augusti 1545.

Ioannes Calvinus tuus.

681.

SOERINUS BULLINGERO.

Adit eum de sententia Calvini in articulo de coena Domini accuratius enucleanda, quippe quae sibi suspecta sit.

(Excerptum ex autographo Archiv. Turic. olim Scrin. C. Epp. Tom. III. nunc Plut. VI. Vol. 117ᵃ, fol. 339. — Simler. Vol. 57. Inscriptio adest nulla.)

— — — — — — — — — — — — — — — —

De Ioanne *Calvino*, cuius Institutionem ut a 43 est edita habeo, cuiusque quum capita aliquot tum vero de sacramentis, de baptismo, de coena Domini non obiter nec oscitanter legi, est etiam quod scribam et quaeram: nempe esse tum in Suevia tum in Moravia qui fortiter a partibus vestris, aut ut verius dicam orthodoxorum, stare videri volunt, interim tamen spiritum etiam *Calvini* de coena pronunciantem omnino probant, nec deprehendere volunt id quod mihi aperte infitiandum esse videtur. Tu quid velim, opinor, intelligis. Ego certe non credo, te unquam cap. Ioannis 6 ita interpretaturum, aut ita de vera substantiali seu essentiali corporis Christi manducatione traditurum, ut solet

2) *Busantonius pauperibus Genevensibus centum scutatos, totidem Argentoratensibus destinaverat. De eius morte vide N.* 656. *Bolsecus in vita Calvini hunc accusat, quasi illam pecuniam Vireto et Farello dedisset* (*ed. lat. p.* 50).

3) *Metuebant enim ne Tossano avocato Monsbelgardensis ecclesia Lutheranis quasi de industria obiiceretur invadenda, et sibi ipsis bene consultum volebant antequam Farellum dimitterent. Quem Calvinus unice desiderabat, de caeteris utpote alienis minus sollicitus.*

4) *Thomas Malingre Normandus, olim ordini Dominicanorum adscriptus. Pastor fuit Neocomensis ecclesiae, postea Iverdunensis* (1536), *vide tamen N.* 682, *not.* 7.

5) *comitem dicit, Comitem innuit, qui eo ipso tempore iam de abdicatione cogitabat, et nisi ipse cogitasset remotionem incurrisset. N.* 682.

6) *scil. pestis causa.*

Calvinus. Ut igitur tui de *Calvino*, viro alias magno, hac in re iudicii certior fiam, et ne frustra tuam autoritatem aliis opponam, sed potius tui iudicii testimonium habeam, tu quaeso pauca quaedam hac etiam de re rescribes [1]) — — — — — — — — Znaim 18. Augusti ao. 1545.

Leonhartus Soërinus
ibidem ecclesiastes.

682.

VIRETUS CALVINO.

Agit de variis personarum et officiorum mutationibus quas pro tempore meditari oportebat, maxime de Corderio vocando, Comite dimittendo, item de Farello et Tossano.

(Ex autographo Cod. Genev. 111a, fol. 141.)

Eruditissimo ac vere pio D. Ioanni Calvino fido ecclesiae Genevensis pastori fratri et amico integerrimo

Genevae.

S. Ut brevior sim, quia non suppetit otium, mitto ad te literas *Farelli*, ex quibus intelliges quid velit, ac mihi significabis quid facto opus esse putes. Non ergo scribam pluribus de negotio afflictorum [1]) in praesentia. Hoc solum addo: ex quo Berna rediimus, [2]) nihil quidquam ea de re audivi nisi quod *Farellus* scripsit. *Gironus* se scripturum receperat ad me si quid nostra opera opus esset. Nihildum rescripsit. Caeterum res nostrae quo sint in statu accipe. Convenerunt fratres pro more Viviacum proximis diebus: Lustriacenses a nobis *Morandum* [3]) per literas petierunt, sed nihildum certi constitutum est de praeficiendo Lustriaci ministro, sed negotium ad dies aliquot prorogatum, partim ut viduae [4]) consuleretur, partim quia nobis non satis erat res expedita. Nam insertum est huic deliberationi negotium scholasticum de avocando *Cornelio* a professione scholastica ad ministerium, et in eius locum surrogando *Corderio.* [5]) Quamvis autem haec deliberatio habitura fuerit aliquid impedimenti, quia multis placebat *Morandus*, urgebant tamen aliunde gravissimae causae. Atque ideo omnes *Corderium* censuerunt advocandum esse ut ludo literario praeficeretur, ea tamen lege ut *Cornelio* honesta aliqua conditione prospiceretur, si modo superviveret. Nam paulo antequam conveniendum esset incidit in phrenetidem satis horrendam. Nunc vero de vita penitus desperatur. Nam sermone privatus est nec amplius quemquam agnoscit. Proinde forte non erit nobis valde laborandum in inquirenda ei conditione. Precor Dominum sincero affectu ut eius misereatur. Nam gravi manu Domini diu pressus est: ad quam accedit quod *Comes*, pro quo semper pugnavit velut pro aris et focis (scis enim quo esset ingenio), illum turpissime deseruit in summa necessitate. Quum enim mania furiosissima laboraret *Cornelius*, advocatus *Comes* ab *Cornelii* uxore, ut marito opem ferret, coepit eam *Comes* subsannare his verbis: Tune ex piarum sororum es numero? Uxor mea cultane est et ornata ex tui animi sententia? Hoc pacto mulierem excepit ludibrio nec quidquam misero tulit opis. Vides hic mirum Dei iudicium. Saltem uxor ita multis narravit. Hac saltem in parte bene habet res, quod *Corderium* nostrum fore speramus. Nam Bernatibus valde probatur, praesertim *Sultzero*, qui hac in re omnem operam pollicitus est, et multi ex senatoribus, quos eam ob causam interpellavi.

Sed hactenus de schola. Porro quid in negotio *Comitis* [6]) actum sit, audi. Ipse conventui non interfuit, impeditus partim quod legati Bernenses huc venerant, agrum Lausannensium cum vicinis limitandi causa, cum quibus ei erat negotium, partim quod lubens, ut opinor, abesse cupiebat (nam eum mala conscientia urget), partim quod ei uxor parturiebat puerum semestrem aut quinquemestrem, ut ita dicam, quem ei audio peperisse, ne scilicet nobis in tempore deesset testimonium utriusque pudicitiae, quam verbis admodum thrasonicis tuebatur. Abfuit ergo penitus a conventu, quamvis satis multos haberet patronos, sed quibus magna ex parte excussa erat meretricia illa impudentia qua solent offendicula extenuare. Nam valde perculsi sunt abdicatione *Malingrii*, [7]) morte *Matthaei*, [8]) morbo *Cornelii*, quibus accessit *Comitis* absentia. Eo ergo ab omnibus ventum est ut indignus ministerio iudica-

---

681. 1) *Respondet Bullingerus. N.* 699.

682. 1) *Waldensium.*
2) *N.* 677, *not.* 1.
3) *olim Genevensem.*
4) *defuncti ministri Lustriacensis, quem, nisi fallimur, infra Matthaeum nominat.*
5) *tunc temporis Neocomensis scholae rectore.*

6) *N.* 680, *not.* 5.
7) *De hoc facto nihil nobis accuratius innotuit. Crottet (Hist. et annales de la ville d'Yverdon) simpliciter dicit Malingrium (N.* 680, *not.* 4) *a.* 1543 *nescio quibus de causis munere se abdicasse, et demum a.* 1546 *a Bernensibus nova concionandi venia concessa Albonam vocatum esse. Cui a.* 1545 *Iverduni Zebedaeus successit. Verum in anno* 1543 *vir doctus falli videtur, quum hic Viretus abdicationis mentionem faciat ut facti recentis.*
8) *Vide supra not.* 4.

retur, sed variatum est in ratione procedendi, ut loquuntur. Non deerant qui censerent hominem ablegandum Bernam cum totius vitae historia et fratrum praeiudicio. Pars tamen maior censuit hominem seorsum esse admonendum ut se sponte ministerio abdicaret, ac Bernam hac de causa concederet, intra quindecim dies id curaturus. Quod si hoc fratrum consilium non placeret, Bernam tamen proficisceretur auditurus fratrum accusationes. Constitutum autem est, si se sponte non abdicarit ministerio, ut acta eius diligenter perscribantur, Bernam mittantur cum duobus fratribus qui causam hanc strenue agant. Delecti sumus ego et *Tornacus*, quamvis mihi magis placeret ut alius meo loco mitteretur: sed secus visum est fratribus multas ob causas. Quid sit *Comes* responsurus nondum possum divinare. Iactavit apud multos, se ministerium ad tempus intermissurum. Sed nosti quam sit varius et quo spectent omnia eius studia.

Sed hactenus de *Comite*. Delecti decanus et iurati novi. Ego creatus sum decanus praeter meam exspectationem, *Ribittus*, *Theofredus*, *Franciscus* et *Tornacus* iurati. Habes summam actorum in postrema hac synodo, quae te scire volui ut mihi hac de re [*scribas*][9]) tuam sententiam. Audi iam alia. Mater ex uxor Iacobi *Ro*[*lietii*] Symphoriani[10]) peste sublatae sunt. Ipse vero iam laborare coepit. Veremur ne peste etiam correptus sit. Meminit apud nos pecuniarum abs te mutuo acceptarum. Mitto ad te commentarium rerum gestarum adversus fratres Provinciales quem a *Farello* accepi. Curabis ergo, si potes, quod exigit, et tuum nobis consilium expones.

Quum has scriberem tuae mihi literae[11]) redditae sunt per fratrem illum qui Argentorato nuper venit. Praestabo ei quod potero. Quod scribis de Neocomensibus, ut habeat clarius explicabo. Miror enim quod nondum ad vos scripserint. Ego nihil puto esse fuci in eorum consiliis. Nam ipse interfui et rogatus dixi meam sententiam, quae tuo desiderio non repugnabat, quia pium et christianum esse habeo multas ob causas persuasum. Quod autem scripsi de sufficiendo *Tussano*, non ita rigide intelligo ut velim id per vos penitus curatum. Nam ipsi dabunt omnem operam ut ad se advocent, si fieri potest, et si commodum est ecclesiae Monbelgardensi: aut si ab eo excidant, si quis alius potest aptus inveniri, non recusabunt. Sed ex *Farelli* literis intelliges quam difficile sit ei subrogare successorem. Hoc solum, quantum intelligere possunt,[12]) optant Neocomenses, ut, quoniam tu vales autoritate et gratia apud *Tussanum*, Basilienses et Argentinenses, tu iuves eorum causam pro virili, nec ipsi deerunt officio suo. Magis ergo a me peccatum est qui non disertis verbis rem exposui. Quod scribis de aureis tribus pro viatico, quoniam *Farellus* adiunctus est socius legationis cuius sumptus exsolvere iustum erat, non multum superfuit. Quod tamen superest habeo. *Farellus* vix patiebatur suos sumptus exsolvi: sed coactus est, quia Basileam erat profecturus nec satis suppetebat pecunia. Vale, et boni consule, si parum prudenter et considerate scribo. Nam vix licet per negotia respirare. Scribam ad *Gironum* et *Sultzerum* primo quoque tempore de fratrum negotio. Vale iterum, salutatis amicis, nominatim *Galasio* cum eius uxore et tua. Lausannae 21. Augusti 1545.

Si *Comes* ablegetur, ut spero, velim te in tempore cogitare de adiungendo mihi collega. Quod si pestis illa retineatur, vix ego diutius hic haerebo.

9) *Charta in margine lacerata.*
10) *S. Symphoriani vicus, quem vulgo hodie S. Saphorin vocant ad ripam Lemani non procul a Viviaco situs est.*
11) *N.* 680.
12) *sic quidem codex. Verum legendum est:* possum.

683.

CALVINUS FARELLO.

Tossanum vocandi consilium ipsi non magnopere placet. Mutationes in collegio ministrorum Genevensium. Ludovicum quendam commendat qui Neocomi diaconi vices obeat.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 137. Exstat praeterea Cod. 111, fol. 124, Bernae in Arch. Epp. VII. p. 698 et apud Simlerum Vol. 57. Autographi margo paululum vetustate arrosa.)

Guillelmo Farello Neocomensis ecclesiae fidelissimo pastori fratri et amico integerrimo.

[S. A]pud *Tossanum* quidquam tentare fas mihi non videtur, donec fuerit prorsus [de] eius reditu desperatum.[1]) Meum enim consilium est, si quid aequi poterit a [pr]incipe obtinere, ut redeat. Quod si hac spe exclusi fuerimus, tunc conabimur [mo]dis omnibus eum pertrahere in tuum locum. Si iam fuerit restitutus, tu cum [fra]tribus dispice num quis alius possit subrogari. In fratrum literis[2]) non [v]ideo quid tantopere reprehendas. Causas

683. 1) *N.* 670, *not.* 1. 680, *not.* 3.
2) *Hae ministrorum Neocomensium literae non exstant* (*N.* 677, *not.* 3).

enim referunt cur aegre te dimittant, et tamen aiunt tanti se facere nostras preces, ut non sustineant recusare, si modo ecclesiae prospectum fuerit, hoc est, si impetrari possit ut *Tossanus* tibi succedat. Non erat causa, meo iudicio, cur iterum scriberemus, nisi quid novi accidisset. Itaque abstinui.

Raymondum[3]) in *Genistonis* locum cooptavimus, sed destinamus agro. *Champerellus* conquestus est de nobis in senatu, quod Drallianum ablegaretur.[4]) Nihil tamen profecit. Commentarium,[5]) quem a me latinum fieri volebas, cum reliquis chartis tibi remitto. Neque enim magnum operae pretium in latina versione fore putabam. Et hic nemo est qui germanice sciat. Filius enim consulis Tigurini[6]) domum se recepit. Et tu nuncio mandaveras ut tibi referret. *Sulzerum* iterum hortatus sum nuper. Si vos secundo[7]) praesentes curabitis negotium, literae meae non supervacuae tantum sed ineptae quoque forent.

Quod diaconum vobis dari petiistis, quia singulare est donum deposito mortis terrore se exponere tam praesenti periculo, vulgo, ut scis non reperiuntur ad hanc provinciam apti. Unus erat hic *Ludovicus*,[8]) de quo possemuss perare. Et nobis mediocriter ad eam rem appositus videbatur. Quamdiu enim apud nos fuit, exercuit se diligenter in sacrarum literarum lectione: concionibus et lectionibus interfuit, multa legit, multa audivit. Denique satis, opinione nostra, doctrinae habet. Ingenio est tranquillo et modesto. Cuius rei hoc sit vobis argumentum, quod nemo unquam de ipso conquestus est: litem cum nullo suscepit. Patientiam suam probavit multis experimentis. Unum deest, quod lingua minus est promptus, sed reliquis virtutibus hoc vitium condonetur. Quanquam neque elinguis est, neque valde impeditus. Si vobis aptus erit, gaudebimus: sin minus, remittite. Vale, frater integerrime. Saluta symmystas omnes diligenter, et tuam familiam. Dominus vos omnes conservet. Amen. Genevae 24. Aug. 1545.

Ioannes Calvinus tuus.

---

3) *R. Chauvet, antea Argentorati, et probabiliter idem quem iam habuimus N.* 530. *not.* 5. *N.* 624, *not.* 5 *et N.* 659, *not.* 4. *In ipsam urbem vocatus est a.* 1549.
4) *N.* 661. *Multa de eodem in sequentibus, maxime in Ep. ministrorum Genevensium ad Gaienses*, 13. *Dec.* 1545.
5) *Narrationem gallice conscriptam de caede Waldensium, de qua et N.* 685.
6) *Lavateri* (*Siml.*).
7) *post primam legationem N.* 677, *not.* 1.
8) *qui munus illud etiam adeptus est.*

684.

VIRETUS FARELLO.

Praecedentem Calvini transmittit pauca addens de Corderio Lausannam accersendo.

(Exstat ad calcem epistolae praecedentis tam in autographo quam in caeteris exemplaribus omnibus. Simlerus adscripsit: Viretus haec epistolae Calvini ad Farellum subiecisse videtur: forsan haec alio sunt referenda. Alia manus addidit: Haec huc referenda videntur. Cui et nos adstipulamur. Simlero dubium suboriri potuit quod autographon non inspexit.)

S. Quia per otium et repentinum tabellarii discessum scribere non licet, hoc solum his literis adiicio, ut salutes meo et fratrum omnium nomine *Corderium*, detisque operam ut quam licebit ocyssime scholae prospiciatur, et nostro cooptetur collegio. *Cornelius* obiit eo ipso die quo hinc discessit *Christophorus*. Solum *Corderium* exspectamus. Videte igitur ne sitis nobis in mora et ne nostram fallatis exspectationem. Quidquid a nobis desiderabitis sperate: nos vero sedulo curabimus, si volet Dominus. Si vobis opus est aliquo docto et pio fratre, nobis sunt aliquot in manu, qui vobis non improbabuntur. Valete.

P. Viretus.

685.

CALVINUS VIRETO.

Literae ad Sulzerum nuper desideratae iam sunt repertae. Quid in causa Waldensium porro agendum omittendumve. Iudicium de variis ministrorum electionibus in agro Vadensi vel factis vel faciendis.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 138. Collata sunt exx. Ionvillaei Cod. 111a, fol. 33 v., Turretini Cod. 111, fol. 123 v., Bernense Epp. VII. p. 695 et Simleri Vol. 57.)

Fidelissimo Lausannensis ecclesiae pastori Petro Vireto fratri et symmystae carissimo et amico singulari.

S. *Sulzero* nuper scripsi, oblivione fuisse factum mea quominus literas meas abs te reciperet.[1]) Nam quum quinque circiter horis post discessum nuncii aliud quaererem, incidi forte in illas ipsas. Iam ne sis sollicitus. *Farellus* suo more, dum nihil

---

685. 1) *De his c. N.* 677, *not.* 5. *Caeterum hae epp. Calvini ad Sultzerum non exstant.*

vult praetermissum quod fratribus miseris utcunque possit commodare, etiam in iis quae non adeo sunt necessaria laborat. Latina versio illius narrationis quid prodesset?[2]) Curandum potius fuit ut germanice redderetur. An utile sit vos secundam profectionem suscipere, literae eorum qui tibi sunt polliciti admonebunt. Certe, nisi urgeatur legatio, periculum est ne male cedat aliquid tentasse. Iam tenes ex literis *Farelli* cur legatum quem nominabat repudiarem. Senseram enim occultis coniecturis nos fuisse ab eo proditos. Ex pecunia tibi in viaticum missa quum aliquid restare dicis, ridere te puto. Pauxillum est, inquis. At ego vos aliquanto plus insumpsisse existimo. Quia duo nunc absunt ex curatoribus, nihil tibi mitto, nec certum est etiam an sitis ituri. Sed cogitabimus de vobis sublevandis si novi sumptus fient. *Morandus* a quibus Lustriacum vocetur, miror. Hoc certum habeo, non alio consilio vocari, quam ut in abdicati locum subrogetur. Illum vident stare non posse. Obtrudatur ergo hic nihilo melior, et qui autoritate collegam magis premat. Examinandae igitur exactissimo studio causae cur ab ecclesia sua abstrahatur. Inhumanitas nebulonis[3]) in deserendo *Cornelio*, quam apertum est Domini iudicium. Eius tamen abdicatio nondum omnia apud vos desperata esse ostendit. Ordo actionis minus quidem severus quam decebat, sed habet aliquid gravitatis cum liberali indulgentia coniunctum. In utraque electione prudentissime se fratres gesserunt. In responso Neocomensium nihil fraudis subesse suspicabar. Sed quia hoc solenne habent in aliorum humeros se exonerare, et sibi plus aequo semper sumere, id me male habebat quod se eximerent omni molestia, nos adstringerent conditionibus quum iniquis tum ridiculis. In literis minor est offensionis causa. De accersendi *Farelli* ratione[4]) cupio scire quid sentias. Nam me consilium deficit. Tu dare potes. Vale, frater mihi suavissime et amice integerrime. Saluta *Ribittum*, *Imbertum* et familiam tuam. Dominus vobis adsit perpetuo. 24. August.[5])

Ioannes Calvinus tuus.

2) *Cf. N.* 683, *not.* 5.
3) *Comitis* (*v. N.* 682).
4) *Hoc ipso die* 24. *Aug. de eadem in Senatu actum est.*
5) *De anno dubitari nequit. Tractantur enim hic eadem fere negotia de quibus etiam in praecedentibus ultro citroque agebatur. Quod iam Turretinus in suo exemplari demonstravit.*

686.

CALVINUS VIRETO.

De matrimonio a Theofredo Genevae contracto citra consensum eius cui puellae cura commissa erat, sententiam Vireti scire quaerit rem deinde ipse compositurus.

(Exstat in iisdem Codicibus ac praecedens, sed praeter autographon 106, fol. 139 nusquam eidem proxime subiecta est. Cod. 111a, fol. 5 v., Cod. 111, fol. 121, Bern. Epp. VII. p. 714, Simler. l. l.)

Fideli Christi Domini nostri servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et symmystae carissimo.

S. *Theofredus*[1]) matrimonium hic contraxit quod nobis nonnihil exhibuit molestiae. Uxor Domini *Vergeriensis,*[2]) qui nuper apud vos fuit visendae matris causa, puellam huc secum adduxerat: quam quum nonnulli laudassent *Theofredo,* venit huc ea una de causa ut eam inspiceret, ac postea rationem iniret eius obtinendae. Cum ipsa colloquutus sibi uxorem dari petiit ab hera. Illa vero respondit, se nihil facturam ante mariti adventum. Quoniam spes ab ea parte nulla erat, privatim animum puellae tentavit. Indicavit quasdam alibi conditiones sibi esse propositas, quas nec diu tenere dubias posset, nec temere vellet dimittere, nisi haberet aliquid cum ipsa constitutum. Sponsalia igitur facta sunt. Nunc secundo quum venisset, rogavit ut hero verba facerem. Sed quum intelligerem animum illius abhorrere, me interponere nolui. Consului ut eum potius recta adiret. Post colloquium ad me reversus dixit horam sibi condictam a Domino *Vergeriensi* postridie a fine concionis. Adfuit ergo D. *Vergeriensis.* Sermonibus ultro citroque inter nos de hoc negotio habitis, tandem convenerat ut consilium ab te peteretur. Advocatus *Theofredus,* quum hoc responsum amplecteretur, diem sibi praefigi rogavit, ne diutius penderet. Ille, vel quia aliquid forte subolfecerat, vel admonitus illo verbo sciscitatus est, num quid pepigisset cum puella? Respondit *Theofredus* esse contractum iam matrimonium. Atque ego quidem de pactione aliquid audieram, sed putabam hac exceptione limitatam fuisse, ut heri arbitrio res integra maneret. Tunc purum fuisse contractum intelleximus. Hoc quoque puella confirmavit. Herus subirasci, quod

686. 1) *Theofredum alium bibliopolam Lausannensem dicet infra N.* 713 *Viretus, cuius responsionem ad hanc epistolam habebis N.* 693, *ubi Th. hic minister dicitur.*
2) *De hoc quid dicamus non habemus. Civis Genevensis fuisse videtur, nomen vero ex ditione quadam derivatum.*

se inconsulto ancilla ad connubium sollicitata esset, praesertim quae fidei suae esset commendata. Tamen, ut est vir moderatus, se continuit ne vehementius excandesceret. Paucis tantum verbis moderate expostulavit cum *Theofredo*, et nos etiam ne res in contentionem veniret obstitimus. Equidem, ut de *Theofredi* integritate sum persuasus, nihil mala conscientia factum fuisse scio. Aliquid imprudentiae admissum est, de qua eum admonui et abs te moneri velim. Caeterum primo quoque nuncio quid tu de eo sentias ad me scribes. Nam si herus tibi eum placere intellexerit, placatiore erit animo. Temporis praeteriti testimonium potui reddere, non ex meo sensu sed tuo. Quo eum loco habeas nunc sincere mihi expones, ut cum Domino *Vergeriensi* communicem. Vale, frater et amice integerrime. Dominus te et familiam tuam conservet. Genevae 25. Aug. 1545.

Ioannes Calvinus tuus.

687.

CALVINUS VIRETO.

Literae commendatitiae.

(Autographon exstat in Cod. Genev. 106, fol. 140. Ionvillaei exemplar Cod. 111a, fol. 8, Turretini Cod. 111, fol. 122. Bernense Epp. VII. 716. Simleri Vol. 58.)

Fideli Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et symmystae carissimo.

S. Hi tres adulescentes huc se contulerant ut conditione inventa nobiscum viverent. Verum spei non respondit eventus. Quia putabam aliquid eos pecuniae attulisse, quo vitam tolerarent saltem ad sex menses (nam epistolam mihi scripserant quae de ipsis nonnihil promittebat), consului ut ad vos concederent. Rationes enim nostras illis exposui ita habere ut si istic vixissent propriis sumptibus ad tempus aliquod, seque vobis approbassent, vestram illis commendationem non defuturam. Postea vero quam intellexi tantum viatico instructos, admonui me non videre quid profecturi essent. Vos non posse commendare nisi notos. Ad id requiri non unius diei probationem. Permisi tamen ut irent, si videretur. Ergo illis quod res tulerit respondere tibi erit liberum. Cupio certe adiutos, ne tantum laboris frustra susceperint. Et te scio esse in eadem voluntate. Ideo non hortor ut facias quod sponte facturus es. Vale, frater et amice integerrime. Uxor mea te reverenter salutat. Salutes fratres meo nomine. *Coelium* bis vidi in concione. Non sum alloquutus quia inter primos recesserat. Genevae 29. Aug. 1545.[1]

Ioannes Calvinus tuus.

688.

DIAZIUS CALVINO.

Dryander sub poena ad carceres redire iussus, fidei confessionem edere paratus est. Ipse quoque pro more ecclesiae Argentoratensis ante coenam sacram professus fidem suam Hispanum quendam testem habuit.

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 82.)

Clarissimo viro vigilantissimoque ecclesiae Genevensis primario pastori Iohanni Calvino mihi plurimum observando.

Genevae.

S. P. in Christo. Diebus proximis D. *Bucerus Dryandri* ad te non literarum fasciculum sed literas reddidit,[1] quibus binae aliae, ad *Claudium*,[2] una, ad me altera, inclusae erant. Nec mihi autoritatis tantum in tuis aperiendis detulissem, nisi et *Dryandri* fuissent, et in discessu meo tua humanitas facile id mihi permissiset. Illas ad te mitto, quas tamen nemini praeterquam uni *Claudio* communicavi. Ad me scripsit de variis rebus copiosissime. Illud tamen unicum, quia dignum tua cognitione iudicavi, volui tibi significare, ut magis intelligas stupidam istorum monachorum insaniam, atque etiam quantum *Caesar* suam crudelitatem in tutos et longe absentes homines declaret. Scribit se a Francoforcia literas accepisse in quibus inclusa erat aulica citatio,[3] qua sub poena capitis et bonorum confiscatione ad carceres, unde fuerat egressus, intra certum et praescriptum tempus redire praecipiebatur. Nec dubitat quin sententia fuerit iam subsequuta. Haec tamen nihil moratur, sed dicit id in causa

---

687. 1) *Sic autographon et Turretinus. Caeteri* 1546. *Coelium m. Augusto* 1545 *Genevae adfuisse scimus ex N.* 693.
688. 1) *Eas, ni fallimur, quas habuisti supra N.* 673.
2) *Senarcleum* (*N.* 675) *Diazii in itinere comitem et contubernalem, quo tempore is periit.*
3) *De qua etiam Melanchthon ad Camerarium d.* 20. *Augusti scripsit C. Ref. V.* 835. *Caeterum vide annot. nostram ad N.* 673.

futurum ut fidei suae confessionem edere cogatur. Quam utinam (ut ad illum scripsi) non coacti sed libere et ultro testaremur. Hoc siquidem, ut Dei gloriae plurimum servit, ita in ea confessione certissima nota Christi militis exprimitur, qui illum in hominum conspectu neutiquam confiteri et quantum in ipsis est defendere erubescunt.

Quoniam autem de fidei confessione sermo est, addam quod nuper mihi hic contigit. Scis huius ecclesiae morem esse, neminem ad sacram coenam admitti quin prius suae fidei confessionem in ecclesiae coetu declaraverit. Dies mihi et hora ad id praescripta erat. Sed ecce pridie ex schola Parisiensi huc, propter illic grassantem pestem, se receperat Hispanus mihi incognitus,[4]) sed qui me bene noverat: non admodum, quantum ex illo primo colloquio iudicare potui, in religione firmus aut edoctus. Volebat tamen apud alios simulare sese Hispanum esse. Sequenti die occurrit mihi, quum ego praescripta hora ad fidei meae confessionem ecclesiam adirem: adstat mihi semper, interest, et audit diligenter omnia. Ego vero tantum abfuit ut aliquid (Dei gratia) dissimulare aut celare voluerim, ut illius unius praesentia magis impulerit ad confitendum non solum affirmativas propositiones sed etiam negativas: me nimirum haereticas censere omnes alias ecclesias, quae non agnoscunt unicum mediatorem, redemptorem, unicam satisfactionem et hostiam in quibus non est, purum Dei verbum et legitima sacramentorum administratio, sicque me renunciare papam et omnem eius coetum etc. Re confecta, quum paulo post soli essemus: Audivisti, dixi, mi frater, fidei meae confessionem, atque ut non dubito me Dei providentia, omnia sicut fassus sum administrantis, huc ad hanc ecclesiam deductum, ita certe scio eadem factum ut et tu interfueris confessioni meae, ut quum Dominus dederit possis in Dei gloriam et ecclesiae aedificationem tantundem facere: sin minus, ubi in Hispaniam redieris, ut oculatus et auritus testis poteris dicere, te in Germania vidisse Hispanum insignem Luteranum, qui non dubitavit me etiam praesente fidem Luteranam (si ita et non potius Christi sit dicenda) fateri. Si modo se has regiones lustrasse dicere ausus fuerit. Ad haec ille subrisit, quum tamen ipse serio loquerer.

Haec ad te, vir clarissime, scribere volui ut ex epistolio epistolam hac narratiuncula conficerem. Interim illud addam, quod serio a me dictum volo, me sic ad te scribere ut tamen nolim te in rescribendo ac respondendo meis laborare. Non poterunt quidem literae tuae non gratissimae et magno cum meo fructu accedere: sed eis ad tempus carere malo, tuorum laborum et sollicitudinum rationem habens, quam ut te aliqua ratione ad id compellam. Satis est si operam in meis legendis colloces, ne dicam perdas. Te salutant plurimi quos hic habes tui studiosissimi, sed in primis *Senarclaeus* noster. Tu vicissim meo nomine salutem dices omnibus ecclesiae tuae fidelibus ministris, nec non uxori tuae carissimae. Bene vale in Christo, vir clarissime, quem ex animo precor assidue ut te diutissime servet ad ecclesiae aedificationem, defensionem et consolationem. Argentinae 4. Calendas Septembris.[5])

Perpetuo tibi devinctissimus
I. Diazius.

4) *De Petro Malvenda ergo cogitari nequit quippe qui Diazio Lutetiae innotuerit.* (Sleid. II. 436.)

5) *Annum* 1545 *indicat nomen urbis unde eum Bucerus, apud quem commorabatur, Ratisbonam deduxit.*

689.

BUCERUS CALVINO.

Ochinus Argentorati adest, Imperator Coloniae cum episcopo agit. Gratias agit Calvino de libello contra Carolum sibi misso.

(Ex autographo Musei Britannici Londini in nostrum usum descripsit Vir Cl. E. M. Thompson, assistant keeper of the MSS. Exstat sub signo: Add. MS. 12100 f. q. Quod nobis traditum est apographon nonnullis in locis Buceri literaturam alioqui lectu difficillimam non bene exprimere videtur, ita ut coniecturis usi textum reficere conatos excusare velis.)

Clarissimo viro D: Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori vigilantissimo suo fratri et symmystae clarissimo.[1])

S. D. D. *Bernardinum*[2]) utinam possimus pro merito tractare. Gratissima certe est eius praesentia. Ab Imperatoris discessu nihil auditum: una nocte Pingio[3]) usque Coloniam Rheno delapsus est. Ibi quatuor dies sesit[4]) et ad se episcopum vocavit. Quid autem cum eo transegerit nondum scriptum est.[5]) Appellavit ipse et plerique ex canonicis comitatis[6]) contra Carthusianos, qui capitulum volunt

689. 1) charissimo?
2) *Ochinum, quem nuper Basileae transeuntem habuimus* (*N.* 678).
3) Bingio? *Pridie nonas Aug. Wormacia relicta Coloniam profectus, a. d. XVII. Cal. Sept. cum episcopo convenit.* (*Sleid. II.* 399. *Deckers, l. l. p.* 140.)
4) haesit? sedit?
5) *Plura dabit N.* 696 *et maxime Seckend. p.* 554 *et Deckers l. l. ex MS. Archiv. Bruxell.*
6) *sic apogr.* (comitibus?) *Seckend. l. l.:* Canonici Her-

videri repraesentare. Dominus det eis constantiam et vincent. Certum est, paratum in nos aliquid fuisse mali, sed Deus clemens illud avertit. In colloquium futurum alii suetii[7]) non consenserunt, quare non possumus aliud convincere,[8]) quam esse insigne aliquid in ea in dolum.[9]) Dominus viderit. Orationem[10]) habeo de libello contra *Carolum*, in quo mihi nihil nimium usum[11]) est. Quid enim acerbe satis in tales blasphemos possit dici? Dominus te et vestros amicos servet. D. *Farellum* opto optime saluisse[12]) et alios, quos Dominus tecum tueatur et ecclesiae suae servet. Et rogo, subinde vel verbulo de rebus vestris significes. Anxii enim merito sumus de vobis, nunc etiam peste apud vos grassante. Optime vale. 29. Augusti 1545.

M. Bucerus T.

690.

CALVINUS HUBERTO.

Privigni sui, nescio unde restituendi, curam ei demandat.

(Exstat in Archivis Thomanis Argentorati, Epp. variorum Vol. II. N. 2 manu Budaei scripta. — Simler. Vol. 58.)

S. Quoniam verebar ne *Petrus*[1]) coriarius Francfordiam ante profectus esset, quam isthuc meae literae pervenirent, eas tibi destinandas censui ut curares ad eum perferendas. Rogo igitur te, mi frater, ut hanc molestiam suscipere mea causa ne graveris. Agitur de filio uxoris meae.[2]) Ille unus est per quem speramus nobis posse eum restitui. Rationem illi ostendo. Si erit Argentinae, eum tu quoque hortaberis ut serio nobis operam suam impendat et incumbat in hanc curam toto conatu. Sin Francfordiam profectus erit, dabis operam ut ad eum literae in tempore perveniant. Vale, doctissime vir et frater integerrime. Dominus te spiritu suo semper gubernet. Genevae pridie Calend. Septem.[3])

Ioannes Calvinus tuus.

Has dictavi hemicrania laborans: ne putes factum negligentia fuisse.

691.

CAMPHIUS BULLINGERO.

Calvinus Catechismum suum ecclesiis Frisiae nuncupavit. Cuius de sacramento sententia, qualis nunc exponitur, minus placet quam prior. Etiam Buceri varietas suspecta.

(Ex autographo Archiv. Turic. olim Scrin. C. Epp. Tom. I. nunc Plut. VI. Vol. 117a, fol. 302. — Simler. Vol. 58.)

Pio ac docto viro D. Heinricho Bullingero ecclesiae Tigurinae episcopo vigilantissimo amico suo summo et fratri in Christo dilectissimo S. in Christo Domino.

De itinere, de statu patriae nihil admodum habeo quod scribere possim, quod hic *Samuel*[1]) amicus meus non exacte exponere possit. Hoc solum admoneo, me gaudere nostram qualemcunque ecclesiam vestrae in doctrina per omnia consentientem esse. In qua re non parum operae posuit ac ponit Dominus *a Lasco.*[2]) Ut autem tibi huius rei indicium aliquod dem, misit ad nos, vel nostris ecclesiis dicavit, Ioannes *Calvinus* suum Catechismum brevem:[3]) nostri autem, quum grato animo susce-

---

manno assentiebant, eiusque appellationi ad Concilium adhaeserunt, Comites nempe Henr. Stolbergensis, Iacobus Rhingravius, Fridericus Widanus, Christophorus Oldenburgensis, Philippus Daunius etc. *Cf. Sleid. II.* 396. *Carthusianorum nomen in textu apographi nobis suspectum.*

7) statua. — *Scil. Catholici, qui Ratisbonense colloquium detrectabant.* (*Seckend. p.* 546.)

8) coniicere?

9) *sic apogr.*

10) Gratiam?

11) visum?

12) *sic apogr.* (salvum esse?)

690. 1) *In hunc Petrum Teschium iam supra incidisse nobis videmur in N.* 635, *not.* 4.

2) *Idelettam de Bure iam ex primo marito liberos habuisse constat, cf. Bonnet, Récits du* 16e *siècle p.* 84. *Verum de quanam restitutione filii alicuius hic agatur, id declarare posse desperantes ad Oedipum te remittimus. Vix eius aetatis esse poterat puer ut sui compos vel in religione vel in moribus a via aberraret.*

3) *Annum adscribimus* 1545 *Simlerum sequuti nescio quo argumento fretum. Si quis ex Ep. N.* 632 *annum* 1544 *elicere maluerit, vix est cur obloquamur.*

691. 1) *Pellicanus. Ad utrumque exstat ep. Lasci in Gerdesii Scrin. ant. IV.* 457 *et ap. Kuyperum, Opp. Lasc. II.* 590.

2) *Qui inde ab a.* 1543 *Emdenae evangelium praedicabat.* (*Bartels, I. a. Lasco. Elb.* 1860.)

3) *Typis editae dedicationi autor subscripsit a. d. IV. Cal. Dec.* 1545. *Iam antea ergo manu scriptam misisse putandus est.*

perint, respondere ac gratias illi agere volunt, ac hoc interim admonere, priorem ipsius sententiam sibi magis placuisse de sacramento quam hanc, rogareque ut sic scribat quo a rudioribus intelligi possit. Hoc *a Lasco* et ministri quoque in pago cupiunt. *Buceri* varietas ac ingenium callidum nostris est suspectum. Et quum putaret se D. *a Lasco* in suam quoque sententiam pertrahere posse, effecit ut habeat qui maxime sibi contradicat: et qui assentiretur noster quum illum non intelligat, imo putat alterum se ipsum non intelligere. — — — Groningae 31. Augusti 1545.

Gerardus zum Camph Embdensis[4])
totus tuus quantus est.

692.

VIRETUS CALVINO.

Agit maxime de legatione ad regem Galliae mittenda in causa Waldensium Provincialium. Tum negotium collegae attingit quem qualicunque modo loco movendum censet.

(Ex autographo Cod. Genev. 111a. fol. 142.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino vigilantissimo ecclesiae Genevensis pastori fratri quam carissimo

Genevae.

S. *Nicolaum*[1]) arbitror ad te diligenter perscripsisse quae fuerit nostra sententia de ferendo afflictis fratribus auxilio. Nam ipse consultationi interfuerat. Quo fit ut ea non repetam quae iam tibi satis esse nota non dubito. Hoc solum addam, cuius an te certiorem fecerit *Christophorus*[2]) nescio, quod tua te magnopere scire interest. Quum Neocomo rediret proximo Saturni die, paucis (quia per tempus pluribus non licebat) *Farelli* sententiam de urgenda legatione mihi exposuit, et causam quae ipsum commoveret. Literae ei redditae sunt a *Tussano* quibus eum *Tussanus* certiorem facit, ad Calend. Septemb. protestantium legatos Metim appulsuros, ac inde rebus illic confectis ad *Gallum* profecturos et fratrum afflictorum causam acturos.[3]) Quamobrem *Farellus* tempus valde opportunum esse existimat urgendae rursum legationis, tum quod speret fore ut facilius Elvetii permoveantur aliorum exemplo provocati, tum quod valde commodum rei quae agitur esse iudicet, si eodem tempore *Rex* tot ac tantis legationibus interpelletur. Tuum ergo erit, primo quoque tempore quid tu etiam sentias hac de re ad me diligenter perscribere. Ego vero curabo bona fide quod tu mandaris, quodque fratribus in rem futurum visum fuerit.

Nam etsi nulla causa alia Bernam me cogat, suspicor tamen fore ut eo mihi sit eundum ad constringendum Proteum nostrum,[4]) qui tam vanus est ut non possit nisi magno labore atque molestia teneri. Nuper ex meis literis fratrum sententiam intellexisti. Quum ei nunciata esset vix se continere potuit. Respondit satis arroganter et commoto animo, se id quidem prius deliberasse ac facturum fuisse quod monerent symmystae, sed hoc tempore minime facturum sed summo potius iure rem Bernae experturum. Causas autem mutatae sententiae has afferebat, quod animadverteret secum agi parum candide et fraterno animo, sed se potius ex insidiis et per proditiones impeti: deinde se facile subodorari quorsum ista spectarent. Nam qui hoc adversum me machinati sunt, inquit, non ignorabant quid animi haberem, nec dubitare poterant quin pridem cogitassem de cedendo ministerio, sed inviderunt quieti et famae meae. Noluerunt id perfici nisi aspergerer infamia, ut gloriari possent sua opera me invitum de ministerio deturbatum. Taceo alia quibus conviciatus est iis qui fratrum nomine sententiam retulerunt. Adornamus itaque criminationem adversus pestilentem istum hominem ex fratrum sententia, quamvis aegre mihi persuadeam, hominem eo pervenisse dementiae ut ausit actionem sustinere. Nam, crede mihi, totus exhorresco animo repetens et ordine describens hominis scelera, quamvis non omnia. Quis enim posset, nisi nobis ad manum semper fuisset scriba, qui diaria et annales

---

4) *Filius Bernhardi ter Camp praefecti arcis Emdanae qui fuit inter reformationis primos asseclas in Frisia, maxime Georgii Aportani primi Emdensium ministri evangelici fautor. Gerhardus tum temporis erat senior ecclesiae Emdanae. Cf. supra N.* 644. *Gabbema ep.* 68, *Kuyper, Lasco II.* 556. *Epistolae eius ineditae asservantur in scrinio Emd. eccl. v. Kist et Moll, Kerk. hist. Arch. II.* 49 *ss.*

692. 1) *Mirindolium vocat infra N.* 706, *i. e. civem s. ministrum Waldensem ex vico Merindol in Provincia, vel profugum, vel legatum.*

2) *Libertetus.*

3) *Haec legatio illa ipsa fuisse videtur de qua Sleid. II.* 399 *et quae d.* 10. *Septembris ad aulam gallicam pervenit. Huius tamen praecipuus scopus non Waldensium fuit negotium sed pax inter Gallum et Anglum conciliganda. Ad illum missi fuerunt Christophorus Fenninger ducis Wirtembergensis cancellarius, Io. Nidbrucker s. Nidepontanus qui et Io. Metensis, et Io. Sturmius. Ad Henricum regem inter alios Sleidanus. De hac legatione exstat ep. Sturmii ad Iac. Sturmium d. d.* 10. *Oct.* (*Seckendorf p.* 569.)

4) *Beatum Comitem collegam de cuius dimissione vel sponte vel ex autoritate publica procuranda iam plura audies.*

tam pii episcopi in commentaria redegisset? Video quid illum valde premat. Nec lubens cedit ministerio hoc tempore, quod ei non satis videatur commodum, nec lubens subit Bernensium iudicium. Proinde nondum satis divinare possum quid moliatur. Hoc saltem eum valde excruciat quod se sentiat irretitum, ita ut exigua sit spes evadendi, etiam Turcis iudicibus, nisi omnia sint deploratissima apud eos quorum partes sunt disciplinam ecclesiasticam tueri et conservare: quod nondum mihi persuadere possum. Proximo dominico die adiit me in templo, rogavit num possem ei postero die horam ad colloquium concedere. Annui, ac eius arbitrio reliqui quamcunque eligere vellet. Suspicabar illum procrastinationem aliquam variis pollicitationibus eblandíturum, quum viderem me tam amice ab homine compellari. Sed non venit ut se facturum receperat: quo fit ut non satis intelligam quid moliatur. Interea tamen paramus nos ad quemvis eventum, totum negotium Domino commendantes. At graviter in hac re peccatum est ab iis qui ei classis sententiam erant renunciaturi, quod octo dies abire passi sint priusquam ei nunciassent. Atque ita tanto temporis spatio protractum est negotium, quod levius foret nisi lapsus ille in alias nos coniecisset angustias. Nam si Bernam proficiscimur ad praestitutum diem, tum eo perveniemus quum fere senatores omnes vindemiis occupati aberunt ab urbe. Vides quid ignavia et negligentia eorum, in quibus minime esse debuit, effecerit. Sed de his hactenus. Si quid habes super hac re consilii significato. Si Bernam petimus, fortasse non esset ab nostro instituto alienum ut tu ad ministros scriberes, ut aliquam tandem disciplinae ecclesiasticae rationem haberent. Nam vereor ne *Beatus*, ut solet, illi nimium sit amicus. Atque utinam ei vere amicus esset. Nam ei et ecclesiae optime consuleret. Caeterum quod petis a me consilium de evocando *Farello*, [5]) in praesentia nullum habeo. *Tussanus* fere spem omnem de se Neocomensibus ademit. Nam ad *Farellum* scripsit, servare se suis Metensibus de quibus nunc magna spes est. [6]) Ubi *Comitis* ulcus expurgatum fuerit, forsan aliquid hac de re statuere dabitur. De *Francisco* [7]) et altero eius socio, qui Berna redierunt, audivisti, opinor, ut excepti sunt et quid non impetrarunt. Illis meum consilium exposui, quod ab ipsis, nisi audieris, audies: de quo scriberem ad te copiosius, si per otium et tabellarium liceret. De *Theofredi* matrimonio scribam ad te brevi. Saluta amicos, nominatim uxorem tuam et *Textorem* cum tuis collegis. Vale. Lausannae 2. Septemb. 1545.

Tuus P. Viretus.

---

5) *vide maxime epistolas m. Augusto scriptas.*
6) *quae eos omni ex parte fefellit. Tossanum sub finem anni Monbelgardium rediisse iam alibi dictum.*
7) *qui et Deotheus vocatur* (*N.* 694. 695), *quem ad ludi magisterium accersebant Genevenses* (*Reg. du Conseil* 8. *Sept.*).

693.

VIRETUS CALVINO.

Respondet ad epistolam de Theofredi matrimonio scriptam. Uxoris valetudinem plus quam dubiam significat.

(Ex autographo Cod. Genev. 111a, fol. 143.)

Eximio Christi servo Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori vigilantissimo fratri quam carissimo Genevae.

S. Quoniam rogasti postremis tuis literis [1]) ut quid de *Theofredo* sentirem ad te scriberem, paucis meam sententiam tibi exponere volui. Optarim sane prudentius omnia fuisse transacta, et praecipue bona cum venia heri, qui puellam istuc praemiserat suae fidei commendatam: quae res ei velut quoddam paternum ius in puellam dederat. Sed postquam facta infecta reddi nequeunt, nobis laborandum est omnibus ut animus heri, si qua ratione fieri possit, utrique reconcilietur. Fatetur libere *Theofredus* ab se peccatum hac in re, quod ego serio cum eo expostulavi, adeo ut ei lacrymas extorserim. At quamvis ego valde apud eum peccatum exaggerarim, res tamen mihi eius generis esse videtur ut facile componi possit. Nam quod D. *Vergeriensis* sibi dedecori esse putat, quodque contemptum interpretatur aut iniuriam, si *Theofredi* animum expendas, id in laudem cedit utrique, hero scilicet et herae. Nam nisi *Theofredus* persuasum habuisset, puellam honeste fuisse educatam in honesta familia, ad eam nunquam animum appulisset. Quod si *Theofredus* aliqua ex parte videatur heri autoritatem et existimationem contempsisse aut laesisse suo illo facto, quod hac in parte peccavit, aliqua ratione resarcit illa ipsa opinione quam de hero atque hera conceperat. Nam hoc scio, *Theofredum* nullo usum esse dolo malo. Quod si dolus inesse videatur, crede mihi, id potius imprudentiae adscribendum est quam malo animo. Est enim vir probus, piorum omnium qui probe hominem norunt testimonio commendatissimus. Vixit mecum domi aliquot

---

693. 1) *N.* 686.

annos, sed de toto tempore, quo domi meae atque foris vixit, non possum ei nisi luculentum fidei pietatis et probitatis testimonium reddere. Idem testantur reliqui omnes quibuscum illi familiaritas intercessit. Spero fore ut Dominus bene fortunet coniugium, quamvis in ipso prooemio plus prudentiae merito possit desiderari. Sed aliquid condonandum est homini in tali praesertim negotio. Nam quam pauci sunt qui tum sapiant quum maxime sapiendum est! Eum iudico sapientissimum qui, ubi ad hanc rem ventum est, nihil penitus desipit. Lapsus est *Theofredus*, sed lapsus est humanus, et venia, meo quidem iudicio, dignus. Nam non instituerat herum fallere, aut puellam: sed vis amoris, amicorum fortasse impulsu, testimonium quod de puella audierat, et metus ne incideret in male feriatum et insanum aliquod caput, quod eius ministerio notam aliquam malam inureret. Atque eo magis metuebat, quo plura ac praesentiora vidit exempla eorum quorum uxores improbae ministerium subverterunt. Quod igitur egit, id egit eo potius consilio ut suae quieti et suo ministerio atque ecclesiae consuleret, quam ut D. *Vergeriensi* causam aliquam praeberet molestiae. Eum igitur orabis meo nomine ut *Theofredo* ignoscat, quem filii loco habiturum non dubito. Condonavi et ego, quod me inconsulto haec omnia tentarit et perfecerit, quem non postremo in loco habere debuit. Sed cur me non consuluerit alias audies. Pudor fuit, non contemptus, cuius causam aliquando, si opus est, aperiam.

Sed ut finem faciam, meo nomine salutem dices D. *Vergeriensi*, testaberisque meo nomine in *Theofredo* me nihil hactenus vidisse aut deprehendisse viro bono indignum, eumque mihi esse non solum amicum sed et familiarem, quamvis in hoc negotio ipse quoque habeam quod cum eo iure expostulem. Salutant te nostri omnes. Salvere iubebis tuos symmystas et *Textorem*, ad quem nihil certi scribere possum de uxoris valetudine. Nondum curare potui iuxta *Textoris* praescriptum, quoniam Orbam se contulit meo consensu ad nostros, si forte ea peregrinatione nonnihil iuvaretur. Scripsit se paulo melius habere. Priusquam solveret hinc sumpserat aliquid eorum quae a *Textore* erant praescripta. Fatetur se quidem morbo aliquo afflictari, sed nondum illi spes adempta est prolis. Nam ex quo Orbam profecta est, se certo esse gravidam literis mandavit: quod nescio an scripserit docta certiore aliquo experimento, quando ad quartum mensem pervenit, an falsa persuasione matris et aliarum muliercularum, an metu ne ei pharmaca propinentur. Nam dictu mirum quantum a pharmacis abhorreat. Vix enim vel oximeli subodorari potest absque nausea. Has ad te nugas scribo paulo copiosius ut haec *Textori* exponas, quoniam non licuit ad eum per negotia scribere. Saluta uxorem. Vale. Lausannae 3. Septemb. 1545.

Tuus P. Viretus.

Tu scribes ad me per *Coelium* [2]) si quid habes novarum rerum ex Germania.

694.

MINISTRI GENEVENSES LAUSANNENSIBUS.

Petunt ut senatum Bernensem adeant illi in eum finem ut Deotheum Genevensibus concedant qui scholae praeficiatur.

(Autographon reperies in Cod. Gen. 106, fol. 141. Apographa exstant Iouvillaei Cod. 196, fol. 84 v., Turretini Cod. 111, fol. 125, Bernense Epp. VII. p. 718, Simleri Vol. 58.)

Piis et doctis viris pastoribus et doctoribus ecclesiae Lausannensis symmystis et fratribus carissimis.

Gratia et pax vobis a Deo patre nostro et Domino Iesu Christo, fratres et symmystae carissimi et colendissimi.

Qui scholae nostrae sesquiannum [1]) iam praefuerat, impetrata missione se contulit ad classem Gaiensem, quod se aptiorem verbi ministerio fore sperabat quam scholastico muneri. [2]) Nos in eius locum successorem designavimus Franciscum *Deotheum*, qui iam ante nobis placuerat. Sed quoniam ab illustrissimo senatu Bernensi iam obtinuerat apud vos locum, tametsi nonnisi unius mensis pensionem receperat, maluimus ut veniam ante peteret quam inde aliqua querela nasceretur. Bernam profectus est. Repulsam praeter spem passi sumus. Senatus noster re intellecta, cuius nondum fuerat conscius, senatui Bernensi diligenter scripsit, nos ministris. Nunc vos, fratres dilectissimi, rogatos volumus ut nostram petitionem adiuvetis vestro suffragio vel iudicio potius. Nam magnopere interest ut intelligat senatus Bernensis nullo suarum

---

2) *N.* 687 *not.*

694. 1) *Carolus Damont qui a.* 1544 *ineunte aestate Castellioni successerat non integrum sesquiannum scholae praefuit.* (*Cf. N.* 531.)

2) *Ex iis quae in Comment. senatus ad* 14. *Apr. et* 4. *Maii* 1545 *leguntur patet Carolum munere scholastico se abdicasse quia cum suis baccalaureis minus bene ei conveniebat. Ipsi quoque Nostro non omnino se probaverat.*

ecclesiarum incommodo se nobis in hoc negotio commodaturum. Hoc ergo ut testari velitis rogamus: nullum nunc esse apud vos aut in agro Bernensi locum, ubi occupetur *Franciscus*, ac satius esse hic impendere suam operam Domino, quam apud vos desidere otiosum. Valete, fratres nobis carissimi et honorandi. Dominus vos conservet ac dirigat in ecclesiae suae aedificationem. Amen. Genevae 5. eidus Septemb.[3])

Ioannes Calvinus fratrum nomine.

695.

CALVINUS VIRETO.

Provincialium causa et ab Helvetiis et in Gallia negligentius et invidiosius tractata. Iterum de Deotheo Genevam vocando ad capessendum munus scholasticum.

(Autographon hodie non exstat. Superest exemplar Ionvillaei Cod. Gen. 111a, fol. 30, ex quo derivata sunt caetera scil. Turretini Cod. 111, fol. 125, Bernense Epp. VII. p. 717 et Simleri Vol. 58. Anglice versa legitur ap. Bonnet-Constable T. II. p. 1.)

S. Quum turma una piorum[1]) huc venisset, ac quaedam audirem quae tibi non ignota esse magnopere ad rem pertineret, volui ut ad te duo statim proficiscerentur. Intelliges Satanam omnia machinari, ut avertat ab illis sublevandis omnium animos et Regis aulicorumque saevitiam iam plus satis acutam magis acuat. Me quoque Helvetii, non pensionarii modo, sed quicunque epicurismum sapiunt, mire lacerant, quod gentem suam in Regis odium mea importunitate traxerim. Sed nihil tanti sit quod nos ab officio plus quam necessario remoretur.

Carolus[2]) ludimagister, in cuius gratiam mihi *Sebastianus* maledicebat, nescio qua spe abductus locum deseruit. *Franciscum* destinavimus successorem, sed quia mensis unius pensionem ex scholae vestrae stipendiis receperat, visum fuit honestius fore si ante veniam et missionem peteret a senatu Bernensi: qua in re nihil erit negotii, ut spero. Petiit etiam *Petri*[3]) collegae nostri avunculus commendationem quam secum fert. Si opus fore censueris ipse quoque adiuvabis tuo suffragio. Bonum virum et simplicem, quietum et modestum semper cognovimus. Aiunt eum fideliter in provincia et cum fructu in vinea Domini laborasse. Bene vale. Dominus tibi adsit perpetuo.[4])

Io. Calvinus tuus.

696.

BUCERUS CALVINO.

Narrat quid Imperator nuper cum Archiepiscopo Coloniensi Hermanno egerit, ei ne ultra progrederetur in instituta reformatione severe iniungens, imo ut omnia in pristinum statum restitueret. Qua de re ille nunc Protestantium consilium implorat.

(Duo exstant exemplaria in bibliotheca Basiliensi, neutrum autographon, utrumque mendosum: MSS. G. I. 66, fol. 80 et G. I. 22, fol. 44. Lectiones evidenter falsas aut suspectas asteriscis notamus.)

Clarissimo viro D. Io. Calvino ecclesiae Genevensis pastori vigilantissimo suo symmystae carissimo et fratri.

Instituite preces quanto potestis studio pro regno Christi, quod Satan in electoratu Coloniensi extremo impetu petit. Imperator promiserat statibus imperii Colmariae, se amice acturum inter episcopum et pseudoclerum illic. Verum ubi Coloniam venit[1]) vocatum ad se episcopum gravissimis verbis increpuit de novatis religionibus, atque postulavit ut in pristinam formam viam novatam restitueret. Respondit episcopus se nihil novasse, sed vetera praecepta et instituta Christi restituisse pro officio suo et accepto Ratisponae mandato. Imperator * se nolle cum eo hac de re disputare: novationes in manifesto esse, eas pontificem ferre non velle, nec se ut obedientem sedis romanae filium in exsequendo sententiam pontificis cessaturum: imo, si pontifex cessaret, se tamen non laturum novationes illas. Obiecit episcopus decreta imperialia, verbum Domini, canones, conscientiam suam: et petiit simul spatium deliberandi in re tam gravi, postquam praecipuos quosdam consiliarios suos apud se non haberet. Dedit Imperator noctem ad deliberandum,

---

3) *A. 1545 ut ex loco Ep. 692, not. 7 facile efficies.*

695. 1) *Ex Provincia profugorum.*

2) *De hoc eiusque destinato successore vide Ep. praecedentem.*

3) *Duo tunc huius nominis erant Genevae ministri, Petrus de l'Ecluse et P. Ninaux. Huic posteriori minus favebat Noster.*

4) *Eodem die scripta videtur ac praecedens, ab iisdem Vireto tradita, ideoque indice destituta.*

696. 1) *Electorem convenit d. 15. Augusti. (Seckend. III. 554.)*

addens, non esse opus longa deliberatione, conatum eius ferri non posse, archiepiscopatum et electoratum eius esse beneficium pontificis, cui nisi obtemperet nihil horum retinere eum posse. Ad haec episcopus proprio ore egit gratias de spatio deliberandi: adiecit se ipsum Imperatorem elegisse, in munere electoris se innocenter functum esse, petere ut Imperator contra se nullam concipiat indignationem. Respondit Imperator etiam suo ore se nullam contra eum indignationem concepisse, sed ex paterna benevolentia eum monere, ne sibi tanta incommoda accersat et dedecora. Ita abiit iucundo vultu episcopus ab Imperatore, ad quem nonnihil cogitabundus ingressus erat, in urbe tam inimica, et veneno plus quam viperino, quod *Groperus*[2]) et complices eius diffuderunt, Imperatorem et aulam eius magnamque urbis partem horrende inflammante. Et episcopus, quatriduo facta deliberatione rescripsit Imperatori,[3]) se in instituta reformatione, quae novatio vocaretur ab adversariis iniuria, sequutum esse spiritum sanctum: contra hunc peccare se posse * reaedificando impie quae pie destruxisset. Orat, Imperator hanc religionem ipsius velit boni consulere. Imperator autem non exspectato hoc responso biduo post conventum ipsi misit episcopo solennem citationem,[4]) qua eum citat in aulam suam, ubicunque illa fuerit, ad 30 diem, exsequuturus impium et seditiosum appell. * cleri Coloniensis. Recepit item in defensionem suam omnem pseudoclerum et coepit praefectis episcopi mandare, ut ipsi religionem in oppidis mutent. Hinc episcopus in extremis constitutus nostrorum statuum consilium et auxilium implorat,[5]) quod ut ei pie et feliciter praestetur orandus Christus est, et excitandi animi piorum. Hanc rem tibi religiose commendo, et hanc epistolam ut communices *Farello* nostro et aliis fratribus rogo. Alias plura: nunc non est tempus. Vale. Datum Argent. 8. Septemb. 1545. Salutate omnes fratres.

Martinus Bucerus.

---

2) *Coloniensis doctor et canonicus de quo saepius occasione colloquii Ratisbonensis* (*N.* 300. 302). *Inter eum et Bucerum nuper publicis scriptis disceptatum fuerat.*

3) *d.* 19. *Augusti. Plura dabit Seckendorfius l. l.*

4) *Seckendorfius:* Caesar Hermannum, ut ex literis eius mense Septembri datis constat, Bruxellas citavit. *Hic ergo quae hic narrantur ignoravit. Cf. etiam Deckers, H. v. Wied.* 1840 *p.* 141 *seqq.*

5) Pontanus (*cancellarius saxonicus*) in literis d. 19. Sept. ad Electorem Sax. datis, in quibus ob magnum illud praeiudicium Hermannum quidem deseri non posse agnoscit, monet tamen ne Elector solus odium in se suscipiat sed ut rem foederatis proponat. Haec occasio fuit indicendi conventum Smalcaldicum mense Octobri, in quo nihil actum (*Seckendorfius l. l.*).

697.

VIRETUS CALVINO.

Orbani cum Zebedaeo intercedente Farello conciliandi. Campanus moribundus. Varia negotia Corderii Lausannam vocandi, Deothei Genevam, Comitis abdicandi, maxime vero Provincialium.

(Ex autographo Cod. Genev. 111ᵃ, fol. 68 coll. c. apographis Cod. 116, fol. 97, Bernensi Epp. VII. p. 720 et Simleri Vol. 58.)

Clarissimo viro Io. Calvino ecclesiae Genevensis pastori vigilantissimo et fratri amantissimo Genevae.

S. Nondum remitto ad te literas quas e Germania accepisti,[1]) propterea quod spero *Farellum* Orbam octavo abhinc die venturum, cui eas communicabo, ut earum ipse quoque particeps fiat. Nam mihi animus est tentare num collapsa illa ecclesia rursum erigi possit, et efficere, si volet Dominus, ut Orbanorum animi cum *Zebedaeo*, priusquam illinc solvat Inverdunum abiturus,[2]) reconcilientur, et aliquid constituatur de eius ecclesiae disciplina, ut *Zebedaei* successor eam commodius moderari possit. Dabo igitur operam ut *Farellus* eo vocetur, nostros conatus (quoniam plurimum valet autoritate et gratia apud Orbanos qui Christo nomen dederunt) adiuturus suo et consilio et opera.

De *Campano*[3]) mihi spes admodum exigua relicta est. Virum bonum esse existimo, sed valde metuo ne ab eo morbo superetur, quo graviter premitur. Videtur enim mihi hectico affectu laborare et astmatico, nec a phthisi multum abesse, quibus accedit et crurum tumor qui mihi hydropeu praesagire videtur. Verba enunciat maxima spiritus difficultate, velut anhelus et totus spiritosus. Tu ex his coniicere potes, quae nobis spes de illo relinqui possit, homine iam sene et corpore admodum imbecillo.

Si a *Farello* impetrare possum ut eo veniat, conferemus latius de rebus omnibus, quamvis non ita pridem ab eo redierim. Quas autem ob causas eam peregrinationem susceperim, *Theofredus* fusius narrabit, et quae spes sit de advocando huc *Corderio*,[4]) et quid decreverimus de *Francisco*, quem vestrae scholae praefici desideratis. Scribemus ad Bernenses: sed id non possumus commode, donec in nostrum collegium cooptatus sit *Corderius*. Ratio-

---

697. 1) *Fortasse Buceri N.* 696.

2) *N.* 677, *not.* 7.

3) *Videtur et hic Orbae ministerio functus, fortasse Zebedaei Diaconus. Verum eius nomen ignoramus.*

4) *N.* 682, *not.* 5.

nes tu satis intelligis. Id autem ut fiat curabimus primo quoque tempore.

De *Comitis* negotio [5]) contuli cum consule *Wattevillensi*, [6]) qui me amicissime et familiarissime excepit, quamvis nonnihil dubitarem, ne ei forte impensius faveret. Sed nolui hominem celare quod ne accideret verebar. Nam quum de multis hominem consuluissem, et multa fecissem verba de corrupto ecclesiarum statu, de offendiculis quae et ab officiariis (ut loquuntur) et a ministris excitantur, timebam ne, si forte *Comitis* causa Bernam devolveretur, consul offenderetur, quasi ego diffisus essem de eius integritate, si perpetuo silentio apud eum pressissem quod tamen palam aliquando faciendum erat: praesertim quum a *Fatono* [7]) prius admonitus fuisset de angustiis in quas essem coniectus collegae causa. Consuluit id ipsum paene quod a fratribus constitutum fuerat. Nam notior est omnibus flagitiosa huius hominis vita quam ipse cupiat, quamvis exigua sint admodum ea quae palam sunt si cum iis conferantur quae nobis sunt comperta. Vix mihi possum persuadere, hominem usque adeo prostituti esse pudoris, etsi admodum sit perfrictae frontis, ut velit nobiscum iudicio experiri. Nam paulo iam mitior factus est, dixitque se rogaturum fratres ut sibi dent literas ad Bernates quibus testetur* se a nobis missionem petiisse, ut a Bernatibus quoque eam impetrare possit, quod se effecturum pollicetur. Nam coacti sumus multas ob causas diem prorogare quo nos Bernam sisteremus, ea tamen lege ut res in nostra sit potestate et tempus ei praestituere liceat. At cum Proteo tam vario quid agendum sit, difficile est statuere. Quantum ex *Wattevillensi* intelligere potui, Bernatibus gratius esset si res transigi posset civilius, et si sua sponte se *Comes* ministerio potius exueret, quam si vi cogeretur, et haec moveretur camarina. Si id tamen effici non possit, persistendum erit in sententia, et vi deturbandus tam flagitiosus homo potius quam ut pereat totus grex Christi. Quidquid tentaverit, dabimus tamen omnem operam ne quid classi nostrae et nostro ministerio . . . . . . [8]) turpioris labis. Quod ut facilius cavere possimus, optarim super hac re tuum ad me consilium aut scripto aut verbis per *Theofredum* significari. Quamvis tutius scripto id fieret, quum *Theofredus* admodum sit obliviosus. Porro quod scribis de *Farello* successore [9]) non opus est ut aliquid apud te excusem. Nam valde metuo ne id aegre impetretur. Nosti enim quam gratus sit iis quibus gratissimus et exoptatissimus esse debuerat. Quod si spes aliqua affulget, nihil tentabitur te inconsulto, nec aliis legibus quam iis quas praescribis. Nam de vestra ecclesia, quam de hac, non sum minus sollicitus, ac de te praecipue, quem video tot ac tantis obrui laboribus. Illa sola causa quae forte nobis commodiorem offerret occasionem prospiciendi ecclesiae Neocomensi, aliquid animi addit, si vestra spe excideritis. [10])

Caeterum de fratribus Provincialibus quo magis cogito, eo sum magis inops consilii. Quid ad te scripserit *Nicolaus* [11]) non vidi. Nescio an recte perscripserit nostram sententiam. Non enim in ea fuimus sententia ut non commendarentur nostro senatui, sed de petenda duntaxat legatione agebatur, quam an magis urgere deberemus incertum erat. *Nicolao* non videbatur expedire, qui de ea non magnam spem conceperat. Eam tamen *Farellus* semper urgendam censet, cupitque te denuo hanc provinciam suscipere, quod nemo ei videatur ad aliquid impetrandum efficiendumque te uno aptior. *Farellus* cum aliis fratribus Neocomensibus hac de re multum diuque cum *Wattevillensi* disputavit. Cupiebat *Farellus* [12]) a Bernensibus legationem mitti, *Wattevillensem* peti ut legatione ea fungeretur. At consul id consilii procul repulit. Primum in genere ipsam legationem non arbitratur quidquam profuturam, sed potius Regis et aliorum hostium animos magis atque magis exacerbaturam. Quod si spes aliqua de legatione esset, opus esse putat honestissima et gravissima legatione quae non semel tantum interpellet Regem, sed quae duodecim aut quatuordecim menses aulam prosequatur et peragat omnia quae in hoc negotiorum genere sunt peragenda, aulico more. Quod vero adiicitur de adiungenda Elvetiorum cum Protestantibus legatione, [13]) non iudicat satis convenire. Nam Elvetios non existimat magno in pretio futuros, si Protestantes hanc causam suscipiant: imo ne sperat quidem principes illos velle causam hanc coniunctam habere cum Elvetiis. Quod si sequantur, non magnum pondus habebit legatio. Deinde si adornanda esset legatio, plurimos esse ait qui existiment eligendam esse ex iis Elvetiorum pagis qui suam operam Regi locarunt anno proximo, ut sit legatio gratiosior. Quod si e Bernensi senatu eligenda est, nihil magis excusat quam ne ipse deligatur, idque varias ob causas. Primum asserit odiosissimum fore apud senatum, si ab iis qui pro legatione con-

---

5) *N.* 692, *not.* 4.
6) *Bernensi, domino in Columbaria prope Neocomum.*
7) *Columbariae ministro.*
8) *Vox dubia.*
9) *scil. Comitis. N.* 706, *not.* 4.

10) *Epistola Calvini, ad quam haec respondet, deperdita haec paulo obscurius dicta sunt. Videtur uterque, et C. et Viretus, sibi Farellum collegam exoptasse. Cf. N.* 692, *not.* 5.
11) *N.* 692, *not.* 1.
12) *N.* 669, *not.* 9.
13) *N.* 692, *not.* 3.

tendent unus aliquis nominatim designetur, quasi velint ipsi pro arbitrio senatum moderari, quod nemo facile feret. Cui accedit quam id odiosum futurum sit dum alii alium sibi praeferri viderint. Praeterea se omnium minime aptum ad hoc munus asserit, ut qui non usque adeo bene audiat apud Gallos. Ad haec metuit venenum. Postremo alia plurima sibi imminere pericula praevidet, si hanc causam agendam susciperet. Nam eam non posset nisi ex animo agere, quod non caret periculo. Quoniam si non bene succederet, et si Rex ea fieret irritatior adversus Elvetios, haberent aemuli quod calumniarentur, et quo hominem magna gravarent invidia. Alia sunt eius generis quae causatur, quae honestam speciem habere videntur. Haec ideo ad te paulo copiosius scribere volui, ut quid sperandum esset melius intelligeres. Optarem te ad *Farellum* scribere tuam sententiam, et ei respondere quod iudicaris consultius, ut ei satisfacias. Eum valde angit, ne dubita, fratris periculum. Velim, si quid de eo intellexeris, ad nos perscribas. Nam a quibusdam sparsum est, exustum esse.[14])

Audio te proxima hebdomade Tonnonium exspatiaturum. Si licuisset traiicere, lubens te invisissem: sed tota hebdomade Orbae morabor. Utinam ad eum dominicum diem, quo *Farellum* exspecto, tu quoque adesse posses. Saluta amicos, praesertim symmystas et uxorem. *Camperellus* hodie hic erat, sed quo tendat haud sat scio. Respondit se concessurum Luciacum et Grangias, qui pagi sunt inter Meldunum et Paterniacum, quod aliquid negotii cum ministris eius loci se habere dicat. Commendo tibi *Theofredi* negotium. Vale. Lausannae, 12. Septemb. 1545.

Tuus P. Viretus.

698.

CALVINUS VIRETO.

Ludovici restitutioni suum calculum adiicere recusavit. Iter simul cum Vireto aggressurus ab eo diem sibi dici optat.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 144. — Exstant exemplaria Ionvillaei Cod. 196, fol. 82 v. et Turretini Cod. 111, fol. 126 v. Alibi non vidimus.)

Optimo fratri meo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae fido pastori.

Quum *Ludovicus*[1]) me deprecatore restitutum se iri confideret, id postulavit in coetu fratrum. Vehementer instabant aliqui ne has partes recusarem. Omnibus gratum id fore videbam. Constanter tamen negavi. Quin etiam inde occasionem sumpsi iterum invehendi in nostram socordiam: meque posthac non adeo remissum fore denunciavi. Tametsi parum suavis erat cantilena, nemo tamen verbum unum contra fecit, quum tamen visi ante sibi essent habere plausibilem apud me praetextum, quod magistratus nobis non adhibitis ministrum officio abdicasset. Verum hoc et alia eius generis sic refutaveram, ut magnae impudentiae esset ulterius tendere. De die profectionis facies me, sicut inter nos convenit, mature certiorem, ut videam an me tibi comitem possim adiungere. Literas *Farelli* tibi mitto, quod nobis communiter scriptae erant. Vale.

Ioannes Calvinus tuus.

De doctore *Claudio*[2]) vide quid abs te fieri optet *Farellus*, ne in occasione cesses. Perendie Tononium cogito.[3])

699.

BULLINGERUS SOERINO.

De Calvini Institutione anceps iudicium proponit, scilicet quoad locum de coena, quippe cui amicus Plato magis amica veritas sit.

(Textum sumimus ex Simleri Tom. 58 qui eum ex Bibliotheca Huberiana Basileae habuisse dicit. In publicis huius urbis tabulariis non exstat. Caeterum pauca quaedam excerpisse satis habuimus.)

— — — — — — — — — — — — — — —

De *Calvini* Institutionibus nuper editis quid iudicem rogas.[1]) Ego vero posteriores non legi, primas modo ante aliquot annos inspexi. Proinde nihil pronunciare possum. Quomodo exponam VI caput Ioannis claret ex meis in Ioannem commentariis ubi multis argumentis evici, manducare idem esse quod credere. Nec credo aliud quam ipsum Domini nostri corpus, et substantiale quidem, manducari a nobis. Neque enim alius cibus datus est

---

14) *N.* 676, *not.* 1.

698. 1) *Quum Champerellus a Senatu de* 8. *Sept. dimissus fuerit* (*Reg. du Conseil p.* 233) *Turretinus hic de eodem agi putat et inde natales epistolae ad mensem Octobrem refert. Alibi tamen Champerello nomen est Amadei non Ludovici.* (*N.* 362.) *Agitur de Treperello.*

2) *An De Campis, s. Campensi?* (*N.* 560.)

3) *Si haec cum iis componas quae Viretus sub finem praecedentis ep. habet, fere circa idus Sept. scriptam hanc conicies.*

699. 1) *N.* 681.

fidelibus quam caro Christi vera. Manducamus autem quum credimus illam pro nobis esse et assumptam et traditam. Non credo, non doceo, substantiale Domini corpus praesens esse in coena. Nequit enim veritas corporis humani pluribus esse in locis. De qua re plura dicta sunt in responsione nostra. Utcunque ergo plurimum tribuam *Calvino*, hic tamen ipsi, si quidem ita de coena doceret, plane non accederem. Veritas *Calvino* potior est. Praedicarunt apostoli fidem, a qua si quid alienum vel angeli coelitus nunciarent, anathema dicentur a nobis. Fides apostolica tradit Christum verum suscepisse hominem nobis consubstantialem, mortuum esse illum et sepultum, eundem tertia die resurrexisse et ascendisse in coelum, non exuta, non mutata humanitatis natura, sed glorificata. Nunquam ergo recipiam quod huic fidei contrarium est, quasi verum corpus coenae praesens sit, exhibeatur et sumatur corporaliter. — — — — — Tiguri 18. Sept. 1545.

Tuus H. Bullingerus.

700.

CALVIN A MONSIEUR DE FALAIS.

Il le console au sujet de l'état de sa santé et de la position critique dans laquelle il se trouve par suite de la disgrâce de l'empereur. L'argent provenant du legs de M. de Busanton pourrait être provisoirement prêté à Maillet. Réclamation de la soeur du défunt.

(Orig. autographe. Bibl. de Genève. Vol. 194, fol. 6. Copie ibid. fol. 41. Edit. d'Amst. p. 71. Edit. Bonnet p. 129. Trad. anglaise T. II. p. 2.)

Monsieur, combien que ie ne scaches pas la disposition en laquelle vous estes presentement, toutefois iay bonne confiance en Dieu que soit en sante ou maladie, il vous donne la force de surmonter tout ce que vous pouvez avoir de fascherie. Car vous nestes pas nouveau au combat, veu quil y a desia longue espace de temps que ce bon Dieu a commence a vous y preparer. Et ne vous est rien advenu, que vous neussiez attendu auparavant. Mais il est temps de monstrer par effect que quant vous avez commence a suivre franchement Iesuschrist, ce na pas este sans estre resolu de luy tenir compaignie a la croix, puis quil nous faict cest honeur destre crucifie en nous pour nous glorifier avec soy. Et ne doubte pas, que du temps mesme que vous estiez en vostre maison, et en paisible iouissance de voz biens, vous neussiez ce couraige de tout quicter quant il luy plairoit: et que vous ne feussiez du nombre de ceux qui usent de ce monde, comme nen usant point. Mais daultant que cest bien raison quon appercoive par experience quelle est nostre affection, estimez que nostre seigneur vous a voulu donner a beaucoup daultres pour exemple, et par ce moien glorifier son nom en vous.

Daultrepart nous ne scavons pas que cest de tout quicter pour lamour de luy, iusque a ce quil nous ameine a la practicque. Il est vray que celluy qui a oste son affection des biens de ce monde a desia tout vendu, et sest rendu paoure en tant quen luy est. Mais le fruict et approbation de ceste paovrete spirituelle est dendurer la perte des biens en patience, et ne les regretter point quant il plaist au pere celeste que nous en soions despouilles. Ie ne vous allegue pas ces choses comme a celluy qui soit ignorant: ou qui ait mestier de longues remonstrances; mais pour lamour que ie vous porte duquel Dieu mest tesmoing, ie me console ensemble avec vous, comme souffrant en vostre personne. Le temps doncq est venu que vous monstriez comme vous nestimez toutes choses nonplus que fiente, pour lhonneur [1]) de celluy qui non seulement nous a donne tous ses biens, mais aussy soymesme. Et puis que Dieu a permis que vous fussiez descharge dune partie de voz biens terriens, estimez quil a cognu que ce vous estois pour le present un fardeau inutile. Ie diz une partie, combien que le tout quasi vous ait este ravy, pource quil vous en reste, comme iespere, abondamment pour vostre usaige. Tant y a que ces gouffres qui devorent tout le monde, en ont iournellement plus grant faulte, que ceux desquelz ilz ont englouty la substance.

La somme est que rien ne vous est diminue, puis que nostre seigneur en vous aprenant que vostre heritaige est au ciel, a proveu a ce qui vous estoit utile pour la vie corporelle, en vous donnant contentement, et de bien plus quil nestoit de mestier pour vous contenter. Quant tout vous seroit oste, encor vous demeureroit la consolation a laquelle il nous fault arrester principallement, voire acquiescer du tout. Cest quayant le filz de Dieu, il ne nous face pas mal destre privez du reste. Car nous le devons bien priser iusque la. Mais encor puis que ce bon saulveur vous a supporte si benignement quen vous appellant a la communication de sa croix, a proveu a vostre commodite terrienne, il y a bien occasion de vous renger a son bon plaisir, et au reste vous resiouir de ce questant diminue quant au monde, vous estes exalte devant luy et ses anges daultant plus. Car combien que le monde sefforse par tous moiens densepvelir Iesuschrist en ignominie,

---

700. 1) pour approcher *Bt.*

si faut il que sa sepulture soit glorieuse, nonseulement en luy, mais aussi en ses membres. Ce pendant souffrons destre humiliez en nous, comme bon luy semblera. Mais il ny auroit point de fin a mes letres, si ie voulois suivre ce propos. Ainsi, Monseigneur, aprez mestre humblement recommande a vostre bonne grace, ie supplye nostre bon Dieu de besongner maintenant en vous plus vertueusement que iamais, pour vous faire contemner tout ce qui est de ce monde pour aspirer droict a luy de tout vostre cueur, sans estre diverty de rien qui soit, vous faisant gouster quelle est la valeur de lesperance quil nous reserve au ciel. Et quil luy plaise vous alleger quant au corps, affin que vous soiez tant mieulx dispose pour bien mediter ses graces quil vous faict, et vous delecter en icelles, recongnoissant lamour quil vous monstre. Ma femme laquelle est malade au lict, prye destre aussi humblement recommandee a vostre bonne grace. Ce porteur qui est de bien bonne sorte, et de la marcque telle que vous la demandez, vous racomptera plus amplement de nostre estat.[2])

Vostre humble frere serviteur et entier amy,

Iehan Calvin.

Monsieur,[3])

Iay receu puis nagueres lettres de la seur de Monsr. *David*[4]) pour celuy qui lavoit servy, lequel ma rapporte quelle adhere pleinement a la parole excepte quelle est fort timide. Par ses lettres elle me prye de luy faire tenir les trois cens escus quelle a delivre au facteur du Sr. Richard *Heillies*,[5]) me mandant quelle ne peult rien retirer de son beau frere et quelle a desbourse quelque somme au nom du deffunct. Comme ie scay. Il est vray quo ca este legierete. Mais ce nest pas raison que sa bonte luy porte dommaige. Iespere que nous serons bien tous dun accord, quon luy envoye ce quelle demande, ainsi quil luy appartient. Parquoy ien escris au Sire *Richard*,[6]) et si bon vous semble il vous plaira le confermer en ce propos.

Il y a un aultre poinct duquel si ie m'ingere a vous parler, ie vous prye ne le point mal prendre. Ientens que bon Antoine *Maillet*[7]) auroit bon mestier dayde pour luy faire gaigner une partie de sa vie. Cest davoir quelque argent en mains lequel il fist profiter par son industrie pour le rendre a terme qui seroit convenu. Or ce pendant que largent laisse par Monsr. *David* est comme oisif, il desireroit bien quil vous pleust luy en bailler par telle forme de prest quelque portion: luy assignant terme pour ne pas faire languir les paovres: mais quelle se trouve preste devant quon en eut affaire. Pource quil est homme de bonne conscience, sil y avoit apparence que ce prest le peult soullager en sa necessite, sans dangier de perte, mais que la debte fust seure, ie vouldrois bien vous pryer de mon coste le vouloir secourir. Non pas quil men ait requis, mais iay este adverty quil ny a que honte qui lempesche. Parquoy iay pense que le meilleur seroit de vous en advertir aussi bien, affin quil vous plaise dy adviser. Mais encor, affin que vous ne soiez pas en peine de mesconduire, au cas que vous ne trouviez pas la chose propre, estimez que ce nest pas tant requeste quune deliberation que ie vous mectz en avant, remectant le tout a vostre bonne prudence, et a la chose que vous appercevez mieulx que moy.

Apres mestre derechef recommande a vostre bonne grace, ie prieray nostre bon Dieu de vous conduire tousiours par la main et vous faire sentir en toutes sortes combien il est prochain de vous.

---

2) *L'édition d'Amsterdam place cette lettre, ainsi que la suivante, parmi celles de* 1546. *M. Bonnet adopte l'année* 1545. *Comme nous ne savons pas au juste quand la cour de Malines mit le sequestre sur les biens du baron, et à défaut d'autres éléments chronologiques il est assez difficile de se décider. Tout bien considéré cependant il nous semble que ces lettres de Septembre et d'Octobre sont celles que mentionne une autre laquelle est positivement de Janvier* 1546.

3) *Ce post-scriptum, qui se trouve au f.* 7 *du Cod.* 194 *n'a passé ni dans l'édition d'Amsterdam ni dans celle de M. Bonnet.*

4) *de Busanton, mort au mois de Juin* (*N.* 656).

5) *R. Hilles, ou Hillis, Anglais, vivait à Strasbourg de* 1541 *à* 48 *ou* 49. *Il existe de lui un certain nombre de lettres adressées à Bullinger, imprimées dans le* 1r *vol. des publications de la Parker-Society.*

701.

CALVIN A MADAME DE FALAIS.

Lettre de compliments et de consolation. Affaires privées.

(Orig. autographe. Bibl. de Genève. Vol. 194, fol. 83. — Ed. d'Amsterdam p. 62. Ed. Bonnet p. 133. Trad. angl. T. II. p. 5.)

---

6) *Une pareille lettre n'existe plus.*

7) *Ce nom se retrouve plusieurs fois dans les lettres à M. de Falais, sans que nous apprenions exactement qui c'était. D'après notre texte il n'est guère possible de songer à un ministre. Il doit avoir habité Strasbourg. Sur les legs de Busanton voyez N.* 680, *not.* 2.

A Madamoiselle Madamoiselle de Fallez.

Madamoiselle, ie nay pas loysir destendre mes lettres si long que ie vouldrois bien, attendu lestat ou nous sommes. La presente sera seulement pour louer nostre bon Dieu de la constance[1]) quil vous donne, eslargissant vostre cueur au meillieu des anguoisses ou il pourroit estre sans avoir sa consolation denhault. Quoy quil en soit, si nous avons la patience de prester loreille a nostre Saulveur, il nous donnera tousiours de quoy pour nous resiouir, et nous fera gouster et sentir vivement que ce nest pas en vain quil nous a promis de nous rendre invincibles en tribulations. Maintenant doncq apprenez par effect que vault ceste belle promesse, que nous sommes bien heureux, quand tout le monde mesdira de nous, et nous aura en haine, et nous persecutera pour son nom. Cest de la quil vous a preparez ia de long temps a vous exposer au dangier. Cest doncq la quil vous convient retourner maintenant pour y acquiescer, comme de faict il vous y conduict par la main.

Que ne sommes nous ensemble pour despiter Sathan, en meditant les choses qui nous doivent resiouir spirituellement, et nous donnent matiere de nous glorifier plus que iammais, quant nous sommes abbatus selon le monde. Mais ie scay que vous navez pas mestier de ma compaignie en cela. Et aussi ie le diz plus pour mon contentement que pour vostre necessite. Sur tout congnoissez que maintenant lheure est venue, quil vous fault monstrer comment vous estes en ayde a monseigneur vostre mary, tellement quil ait tousiours occasion de benir Dieu, comme il a eu iusque icy de lavoir proveu dun tel support. Ie diz cecy pource que ie considere que cest le principal que Dieu luy ait laisse quant aux creatures, pour ne le point destituer du tout. Ie voy certes estant absent de quel zele vous estes poulsee a vous en acquiter, et quelle poine vous prenez a vous y emploier. Parquoy ce que ien parle, nest pas tant par forme dexhortation, quen vous congratulant, vous entretenir en ce bon couraige que Dieu vous a donne.

Ie vous adresse quelque response que iay faict a la seur[2]) de monseigneur laquelle est a Mons, sur une missive quelle envoia nagueres a la femme de *Sainct Andre*. Si bon vous semble, vous la luy ferez tenir, avec ce que ienvoye a la seur de Monsieur *David*. Ien remectz le tout a vostre bonne discretion.

Pour faire fin, Madamoiselle et treshonoree seur, apres mestre affectueusement recommande a vostre bonne grace, et vous avoir aussi presente les humbles recommandations de ma femme, laquelle gist au lict malade, ie supplye nostre bon Dieu de vous remplir de toutes graces, pour augmenter iournellement sa gloire en vous, et triompher en vostre constance, affin que finallement nous soyons aussi participans de sa gloire quil nous a promise. De Genefve, ce 18 de septembre.[3])

Vostre serviteur et humble frere,

Iehan Calvin.

---

701. 1) confiance *Bt.*

2) *La généalogie insérée dans l'édition d'Amsterdam nomme une soeur de M. de Falais, Hélène, mariée à Adrien de l'Isle seigneur de Fresnoy. Il y avait encore une autre soeur, Françoise, abbesse de Ste. Claire à Lisle.*

3) *Comme il est probable que cette lettre et la précédente partirent ensemble, cette date peut être utilisée pour l'autre aussi.*

702.

VIRETUS CALVINO.

Orbana ecclesia vere orba et pastore et diacono. Ipsius domus fere dissipata mortibus et morbis.

(Ex autographo Cod. Genev. 111 a, fol. 144. Alibi non exstat.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori vigilantissimo fratri et amico quam carissimo.

Genevae.

S. *Farellus* Bernam profectus,[1]) afflictorum ac praecipue vincti fratris causa, inde huc se recta recepit, ea nobiscum curaturus de quibus ad te scripseram: quae auxilio Domini feliciter successerunt. Sed unum superest in quo nobis tua fide et opera opus est. *Clerembardus*,[2]) de quo alias multa audisti, qui hic diaconus et ludimagister constitutus fuerat, quo tempore hic fui, statim ab initio peste sublatus est. *Campanus* vero eo corporis affectu, de quo ad te scripsi, quid possit operae praestare in ecclesia Domini, tu per te satis coniicis. Ergo ecclesia pastore et diacono destituta est, altero mortuo, altero ita affecto, ut non multo plus ei inservire possit quam si mortuus esset. Quem sperarem utilem fore ecclesiae, si Dominus pro sua misericordia eum bonae valetudini restitueret. Sed perquam exigua spes. Ille novit *Simonem*[3]) illum qui apud vos exutus est ministerio, accusatus a mulieribus illis veneficis,

---

702. 1) *N.* 697, *ubi et de Campano. De fratre Farelli vincto v.* 676.

2) *Alibi in hunc non incidimus.*

3) *S. Moreau, ut videtur, de quo vide N.* 683, *not.* 8. *Reg. du Conseil h. a. fol.* 88 *et* 125.

ut tu rem melius nosti. *Campanus* putat te inscio fuisse abdicatum, et ei iniuriam irrogatam. Quod si ita est, ut ipsi est narratum, si tibi aptus videretur qui ei adiungeretur, et qui posset huic ecclesiae esse commodo, cuperet abs te huc ad nos mitti. Sed rem totam tuo committit iudicio, a quo totus pendet, quod id habeat de te persuasum, ut non tibi minus curae haec sit ecclesia quam ea cui praees. Te igitur meo et eius nomine obsecro, ut si hoc munere dignum iudicas, primum ad me mittas cum tuo testimonio Lausannam: sin indignum censes, primo quoque tempore significes, ut alium quam fieri poterit ocyssime sufficiamus. Nam Orbana ecclesia non potest diutius carere, saltem diacono qui vices gerat *Campani*, tantisper dum Dominus suam de eo voluntatem declararit, qua de re nos fratres Orbani etiam vehementer orarunt. Vide igitur ut hac in re nobis non desis.

Quod ad *Farellum* attinet, nihil pro fratre impetravit. Te orat ut eius causam frequenter commendes *Bucero* et aliis amicis qui ei adesse possunt, praesertim uxoris et liberorum causa, quibus bonus vir gravatus est. Mitto ad te testimonium de quodam fratre, ex quo intelliges quid sperandum sit de ecclesia Monsbelgardensi, quoniam *Tussanus*[4]) ad nos misit ut tu quoque videres.

Hodie redeo Lausannam admodum moestus et anxius. Nam dum hic ago puella parvula filia fratris peste corripitur, quae iam ad Dominum emigravit. Tota domus dissipata est, hoc tempore quo domestica negotia maxime urgent fratrem. Relinquo fratrem admodum perturbatum. Reduco uxorem Lausannam, quae non est extra periculum. Nam domi fuit diu cum puella et eius matre, sua sorore, quam noluit deserere. Huc se receperat recreandi causa, sed Dominus sic nos voluit affligere. Valde metuo ne Lausannenses mihi sint molesti, aut saltem mihi indignentur. Sed quid facias? Diutius Lausanna abesse non possum, nec uxorem hic deserere. Ora Dominum pro nobis. Nam ego quoque in eodem versor periculo. Sed Dominus aderit. Mihi dolet casus tuus et uxoris. Sed Dominus consolabitur. Curabo omnia quae scribis ut potero. *Racellus*,[5]) *Campanus*, *Turterus*[6]) et *Zebedaeus* te salutant, et socer, frater et amici omnes. Saluta tu quoque amicos, praesertim uxorem, cui precor faustam valetudinem. Vale. Orbae 21. Septemb. 1545.

Tuus P. Viretus.

Condona quod tam tumultuarie scribam, ut soleo, et incondite. *Paderius*[7]) te et me in magnam traxit invidiam in senatu Bernensi, quod dixerit suum scriptum a me et abs te fuisse approbatum. Sed hac de re latius ad te scribam alias. Tu vide tamen interea num huic invidiae occurrendum censes.

4) *qui tandem mense Octobre cum principe suo in gratiam rediit, et quidem Stuttgardiae.*
5) *Hunc in vicinia alicubi ministrum fuisse suspicamur.*
6) *Hugo Turtaz, Vireti uxoris frater.* (*N.* 533.)
7) *Hunc habuisti N.* 154.

703.

VIRETUS CALVINO.

Lausannae ex itinere redux hanc quasi corollarium praecedenti addit.

(Ex autographo Cod. Genev. 111 a, fol. 145.)

Fidelissimo Christi servo Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori vigilantissimo

Genevae.

S. Scripsi ad te Orba soluturus ut huc me reciperem. Literas te accepisse arbitror, quibus ut mihi primo quoque tempore respondeas obsecro. Sed unum mihi superest quod exciderat, de *Montepinsono*. Te quaeso ut scribas quid de illo sentias, et num tibi videretur idoneus qui ecclesiae Orbanae praeesset, si Dominus nobis *Campanum* auferret, quod valde metuo. Nunc plura non possum addere. Nam vixdum bene redii domum. Dominus te diu conservet et uxorem, cui salutem dices meo et meae uxoris nomine, et materterae, nec omittas *Textorem*[1]) et reliquos amicos. Scribam ad *Textorem* ubi licebit per otium. Literas vestras nondum reddidi iis ad quos scribuntur, quia abfui hactenus: sed curabo omnia ut potero. Vale optime. Lausannae 22 Septemb. 1545.

De *Simone* fac tuam intelligamus sententiam, quia non deerunt qui locum ambiant, nisi mox prospiciatur.

Tuus P. Viretus.

703. 1) *qui iam Matiscone relicto Genevam concesserat.*

704.

VIRETUS CALVINO.

Ad Calvini epistolam deperditam respondens eadem negotia tractat, de ministris Orbam et Lausannam vocandis, et quae cum proceribus Bernensibus interim circa haec acta sint exponit. Etiam ad Corderium redit.

(Ex autographo Cod. Genev. 111a, fol. 146. Alibi non exstat.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori vigilantissimo
Genevae.

S. Scripsi ad *Campanum* tuam de *Simone* sententiam. Ubi meis literis responderit, tibi eius de *Simone* voluntatem declarabo, ut intelligas num eum mittere debeas nec ne. De *Montepinsono* vereor ne illa morositas valde adversetur ingeniis Orbanorum. Sed satis nobis superest temporis ad deliberandum ea de re. *Comes* protrahit suum negotium quantum potest. Proximo conventu, eum a nobis missionem petiturum intelleximus ab amicis, ac inde Bernam se recepturum. Ego vero nonnisi insidias nobis strui suspicor. Potentior tamen erit Dominus, quem non puto nobis in hac causa defuturum. Timendum est ne ad eas artes confugiat quibus audio *Malingrium*[1]) se in eorum animos insinuare, qui ei erant infensiores, et quorum potissimum opera ministerio deturbatus est. Nam quum hac consul *Negelinus* nuper transiret, *Marpius* aurifaber hominem ivit salutatum, quocum multum diuque colloquutus est de malis pastoribus qui ecclesiae Christi hoc tempore erant exitiales. Quum hac de re inter eos sermo esset, inciderunt in mentionem *Malingrii*, quem *Negelinus* dicebat manibus pedibusque contendere ut in ministerium restitueretur, ac eum valde queri quod tractus esset in invidiam principum, ac deturbatus eorum opera qui ipsi essent infensiores, quod Lutheranae haeresi et doctrinae cum ipsis nollet assentiri, inter quos ego non postremas tenebam. *Negelinus* videbatur non existimare hanc eius orationem prorsum a vero et ratione abhorrere. Nam quamvis *Marpius* multa praedicaret de meae doctrinae puritate apud consulem, videbatur tamen magna adhuc suspicio de nobis in eius animo fixa haerere, quam confirmari aiebat eo quod in senatu de nobis *Paderius* retulerat, quod ipse prius, quum esset in via Niduni, *Nicolao* praefecto iam affirmarat, quemadmodum mihi *Nicolaus* Bernam proficiscens narravit. Quamvis autem rem totam falsam esse ei asseverarim exposuerimque ut haberet, non desiit tamen id apud alios praedicare, sicuti mihi relatum est. Nescio plane quid nobis agendum sit cum eiusmodi ingeniis, quibus facilius quidvis de nobis persuadent qui de nobis mentiuntur, quam nos qui vera loquimur. *Nicolaus* vir est bonus et nostri amantissimus, sed nescio quomodo in hac causa nimium indulget suspicionibus, quod et alii eiusdem studii factitare solent. Quum hac iter faceret *Negelinus* Orbae eram, ubi horum omnium fui admonitus. Sed mihi non erat tam expeditum huc currere ac recurrere, ut consulem convenirem, qui hac triduo post rediturus erat, ad quem diem adesse non poteram, nisi aut magna molestia huc veniendum ac Orbam redeundum mihi fuisset, aut negotium, cuius causa eo eram profectus, deserendum. Sed curabo id literis efficere, quod coram verbis non potui. Quod autem ad consulem *Negelinum* attinet, vereor ne quid turbarum Bernae oriatur. Nam filius *Negelini* praefecti, qui mihi adductus est, narravit se in via audivisse Bernatem quendam, in cuius erat comitatu, qui consuli cui occurrerat nunciaret ei a ministris insidias parari, futurumque ut ante dies octo ad consistorium vocaretur. Tibi reliqua coniicienda omitto. Literas *Buceri*[2]) misi ad *Farellum*. De *Deotheo* nihildum scripsimus ad senatum, quoniam *Corderius* nondum admissus est, nec Bernae oblatus. Hodie literas mittimus, sed metuo ne fratres Neocomenses adhuc nobis sint in mora. Nisi remorentur *Corderium*, spero fore ut brevi nobis detur. Id ubi confectum fuerit, tuto scribere nobis licebit. Sed cura ut literae senatus vestri ita mittantur ut simul cum nostris reddantur. Nescio an putes ad me cum tuis missas esse. Accepi quidem ternas abs te literas, unas ad me et *Farellum*, quum Orbae essem, per *Fulgandum*, alteras ad ministros et professores Lausannenses, tertias ad ministros Bernenses,[3]) senatus vero vestri nullas, quas quidem viderim. Vide igitur num apud te relictae sint aut aliquo casu omissae, aut ne tabellario interciderint. Expediet eas renovari, etiam si casu apud vos relictae sint, ne vetustiores videantur iis ad quos mittuntur. Nostri te omnes salutant, valde anxii de tuae uxoris morbo, cui ac tibi quoque multam salutem et incolumitatem precamur omnes. *Iacobus* ille qui nuper Monsbelgardi reiectus est, cuius vidisti testimonium, hic habet conditionem scholasticam. Saluta *Textorem* et amicos omnes. Vale. Lausannae 27. Septemb. 1545.

Tuus P. Viretus.

---

704. 1) *Quem Iverduno dimissum legisti N.* 682, *not.* 7.

2) *N.* 696.

3) *Ex his tribus epistolis secunda sola superest* (*N.* 694). *Quae hanc apud nos sequitur* (*N.* 695) *non quidem ignorasse videtur, sed cum illa coniungere.*

705.

CALVIN A M. DE FALAIS.

Exhortations amicales et chrétiennes à propos de l'état de la santé du baron.

(Orig. autographe. Bibl. de Genève. Vol. 194, fol. 17 et Copie ib. fol. 37 v. Imprimée dans l'éd. d'Amst. p. 25 et dans les Lettres fr. p. 135. Trad. angl. T. II. p. 6.)

A Mr. et entier amy Mr. Iacques le Franc.

Monseigneur, iespere que quant ces presentes parviendront a vous, elles vous trouveront, par la grace de nostre bon Dieu, en telle disposition et sante comme nous desirons, et semblablement Madamoiselle vostre femme. Ce pendant les nouvelles que nous avons eu de la maladie de tous deux, nous ont este tristes et seront, en attendant que nous en ayons daultres pour nous resiouir. Au reste, cest bien raison que nous vivions et mourions a celluy lequel nous a acquis affin destre glorifie en nous en toutes sortes et que nous monstrions par effect que nous sommes siens, nous submectant du tout a luy en vraye obeissance. Ce que nous ne pouvons faire sans luy resigner et quicter noz personnes a ce quil en dispose comme bon luy semblera. Que sil luy plaist nous prolonger la vie, il nous fault preparer a voir beaucoup de paovretes en leglise Chrestienne. Nous voions la dissipation et le desordre tant confus qui y est a present. Desperance damendement il ny en apparoit point du coste du monde. Car de samuser aux princes, cest un abus. Ilz sont tant empeschez ailleurs, quilz nont loysir de penser a ce qui leur devroit estre le principal. Brief ilz ont en recommendation leur estat, pour lequel conserver ilz persecuteront Iesuschrist, pensant quil ny ait point daultre moien. Ce pendant de remedier a la confusion tant horrible de laquelle le ciel et la terre crient, ilz nen sera nouvelles, combien que par honte, ilz en facent le semblant. Parquoy il ne nous reste que de prier Dieu quil luy plaise nous fortifier en vraye constance au millieu de ces scandales, tellement que rien ne nous desbauche que nous ne perseverions tousiours. Et aussi quil regarde son eglise en pitie, et mecte la main a la restituer audessus: acomplissant ce que dict le prophete, que voyant quil navoit nul adiuteur dentre les hommes, il sest arme de la force de son bras. Employons nous finallement a son service, travaillant sans nous lasser ne perdre couraige, iusque a ce quil nous appelle en ce repos bien heureux ou nous ayons contentement de luy, nous resiouissans des labeurs que nous aurons prins, en recevant le loyer qui nous sera la revele.

Sur ce, Monsieur, apres mestre humblement recommande a vostre grace et de Madamoiselle, ie supplye ce bon Dieu de vous maintenir en bonne prosperite, continuant en vous ses graces a ce que iusque en la fin vous soiez instrumens de sa gloire, et quil vous soit en sanctification. [1])

Vostre serviteur et humble frere a iammais,

Charles despeville.

706.

VIRETUS CALVINO.

Iam et Campano mortuo ecclesiae illius serio prospiciendum. Quoad Comitem iam spes est eum se sponte munere abdicaturum.

(Ex autographo Cod. Genev. 111ᵃ, fol. 147. Alibi non exstat.)

Clarissimo viro Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori vigilantissimo fratri mihi quam carissimo

Genevae.

S. Quum tuae mihi literae redditae sunt quibus tuam de *Simone* sententiam significabas, [1]) iam *Campanus* ad Dominum migraverat, me tamen ignorante. Nobis igitur erit prius de pastore quam de diacono cogitandum et satagendum. Qua in re tuum consilium desidero. Nemo omnium mihi videtur aptior, cuius curae illa ecclesia committatur nec a quo plus sperem eam fructus et solatii percepturam, quam a *Nicolao* Mirindolio, [2]) de quo iam ad te scripsi alias. Quo magis rem expendo, et diligentius Orbana ingenia et statum illius ecclesiae comparo cum *Nicolai* moribus, eo mihi magis atque magis idoneus ad hanc mihi [3]) provinciam videtur. Sed labor erit in homine impetrando, quia metuo morositatem Morgiensis classis. Tu ergo, si quid super hac re habes consilii, mihi primo quoque tempore exponito. Nam negotium diu differri non potest. Quid si loco *Nicolai Monspinsonus* illis offerretur? Nam multas ob causas *Nicolaus* videtur mihi Orbanis commodior: ille vero, quum vir sit gravis pius et doctus, fortasse

---

705. 1) *La date de cette lettre peut à la rigueur se tirer de la circonstance qu'il y est encore question de la santé, assez compromise à ce qu'il paraît, de M. de Falais. Il est vrai qu'au mois d'Août* (*N.* 674) *il est déjà question de convalescence et de guérison, mais au mois de Septembre* (*N.* 700. 701) *les choses paraissent avoir changé.*

706. 1) *Quae sunt eae ipsae de quibus iam dixit in N.* 704.
2) *N.* 692, *not.* 1.
3) *sic.*

Morgiensibus non videretur aspernandus. Quod si ille non placet, habemus alios non contemnendos. Caeterum quod ad *Comitem* attinet, ille mihi exposuit suum consilium: an vere et ex animo, ipse viderit. Dominum certe non fallet. Quod ad me spectat, non prorsum diffido quin paret se ministerio exuere. Quid a fratribus requirat, intellexi ex eius oratione. Protestatur se nihil aeque vereri quam ne quid turbarum aut offendiculi ecclesiae excitetur. A nobis petit literas, non quibus aperte praeclari aliquid de eo testemur, sed id solum quod nobis exposuerit rationes, quibus cogitur ministerio cedere, quae nobis non implentur. Vide num ex huiusmodi literis aliquid nobis immineat periculi, et an aliquid possit gloriae Christi derogari, et nostro iuri. Si citra motum sponte se ministerio abdicarit, multorum consuletur tranquillitati. Quod si nos vellet ludificari, nobis non auferetur nostra actio. Porro de successore et collega velim te etiam cogitare, si forte *Farellus* obtineri non possit,[4]) quod valde metuo. Cogita ergo serio quem putes nobis adiungendum. Uxorem tuam salvam cupio cum piis omnibus. Nostri te omnes salvere iubent. Vale. Lausannae 1. Octob. 1545.

Tuus P. Viretus.

Remitto ad te literas quas ad me miseras.

707.

FARELLUS CALVINO.

Praeter nonnulla alia agit de bonis ecclesiasticis in alienos usus distractis, de Corderio Lausannensibus concesso, de rebus Tossani et Monsbelgardensium, denique de Capunculo iam consentiente.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium, Epp. Farelli fascic. III. N. 6.)

Doctissimo et admodum fido Christi servo Io. Calvino pastori Genevensium fratri et symmystae quam carissimo

Genevae.

S. Valde nos turbant pessima bona quae dicata fuerunt ecclesiae,[1]) quum sacrifici miris imposturis pro redemptione peccatorum et viventium et mortuorum extorserint magnam pecuniam, et ditati supra modum fuerint: unde fit ut scelestorum imposturae fecerint ut hic quae vere et pure Deo dicata fuerant diripiantur, et principes liberales videri volunt in dandis iis quae sunt ecclesiae. Alii vendunt et agunt ut in re profana: furantur quidquid possunt qui administranda susceperunt, fiuntque omnia pessime. Hic tuum iudicium optarem et tuorum: quid tu censeas vere ipsius esse ecclesiae, de ratione item dispensandi, et per quos et qua via eligendi sint dispensatores. Existimo *Viretum* iam ad te misisse: nam ad eum scripsi. *Corderio* nunc tandem permissum est, et a fratribus et a senatu, ut ad Bernenses concederet, ut Lausannae sit, rogatus a fratribus et senatu Lausannensi.[2]) Hac via spero consultum iri isti etiam scholae. Hinc nunc movere pedem vel tantillum non licet, nisi ecclesiam prodere velim.

Ut habeant omnia Mombelgardi,[3]) ex iis quae misimus ex *Tussano* videre potuisti, et quum ita habeat, *Tossanus* nulla potest ratione adduci ut hanc provinciam suscipiat. Horret ad plebis improbitatem, quae iam secundo meditatur me pellere. Non parum etiam terret contentio gravior, quae nunc benignitate Dei sedata est.

Collegam[4]) habeo nunc plane consentientem et in sacrilegos et fures vociferantem. Det Dominus incrementum labori, ne vanus sit. Vale bene, et tecum tui omnes, praecipue coniunx quam tibi servet Dominus, et te suae ecclesiae. Nescio an *Robertus* senex[5]) pius Orbanis poterit praefici. Aptiorem non novi. Hic nulla fuit ratio ipsum eligendi, tum ob fratres quos perducere eo non fuerit possibile, tum ob alia quae mire hic omnia turbassent: et multo minus *Iacobum* quem ego praeferrem. Precibus nos adiuva ut Dominus quod optimum est inspiret ac sequi faciat. Saluta omnes. Non oblivis-

---

4) *N.* 692, *not.* 9. *Quem tamen ipse quoque Calvinus sibi collegam appetebat.*

707. 1) *Post mortem Ioannae ducissae, quas hospitio publico donaverat decimas senatus civibus remittere voluit, reclamante Farello, qui iam antea fortiter institerat pro servandis bonis ecclesiasticis, quae illa ὑποθήκης loco, ut nos dicere solemus, creditoribus suis assignaverat.* (*Kirchhofer* II. 77.)

2) *Ipsi tamen Bernenses vocato Corderio senatum Neocomensem admonuerunt ne schola neglecta ecclesiae ipsi damnum afferrent.* (*Deutsch Missivb.* 8. *Oct.* 1545; *Kirchh. p.* 84.)

3) *Hoc ipso tempore Tossanus Stuttgardiam accersitus, ubi a. d. III Cal. Dec. novi articuli fuerunt conscripti de ordinanda ecclesia Monsbelgardensi, quibus cavebatur ne nimia sibi sumerent Lutheranizantes. Tossanus ipse Cal. Ian. denuo concessit in suam pristinam sedem.* (*Heyd, H. Ulrich* III. 152 ss.)

4) *Capunculum puta, qui iam m. Februario cum Farello pacem et concordiam inierat, sed iam ante finem huius mensis mortuus est.*

5) *Fortassis idem ille de quo N.* 672, *not.* 3, *ubi tamen nomen Roberti non additur. Etiam Iacobus aliquis eodem loco laudatur. Verum et alius senex laudatur Combaudus N.* 710, *quem ne cum Roberto confundas monet N.* 728.

caris mei Michaelis *Coppii* et *Gallasii*. Neocomi 5. Octobris 1545.

Tuus totus Farellus.

Ut *Carolus* exceptus fuit pro merito velut per otium,[6]) ita haec tractato te * quasi aliud agens, nec te graves labore.

708.

VIRETUS CALVINO.

Cura ecclesiarum quae ministris pro tempore orbatae sunt, eum usque detinet. Etiam in causa Waldensium nihildum effectum.

(Ex autographo Cod. Genev. 111 a, fol. 148. Alibi non exstat.)

Clarissimo viro Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori vigilantissimo optimo fratri meo. Genevae.

S. Veni Orbam cum fratribus collaturus de ministro huic ecclesiae praeficiendo. Ego cum duobus electis ab ecclesia Iverdunum profectus sum, ad classis conventum qui die Lunae coactus est, cui hanc ecclesiam commendavimus. Quantum ex eorum responso assequi potui, nihildum constitutum est de eligendo ministro, sed in aliud tempus negotium protractum: quamvis suspicor iam eos de modo aliquid deliberasse. Demiserunt nos plenos omnis bonae spei. Quid Neocomenses hac in re egerint, disces ex *Farelli* ad me literis quas ad te mitto, non solum ut haec intelligas, sed etiam quid a nobis postulet. Me admonet ut apud te hortator sim,[1]) quasi vero ullis tibi meis calcaribus opus esset. Eius ergo literas mitto, ut ipse vehementior apud te hortator sit, quibus et meas hortationes adiungo si iis opus est, et si quid sint apud te momenti habiturae, ut spero. Praesta igitur quod potes: potes autem plurimum, atque utinam otium et vires suppeterent tibi, quibus te posses omnibus impendere qui tuam operam efflagitant. Addidi et literarum exemplar missarum ad ecclesias germanicas. Optarim ex te intelligere quid hac in re me posse putes, et quid scribere commode queam, si mihi scribendum sit. Audies ex iisdem literis quo in statu sit Neocomensis ecclesia, et quid *Bucerus* sentiat de *Farelli* ad vos migratione. De *Comitis* consilio nuper ad te scripsi.[2]) Conventus classis nostrae cogetur ad octavum abhinc diem. Saluta uxorem nostro omnium nomine, quam gaudeo melius habere. Salutant te nostri omnes, qui recte valent. Dominus vos omnes diu servet incolumes. Vale. Orbae 6. Oct. 1545.

Tuus P. Viretus.

Equum mox ascendo Lausannam repetiturus. Vereor ne non prospiciatur satis commode Orbanae ecclesiae. Non fiet saltem sine contentione. Nosti enim hominum ingenia. *Malingrius*[3]) non cessat vias omnes tentare qua[4]) irrepat in ministerium, adeo ut curarit se commendari mihi a *Vanbergio* et *Gafrielo*, quos forte Iverduni inveni, quo profecti erant cum novo praefecto qui frater est *Gafrieli*. Non cessabit donec perfecerit quod conatur. Dominus suae adsit ecclesiae. Iterum vale.

709.

BALDUINUS CALVINO.

Argentoratum delatus ecclesiam gallicanam salutavit, Bucerum convenit, Falesium adiit, negotia sibi commissa curat, Calvinum desiderari affirmat, ut magis non possit.

(Manu scripta non exstat. Edita est ab ipso Calvino in libello de quo diximus in Proll. (Tomi IX Opp. pag. xliij) pag. 47.)

S. P. Ea fuit amicorum officiosa humanitas, ornatissime D. *Calvine*, ut non nisi nunc in procinctu fuerit otium ad te scribendi. Agam igitur paucis et, quando ita vis, familiariter.[1]) Ad populum phaleras, tu nos intus et in cute nosti. Primum hic reverenter salutavimus gallicanam ecclesiam, et edita fidei confessione sacramentis communicavimus.[2]) Coetus est frequentissimus, undique affluentibus

---

6) *Alludit ad opusculum contra Carolum recens editum.*

708. 1) *Quae hic sequuntur, maxime quae de literis ad ecclesias germanicas missis dicuntur, ad causam Waldensium apud Regem agendam pertinere videntur.*

2) *N.* 706.

3) *N.* 704.

4) *sic.*

709. 1) *Vides eum nuper cum Calvino egisse, quae et Hevelingii sententia est p.* 4. *Caeterum vide N.* 663 *et* 671.

2) Fidem suam in hac ecclesia et Argentinae apud homines nostrae linguae professus est. (*Calvin contr. Bald. p.* 12.) *Ipse B. teste Hevelingio annum* 1545 *definit quo primum Bucerum convenit, in sua* Iuris civilis schola Argentinensi. Ed. 2. Arg. 1555.

doctis et piis viris. Sed deest et desideratur aliquis *Calvinus* qui verbo praesit conventui. Utinam propius intelligeres quibus suspiriis haec ecclesia suum *Calvinum* exoptet.[3] Sed Dominus, cuius ministerio addictus es, providebit. Convenimus D. *Bucerum* tua freti commendatione, et facile intelleximus quantum penes eum ponderis habeat tuum testimonium. Utinam vero efficere possim ne quando commendatori incutiant aliena peccata pudorem, aut ne tibi sit sponsio noxae. Praeterea salutavimus D. *Falesium,* in quo deprehendimus et reveriti sumus magnum et heroicum inconcussae pietatis domicilium. Decumbit ille quidem adhuc,[4] sed spiritu vivit valetque. Quantopere vero te suspiret, nunquam satis nisi praesens intelliges. De reliquis eius negotiis ex eius literis certior fies. Quid item moliantur principes, tum ii qui fovent et propugnant ecclesias Christi, tum illi nostri ἀλάστορες, qui cum gigantibus meditantur suam θεομαχίαν, cognosces ex aliorum epistolis. Nos, dum adhuc aliquid liberioris otii tribuitur, properamus ut aliquando semel conficiamus nostra negotia,[5] et expediti recurramus ad ecclesiam, extra quam vivere non possumus: ut taceam arcanum, quod indies magis atque magis crescit, tuae consuetudinis desiderium. Scilicet, inquit poeta:

Multa viri virtus animo, multusque recursat
Gentis honos, haeret[6] infixi pectore vultus
Verbaque, nec placidam membris dat cura quietem.

Egimus de negotio *Maldonadae* cum *Richardo,*[7] sed aliud efficere non potuimus quam id quod ipse *Richardus* plenius ad vos perscribet. Cupio meo nomine salutari uxorem tuam cum sua *Iudith.*[8] Loquuti sumus de puella cuius matrimonium illi curae est, sed intellexi iam desponsam tonsori cuidam. Salutabis quoque tuum *Gallasium,*[9] cuius negotia mihi cordi esse utinam ostendere possim. Quid multis? Salutabis totam tuam ecclesiam. Salutat te plurimum tua quam hic habes ecclesia. Vale, Argentorati in procinctu. Nonis Octob.[10]

Tuus Balduinus.

---

3) *Eo tempore Io. Garnerius minister erat, Val. Pollanus diaconus.*
4) *De eius morbo etiam alibi mentio fit. N.* 700. 701. 705.
5) Ex quo fidem suam professus erat in Galliam discedens, dixit ad expedienda quaedam negotia exiguo tantum temporis spatio opus esse, et quia ipsius magis quam mea intererat ipsum cito redire, mihi persuasit. (*Calvin l. l. p.* 22.) *Caeterum an haec huc referenda sint, tu videas. Lutetiae redux in suspicionem delapsus haereseos lutheranae fuga sibi consuluit, et absens exsilio et confiscatione multatus est.*
6) *Lege:* haerent. *Nos versus reficimus, in impresso solutos.*
7) *Maldonatus Falesii fuit amicus, Bonneto Hanoveranus, qui postea Genevam se contulit. Quem Richardum hic dicat, nescimus, nisi iam tum Argentorati fuerit R. François dictus Vanville, olim Augustinus, postea apud Bituriges concionator, et Londini quo tempore ibi ecclesia wallonica condita est. Fortasse R. Hillis* (700, *not.* 5). *Cf.* 674, *not.* 2.
8) *Calvini privigna.*
9) *cuius rem familiarem curavit Parisiis a.* 1546. (*Fabric. Biga resp. p.* 153.)
10) *Si post ea quae iam hic et ad N.* 658 *dicta sunt aliis etiam opus esset argumentis, quibus annus natalis huius epistolae* 1545 *definiatur, ablegaremus te ad ep. Pollani N.* 729.

710.

VIRETUS CALVINO.

Novus exstitit candidatus qui munus ecclesiasticum ambit, sed de eo adhuc haerent dubii. Sunt subinde qui numis destituti Lausannae affluunt. Corderius tandem aliquando adest.

(Ex autographo Cod. Genev. 111[a], fol. 149.)

Suo Ioanni Calvino.
Genevae.

S. Audivimus *Combaudum*, senem illum[1] qui Bernae cum *Deotheo*[2] repulsam passus est. Spem nobis fecit non exiguam, fore ut ministerio valde idoneus sit. Sed unum est quod nonnihil torquet fratres: scilicet quod adeo videatur querulus metuere ne sibi victus desit, quum tamen quidam retulerit hominem ad vos egregie nummatum advenisse, et centum habuisse coronatos in numerato. Quod si ita est, miror cur voluerit sumptu gravare ecclesiam. Huc accedit, quod nobis etiam relatum est, eum, quum vicinus esset *Pererio*[3] valde afflicto morbo et pauperie, nulla pecunia ipsius inopiam sublevasse aut beneficio, quum tamen id posset. Haec retulit quibusdam e nostris *Faber*, carmelita ille Gaiensis, qui istic uxorem habet. At quoniam fratres non temere volunt unius testimonio acquiescere, te orant ut harum rerum ac totius vitae illius cures quam poteris ocyssime inquisitionem fieri, ut per hunc tabellarium nos de omnibus facias certiores, quo vir bonus iis calumniis liberetur, si modo calumniae deprehendantur, ne eum remorari aliqua in parte possint.

Quod superest, huius te monitum velint ut si qui sint qui istic pedem figant, si quid habeant

---

710. 1) *cf. N.* 707, *not.* 5.
2) *De cuius causa maxime relegas N.* 694.
3) *Occurrit Pererius aliquis* (*alias Poirier*) *inter ministros Genevenses, suburbanos puta, ita ut Combaudus ille eius vicinus dici potuerit.*

nummorum, et cupiant tandem a Bernatibus recipi quum pecuniis exhausti fuerint, huc ut veniant, priusquam penitus pecuniis destituantur. Nam hoc est Bernatibus molestum quod ad eos non eatur nisi ad mendicandum. Huc accedit quod quidam suspicantur, huc tantum venire aut quorum opera uti nolitis, aut alere non possitis.

Corderius noster est,[4]) qui vos omnes salutat. Cupit rescire ut habeant scholae vestrae et quid de *Deotheo* statueritis.[5]) Mihi displicet quod audio de eo Bernae constitutum. Sed sic sunt tempora. Si quid vobis conferre possumus, significato. Salutant te nostri omnes, et tuam uxorem, quam meo nomine salvere iubebis cum amicis omnibus. *Comes* Bernam profectus est. Dominus eum dirigat in suam gloriam. Vale. Lausannae 12. Octob. 1545.

Tuus P. Viretus.

Admone *Deotheum* ut nullam prius conditionem accipiat, si eum dimittitis, quam nos convenerit. Scribe ad me de negotio Neocomensi et decimarum.[6])

Stephanus *Fontanus* narravit mihi se occurrisse *Camperello* et *Meigreto*[7]) euntibus Bernam: quos audiunt habere literas ad *Negelinum*.

711.

CALVINUS VIRETO.

Quid Neocomensibus respondeat in negotio bonorum ecclesiasticorum non habet. Schola Genevensis in discrimine posita. Champerellus notatur. Item Macrinus. Copi instantes nuptiae.

(Manu Ionvillaei scripta exstat in Cod. Genev. 111[a], fol. 33 v. Beza edidit Gen. p. 375, Laus. p. 677, Hanov. p. 761, Chouet p. 515, Amst. p. 235.)

S. Heri mihi sub coenam allatae sunt tuae literae, quibus binas *Farelli* incluseras, quas remitto. Hodie quoque alias a *Farello* accepi.[1]) Quoniam prioribus videbatur a te et a me privatim petere consilium: non ausus sum in coetu nostro facere mentionem. Nunc amplius hoc postulat, ut omnes simul respondeamus. Verum serius quam oportuit, redditae mihi literae fuerunt. Quanquam non video, quid profuturum fuerit, si etiam venissent in tempore. Quam enim ridiculum fuerit, aliis dare consilium, quo ipsi indigemus? Negabimus id ferendum esse, ut teruncius minuatur ex ecclesiae bonis. Quid autoritatis habiturae sunt nostrae literae apud Neocomenses, quum id apud nos patiamur fieri? Dicemus per nos minime stare. Sit sane ita. Sed quia non admittunt nostri medicinam, contenti improbare quod peccant, non ultra tendimus. Si quid sentiamus habere volunt, non est difficile eorum voto satisfacere. Sed quantulum illud proderit? Consultabo tamen cum tribus aut quatuor, num aliqua possit inveniri speciosa ratio. Ex Germania nihil habemus novi, nisi vulgi rumores. Nam *Alexander*, cui datae sunt ad me literae, suo more vagatur. Schola nostra perplexos nos habet.[2]) Nemo enim aptus ad id munus nunc occurrit. Nos quidem merito poenas damus. Sed dolendum est, nulla interim disciplina contineri pueros: et spem, quae perquam exigua erat, omnino pessum ire. Ego me consolor, quod nulla mali huius portio culpae meae assignari potest. Sed misera consolatio, quae malo nihil affert levationis. *Francisco* consilium dedi, quale restabat in rebus desperatis. Tu si quod habes melius, nobis commodes. *Camperellus,*[3]) ut audio, discursat. Sed, nisi omnem pudorem abiecerint fratres, nihil proficiet. Quanquam a fratribus iam timere desii. Queritur enim me sibi et sodali suo *Macrino*[4]) esse infestum, quod parochiae Moniensis agros emerint. Vides quibus cuniculis nos adoriantur. Nisi velimus omnia perire, necesse est illum caeteris esse exemplo. Fuimus enim hactenus nimis remissi. Vale frater et amice integerrime, una cum uxore et familia, quam meo et uxoris meae nomine salutabis, quae ipsa se precibus vestris commendat. Ita enim subacta est morbi magnitudine, ut aegre se recipiat. Interdum videtur convalescere: mox recidit. Collegae mei te omnes diligenter salutant. *Copus* te suis nuptiis interesse cuperet, si esset commodum. Scis enim, opinor, nos *Gurini* viduam illi dedisse uxorem.[5]) Dominus vos istic conservet. Genevae, 13. Octobris.

Ioannes Calvinus tuus.

---

4) *et quidem nuperrime advectus, quum in proxime praecedentibus epistolis* (707. 708) *Farellus de eo adhuc Neocomi morante loquatur, Viretus vero de eius adventu sileat.*

5) *Si vocandum statuerunt, certe non vocavit senatus. Nam in eius diario de eo nihil. Neque ap. Bétant eius mentio fit. Carolum Damont sequutus est Guil. Franc Rotomagensis* (*Reg. du conseil* 21. *Aug.* 1545).

6) *N.* 707, *not.* 1. *Negotium Neocomense dicit hic et saepius famosam disceptationem de bonis ecclesiasticis.*

7) *Am. Megret, minister in vico Moing, ditionis Genevensis, qui alibi Macrinus vocatur.*

711. 1) *Vide sequentem.*

2) *Vide quae annotamus ad N.* 715 *et* 616, *n.* 6.

3) *Huius historiam fuse narrabit N.* 717.

4) *Parochus in Moing. Cf. N.* 716. (*Galiffe, Not. gén.* IV. 204.)

5) *et quidem quarta vice iam nubentem, Amadeam s. Amatam Warembergiam Genevensem.* (*Galiffe l. c.* IV. 32 *et N.* 633, *not.* 15.)

712.

CALVINUS FARELLO.

Eius desiderium circa decimas aliarum ecclesiarum vota et suffragia expetendi non omnino probat, quantumvis alioquin de ipso negotio eandem profiteatur opinionem.

(Manu scripta non exstat. Legitur in ed. Genev. p. 56, Laus. p. 138, Hanov. p. 155, Chouet p. 74, Amst. p. 33.)

Iovis [1]) sub coenam mihi tuae ad *Viretum* literae [2]) redditae fuerant: ut postridie cum fratribus possem capere consilium, si id tibi placere intellexissem. [3]) Sed a me tantum et *Vireto* scribi volebas. Itaque nullam facere mentionem ausus sum. Quum vero mihi oblatae fuerunt tuae posteriores, iam fratres discesserant. Itaque iam amissa est illa opportunitas. Sed quid profuisset me de tua voluntate in tempore fuisse admonitum? Ego enim consilium vos petere a nobis nequaquam puto, quo non indigetis: nec verisimile est, cupere vobis exponi quid de illa re sentiamus. Tenetis enim haud dubie: sed literas petitis, ut interpretor, quae vobis adiumento sint ad vestros homines coarguendos. Speratis enim melius fractum iri eorum contumaciam, si complures ecclesias vobis suffragari viderint. [4]) Et certe vix unquam hoc vitium, quocum vobis certamen nunc est, corrigetur, nisi ecclesiarum consensu. Atque utinam ad hanc sanctam conspirationem animum adiicerent, quos duces aliis esse oporteret: sed vides ut res nostrae sint dissipatae. Quod ad nos spectat, libenter vobis morem geremus. Neque enim dubito pro symmystis etiam spondere. At timendum est ne ridiculi simus vestris hominibus, ab illis exigendo quod nondum impetravimus a nostris. Docebimus quis rectus sit usus bonorum ecclesiae, et qui legitimi sint eorum oeconomi, ut autoritate nostra urgeamus Neocomenses. Cur non potius exordium a nobis facimus? Videte ergo ne dum iuvare vos studemus, magis obsimus causae vestrae. Quod si tamen manes in sententia, praescribe quid utile sentias, ego statim obsequar. Quanto plus ponderis esset in eo libello, quem adhuc Argentinae quum essem, curavi imprimendum? [5]) Loquuntur enim illic principes, quotquot evangelium amplexi sunt: promittunt restitutionem omnium quae occuparunt, si quando ad piam aliquam concordiam ventum fuerit. Admonendi essent vestri ut principum exemplo, saltem ad id tempus, omnia sibi integra servarent. Rogabis quidnam igitur cessem, si eadem hic cerno vitia, quae vos istic excruciant et tantum facessunt negotii. Ego vero non cesso palam in concionibus: quoties opportunitas ita tulit, contestor Deum et homines, grave nobis imminere iudicium: in senatu idem aliquoties egi: neque tamen hoc modo mihi defunctus videor, dum nihil me profecisse video. Verum sequor Ambrosium, qui doctrinam et locum pastoris sibi retinens, ita ut pro illis vindicandis paratus esset vitam opponere, agros tyrannidi Imperatoris Valentiniani sinebat. Sic enim suspicantur magistratus nostri, de aemulatione esse certamen, quia aegre feramus excussum esse nobis de manibus quod illi sibi sumpserunt: nisi forte hoc simulant, quo fidem studio nostro derogent. Neque tamen ita vitanda est nobis suspicio, ut ad sacrilegia conniveamus. Tantum cogitare operae pretium est, quousque contendere expediat. Quanquam in praesentia longiorem disceptationem ingredi non est animus: ideoque finem faciam. Nostri omnes te salutant, praesertim symmystae, *Nicolaus*, frater, uxor, quae ipsa tuis et familiae tuae precibus se commendatam esse cupit, nam adhuc cum morbo difficulter luctatur: sed hoc habemus solatii, quod pedem unum videtur a sepulcro retraxisse: sed necdum vires colligit, et magnis doloribus infestatur. Vale, optime frater et amice integerrime. Collegis tuis plurimam salutem. Genevae, 13. Octobr. 1545.

712. 1) *d.* 8. *Oct.*
2) *deperditae, ut videtur, quum et Kirchhoferus taceat.*
3) *Agitur de interventione diversarum ecclesiarum in negotio de decimis Neocomensibus. Cf. N.* 707.
4) *Basileensem, Argentoratensem, Genevensem. Cf.* 715 *proximam Calvini ad Viretum, ubi suam de hoc Farelli postulato sententiam magis ἀποτόμως significat.*
5) *Alienum sane, quia ibi principes loquuti esse dicuntur; ipsius Nostri nullum talem novimus.*

713.

VIRETUS CALVINO.

Denuo de novis illis ministris et magistris vocandis, de quibus usque ambigunt classes Vadenses. Plura alia obiter attingit, praeter alia et uxoris miseram valetudinem.

(Ex autographo Cod. Genev. 111 a, fol. 150.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis fidelissimo ac fratri quam carissimo Genevae.

S. *Deotheus* [1]) tibi narrabit quid cepimus consilii. Tu si quod habes praestantius significato. Nos vero praestabimus quod poterimus. Est iuvenis Viviaci apud *Franciscum* [2]) quem *Deotheus* pulchre

713. 1) *Plura quae in hac epistola attinguntur iam supra N.* 710 *tractata sunt.*
2) *N.* 404 *et* 638.

novit. Is vixit apud nos menses aliquot honestissime, cui et *Franciscus* praeclarum reddit testimonium. Eruditionis est minime poenitendae, nec ullam adhuc apud nos firmam habet conditionem. Proinde nisi brevi ei alia ratione prospiciatur, decrevimus eum Bernensibus commendare. Tu igitur expende num is vobis usui esse possit, et tuam nobis sententiam perscribito. Non videretur male appositus ad sustinendam saltem aliquam scholasticae provinciae partem, cui praeesse posset tantisper dum tertius aliquis adiungeretur. Si tibi hoc nostrum consilium placet, ac hominem videre cupis, simul atque significaris curabimus istuc ad te mittendum.

Scripsi ad te de *Camperello* quod audiveram. Quid effecerit nondum intellexi. Arbitror tibi redditas postremas meas literas, quibus testimonium de *Combaudo* requirebam. Id ut quam ocyssime facias iterum rogo. De *Simone*,[3]) postquam obiit *Campanus*, non nobis tam commoda occasio relicta est. Proinde quid mihi sit statuendum nescio. Nam forte non facile admittetur, si aliunde quam e nostro collegio admittatur.

De negotio Neocomensium scribe quid statueritis et quid mihi faciendum putes. Scis enim quibus ego hac in re angustiis constringar, et quid possim, quum hac in parte plura in nobis desiderentur quam alibi usquam.[4])

Saluta mihi tuos collegas, nominatim *Copum* et eius uxorem, quibus gratulor. Saluta etiam uxorem, cui meliorem precor valetudinem. Ego fere eadem in mea patior. Videtur paulo melius habere, sed multa supersunt, a quibus mihi valde metuo, de quibus scripturus eram ad *Textorem:* sed non licuit per otium. Dominus nostri misereatur.

Comes nondum rediit. Vereor ne quid doli moliatur. Velim te tamen serio de successore cogitare.[5]) Nam de *Farello* perquam exigua spes superest. De *Tossano* nihilo maior. Nam scripsit ad Erasmum *Cornelium*,[6]) se sperare brevi Monbelgardam rediturum. Erasmum cogitabamus scholis vestris praeficere, si a Neocomensibus non retineretur. *Theofredus*[7]) bibliopola Basilea rediit, qui narravit bellum coeptum esse in Germania, et *Brunsvicensem* aliquot agros *Landgravii* depopulatum,[8]) ac Argentinenses in subsidium misisse vexilla sex. Dominus dirigat omnia in suam gloriam. Pariet tandem *Caesar* monstrum quod diu parturiit.

Gurinus[9]) debebat mihi coronatum quem ei mutuo dederam, et quatuor capitatos quos uxor eius a me accepit. Ego misertus viduae verebar ne essem importunus, quum tanta viderem eam premi paupertate: quo fit ut non ausus sim repetere. At quum ego valde premar et magno sim in aere alieno, eam autem intelligam nonnihil sublevatam, nescio an repetere debeam. Tu consule quod visum fuerit. Si non habet pecuniam, si supersunt libri, praesertim Cypriani opera aut aliquid huiusmodi, facilem me praestabo. Saluta *Textorem*. Vale. 17. Octob. 1545.

Tuus P. Viretus.

---

3) *N.* 633, *not.* 8, *N.* 702 *et seqq.* 706.
4) *An de vocando Farello dicat, ut antea saepius, nobis non constat: potius de negotio decimarum et bonorum ecclesiasticorum eum loqui crediderimus, maxime quum de Farello infra verba faciat.*
5) *quasi eius abdicatio iam rata esset facta.*
6) *Cornier, ludimagister Neocomensis, antea Monsbelgardensis, quem cave confundas cum Cornelio Lausannensi (de quo N.* 682) *nuper mortuo (N.* 684).
7) *N.* 686.
8) *qui mox et Guelferbytum obsedit (v. Sleid.* II. 400; *Ranke* IV. 288 *et infra N.* 719) *sed tandem a Landgravio captus fuit.*
9) *N.* 419.

714.

CALVINUS VIRETO.

Combaudus commendatur, cum aliqua tamen exceptione.

(Exstat manu Ionvillaei scripta Cod. Genev. 111 a, fol. 30. Edidit Beza Genev. p. 376, Laus. p. 678, Hanov. p. 762, Chouet p. 516, Amst. p. 235.)

De *Combaudo*[1]) sic respondent fratres, hominem hic cognitum esse quieti ingenii, honestae vitae, non improbum alioqui, nec ullius notae deterioris, nisi quod supra modum est tenax: etiam usque ad maximas sordes. Quamdiu apud nos vixit aliis negabat sibi esse pecuniam: aliis fatebatur aliquantulum se habere, quo posset tenuiter se alere ad tres menses: apud alios augebat summam triplo amplius. Sed quum uxorem duxit tunc patuit crumenam habere satis bene refertam. Saltem non minus sexaginta coronatis attulit ad uxorem. Si querulus est, scito eum esse ex animo. Aestuat enim mira diffidentia. Verum serio monendus est, ut discat reposita in Dominum cura excutere ista tormenta animi, quibus se frustra cruciat. Hoc, ut dixi, vitio excepto virum probum et sincerum iudicamus. *Perrerio*[2]) certe non multum exhibuit humanitatis: quum ille tamen valde indigeret. Sex tantum quadrantes huius monetae illi dedit commodato: idque maligne. Date operam ut corrigatur tanta diffiden-

---

714. 1) *N.* 710.
2) *Ministro Genevensi, alias Poirier.*

tia, et quae inde nascitur tenacitas: et reliqua, speramus, bene habebunt. Quod [3]) pertinet ad reliquos, nescio quo fato dicam fieri ut hinc vix quempiam extrudam qui de suo potest vivere, etiam si admoneam, nullas hic esse scholas, nullum etiam fore locum. Certe nemini hactenus autor fui ut diutius hic maneret. Sed nescio quis genius vestros agat ut ita quidquid a nobis est aspernentur. Dominus manu ipse sua colligat tam dissipata ecclesiae suae membra et in veram unitatem coagmentet. De vestra nominatione, o verum meum vaticinium, tunc iacta fuisse pessimae tyrannidis fundamenta, quum promulgatum fuit edictum illud. Omnes nostri diligenter te salutant, uxorem tuam cum matertera totaque familia. Dominus vos conservet. De uxore quia nihil dudum scribis, eam meliuscule habere iam confido. Mea paulatim revalescit, gratia Domino: nisi quod tussis illi plurimum molesta est, doloresque ordinarios exacerbat. Vale, frater et amice integerrime, iterum atque iterum. Genevae, 18. Octobris.

Ioannes Calvinus tuus.

715.

CALVINUS VIRETO.

Eadem argumenta continuantur, scilicet scholae Genevensis conditio magistro idoneo carentis et Neocomensium de bonis ecclesiasticis iustae querelae et praepostera consilia.

(Autographon non exstat. Describimus ad exemplar Ionvillaei ex Cod. Genev. 111 a, fol. 26 v. Coll. c. Cod. 111, fol. 126. Turr. Anglice versa legitur T. II edit. Edinb. p. 10.)

Exspectabimus dum tu vel *Franciscum* nobis restituas, vel *Erasmum* mittas. Quia tamen interim dissipata est Schola, [1]) maturandum est. Si tibi utrumque videtur aut longum aut difficile, brevi significa. Nam Argentorato [2]) quendam accersam, qui meo iudicio aptus erit. Sed maluissem hinc sumere. De illo hypodidascalo nihil audeo, quia satius erit eum qui praeficietur liberam habere deligendi quos volet facultatem.

Excusaveram *Farello*, sed obstinatus in proposito manet. Non ridiculum tantum sed impudentiae quoque affine erit suscipere corrigendum in Neocomensibus vitium cui hic non medemur. Suaseram ut potius libellum proferrent, in quo pollicentur principes se ad restitutionem semper fore paratos, si de legitima administratione conveniat. Deinde hoc praetextu impedirent profanas istas alienationes, quo res in melius tempus integra differretur. Respondet *Farellus*, principum autoritatem non multum valituram. Quid ergo fidei facient nostrae literae? Instat praeterea ut agam cum *Bucero* ut literas a senatu Argentinensi [3]) impetret ad senatum Bernensem, huius argumenti: sibi indicatum, Neocomenses valde peccare in dissipandis ecclesiae bonis: Bernatium partes esse reprimere hanc libidinem. Eiusmodi literas sperat Bernae quoque profuturas. Ego contra vix opinor scripturos Argentinenses, ne magis ulcerent. Deinde ut scribant, an nescimus eorum monitionem derisum iri? Atque ut maxime cupiant Bernates Neocomensium vitio mederi, quo fronte id facient? Obsecro, audebuntne reprehendere in aliis quod iure factum a se pertinaciter defendunt? [4]) Dicam igitur de *Farello* quod Cicero de Catone: Agere quidem ipsum bono animo, sed consilio interdum non optimo. Hoc in causa est, quod studii vehementia abreptus non semper cernit quae expediunt. Pericula vel non providet vel contemnit. Atque hoc accedit mali quod, nisi obsequimur eius voto, inique feret. Sed quid facerem? Non enim adducar ut quod nociturum puto suscipiam. De *Champerello Christophorus* tibi narrabit, et ego scribam ubi ad finem ventum fuerit. Vale, frater optime et amice integerrime. *Amedaeam* [5]) nondum per opportunitatem convenire licuit. Explebo tamen mandatum tuum. Vale iterum cum uxore et matertera et fratribus. Symmystae, uxor mea et vicini te diligenter salutant. 24. Octob. [6])

Ioannes Calvinus tuus.

---

3) *Quae sequuntur usque ad verbum:* edictum illud, *absunt ab edd.*

715. 1) *Carolo Damont dimisso aliquamdiu duobus baccalaureis concredita fuerat, Stephano Rophio et Petro Mussard. Postea eidem praefectus fuerat, Calvino autore, Guil. Franc Rotomagensis, nuper Genevae cantor. Etiam Fr. Deotheus vocatus fuisse videtur sed a Bernensibus non concessus.* (*Bétant p.* 17. 20. *Reg. du Conseil.* 17. 21. *Aug.*, 8. *Sept.*)

2) *Reg. du Conseil.* 18. *Oct.*

3) *An senatus scripserit non constat. Scripserunt ministri, Bucerus Hedio et Zellius d.* 5. *Nov.* (*Kirchhofer* II. 77.)

4) *Quo pacto Bernenses bona ecclesiastica in novis suis ditionibus in privatum usum, certe in profanum converterint divendendo, videre est apud Ruchat.* IV. 395 *et in Vulliemin, Chroniqueur p.* 384.

5) *Gurini vidum v. praeced.*

6) *De anno e argumento apprime constat, si cum proxime praecedentibu contuleris.*

716.

CALVINUS VIRETO.

Quid actum sit cum Champerello misso exemplari epistolae ad Bernenses datae docet. In eius sodalem propediem inquiretur.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 145, coll. c. exx. Ionvillaei Cod. 111 a, fol. 6, Turretini Cod. 111, fol. 127, Bernensi Epp. VII. p. 729, et Simleri Vol. 58.)

Optimo fratri meo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae fidelissimo pastori.

S. Quid actum sit cum *Champerello*, [1]) et quae fuerit actionis catastrophe, exemplar epistolae quod tibi mitto indicabit. Si videbitur, communicabis cum *Farello*. Verum admone ut remittat. Hic frater [2]) Argentoratum proficiscitur. Puto non esse tibi ignotum quando cum Francisco *Marterello* habitavit. Itaque tibi non commendo. Missus est hodie nuncius Bernam qui praeclarum *Champerelli* testimonium perferret. Vide quam ferrea sit frons hominis. Nihilo demissiore est vultu, nihilo modestiore animo, quam fuit rebus secundis. *Macrinum* [3]) eius sodalem aggrediemur die Veneris. Quam cuperem nobis duas aut tres horas ad colloquendum dari. Si posses Neodunum usque, ego protinus illuc advolarem. Domus praefecti nobis esset optimus praetextus. *Amedaea* satisfacturam se promittit propediem: moram excusat. Respondi excusatione apud te non esse opus. Vale, frater optime et amice singularis. Dominus te et uxorem conservet cum familia. Saluta omnes. Genevae, 26. Octob. 1545.

Ioannes Calvinus tuus.

Gallasius tuus eiusque uxor te officiose salutant. [4])

---

716. 1) *Per totum hunc mensem in pluribus senatus Genevensis conventibus. Vide omnino ep. sequentem et ibi annotata.*
2) *Waldensis Delphinas, ut patet ex N.* 726.
3) *De hoc negotio i · commentariis Senatus ad m. Ianuar.* 1546 *nonnulla leguntur. In balneis publicis minus pudice versatus dicebatur. Cf. N.* 726.
4) *Gallasii manus.*

717.

MINISTRI GENEVENSES BERNENSIBUS.

Amadei Champerelli historiam fuse narrant, eius mores et negligentiam in munere obeundo notant, quid in Senatu Genevensi de eo actum sit, quid denique Bernae agendum exponunt.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza in appendice suae collectionis epistolarum Gen. 1576, p. 421, unde transiit in ed. Gen. 1617, p. 587, et Amst. p. 263. Caeterae non habent.)

Ministris Bernensibus fratribus et symmystis carissimis S.

Inviti quidem facimus ut ea scribamus vobis de Amedeo *Camperello* [1]) quae eius famam graviter laedant et domesticis eius commodis forsan possint obesse. Nam praeter communem humanitatis legem, praeter christianae etiam dilectionis officium, hoc quoque nos movet quod nuper symmysta noster fuit. [2]) Sed quia eo ventum est ut tacere non liceat quin nos substituamus reos in eius locum, imo quum ipse nobis sua improbitate loquendi necessitatem imponat, nobis venia dari debet, si eum propria culpa premi malumus quam nos immerito gravari. Quanquam ne haec quidem ratio nos impulisset ad detegenda eius flagitia, nisi hic et Christi honor, et ecclesiae disciplina, et fraternae etiam inter nos coniunctionis ratio verteretur. Ambit enim iam in agro ditionis Bernensis ministerium. [3]) Id consequi non potest absque magno evangelii dedecore, quin disciplina pessimo exemplo labefactetur, et rescindatur omnis quae inter nos esse debet communicatio. Neque de his rebus volumus nobis haberi fidem, sed vobis iudicium deferemus postquam exposita fuerit causa. Proinde, quando ita res habet, potior sane et Christi et ecclesiae habeatur ratio quam unius privati hominis, et eius quidem hominis quem, dum videmus sponte velle perire, vix misericordia censemus dignum donec ad saniorem mentem redierit: nisi quod hoc quoque ipsum dolendum est, sicuti profecto dolemus, hominem sacro ministerio functum quasi devoto animo sibi exitium accersere.

Haec porro historiae summa est. [4]) Hac conditione recipimus in collegium nostrum ministros ut ecclesiae Genevensi serviant tam in agro quam in urbe, quocunque fuerint senatus autoritate et nostro iudicio destinati. Hic ex agro [5]) in urbem accitus fuerat, quo tempore res erant turbatae. Postea

---

717. 1) *Is iam d.* 8. *Sept. a senatu Genevensi munere abdicatus* (*Reg. du Conseil fol.* 233) *Bernenses adierat ut classi Gaiensi* (*Gex*) *adiungeretur, et in eum finem plus semel* (2. *et* 20. *Oct.*) *testimonium sibi dari postulavit* (*l. l. f.* 268). *Quae fuit Calvino causa ut Bernensibus scriberet ne talem sibi collegam imponi paterentur.*
2) *Cf. N.* 362, *not.* 2.
3) *Quod et obtinuit vide N.* 739. 740 *et Reg. du Conseil ad* 11. *Ian.* 1546.
4) *Hinc eadem recurrit infra in ep. ad Gaienses N.* 741.
5) *De loco ex Archinardo non constat.*

quum nonnulli eo longe doctiores in agrum ablegarentur, retentus in urbe fuit, quia bene vocalis erat et orationem habebat vulgo accommodatam. Saepe tamen interea monitus fuit in conventu fratrum, quum de aliis vitiis [6]) tum de negligentia et dissoluto vitae genere. Ab uxore etiam multa offendicula oriebantur, sed nihil peius nos habebat quam quod in cauponis frequentior erat quam domi. Quod fieri non poterat quin voraret uno prandio diei unius stipendium quo se et uxorem alere debebat, et interea vulgi sermonibus non se modo sed omnes ministros exponeret. Sodales habebat helluones quosdam prostituti pudoris, qui infamiam augebant. Quum eos ceperat urbis fastidium, animi causa sic rusticabantur ut aliquanto plus licentiae indulgerent. Id illi placide aliquoties, sed tamen severe ostensum fuit. Atqui, tanquam humanitatis oblitus foret, nullum resipiscentiae signum praebuit. Nam sicut ad populi famam occalluerat, ita nostras monitiones parvo aestimavit. Ergo, nisi hominem perditum vellemus, remedium nobis unum restabat, a sodalitiis, quibus sponte nunquam renunciasset, eum loci distantia removere.

Est in praefectura Tononiensi parochia, [7]) huius ecclesiae membrum. Minister eius loci paulo ante mortuus erat. Donec successor esset ordinatus unus ex nobis illuc die dominico proficiscebatur. Et iam omnes urbis ministri vice sua perfuncti erant, praeter *Calvinum* et illum. Recepit ergo se iturum. Postridie innotuit, domo pedem non movisse. Nos ministri urbis non amplius differendum censuimus quin illuc mitteretur. Iudicium nostrum senatus comprobavit. [8]) Quum tamen adhuc nonnihil refragaretur, tota fratrum congregatio id scivit. Passus est itaque se ordinari illic a fratre nostro *Calvino.* [9]) Nos quid sentiat ille ex operibus cernimus: sed ludum puerilem esse non putamus quum solenni ritu addicitur uni ecclesiae minister cum publica nominis Dei invocatione. Nunc intelligite quid sequutum sit. Quoniam uxor erat partui vicina, veniam sibi dari petiit, si non tam cito familiam et supellectilem suam illuc transferret: se tamen interea non defuturum concionibus. Dilationis venia illi data est ad certum tempus. Non praestitit quod promiserat. [10]) Subinde enim eligendus erat ex nobis qui subiret eius vices. Interea certis indiciis olfaciebamus alio eum adspirare: sed dissimulamus, donec passim volitaret rumor, eum subrogatum iri Bernetensi ministro. Claudius *Veronus,* quocum capitales exercuerat inimicitias, assiduus apud eum erat. Is negotium, si vera fuit fama, peregit. Imo satis patefecit, nihil temere de se fuisse creditum. Testis enim est tota classis Gaiensis quam petulanter se gesserit ut eum quovis modo promoveret. Re propemodum convicta admonuimus ut se purgaret: nos enim reatum iam sustinere coram Deo tam longae cessationis, et apud homines flagrare infamia, quod putarent nos sponte connivere. Quia frigide tantum negabat, iussimus ut ad haec tria postulata nobis responderet: Annon eo conscio ac volente, imo etiam rogante, agitatum foret de eo in locum *Ioannis* Bernetensis subrogando? Deinde, quum ordinatus fuerat Dralliani pastor, an serio suscepisset eius ecclesiae curam, an vero aliud iam tunc animo propositum haberet? Tertio an, quum admonitus fuerat a nobis de statione illic figenda, serio testatus esset sinceroque animo, statim se migraturum, anne temporis causa hoc finxisset? Nullum fuit ex tribus rogatis de quo certum aliquid et planum potuerimus elicere. Tantum ambagibus et involucris effugere conatus est. Secundo revocatus perstitit in suo illo tergiversandi artificio.

Porro missionem sibi dari volens, at honestam, aut saltem absque ignominiae nota, praetextum afferebat quod propter gravem uxoris morbum neque hic neque alibi usquam ministerio fungi posset ante sex menses. Hoc eum mentiri quum ex verbis male cohaerentibus apparebat, tum quia domi illi exciderat vox impia: brevi ab hac tyrannide in qua esset exiturum. Erant iustae causae cur ministerio abdicaretur, aut saltem ad senatum mitteretur, quo iureiurando adigeretur ad canonicam purgationem. Praeterquam enim quod vehementibus indiciis et communi fama premebatur, responsiones eius, partim flexiloquae partim contumaces, eum non esse innocentem prodebant. Humanius tamen cum eo egimus. Ad senatum misimus [11]) tres ex nostro collegio qui ipso audiente exposcerent: iustis ac necessariis causis nos fuisse compulsos ad eum transferendum. Eum legitimo ritu fuisse ordinatum, nos tamen certis signis animadvertisse, meram fuisse simulationem quod se passus fuisset ordinari. Nunc eum missionem petere. Obtendere causas quae nullo modo nobis probarentur. Nos quidem nequaquam autores esse eius retinendi, quia inutilis futurus esset: sed potius relinquendum esse ut abiret, improbato tamen ac damnato eius discessu. Nisi haec omnia ipse approbaret, in mandatis habebant fratres

6) *Saepius hoc ipso anno eius mentio fit in commentariis senatus* (6. Apr., 19. Iun., 20. Iul.) *quum modo stupri modo calumniae contra Bernenses accusatus inquisitione facta vel e carcere liberatus vel severa admonitione castigatus fuerit.*

7) *Draillans. Cuius ministrum Io. Regalem laudat Reg. du Conseil* 1. *Iun.* 1544: Me. Regalis predicant de Dralliens est alle a Dieu de peste et sa femme aussy.

8) *Reg. du Conseil* 29. *Iunii*, 11. *Iulii* 1545.

9) Me. Calvin a este vers M. le baillifz de Thonon pour presenter Champereau predicant de Drallians (*ibid.* 13. *Iul.*).

10) *Ibid.* 17. *et* 20. *Aug. Ob negligentiam a Senatu citatus est.*

11) *d.* 8. *Sept.*

totam vitae eius historiam dedecore plenam referre. Sententia quidem nostra a spe ministerii in posterum erat exclusus.[12]) Confessus est verissimum esse quidquid dixerant fratres nostri. Triduo post aut circiter obtulit se fratribus classis Gaiensis, ut sibi locus apud eos daretur. Hic cernitis hominis desperatam impudentiam, qui in coetu nostro bis aut ter asseruerat, sibi necessario ab omni publico munere supersedendum esse. Idem in senatu nostro confirmaverat. Statim conditionem ad portas ambit. Vos statuite, an tolerabile sit ministrum verbi Deo et ecclesiae mentiri in re tanta.

Quo se in fratrum Gaiensium favorem insinuaret, finxit se habere quaedam arcana quae in tempus opportunum differret. Privatim conquerebatur in aures singulorum, fratrem nostrum *Calvinum* sibi et cuidam sodali suo, qui cum eo nuper ad vos nescimus qua de causa profectus est, infestum esse quod parochiae cuiusdam possessiones a clarissimo senatu vestro emissent. Id improbissime ab eo fuisse confictum nos testes sumus, et res ipsa clamat. Verum longius multo perrupit. Berna enim reversus testimonium a senatu nostro quum peteret,[13]) multis et mordacibus calumniis nos impetivit. Senatus, id quod erat, iniquum fore ratus si nos ad purgationem non admitteret, triduo post eum adesse iussit.[14]) Nos quoque vocati sumus. Praefati nos minime voluntarium cum eo suscipere certamen, mirari nos diximus, quis eum genius incitasset, ut nos criminando meliorem suam causam existimaret se facturum. Tum omnia illa quae audistis ordine recitavimus, ut inde iudicium fieret. Nihil prorsus negavit, neque silentio contentus ingenti omnium stupore confessus est id totum esse verum. Iterum permissu senatus purgare nos coepimus a malevolentiae suspicione quam nobis absentibus inusserat: diluimus item calumnias quas nobis asperserat. Qua in parte servilis ingenii malitia apparuit. Testatus enim est coram senatu se absque ullius nota petere missionem, nec sibi in animo esse quempiam gravare invidia. Actis autem publicis multa continebantur quibus nobis odium conflare studuerat. Defensio nostra talis fuit ut nequissimus calumniator ab omnibus iudicaretur. Sed quid perferimus aliorum iudicia? Ipse obmutescendo se palam damnavit. Neque id modo, sed maxima ex parte vera esse omnia ultro annuit. Quia non adeo frequens erat senatus, reiecta fuit causa in hodiernum diem.[15]) Postquam introducti fuimus, senatus nobiscum expostulavit quod non citius ad se detulissemus talem causam. Facilis fuit et prompta excusatio: quod, quum fuissemus iusto humaniores, tamen accusaremur nimiae saevitiae: caeterum vel clementiam vel indulgentiam nostram nequaquam eo spectasse ut aleretur in suis vitiis, sed ne praecipitem impelleremus. Postea rogavimus uno verbo senatum ut testimonium ex actis publicis redderet clar. vestro Senatui.[16]) Quod se facturum non difficulter recepit.

Nunc superest ut ipsi quoque partes vestras impleatis. Non estis a nobis vel docendi vel monendi. Videtis quantum intersit communis concordiae, non contemni a vobis nostram ecclesiam. Et vos cordatiores iudicamus quam ut in ullius hominis gratiam malo exemplo calculum vestrum addere velitis. Unum est quod velimus a vobis impetratum: ne gravemini in senatu vestro summam huius historiae nostro nomine referre. Miseret nos quidem hominis prorsus perditi. Verum quoniam fieri aliter nequit, pereant qui tales sunt potius quam ut totam Dei ecclesiam perdant. Valete, amantissimi viri et fratris nobis carissimi.[17])

718.

CALVIN A M. DE FALAIS.

Compliments au sujet de sa convalescence.

(Orig. autographe. Bibl. de Genève, Vol. 194, fol. 23. — Ed. d'Amsterd. p. 37; Ed. Bonnet I. 137; Trad. angl. T. II. p. 12.)

A Monseigneur Monsr. de Fallez
a Strasbourg.

Monseigneur, iespere suivant ce que nous mandoit dernierement Antoine *Maillet*, que vous estes en meilleure disposition que de coustume, dont ie remercie nostre bon Dieu, le priant de vous confermer pleinement. Car ie ne doubte pas que la maladie ne vous ait laisse une longue queue de foiblesse. Mais celluy qui a commence a vous remectre au dessus, parfera, comme iespere, par sa bonte infinie, tant pour exaulser les prieres de ses

---

12) *Etiam senatus decreto:* attendu qu'il s'est mocqué de Dieu et de la Seigneurie.

13) *vide supra not.* 1.

14) *d.* 23. *Oct.* (*Reg. du Conseil fol.* 271.)

15) *d.* 26. *Oct.* (*ibid. fol.* 272 *v.*) *ubi etiam ex ore ministrorum refertur:* que suyvant lordre de leglise ils sont en deliberation den escripre aux predicateurs de Berne de la conversation et vie dudit Champereau, *quod manifeste ad hanc praesentem epistolam spectat.*

16) Surquoy a este resoluz que sus la lettre envoyee de Berne lon doybge fere responce *etc.* — 27. *Oct.:* la responce a Berne est lisue (*ibid.*).

17) *Diem epistolae natalem ex supra dictis, maxime not.* 15, *nullo negotio elicies.*

serviteurs que pour fermer la bouche aux iniques, a ce quilz ne prengnent point occasion de dire, que vous aiez este vaincu de leur tentation. Car vous scavez comme il ne leur fault pas grant couleur pour blasphemer. Or Dieu leur monstrera quil vous a dispose a recevoir encore de plus grans assaultz, si mestier est. Et ce pendant nous fera la grace de iouir plus long temps de vous a nostre singuliere consolation. Quant nous aurons nouvelles de par vous mesmes, elles nous resiouiront encor plus.

Sur ce, Monsieur, apres mestre humblement recommande a vostre bonne grace et celle de Madamoiselle, et vous avoir presente a tous deux les recommandations dune femme resuscitee, ie supplye nostre bon Dieu de vous avoir tousiours en sa saincte garde, multipliant ses graces en vous iournellement a la gloire de son nom. De Genefve ce 26 doctobre. [1])

Vostre humble frere, serviteur et entier amy,
Iehan Calvin.

719.

SULZERUS CALVINO.

Senatus Bernensis et ministri quid cum Champerello egerint. Nova ex Germania de bello Brunsvicensi.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 97.)

Viro praestantissimo D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae antistiti vigilantissimo fratri in Domino observandissimo suo.

S. Qui a vobis huc venit minister, [1]) quid coram senatu egerit, quamve causam sui discessus attulerit, non satis mihi constat, quippe qui insciis nobis magistratum adierit, a quo et schedam retulit iubentem specimen capere aliquod doctrinae hominis. Quumque per nos interrogaretur quaenam illi ratio constaret suscepti consilii, id respondit tantum, quod videret praesentiam suam paci obstare, idque eo maxime quod festos quosdam dies servandos censeret quos tu velles abrogatos: per caetera autem tecum satis, in dogmatibus saltem, convenire. Mihi, ut verum fatear, vehementer displicuit propositum hominis, itaque et senatui quo potui studio significavi, probari nobis non posse quod ageret, nisi adferret quum anteactae vitae tum missionis apud vos honestae testimonium. Verum quid postmodum magistratus censuerit, constare mihi non potuit. Neque omnino ex quoquam, quamlibet studiose sciscitatus, cognovi quidquam de te, praeter id quod scripsi magnopere quaestum esse. Scribere vero per eum ipsum ad te constitueram, nisi me insciente abiisset.

Germanicae res sunt, ut nunquam antehac in ancipiti statu. [2]) Nam *Brunsvicensis* adhuc Wolffenbüttel obsidere dicitur exercitu viginti millium bene instructo et feroci, qui et praedabundus fines *Lantgravii* depopulatus est, caedibusque et incendiis aliquot vicos replevit. Galli pecuniis *Caesaris*que consiliis, quamlibet tacitis, haec geri, cordati opinantur, et sunt coniecturae permagnae. Dominus autem hactenus adfuit, ne improvisa irruptio penitus nostros pessumdaret. Neque enim temerario ausu *Lantgravius* occurrere voluit, exemplo nimirum Tigurinorum monitus, sed instructo et bene numeroso exercitu ad opem ferendam obsessis processit, et castra iam fere castris adplicuit: id quod certis mercatorum literis accepimus. Ingenti vero exspectatione erecti sunt omnium per Germaniam animi ad eventum huiusce belli, quem certum est maximarum rerum momentum allaturum esse. Ecclesias ergo nostras ad preces hortamur et poenitentiam: quod et te facere nihil ambigo, uti adflictis rebus adsit misericorditer Christus ipse, qui solus verbo sedat maria frementia exitiumque minitantia. Vale. Haec cursim ad te scribere libuit. Salvos iube tuos symmystas. *Beatus* te salutat. Bernae 27. Octobr. Anno 1545.

T. Sulcerus.

720.

FARELLUS CALVINO.

Capunculi mors viro christiano digna. Iam ergo de successore cogitandum. Bellum germanicum. Etiam aliorum principum tricae Dei iram provocant.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium, Epp. Farelli fasc. III. N. 7.)

---

718. 1) *Pour l'année voyez la note du N.* 705.
719. 1) *Quin hoc ad Champerellum referendum, de quo plura in praecedentibus, non est quod dubites.*
2) *N.* 713, *not.* 8 *et qui ibi laudantur scriptores, apud quos de pecunia gallica similia leguntur atque hic.*

Doctissimo et fidissimo pastori ecclesiae Genevensis Io. Calvino fratri et collegae quam carissimo Genevae.

S. Hodie octavus agitur dies quod collega meus [1]) ad Dominum migravit, sub horam decimam noctis: sed impensius rogavit omnes fratres ut se inviseremus. Quod fecimus qui tunc eramus congregati. Ecclesiam omnibus diligenter commendavit, ut summo studio in ea laboraremus, iussitque ut hos qui in hac censentur ecclesia ad pacem et concordiam invitaremus, et suo etiam nomine eos rogaremus ut concordiae et paci studerent et sublata ecclesiae restituerent. Petiit veniam a fratribus non sine magnis suspiriis. *Ludovicus* [2]) diaconus nobis retulit quod iusserit flammis tradi ea quae in te scripserat, et de operibus Augustini, quae causa fuerant dissidii, voluit tuo arbitrio fieri quod tu censeres. Ego paulo antequam migraret ad Dominum avelli non poteram nec finem loquendi facere. Operatus fuerat Dominus mire in eo a censura quam tamdiu refugerat. Sed ab ea facta novus est factus, et tam frequens apud me, ut non parum studiis meis nonnunquam incommodarit, et indies mihi magis coniungebatur et cordatius pergebat in opere Domini. Hic Christus mirum nobis praebuit exemplum misericordiae, et patientiae ac longanimitatis insigniter hic voluit nos admonitos. Nunc super collega dispiciendum est. Is rogatus a fratribus *Tossanum* [3]) nominavit. Nescio an toties expetitus a nobis tandem veniet. Christus sua ingenti misericordia nobis adsit. De fratre meo [4]) nihil audio. *Claudius* [5]) Ambianis erat prima huius mensis. Sed tunc primum appulerat. De *Bunsuytiensi* [6]) tyranno existimo te tenere ut ditionem perditam intravit et occupavit praeter arces. Sed *Langravius* cum exercitu in tyrannum contendit. Pontifex uxorem *Delphini* spuriam pronunciavit. Hoc impellente *Caesare* factum putant ut filiam locet *Delphino*. Sic luditur. Dignus est orbis, quum verum Deum non agnoscat, hisce larvis ut prematur. Fratres te salvum esse iubent. Salvam etiam cupimus tuam coniugem, *Coppum*, *Galasium*, *Abelum*, et omnes qui ministrant, et caeteros pios, ne fratrem praeteream cum *Nicolao*. Neocomi 29. Octobris 1545.

Farellus tuus totus.

720. 1) *Capunculus obiit d. 22. Octob. De cuius ante mortem facta cum classi sua reconciliatione vide infra N.* 737.
2) *N.* 683.
3) *Quem paulo post Monsbelgardiam rediisse iam supra diximus. De successoris electione diu disceptatum, ut infra videbis.*
4) *Gaucherio, qui iam libertatem recuperaverat, quod tamen Neocomi et Genevae nondum innotuerat.*
5) *Claudius Farel, Guilelmi alter frater, qui a.* 1554 *castellum Senarclense prope Orbam sibi soluta pecunia redemit* (*Mém. de Pierrefleur p.* 322).
6) *sic! De bello Brunsvicensi vide supra.*

721.

CALVINUS VIRETO.

Petit ut causae viduae Gurini prospiciat, eumque ad nuptias invitat.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 86. — Apographa exstant Ionvillaei Cod. 111 a, fol. 30; Turretini Cod. 111, fol. 70; Bernense Epp. VII. p. 465; Simleri Vol. 52.)

Optimo fratri meo et fideli servo Domini Iesu Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori.

Rogavit me *Amadea Gurini* vidua, [1]) et serio a me contendit, imo quanto maximo potuit affectu, ut te suo nomine obsecrarem, ne graveris arbitros Bernenses sua causa appellare, eosque rogare ne patiantur mulieri piae et quietae omnique hominum praesidio destitutae molestiam ab homine astuto et improbo de certa possessione exhiberi. Causam eius partim nosti, partim ex *Rufo* eius genero melius intelliges. Nihil sane aliud video quam quod adversa pars impudenter ipsam fatigando aliquid tali improbitate vult ab ea extorquere. Si quis tibi aditus ad iudices pateat, peto abs te, quod tamen sponte facturum te scio, ut piae et honestae mulieri aliquid levamenti afferre studeas. Diem iam tibi condixi et *Farello*, quo utrumque hic esse oporteat, si digni vobis videmur, qui nuptias nostras [2]) praesentia vestra honoretis. Vale cum familia et amicis. Dominus vos conservet. [3])

Ioannes Calvinus tuus.

721. 1) *N.* 713, *not.* 9; *N.* 715, *not.* 5.
2) *Quas nuptias instantes dicat nobis non constat. De nuptiis Ant. Calvini (ut volunt qui infra laudantur) cogitari non posse quae iam a.* 1542 *celebratae fuerant, certissimum.*
3) *Hanc epistolam Viri docti Turretinus in Cod.* 111 *et Simlerus ad a.* 1542 *referunt et quidem mensem Octobrem, quare apud hunc Vol.* 52 *inserta est. Verum mense Octobre* 1542 *Farellus apud Metenses versabatur, et Gurinus ipse, quisquis fuerit, adhuc in vivis erat quo tempore ille Metim proficiscebatur* (*N.* 419), *quid quod nuperrime obiisse videtur* (N. 713 *l. l.*) *ita ut viduae res iam pluribus hoc ipso tempore tractari debuerint. Neque serius haec scripta fuit, quam quo tempore eam exaratam hic coniicimus, quum eo ipso tempore mulier illa Copo desponsata fuerit* (711) *imo potius ineunte hoc mense. Si quid videmus nuptiae illae Copi fuerunt adeoque haec ep. ante* 711 *ponenda.*

722.

CALVINUS FARELLO.

Collegam eius non nisi correctum decessisse gaudet. Etiam alibi nonnulli defuncti. De bonis ecclesiasticis usque frustra disceptatur. Gaucherius adhuc in discrimine versatur. Conspiratio tyrannorum metuenda in pios coeuntium.

(Autographon exstat in Cod. Genev. 106, fol. 143. Edidit Beza Gen. p. 56; Laus. p. 137; Hanov. p. 154; Chouet p. 73, Amst. p. 83.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Guillielmo Farello Neocomensis ecclesiae fido pastori fratri et symmystae carissimo.

S. Ergo tibi utilis coeperat esse collega,[1]) ut statim abs te discederet. Sed haec ingens erga eum Domini misericordia et beneficium etiam in vos non parvum, quod eum hinc ad se recipere noluit nisi correctum: et providet ne quod vobis praeiudicium apud improbos afferret eius obstinatio. Si *Tossanus* succedet, aliquanto plus tibi erit ab eo levamenti. *Marcurtius* paralysi correptus decumbit. *Antonius* Armentiacus[2]) nobis ablatus est, summo bonorum omnium dolore. Ioannes quoque *Camerius* Biturix ex eadem classe. Intellexi ex hoc fratre vos litigare adhuc cum sacrilegis. Hic scortatores et huius notae homines nos exercent. Sudamus autem non magno profectu. De bonis ecclesiae in verum usum hic restituendis, ego despero. Concedunt quidem satis liberaliter: sed nihil efficitur. Iam saepius frustra magnos labores exhausi. Dico: denuncio. Hoc tantum consequor, ne videar silentio approbare. De fratre *Gaucherio*[3]) exspectabimus Dei voluntatem. Egeram tuo nomine gratias *Bucero*, et iterum stimulaveram, ut iusseras. Hoc praecipuum est, quod vita eius est in manu Domini: nec exposita erit libidini impiorum, donec ille volet. Si verus est rumor ille de novis Delphini nuptiis, idem nobis brevi imminet. Neque enim multum relaxationis hic nobis dabitur, si semel nefanda conspiratio duorum tyrannorum[4]) coierit. Ego de vita mea non sum sollicitus: modo ecclesiae suae Dominus prospiciat. De Brunsvicensi audieram, sed iamdiu nihil ex Germania literarum venit. Vale, frater integerrime et mihi amicissime, cum tota tua familia, quam meo nomine diligenter salutabis. Dominus vos istic servet ac regat spiritu suo. Salutant de omnes amici, *Copus*, *Abel*, *Gallasius*, *Nicolaus* cum domo sua, uxor mea. Fratribus salutem plurimam. Genevae, 6. Nonas Octob.[5]) 1545.

Ioannes Calvinus tuus.

---

722. 1) *Capunculus.*
2) *Decanus in agro Sabaudico* (*N.* 234). *De hoc et caeteris vide etiam sequentem.*
3) *Edd. male:* Gansperio, *v. N.* 720, *not.* 4.
4) duorum tyrannorum *om. edd.*
5) *Edd. quidem habent* 6. *Nonas Octobr. Verum nisi hic Bezae fuerit error Calvinum memoria lapsum dixeris oportet. Capunculus enim non ante mensem Octobrem vergentem mortuus est. In nomine mensis ergo erravit et quum secundus dies ageretur simul falsum fecit computum. Dies a. d.* 6. *Nonas Nov. nullus est: scribere debebat a. d.* 4.

723.

CALVINUS VIRETO.

Simonem commendat denuo, cui munus ecclesiasticum credatur. Variorum recentem obitum partim dolet partim simpliciter commemorat. Uxor decumbit.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 142, coll. c. exx. Ionvillaei Cod. 196, fol. 81; Turretini Cod. 111, fol. 127, et Bernensi Epp. VII. p. 730. Simlerus praeteriisse videtur.)

Optimo et doctissimo viro Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et amico carissimo.

S. Quando *Barbarinus* Orbae est,[1]) videbis num illic *Simoni*[2]) locus esse possit. Nam quia *Campanus* spem illi forte iniecerat, mihi non desinet molestus esse donec aliquid fuerit perfectum. Quanquam non ut aliquid fiat postulo, verum ut deliberes num expediat. Rem tenes: inde facito iudicium. In hac bonorum paucitate utendum est non perfectissimis. Scripsi quod sentiebam de hominis ingenio, doctrina et dexteritate. Una est nota illa quae illi obesse potest. Verum quia indicatum ex suspicionibus duntaxat, tu expende num utile sit eum promoveri. Saltem mihi significa quid respondeam. De morte *Capunculi* audisti, opinor. *Marcurtius* ex paralysi decumbit.[3]) Plus aliquanto damni accepimus in *Antonio* Armentiaco et *Camerio.*[4]) Sed aequum est nos mori Domino, qui pro nobis mortuus est prior. Uxorem meam vexat febris quotidiana. *Textor* abest iam fere sesquimensem. Neutrum ex reliquis audeo accessere. Pudet enim. Et vereor ne sint tardiores. In collega deligendo te totum occupatum esse arbitror. Dominus tibi aptum adiungat.

---

723. 1) *in itinere aliquo scil., non mansurus. Certe ap. Pierrefleur mentio eius non fit ut ministri.*
2) *N.* 713, *not.* 3.
3) *nuperrime ut videtur apoplexiam passus, nam d.* 16. *Oct. Senatus Genevensis eum adhuc exceperat.*
4) *N.* 722.

Vale una cum uxore et familia. Nostri te salutant. Fratribus etiam dices nomine meo plurimam salutem.[5])

Ioannes Calvinus tuus.

724.

VIRETUS CALVINO.

A Neocomensibus Capunculi successorem iam electum dicit, id quidem satis praemature. Comes tandem aliquando munere se abdicavit. De cuius successore ipso inconsulto agi videtur.

(Ex autographo Cod. Genev. 111ª, fol. 151.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori vigilantissimo fratri et amico quam carissimo.

Genevae.

S. De *Deotheo*[1]) nihildum certi a nobis constitui potuit. Speramus tamen brevi id futurum. *Erasmus* a Neocomensibus admissus est loco *Corderii*, quo fit ut spes omnis de eo sit adempta. De morte *Capunculi* et eius insigni poenitentia, et quam amico in te et fratres omnes animo hinc ad Dominum migrarit, arbitror te audivisse. Proximo Iovis die opinor successorem fuisse electum a Neocomensibus. Quis sit, nondum satis novi. Suspicor tamen *Tussanum* esse, si eo trahi possit: aut, si eum revocat suus comes, audio Neocomenses habere in animo unum aliquem petere ex Bernensi agro.

De *Comite* nostro non habemus quod conqueramur. Se ministerio exuit ut se facturum receperat. Res transacta est nullo negotio. Proinde serio nobis cogitandum erit de successore et collega, qui sit eiusmodi ut non sit perpetuo mihi illud occinendum: Utinam mihi collegam dedissetis aut non dedissetis. Quod si haec deliberatio succedat ex voto nostris senatoribus, ne dubita mihi futurum collegam prorsum ei dissimilem quem hic locus postulat, cuius voti insigne specimen ipsi iam ediderunt. Adeo enim sunt solliciti de ecclesia,[2]) de meis laboribus, quibus gravor supra vires, ut iam ipsi de adiungendo mihi collega non solum deliberarint, primum in publicis diversoriis, deinde in suo senatu, sed etiam id efficere conati sint missa Bernam legatione quae impetraret quem ipsi me inscio et inconsulto sibi delegerant, idque adeo diligenter ut paene prius responsum a Bernatibus acceperint, quam *Comes* huic senatui valedixisset, me et *Ribitto* praesentibus. Nam id egit die Iovis proximo. Literae autem Bernatum mihi die dominico sequenti redditae sunt, sed quales legatus impetrare noluisset. Eum poposcerant quem et Lustriacenses, sed prudens senatus nihil prius statuere voluit quam classis hac de re deliberasset et ministrum elegisset qualem ecclesiastica disciplina exigit, quod literis honestissimis et amicissimis nobis significavit: quae mihi primum ut decano redditae sunt a civium magistro et altero senatore cum honorifica excusatione. Qualis autem esse potuerit in tam praeclaro eorum facinore, tu ipse coniice, ac simul cogita et scribe quid mihi faciendum esse putes, et quem iudices nobis aptiorem futurum, et qua via occurrendum sit malis hominum studiis. Non disputo de homine quem mihi obtrudere conati sunt, sed de via. De *Tussano* vides quid sit sperandum, et de *Farello* satis coniicis.[3]) Arbitror, metu quem de *Farello* conceperant aut severiore aliquo pastore, nostros voluisse electionem nostram praevertere. Non enim obscurum est quid cupiant. Optarim, ut scribis, tecum congredi et colloqui, sed omnis mihi occasio adimitur. Non possum hinc facile abesse. Spero nos brevi legationem Bernam missuros multas ob causas, suspicorque fore ut eligar, nisi aliquis magis idoneus invenir possit. Vide igitur si quid habes illic curandum per eum qui mittetur. Quod scripseram de *Amata*[4]) non ideo scripseram ut tua abuterer opera in re tam frivola. Solum consilium petebam, num deberem repetere, quia viduae me miserebat. Proinde cupiebam rescire quo in statu essent res eius. Nostri te omnes vehementer salutant. Saluta amicos et symmystas tuos, nominatim uxorem. Mea te plurimum salutat et se tuis precibus commendat. Vale. Lausannae, 3. Novemb. 1545.

Tuus P. Viretus.

---

5) *Scripta fuit sine dubio eodem die atque praecedens ad Farellum, in qua ex parte eadem iisdem verbis referuntur. Idem efficies ex sequente Vireti quae de morte Capunculi ita ad Calvinum, ut videas hanc nostram de eadem loquentem nondum Lausannam pervenisse quum illa scriberetur. Etiam de Comitis abdicatione, quae a. d. III. Nonas Nov. facta est nihildum Genevae innotuerat.*

724. 1) *N.* 715, *not.* 1 *ubi etiam de Erasmo Cornerio. Cf. N.* 713, *not.* 6.

2) *Scilicet aliquem habere cupiebant qui circa disciplinam ipsis commodior, Vireto et Farello moderatior foret. Vocarunt Iacobum Valier ex Albona* (*Ruchat* V. 297).

3) *De Farello Lausannam vocando nuper saepius* (697. 706 *etc.*)

4) *alias Amadea Gurini vdua* (713. 715. 721).

725.

CALVINUS LIBERTETO.

Recitat factum cuiusdam Carinodi qui cum puella rem habuisse videtur eamque post abortum in Sabaudiam transvehi curaverat. Is requirendus et iudici sistendus.

(Ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium.)

Optimo et doctissimo viro Christophoro Fabro Tononiensis ecclesiae pastori fidelissimo fratri et symmystae carissimo.

S. Est hic civis unus ex primoribus cuius ancilla, gravida quum esset, clam aufugit. Postea indicatum fuit Rolae esse. Illuc misimus. Inventa fuit partui vicina et paulo post abortum fecit. Quum praefectus loci rogatu nostro instituisset quaestionem habere de adulterio, imposita fuit in navem et versus praefecturam vestram traiecta. Id factum fuit a *Carinodo*. Vides hic Deum ludi. Nunc si velitis operam nobis vestram commodare, nullis artibus tantum proficient, quin tandem veritas patefiat. Vocandus erit *Carinodus*: denunciandum ut puellam adducat, alioqui actum iri adversus eum de raptu. Quum enim constet navi fuisse ab eo impositam, si nusquam appareat, non caret res gravi suspicione. Quis enim scit an proiecta fuerit in lacum? His terriculamentis obiectis forte permovebitur ut eam repraesentet. Sin minus, adulterii cum eo agendum erit. Puella enim se ab eo gravidam esse dixit. Nisi ergo velit crimen suscipere, exponat cuius sit. Ipse puellam Rollae deposuerat: inde abduxit. Dicat a quo sibi commendatam, aut in cuius gratiam hoc fecerit. Verum celeritate et summa diligentia opus est. Fac ergo ut primo quoque tempore certi aliquid resciscamus. Nisi enim compertum fuerit hoc adulterium, posthac omnia Genevae impunita erunt. Vale, frater et amice integerrime, cum uxore et *Hanna*. Uxor mea vos omnes salutat, quae luctatur cum febri quotidiana. Genevae, 3. Novemb. 1545.

Ioannes Calvinus tuus.

726.

CALVINUS VIRETO.

Lausannam usque excurrere vel ad paucas horas in votis est. Novum cum Macrino negotium. Carmelita Lugdunensis denuo adest Genevae.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 146, coll. c. exx. Ionvillaei Cod. 111ᵃ, fol. 39 v.; Turretini Cod. 111, fol. 127 v.; Bernensi Epp. VII. p. 731, et Simleri Vol. 58.)

Optimo fratri meo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fidelissimo et doctissimo symmystae carissimo.

Utinam hinc mihi ad triduum evolare liceat, ut tres saltem horas inter nos colloquamur. Conabor ergo me extricare: sed nihil promittere audeo. Miratus sum in tuis literis nullam mearum fieri mentionem, quas tibi reddere debuerat quidam Delphinas qui se dicebat fuisse Francisci *Marterelli* contubernalem.[1] Si fefellit, doleo. Exemplar enim epistolae ad Bernenses ministros scriptae illis incluseram. Nunc est nobis cum *Macrino* negotium, cuius causam senatui delegavimus. Facile nobis erit eum extrudere. Si non fecerimus, vereor ne serpentem foveamus in sinu. Statuimus eam moderationem tenere ne appetere videamur eius abdicationem. Qui te collegam voluerunt obtrudere, eadem opera quin te abigere voluerint, mihi non est dubium. Quum electus fuerit aliquis, erit tibi iusta et plausibilis conquerendi ratio. Scis quis huc nuper appulerit? Carmelita Lugdunensis.[2] Et quidem bene tinctus *Quintini*[3] philosophia, quantum ex uno specimine hesterna congregatione edito coniicimus. Quanquam adhuc nihil praeter coniecturam. Propius considerabimus, praesertim moniti. Vale, frater et amice integerrime, Dominus te et uxorem servet, cui et amicis omnibus salutem plurimam dices. Genevae, 7. Novemb.[4])

Ioannes Calvinus tuus.

727.

SACHINUS CALVINO.

Cupit eius sententiam audire de foenore et usuris.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 14.)

D. Ioanni Calvino fratri in Domino in primis observando.

Amicus quidam meus et genere et opibus clarus, sed pietate ac fide multo clarior, nuper me

---

726. 1) *N.* 716 *ubi etiam de Macrino.*

2) *Hunc Simlerus Stancarum Mantuanum fuisse suspicatur, postea famosissimum. Laudat in hunc finem Calvini ep. N.* 724, *et Hottingeri KG.* (III. 762). *Verum apud neutrum quidquam ad rem. Carmelita iste nobis notus est ex N.* 395 *et* 397, *eundemque nisi fallimur apud Mariam reginam Bruxellis versantem habuisti* (*N.* 618). *Nomen eius proprium nusquam apparet.*

3) *in libello contra Libertinos passim notati.*

4) *De anno constat ex collatis epp. supra laudatis.*

rogabat an sibi per conscientiam liceret summam pecuniariam apud trapezitas deponere, a quibus quotannis nonnihil perciperet emolumenti, idque principali (ut vocant) semper salvo. Ne vero homini, velut de re certo apud me constituta, secure responderem, obstabat edictum illud divinum quo saepius cavetur de pecunia fratri ad usuram non foeneranda. Videtur enim scriptura ubique fere piis omnibus usura interdicere, nominatim vero psaltes,[1]) quum beatum praedicat qui pecuniam suam ad usuram non dedit. Urgebat item veterum doctorum et maxime ecclesiasticorum contra usurarias eiusmodi pactiones uno prope consensu prolata sententia. Et inprimis Ambrosii solenne dictum, qui ex auro non vult aurum nasci. Ut interim taceam vulgatam iurisperitorum regulam, qua quidquid sorti accedit usuram censent, eoque nomine Christianis prohibitam. Quod quum ita sit non desunt tamen ex recentioribus nonnulli, et ii quidem evangelii professores, quibus non omnis displiceat foenoris ratio. Quin potius honestam quandam usuram constituunt quae christianos demum homines haud omnino dedeceat. Quod autem ad scripturarum oracula de usuris attinet, non adeo stricte intelligenda censent, quin aequi ac boni, praeut caritatis lex praescripserit, ratio sit habenda. Eam enim vetitam esse usuram quae in fraudem proximi ac grave detrimentum vergit. Ego vero etsi posterioribus istis iure multum tribuo, plus tamen apud me valet divinae scripturae autoritas, quam ut vel doctissimorum hominum praeiudiciis ab ea ipsa (si tamen in contrarium nitatur) abduci me patiar. Porro quum te, optime *Calvine*, in sacris literis apprime exercitatum intelligam, ea de re amico avide stipulanti me ad te relaturum promisi. Itaque quo fidem meam liberem, oratum te unice velim ut sententiam tuam paucis ad nos scribere non graveris. Feceris sane homini pio ac veritatis flagrantissimo rem inprimis gratam, et aliis quibusdam forte necessariam. Caeterum qui hasce suscepit perferendas de gravi suorum clade (nisi eam mature Dominus averterit) nos hodie commonefecit. Causa profecto communis piorum omnium suffragia meretur. Tuae caritatis fuerit perpendere quantum illis consilio atque opera commodare possis. Bene vale, frater plurimum venerande. Dominus Iesus sanctum tuum ministerium in suam gloriam indies illustrare pergat. E villa nostra Aneriana 7ª Novemb. 1545.[2])

Tuus in Domino frater
Cl. de Sachins.

---

727. 1) *Psalm.* 15, 5.
2) *Epistola haec Calvino occasio fuit conscribendi consilii sui de usuris quod inseruimus Opp. Tom. X. p.* 245. *Quod quidem amicis quibusdam plurali numero scriptum dicit, sed ipse Sachinus (quem iam ad C. scribentem obvium habuisti N.* 414) *alius cuiusdam nomine Nostro hanc quaestionem proposuit. Etiam argumenta quae subinde in illo consilio discutiuntur ea sunt quae iam hic passim attingit. Sic tractat inter alia Ambrosii sententiam, et locum Psalmi, quem etiam in commentario suo in hunc finem ventilat, ibi etiam propius ad Sachini sensum accedens, singula tamen, ut solet, methodice exponit.*

728.

VIRETUS CALVINO.

Curae ipsum premunt non mediocres circa collegam in Comitis locum sufficiendum. Propediem Bernam legatus proficiscetur de his et aliis ibi acturus. Orbae electio facta. Simonis et Deothei spes dubia adhuc quoad munus Lausannense.

(Ex autographo Cod. Genev. 111ª, fol. 152.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori vigilantissimo fratri et symmystae quam carissimo

Genevae.

S. Intellexisti ex postremis meis literis, quas a *Combaudo*[1]) accepisti, quid nostri conati sint ut mihi collegam accerserent ex sui animi sententia. Quid de hac re tota ad me *Sultzerus* scripserit[2]) et sentiat, ex eius ad me literis intellige: quas ideo ad te mitto ut legas et super toto hoc negotio tuum mihi consilium diligenter et quam poteris ocyssime perscribas. Non enim res est parvi momenti, nec de minimis deliberatio, quod nihil opus est ut apud te exaggerem. Probe enim nosti quid ecclesia haec postulet, et quantum non huic solum sed reliquis omnibus in tota hac provincia periculi immineat, si parum idoneus mihi collega adiungatur. Proinde te obsecro ut primo quoque tempore tuam mihi sententiam significes et rationes exponas quas nostris hominibus probabiles et aequas fore censueris, quibus me opponere merito debeam, si quid tentetur praeter ecclesiasticam disciplinam et quod ecclesiae incommodare possit. Intelliges, opinor, quam periculosum sit nostris hominibus assentiri, et quam invidiosum dissentire ac refragari. Praecipua tamen erit habenda Christi et eius ecclesiae ratio quae mihi anima carior est. Electus sum a fratribus ut Bernensi legatione fungar, sed non solvam hinc ante 15. huius mensis diem. Fac igitur ut intra hoc temporis spatium tuae mihi literae reddantur. Nam dum ea curabo quae mihi a fratribus commissa sunt, eadem opera cum viris bonis et amicis conferam de adiungendo mihi collega, ut sanctius et minore molestia peragi possint quae in rem futura

---

728. 1) *N.* 710.
2) *Epistola haec non exstat.*

sunt ecclesiae. Vides quo inclinent ministri Bernenses. Idcirco optarim hac de re tuam scribere ad *Sultzerum* sententiam, apud quem non dubito literas tuas pondus et autoritatem habituras, idque effecturas ut minore graver invidia. Ne igitur scribere pigeat pro re tam seria. Remitte simul cum tuis literis *Sultzeri* epistolas quas ad te misi. Si quid habes quod per me Neocomi aut Bernae curari possit, in tempore significato. Nam Neocomo iter facere constitui. De *Deotheo* scribe quid mihi faciendum putes, et si alium Argentina evocandum curaris. Nam si spes vobis adhuc aliqua de eo superest, tentabo quod potero. Nam id quoque fratribus aequum censetur. Sin nulla spes superest, aut alia ratione scholae vestrae prospexeris, dabimus operam ut *Corderio* adiungatur,[3]) si possumus quod cupimus impetrare, et cuius maxime causa Bernam a fratribus mittor. De *Simone*[4]) quid plane scribam nescio. *Barbarinus* non est datus Orbanis, sed *Robertus*, ut audio, senex ille[5]) de quo alias ad te scripserat *Farellus*. Ego vero de *Simone* nihil statuere possum. Tota ea res pendet ex classis Iverdunensis arbitrio, ac praecipue *Roberti*, cui adiungendus est qui diaconum et ludimagistrum agat. Si Simon hic apud nos egisset fortasse nobis locus aliquis in eius electione fuisset: sed ego nihil possum. Si *Campanus* ei spem aliquam fecerit, iam nunc alius est rerum status. Non est ergo quod te aut me arbitretur quidquam obstitisse quominus vocaretur. Quum haec scriberem rediit Berna *Theofredus*, qui mihi narravit quod habuisset colloquium cum *Sultzero* de eo huc advocando de quo ad me scribit. Totus in hoc erat, nec dubito quin omnem cum collega moveat lapidem id ut mihi persuadeatur efficiaturque. Ego si modo non mutet Deus mihi animum, nihil in cuiusqnam gratiam aut odium facturus sum, nisi quod bona conscientia censuero ecclesiae commodum. Sed ne solus repugnare videar, iterum te obsecro ut serio hoc argumentum tractes, et moveas hominem ut ecclesiae potius consulere studeat quam privatis quorundam affectibus. Doles vicem uxoris tuae, cui meo et uxoris nomine salutem dices. Te nostri omnes salutant. Vide ne mihi hac in re desis quam abs te postulo. Quantum ex literis et colloquio *Sultzeri* assequi possum, non videtur *Farellus* ipsis admodum gratus qui mihi adiungatur. Gratior est alter, unde coniicere potes quo ducamur spiritu. Spero *Combaudum* hac hebdomade rediturum huc, per quem scribere poteris. Si is deest, te oro ut expeditum et peculiarem potius nuncium mittas, ut quid sentias intelligam. Salutant te *Corderius*, *Coelius*, *Ribittus*, *Humbertus* et reliqui omnes, cum tuis symmystis. Vale. Lausannae, 8. Novemb. 1545.

Tuus P. Viretus.

3) *Quod paulò post factum est* (*N.* 731).
4) *N.* 633, *not.* 8. *N.* 702, *not.* 3 *etc.*
5) *Cf. N.* 672, *not.* 3.

729.

POLLANUS CALVINO.

Scribit contra Lovanienses theologos. Mediomatricum et Vesaliensium negotia pluribus tractat, addit nova de Calvini privigno, de Rihelio, Bucero aliisque non paucis.

(Ex autographo Cod. Goth. 405, fol. 94.)

Praestantissimo theologo evangelii Christi assertori praecipuo D. M. Ioanni Calvino magistro ac patri in Christo colendissimo

Genevae.

S. P. Vix datur scribendi quae velim tempus. Attamen piaculum foret si oblatam opportunitatem negligerem. Iam etenim valde impedior, dum ad iter quantum possum me accingo, et in articulos Lovaniensium[1]) scholia scribo in gratiam nostrarum heroidum.[2]) Ita enim visum est, postquam a parentibus missi sunt, illi responderi. Idque totum illarum nomine. Dominus det ut aliquid inde accrescat suae gloriae atque ecclesiolae. Si dabitur ante abitum describendi tempus, mittam ut iudices. Nam de Mediomatricibus quae institueram,[3]) etsi non omnino impediri, attamen differri in proximum ver video. Et nescio quid moliri illos cum quodam *Davide*, qui hic est socius nostri *Garnerii*, Iacobus *Kolte* * mihi narravit. Itaque et finem huius consilii experiri certum est, quum praesertim alio iam vocet Dominus. Audisti de Vesaliensibus nostris,[4]) quae sint illis cum Germanis eadem in urbe dissi-

729. 1) *Anno* 1544 *vergente isti Parisiensium exemplum sequuti* 32 *theses contra doctrinam et fidem evangelicam ediderant, quae et germanice impressae sunt a.* 1545. *Cf. Raynaldi* Annal. eccl. *f.* 231. *Gerdesii Hist. Ref.* III. *mon. p.* 87. *Nuper m. Septembre Lutherus libellum prodire iusserat Wittenbergae:* Wider die 32 Artikel der Theologisten v. Loewen (*Walch.* XIX. 2250. Erl. D. W. 65, 169). *Cf. Sleidan.* II. 872. *Seckend.* III. 589 *et supra N.* 618, *not.* 4.
2) *mulierum belgicarum ob religionem exsulum.*
3) *De his etiam N.* 659.
4) *Fugerant hoc anno sat multi Galli ex Belgio Vesaliam, maxime textores, habebantque suum pastorem Ludovicum* (*Louis*): *a magistratu benigne recepti superintendenti Lutherano Buschio confessionem orthodoxam exhibuerunt* (*Wolters, Ref. Gesch. d. Stadt Wesel p.* 108 *ss.*).

dia, eaque pro caeremoniis quibusdam admittendis in administratione coenae. Et hic utrinque peccari video. Nam ut de illis taceam qui sic res medias urgent, nostri hic, dum pertinacius omnia damnant, probari omnino non possunt, qui tamdiu se sacramentorum usu privent ut etiam verear nimis spirituales sint quidam qui haec corporalia (sic enim vocant) parvi pendant. In eo autem graviter reprehendo quod etiam iure iurando receperint opinionem illam impanationis contra conscientiam. Ita enim novi quid illi hac in parte sentiant longe diversum ab eo quod receperunt. Proinde quum ante aliquot hebdomadas scripsisset illius ecclesiae minister ad nostros, remque cum D. *Bucero* et P. *M.*[5]) contulissem, neque illi aliud haberent consilii quam ut ipse proficiscerer, facturus periculum num aliquid a *Nicolao*,[6]) qui est Germanorum superintendens, impetrare possim, saltem ut sine casula, quam vocant, et aliis huiusmodi rebus, tantum veste alba, quam superpelicium vocant, possint coenam celebrare, deinde in cantu servare quae a nostris ecclesiis servantur: hoc illis, imo non illis sed ecclesiae, sed Christo, negare non potui. Mallem omnino nostrum ritum imitari. Sed fortasse ne tanta rituum dissimilitudo in urbe dissidium excitet, maxime ubi non magna, imo nulla, intercedit animorum coniunctio, quos etiam plus satis distraxit haec contentio, non levis cautio est. Optassem hic tuum consilium dari, sed ita urgeor ut exspectare non possim. Attamen si placeret tuam super hac re sententiam scribere, et ad ecclesiam nostrorum aliquid consolationis et consilii adiungere, valde opportunum esset. Et spero in tempore posse reddi, si primo quoque tempore mittas ad D. *Phalesium*, qui curabit statim ad me perferri. Et si quid velis ad piae memoriae D. *Davidis* sororem,[7]) quam antequam redêam convenire institui. Sed vide ne cui verbum facias hoc ex me rescisse: imo in literis tuis ad me sic scribes quasi tantum de Vesaliensium negotio intellexeris. Si Dominus adfuerit, uti spero et precibus nostris futurum confido, spero magnam laetitiam ecclesiae reportaturam. Iam videor utcunque literis satisfecisse, nisi quod longam narrationem singularium rerum texere vetat puer, qui literas etiam e manu abripit.

Tetzschium[8]) hodie conveni. Is per *Conradum* te certiorem de omni negotio fecisse respondit. Postulantur ad 18 aut 20 cor. Si quid minus erit, ad te redibit. Pro his ille fideiussit. Puer autem est Coloniae: quem si ibi invenero ut spero, ita tractabo ut filium D. *Cal.* advenisse intelligat. Non tamen remissurus sed reducturus sum. Nam spero hanc in reditu commoditatem ut vel equitet vel vehatur curru, ut fortasse mecum postea ad vos hinc eat. Nam pro Metensibus omnino, priusquam aliquid inceptem, aliquo tempore tecum esse institui, ut confirmare in nonnullis rebus iudicium possim.

Wendelinus negat posse quod petis de commentariis ad Corinth. praestare.[9]) Si per nostrum *Bald.*[10]) misisses, nihil erat facilius. Sed in sequentes nundinas poterit res perfici. Et simul in utramque, quod multi optant. Nunquam puto quidquam ardentioribus votis expetitum. Omnes docti, quoties me conveniunt, rogant, quando tandem illa commentaria sint habituri. Dicam aliquid: vos parum sapitis, dum ita permittitis vos a Satana rapi ad alia, non contemnenda illa quidem, sed tamen non tam utilia quam esset eiusmodi scripturae tractatio. Idem dolent et queruntur de *Buc.* omnes pii et docti. Sed quid ego? Vide, mi pater: sic loquor quum mihi de Christi gloria et ecclesiae aedificio aliquid persuadeo. Vellem enim *Cal.* semel hoc in animo destinasse nunquam interquiescere, donec perpetuos in epistolas Pauli, deinde in Prophetas, deinde in reliquos libros sacros scripsisset commentarios. Deus bone, quantum illa iuvarent ecclesiam! quantum ad gloriam Christi facerent! quam non abolendam immortalitatem compararent! At interim, dum apologiis et nescio quibus impedimur, scribimus certe nec otiosi sumus, sed illa peti ex commentariis, imo iam ex illo divino et incomparabili Inst. libro eiusmodi possent. Essent magis conspicua, et frequentius ac diutius, imo aeternum, in manibus hominum versarentur, quum alioqui videamus alterius generis scripta fere temporanea esse. Hanc licentiam liberius tecum loquendi si mihi iam usurpo, condonabis desiderio gloriae Christi.

De iuvene illo hodie cum D. *Buc.* egi. Eum habebit commendatissimum. Ego adhuc non vidi, sed priusquam hinc discedam cognoscam. Et si opus sit ipsi etiam *Falesio* commendabo.

Quid praeterea scribam? Belli cum *Brunsvicensi* historiam D. *B.* missam dixit.[11]) Rumores qui hic de *Imp.* sparguntur, quam veri sint nescio. Ego illinc ad te scribam quaecunque cognovero: modo etiam tu mei non obliviscare. D. *Saxon.* apostolus narravit D. *Fal.* nescio quid turbae ex-

5) *Petro Martyre Vermilio.*
6) *Buschio supra laudato, proprie Clauss v. d. Busche, qui et scholae rector fuit.* (*Wolters l. l. p.* 83. 97.)
7) *N.* 701.
8) *Cf. N.* 635 *et* 690. *Hic quoque mentio fit privigni Calvini, nec minus obscure quam supra. Conradus quem hic laudat nullus nisi Hubertus esse potest.*

9) *Prodierunt anno sequente apud ipsum Rihelium.*
10) *De Balduino tunc temporis Argentorati commorante v. N.* 709.
11) *De Buceri historia belli huius loquitur etiam Viretus infra N.* 731.

citatum, ita ut summo mane urbem cum uxore familia et tota supellectile reliquerit. Sed D. *Ph.* [12]) intercessit et spes aliqua est reditus. Orandus Dominus ne gravius aliquid accidat.

Conterraneum illum tuum non novi, nisi is est qui apud nostrum *Henricum* habitat, vir doctus et pius, qui quondam in collegio Navarrae docuit. Illi uti spero, iam prospectum per me erit. In id enim contendo ut ad *Palat.* vocetur quem spero brevi suam Academ. [13]) instauraturum. Noster *Eustath.* apud illum est, ibique medicinam profitetur. Ego fortasse locum haberem. Sed non facile me adstringo, nisi videam exitum huius rei apud Mediomatrices. Deinde alicubi forte exorietur ecclesiola quae *Cal.* opus habebit. Sed quia id adhuc valde obscurum et infirmum, praetereo. Dominus omnia nostra dirigat, teque quam diutissime suae servet incolumem ecclesiae. Stans pede in uno. Argent. 1545. 16. Cal. Decemb.

T. P. observantiss. in D. filius et discipulus Valerandus Pollanus.

Etsi valde urget puer, tamen non potui praetermittere quin te monerem, etsi res videtur levicula.

Baptista noster ante aliquot menses fidem dederat cuidam viduae quae *Petro* [14]) nostro in vinculis Tornaci servivit. Sed quia is laborat, uti audisti, mania, irritata est fides a nostris patribus et magistris. Ad vos mittitur ut, num mutatio aeris illi aliquid conferat, periculum faciat. Valde dolet, hic multa sic affectibus donari. Volui te monitum ut, si quid audias, ne temere cuivis credas sed iudicium suspendas. Habet lucida intervalla, nec tum quum fidem daret laborabat, et saepe postea sanus approbavit: imo etiam tota ecclesia sollicitavit ut concederetur illam ducere.

Raymondo [15]) libens scripsissem. Sed quia nuper ita scripsi ut videar literis eius respondisse, iam supersedebo. Itaque, si dabitur occasio, me excusabis. Salutem opto sanctissimae tuae coniugi, D. *Copo*, etiam *S. Andr.*, *Maldonado* et caeteris fratribus et symmystis. Miror quod in tanta ministrorum penuria hunc *Petrum* macilentum quendam satis procerum dimiseris. Is nuper apud nos fuit, et apud nos ita versatur ut cum laude omnium. Hortatus sum ut hac hyeme tuas Institutiones cum textu biblico legat diligenter, postea in reditu cognoscam num sit loco aliquo dignus. Nam scio hodie quam pauci digni, quanquam ambitiose plurimi in ecclesias Christi irrumpant. D. Iesus servet nos ab omni scandalo. Orate pro me. Ego pro vobis. Ecclesiam Vesal. publice et privatim vestris precibus commendo. Oro ne praetermittas ad me scribere de Vesaliens. Heroides nostrae rogarunt ut quum ad te scriberem salutem ipsarum nomine ascriberem, et tibi et coniugi.

12) *Hic Melanthonem innui suspicamur, nam de negotio aliquo in Saxonia gesto dicere videtur.*
13) *Heidelbergensem.*
14) *Brusly.*
15) *N.* 535 *et* 577.

730.

CALVINUS VIRETO.

Literae commendatitiae, quarum occasione varia alia paucis attingit.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 147. Exstant praeterea exemplaria Ionvillaei Cod. 196, fol. 81, Turretini Cod. 111, fol. 127 v., Bernense Epp. VII. p. 732 et Turicense Simleri Vol. 58.)

Fideli Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et symmystae carissimo.

S. Hic frater habet a suis conterraneis bonum testimonium. Nunc quia istuc se confert studiorum causa, rogavit me vehementer, rogarunt etiam eius nomine alii, ne ipsum absque commendatione dimitterem. Neque tamen aliud petit nisi tibi innotescere. Vivet enim suo sumptu, neque tibi ulla in re erit molestus. Alterum, si potero, brevi extrudam, aut etiam duos, qui me fallunt nisi sint boni viri. Tu hunc interea pro solita tua humanitate excipies, et ubi ingenium eius, voluntatem, doctrinam, mores perspexeris, ex re ipsa facies iudicium qualiter eum iuvare possis. Recipies etiam a *Carmelita* [1]) literas, quarum singula verba a vobis expendi velim. Nobis certe nequaquam satisfecit. Nullum seriae resipiscentiae signum dedit nobis, nam genuflexionibus et eiusmodi ineptiis placari nos putat. Male etiam nos habuit quod aberat *Feronius* [2]) eo die qui illi condictus ad se purgandum fuerat. Sed quia literae nihil habent cuius me poeniteat, plus satis est monitus. Scribes de tua profectione quum erit otium. *Iacobum* Metensem hortaberis meo nomine ut mihi paucis indicet quo in statu D. *Fallesium* reliquerit. [3]) Miratus sum enim

730. 1) *Vide N.* 726.
2) *Verbi divini minister Genevensis* (N. 515. 616).
3) *Quem aegrotasse accepimus ex epp. Calvini ad eum hoc ipso autumno scriptis.*

nihil ab eo venisse literarum. Vale, frater et amice integerrime. Saluta omnes amicos et familiam, nostro omnium nomine. Vicini et uxor mea te salutant plurimum. Iterum vale. 23. Novemb.[4])

Ioannes Calvinus tuus.

731.

VIRETUS CALVINO.

Deotheo iam Lausannae prospectum. Buceri scriptum ad Neocomenses et alterum de bello Brunsvicensi. Varia minoris momenti. Uxor aegrotat.

(Ex autographo Cod. Genev. 111a, fol. 154.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino vigilantissimo ecclesiae Genevensis pastori symmystae et fratri quam carissimo

Genevae.

S. Redii Berna rebus omnibus ex animi sententia confectis. A senatu impetravimus quidquid petiimus, nisi quod de *Deotheo* nulla vobis spes reliqua est. *Corderio* adiunctus est.[1]) Quod ad me attinet, sum amicissime et humanissime, si hactenus unquam, ab omnibus exceptus et publice et privatim, tam a ministris quam a senatoribus et aliis viris bonis. De collega spero successurum ex voto.[2]) Sed quis *Farello* Neocomi adiungi commode possit, nondum satis video.[3]) Multa sunt hac de re quae cupiam tecum coram conferre, si datum esset. Mitto ad te scriptum *Buceri* ad Neocomenses,[4]) quod e lingua germanica in latinam convertit *Buceri* diaconus. Nam *Bucerus* germanice in hanc scripsit sententiam, cuius scriptum ministri Bernensibus censent esse offerendum. Si non oblatum sit, mox offeretur. Proinde mitto ad te exemplar ut, si fieri possit, priusquam offeratur rescribas quid de eo sentias et ad me exemplar remittas, quod non licuit nisi obiter percurrere. *Tornacus*[5]) noster a quibusdam delatus est, sicut ego fueram ante annos aliquot, sed minus odiose et periculose. Novi probe quibus autoribus et qua via. Quid futurum sit nescio: Dominus aderit. Hoc unum scio, principes esse recti amantes, qui nisi nobis essent quam nos ipsi aequiores, parum feliciter nobiscum ageretur. Sed ago gratias Domino quod eos non destituerit timore suo et quod ad pietatem non sint male affecti. Mitto etiam ad te historiam belli Brunsvicensis, sicut a *Bucero* scripta et missa est ad *Farellum*,[6]) quia nescio an totam historiam tam copiose et vere descriptam legeris. Narrantur et alia quaedam quae contigerunt post victoriam illam de octingentis equitibus a *Landgravio* ad unum caesis, quibus veniam dederat, quod conventis non stetissent, sed pro beneficio rependerent maleficium. Narratur etiam episcopus Moguntiae praefectus auspiciis *Langravii*. Dominus suae ecclesiae misereatur et retundat hostium suorum conatus. *Sultzerus*, *Beatus* et *Farellus* te salutant et nostri omnes. *Robertus* Orbam admissus est.[7]) Uxor decumbit, cui male metuo. Velim per te certior fieri num *Textor* redierit. Febricitat et tussi admodum molesta affligtatur, et paene contabescit. Dominus nos respiciat. Coeperat nuper paulo melius habere, sed nunc male affecta est. Indictus est classis nostrae conventus ad proximum Mercurii diem. Saluta amicos et symmystas tuos meo nomine. Vale. Lausannae 26. Novemb. 1545.

Tuus P. Viretus.

Remitte etiam exemplar historiae belli Brunsvicensis cum epistola *Buceri* ad me quam ad te mitto. *Farellus* literas accepit a *Pagneto* de liberatione fratris. Scripsit *Pagnetus* ad uxorem et *Magnificum*. Iterum vale salutata uxore.

732.

VIRETUS CALVINO.

Nova occasione oblata eadem fere argumenta resumit.

(Ex autographo Cod. Genev. 111a, fol. 153.)

---

4) *Annum iam Turretinus recte definivit ex iis quae de Carmelita et Ferronio dicuntur.*

731. 1) *Iam scholae Lausannensi praefecto.*

2) *Qui postea fuit Iac. Valier.*

3) *De hoc diu decertatum est ut mox videbis, donec tandem Libertetus eo vocatus est.*

4) *de decimis, de quibus iam supra saepius. Datum fuit Nonis Nov. et praeter Bucerum subscripserunt Hedio et Zellius. Exstat in Bibl. pastorum Neocomensium. Cf. Kirchhofer p.* 77.

5) *Ioannes de Tournay, verbi divini minister, Aquileiae (Aigle) antea Paterniaci et Viviaci, saepius iam supra laudatus v. N.* 609, *not.* 9 *et Herm.* III. 100. 218. IV. 92. 141. 229.

6) *N.* 729, *not.* 11.

7) *N.* 728, *not.* 5.

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori vigilantissimo fratri et symmystae quam carissimo

Genevae.

S. Scripsi ad te [1]) de mea profectione per *Carolum* a quo tibi literas redditas arbitror. Literae *Buceri* ad Neocomenses, quarum latinum exemplar ad te misi, nondum redditae sunt. Nam Io. *Mirabilis* [2]) non probavit *Sultzeri* consilium de reddendis. Tu igitur scribe quid sentias. Nam non dubito *Farellum* et fratres reliquos maxima ex parte in nostram utriusque sententiam descensuros, maxime autem in tuam. Vide igitur ut scribas quam poteris ocyssime. Ego a prima tua sententia non abhorreo. Quod si putas nostra scripta non multum ponderis habitura apud eos de quibus agitur, nescio an multo pluris facturi sint *Buceri* scripta, si nulla accedat magistratus alicuius autoritas, praesertim quum eius nomen non usque adeo apud omnes bene audiat. Praestaret ergo nihil tentare, meo quidem iudicio, quam nihil efficere frustra tentando. Tu ex lectione epistolae facies iudicium.

Porro quod ad ludimagistrum attinet, postquam nulla spes est de *Deotheo*, fortasse *Erasmus* [3]) vobis dari poterit. Nam Neocomi nulla eius habetur ratio. Consului ut, nisi ei constituant ad diem quem ipse praescripserit iustum salarium, petat missionem. Quid enim illic frustra conficeretur? Urgebo fratres ut aut brevi ad nos mittant, aut certi aliquid de eo statuendum curent. Uxor te et tuam uxorem plurimum salutat, et se vestris precibus ex animo commendat. Nam valde periclitatur, [4]) nisi ei Dominus adsit. Valde metuo ne in hecticen, aut phthisim, aut hydropem tandem incidat, a quibus non videtur multum abesse, nisi Dominus ei sit propitius. Quam vereor ne *Textor* nimis verax fuerit prognostes quamvis de conceptu nondum penitus desperaverit uxor. Sed timeo ne spes illa eam nimium fefellerit. Nam instat nonus mensis et eius uterus mihi videtur detumuisse. Dominus eius misereatur, et totius familiae, et eam mihi restituat et tueatur incolumem. Saluta amicos, praesertim vicinos. Vale. Lausannae 28. Novemb. 1545.

Tuus P. Viretus.

---

732. 1) *praecedentem.*
2) *Cf. N.* 302 *et Kirchhofer I. p.* 126.
3) *N.* 713, *not.* 6. *Anno sequente Genevam vocatus ibi m. April.* 1550 *mortuus est* (*Bétant p.* 17).
4) *Quae deinceps perpetua eius querela erit usque ad obitum coniugis, quae se gravidam non aegrotam credebat.*

733.

CALVINUS MINISTRIS FRISIAE ORIENTALIS.

Nuncupat illis Catechismum suum posteriorem latine versum.

(Epistolae nuncupatoriae exemplar, datae 4. Cal. Dec. 1545 descripsimus in fronte ipsius Catechismi Tomo VI. Opp. p. 5 seq. Initium est: *Quum huc modis omnibus* caett.)

734.

ZERKINTES CALVINO.

Calvini fratrem lubenter excepit, lubentius etiam eiusdem literas. Propediem ipsum inviset de libello quodam suo iudicium eius sciscitaturus.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 126.)

Doctrina et pietate clarissimo viro D. Ioanni Calvino Christi ministro Genevae domino et amico colendissimo.

Nicolaus Zerchintes Io. Cal. S. p. d.

Quanquam commendatione tua non opus erat fratri, solo gentis tuae nomine longe commendatissimo, non fuit tamen ingrata, quia literas tibi ad me extorsit, quas avidissime semper exspecto. De causa ipsa, postquam sabbato te convenero, coram agemus. Neque enim meum ad te adventum diutius differam. Ne suspendam iudicium tuum de meo libello, qui si displicuit tibi, et mihi quoque penitus displicebit, cui alioquin ioci prae seriis semper arrident. Vale, doctissime *Calvine*, et me ut soles ama. Novioduni raptim 2. Decembr. 1545.

735.

CALVINUS VIRETO.

Iudicium de literis Buceri suum, consiliumque profert de modo in futurum procedendi in negotio bonorum Neocomensium. Monspinsonium commendat.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 148. Reperies apographon Ionvillaei ib. Cod. 111a, fol. 30 v., Turretini Cod. 111, fol. 128, Bernense Epp. VII. p. 734 et Simleri Vol. 58.)

Fidelissimo Christi ministro Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori dignissimo fratri et symmystae carissimo.

De literis *Buceri*[1]) recte iudicas. Solus est multis suspectus nostri ordinis. Statim acclamabitur, scilicet quum rogaverint omnes, unus inventus est qui illis subscriberet. Deinde: nempe hoc est quod a multis prudentibus animadversum est, *Bucerum* novam hierarchiam moliri. Postremo: quasi non agant suum negotium ministri, quum de bonis ecclesiasticis litigant. Ita vereor ne pariant literae magnam invidiam fratribus nullo fructu. Quia nihil profecturum me sperabam, hactenus distuli. Si tamen manet *Farellus* in sententia, pareamus, ne sibi operam nostram defuisse putet. Utinam vero posset quod semper optavi obtineri, ut omnes susciperemus hanc causam ex animo. In consensu nostro satis superque esset autoritatis. Sed vides tempora. Si quid scribam, sciens certe ac volens in *Farelli* gratiam, me literasque meas exponam ludibrio. Quid ergo fratribus nostris damus consilii? inquies. Tametsi hic timendum est ne venter non habeat aures, suadeo tamen ut senatum maiorem adeant:[2]) dicant, se non libenter vociferari, malle aliqua moderata ratione curari vitia, sed vicissim partes senatus esse, non committere sua negligentia ut ministris occasionem praebeant secus quam velint agendi: porro eiusmodi praesentem esse causam, ut tacere sit nefas, donec videant adhibitum remedium, ne temere in re dubia videantur esse praefractiores. Senatui deferant hanc conditionem, ut consilium petatur a vicinis ecclesiis, nempe Helvetiae, Argentinensi, Constantiensi et nostra.[3]) Urgeant senatum vehementi sed tamen placida et solida obtestatione. Si permiserit senatus ut ecclesiae consulantur, victoria erit in manu. Sin recusaverit, dispicietur nova ratio. Sed aliquid forte melius abs te audient, quod ego opto et confido. Quod iterum colloquendi facultatem nobis dari cupis, si tibi non esset incommodum, ego equum tibi curabo. Sumptus non magnus erit. Nihil video obstare praeter uxoris morbum. Sed quia *Textorem* nuper hortatus sum ad celerem reditum, hic eum, opinor, invenires, ac deliberatione inter vos habita vel eum abduceres tecum ad illam visendam, vel saltem pacatiore esses animo. Ergo si non abhorreas ab hac sententia, verbo tantum uno mihi indicabis. Si nobis Deus *Erasmum* dederit, bene est: modo ne diu nos moretur. Quod tibi curae esse velim. Neocomensium enim fratrum morem nosti. *Buceri* scriptum remitto. Sed cur non etiam exemplar nostrae ad Bernates epistolae remittis? Pignus ergo retinui historiam victoriae adversus latronem *Brunsvicensem* nobis datae.

Monspinsonus[4]) ad vos concedit. Tibi cupit esse commendatus et aliis fratribus, et certe futurum spero. Nam et sua dexteritate gratiam sibi comparabit et habebitur aetatis ratio. Si Gaienses in sua electione steterint, non dubito quin reddatis illi bonum testimonium, simul atque specimen sui exhibuerit. Rogavit praeterea ut sibi domi tuae impetrarem hospitium: sed quia decumbit uxor, non plus postulo quam tibi citra molestiam liceat. Si apud te non poteris, collocabis eum ubi commode habitet. Vale, frater et amice carissime. Saluta meo et omnium nostrorum nomine fratres et amicos omnes, uxorem quoque tuam, quam Dominus tibi conservet. Ab illis morbis quos metuis eam, ut spero, temperantia in victu et tota ratione vitae, cui se libenter patietur adstringi, vindicabit. Vale iterum. Si in animum induxeris hucusque advolare, significa. Equus semper tibi paratus erit. Genevae 4 nonas Decembres.[5])

Ioannes Calvinus tuus.

---

735. 1) *N.* 731, *not.* 4.
2) *An Bernensem?*
3) *quo pacto responsa maiorem habitura erant autoritatem quam si privatim a Farello passim conquisita fuissent.*

4) *Qui iam saepius laudatus* (703. 704. 706) *fortasse Gallus aliquis erat conditionem ecclesiasticam quaerens. Gaienses apud quos ministerium ambiebat Champerellum elegerunt.*
5) *Annum iam Turretinus ex mentione literarum Buceri elicuit. Verum plura hic in eundem finem concinunt. Caeterum apographa quaedam male habent*: 4. Dec.

736.

POLLANUS CALVINO.

Argentoratum relicturus raptim quaedam de Eustathii scripto, de suis articulis contra Lovanienses, de Buceri ad colloquium Ratisbonense profectione et de Metensibus scribit.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 213.)

Clarissimo theologo evangelii Christi assertori praecipuo ecclesiae Genevensis episcopo vigilantissimo D. M. Ioanni Calvino parenti ac magistro in Christo observandissimo.

S. P. Quamvis post proximas[1]) ad te nihil inciderit quod magnopere putem referre ad te scribi,

---

736. 1) *N.* 729, *ubi etiam de Eustathio, et Articulis Lovaniensibus. Cf. N.* 671.

et sim iam ego impeditissimus quum in foribus stet sonipes equus, non potui tamen praetermittere, ut abiret nuncius commodum oblatus sine meis literis. Ergo, si nihil aliud, hoc saltem: Vale, mi carissime in Christo parens et praeceptor, et me tuis precibus assidue patri commenda. Sed oro ne praetermittas tuam super hac re sententiam scribere. Spero enim, antequam illinc redeam, posse reddi si quid scripseris. Ita enim D. *Utenhovio*[2]) commendavi. Mitto quae ibi superioribus diebus tractavit doctus *Eustathius*, ut causam melius cognoscas. Non vacat enim, uti volebam, pluribus exponere. D. *Bucerus* et *Martyr* iusserunt primum Germanos hortari, orare atque obsecrare etc. ut infirmorum habeatur ratio: deinde nostros docere usum suae his in rebus libertatis. Vellem, si posset in tempore describi, mittere ad te illorum responsum. Sed illa est summa. Oro ne causam negligas. Et si forte iam aliquid scripseris, ne gravere propterea item rescribere quid forte in mentem venerit viso *Eusthatii* nostri scripto.

Mitto insuper Articulorum Lovanensium expositionem nostram nomine Heroidum factam, et parentibus illarum missam. Forte aliquibus, quos caecus fortassis amor fallit, publicanda videbatur: sed verebar ne ab alio idem institutum esset. Deinde Heroi nostro[3]) videtur sub nomine illarum fortasse emitti, et adiici quaedam sua, de quibus credo ad te scripturum. Sed in reditum meum differendum censet. Ego vero nihil dignum iudico. Et vereor ne quum relegam forte displiceat. Oro te ut censoriam virgulam hic, sed severam sumas, et me libere, ut patrem decet, de omnibus erratis moneas. Id quidem in proximis literis facturum confido. Quare iterum oro ne me fallat haec expectatio. Quoniam nunc D. *Bucerus* ad colloquium[4]) proficiscitur intra triduum aut quatriduum, et video delectos viros doctissimos (sed tamen scis quid hic aliqui non mali nec stulti desiderant), ego pro meo erga ecclesiam Dei studio non possum (etsi enim pro tua singulari pietate factum sponte non ignorem) quin obsecrem ut tu, qui gratia adhuc apud illos plurimum vales aliquid scribas, et moneas etiam ne tam studiosi sint concordiae, ut admittant quae postea maiores discordias excitent. Proficiscitur una cum *Bucero Diazius*[5]) noster et D. *Claudius*:[6]) per illos intelliges quidquid ibi agetur. Ego quum Francofurtum venero, ubi iam comitia, diligentissime de omnibus quae comperero perscribam. Neque enim puto balbutiem hanc mihi obstare debere quominus officium praestem, quod pro T. H. tibi non ingratum fore intelligam. De Metensibus, ut nuper scripsi, nihil habeo. Valde vereor ne multis somnus obrepat. Sed quid, si Deus hoc permittat ut gloriosuli illi nihil sibi vendicent, qui, ut olim primi videri voluere, certe nunc ignoro an locum aliquem obtinere possint. Ego hoc tibi in Domino contestor, me, si Christus sinat, huic rei caput et animam devovisse. Oremus interea Dominum ut ecclesiae misertus aliquando operarios in vineam suam extrudat. Salutem plurimam opto coniugi tuae optimae, et symmystis omnibus, quorum precibus me commendatum velim. *S. Andreae* aliquando scribam. Valde me pudet taciturnitatis. Velim aliquando dari occasionem et otium: sed Dominus novit quid mihi permittat. Illi etiam, cum *Maldonado* et coniugibus, *Nicolao* nostro et fratri tuo optimo, viro et uxoribus, salutem opto. D. Iesus te suo spiritu semper magis magisque augeat ad gloriam suam et ecclesiae salutem, cui te diu servet incolumem. Volante calamo 3. Decemb. 1545.

T. paternitatis observantissimus filius
in Christo.

D. *Garnerius* salutem iubet ascribi.

737.

MINISTRI NEOCOMENSES GENEVENSIBUS.

Narrant Capunculi ultima dicta et facta piumque obitum.

(Ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium. Vol. lig. A. N. 23.)

Fratribus verbi ministris tam in urbe quam in agro Genevensium S. in Christo.

Visum est nobis, carissimi fratres, et nostri esse officii et vestra plurimum interesse, ut de Io. Ca-

---

2) *Ioannes Utenhovius Gandavensis, I. a Lasco intima familiaritate coniunctus, etiam Bullingeri et Martyris amicus, ecclesiae gallicae Londinensis presbyter. Sub eius nomine edita est Basil.* 1560 *historia Odysseae Vallonum e Britannia pulsorum. Postea cum Lasco per quinquennium in Polonia egit* (*Gerdes. hist. Ref.* III. 234. *Kuyper, Io. a Lasco Opp.* I. 58). *Vallonum confessionem et Catechismum belgice vertit et psalmos cantui ecclesiastico aptavit* 1566.

3) *Fallesio?*

4) *Ratisbonense, Idibus Decembris inchoandum* (*Sleid.* II. 416) *ubi et nomina caeterorum legatorum reperies.*

5) *N.* 675.

6) *Non ille de quo Calvinus N.* 211 *et* 214, *hic enim quo tempore C. Ratisbonae fuit peste abreptus Argentorati obiit* (*Castellionis Def. p.* 360), *verum potius Senarcleum.*

punculi nostri fratris et symmystae decessu rem ita ut habet vobis indicaremus. Talis enim est tamque inexspectatus hominis exitus, ut ibi nonnisi Domini solius opus agnoscamus singularemque clementiam. Nam qualis olim ille fuerit, satis vos intellexisse existimamus. Enimvero post compositum nostrum de censura dissidium [1]) ita prorsus immutatus aliusque effectus est, ut iam valde mirari inciperemus. Ubi profecto re ipsa experti sumus quantum valere debeat aliarum apud alias ecclesiarum autoritas, quantique sit faciendus mutuus ille sanctorum consensus atque communio. Postquam enim germanicorum fratrum sententiam [2]) intellexit, ipse se pro more censeri passus est, perspectoque nostro omnium erga se favore atque lenitate, qua in censendo usus erat nostro nomine *Farellus*, adeo transformatus est Dei gratia, ut ex eo tempore nonnisi aegre a *Farelli* colloquio ac latere posset discedere. Tanta insuper vehementia in sacrilegos nostros vociferari coepit, ut hac in parte *Farello* nihilo inferior haberetur. [3]) Quanquam et id antea faciebat, sed longe dispari contentione. Igitur morbo correptus scripta quaedam permulta, quae ipse, ut fatebatur, in *Calvinum* multo ante tempore conscripserat, [4]) iussit ante suos oculos concremari, opera usus *Ludovici* [5]) fratris nostri diaconi: addens nolle ullam ecclesiam turbandi materiam post obitum suum relinqui. Deinde quum miro teneretur desiderio nos publice, aut privatim saltem *Farellum* alloquendi, et nuncios nos accersentes alium super alium missitaret, ubi tandem ex nobis aliquot adesse sensit, ibi commendata quam maxime fieri poterat ecclesiarum cura, nec sine ingentibus suspiriis preces et ipse fundens ad Deum pro earum incolumitate constantiaque in fide: mandat inprimis ut haec Neocomensis suo nomine pacis concordiaeque diligenter admoneretur, atque ut unum in Christo corpus esset, tum etiam ut sua ecclesiae bona restituenda curaret, caveretque manus suas impurissimo sclereratissimoque sacrilegio contaminare. Postea rogavit ut *Calvino* ac *Vireto* plurima ex se salus diceretur. Mox veniam coepit precari tot (ut ipse dicebat) malorum quibus nos olim affecisset. Postremo quum testamentum conderet, de Augustini codicibus, qui istic apud *Annonium* sunt, *Calvini* voluit arbitrio statuendum. Cuius rei curam *Calvinum* fratris mortui verbis oramus ut suscipiat, libenterque facturum confidimus. Nec est silentio praetereundum, quod bonus senex totum quatriduum ante mortis diem de fide, spe, caritate, et unico mediatore Christo usque disseruit.

Videtis, fratres, qualem tragoediae catastrophen Dominus imposuerit. Atque hoc exemplo moniti non debemus unquam, quotquot sumus, de quoquam mortalium quamdiu spirat desperare. Hanc autem metamorphosin, utpote admirabilem et inopinatam, ne quis confictam minusque veram existimare possit, aut calumniari, nostrarum fuit partium publicis ad vos scriptis testatam facere atque confirmare. Veritatem enim facti ad ecclesiarum pacem plurimum conducere arbitramur. Vestra autem valde referre putavimus, tum *Calvini* tum ecclesiarum vestrarum dignitatem illibatam inconcussamque permanere. Et si forte quidam exstiterunt qui contra ausi sint insurgere, eos in supremo vitae actu poenituisse mentemque iis meliorem a Domino Deo datam, est procul dubio quod optimo patri gratias ingentes agamus. Nemini vero dubium esse potest quin per *Calvini* latus vos simul omnes vestraque doctrina sauciaremini. Itaque ut intelligant omnes rem ita se habere, quidam ex nobis propria se ut manu subscriberent censuimus: quod et fecit *Ludovicus* ipse domesticus omnium testis. Valete, fratres optimi. Dominus det vobis in opere suo constanter ac strenue pergere. Neocomi iij Non. Dec. Anno M. D. XLV.

Fratres ex animo vestri
verbi ministri classis Neocomensis [6])

Fatonus. Mullotius. Pichonnius. Faucherius.
Thomas de Laplanche.
Robertus Lonnatius. [7]) Farellus.

738.

BALDUINUS CALVINO.

Ex Lutetia varia tractat publica et privata, politica et literaria, sua et aliorum, multus in praedicanda sua erga Calvinum observantia, multus etiam in ostentando pietatis fervore.

(Manu scripta non exstat. Edita est ab ipso Calvino in sua Responsione ad Balduini convicia p. 52.)

S. P. Incolumes reversi, [1]) observandissime pater, post varios casus post tot discrimina rerum,

---

737. 1) *Vide N.* 580 *et alias epp. vergentis anni* 1544.
2) *N.* 595. 597. 622.
3) *scilicet hoc maxime nomine laudando!*
4) *de Christo Deo a se ipso N.* 590. 601.
5) *N.* 683. 720.

6) *Io. Faton Columbariae minister, Mich. Mullot olim Monsbelgardiae ludimagister, Eynardus Pichon, iam saepius supra laudati. De Thoma adeas Herminj.* IV. 120. 178. *Pro Lonnatio Kirchhoferus p.* 80 *Connatum habet. Hic et in die scriptae epistolae fallitur quam* 5. *Dec. assignat.*
7) *In nomine error forte latet. Alibi Louat audit.* (*Pierrefleur p.* 348. *Ruchat* VI. 75.) *Fuit postea Orbae ubi obiit* 1557.

738. 1) *Argentorato Lutetiam ut sequentia declarant.*

confecimus negotia domestica.[2]) Est tamen adhuc necessaria brevis mora, quae quam sit gravis et molesta contabescenti pio ecclesiae desiderio ipse potes iudicare. Sed tamen dabit Deus aliquando his quoque finem. Qua spe interim utcunque fulciemus et erigemus labascentem animum, qui prorsus concideret, nisi certus esset tandem eluctari ex hisce malis. Obiiciuntur quidem hic novae tricae, sed non involvent alio properantem. Valeant omnia Circes pocula, valeant opes et honores, quibus tanquam fascinis miseros mortales incantat praestigiator hic mundus. Malo cum Davide abiectus desidere ad limen domus Domini, quam magno cum splendore versari in tentoriis impiorum. Certe nunc mihi sordent omnia, ut potiar hoc bono, et aliquando libere frui possim meis amoribus, atque adeo liberos gemitus emittere, quos erumpentes amplius cohibere nequeo. Nam et quo magis hic premitur tanto magis aestuat ignis.

Quum essemus Argentorati[3]) agebant amici[4]) nobiscum de professione iurisprudentiae, quod mortuus esset doctor *Bebeon.*[5]) Ego alio properans nihil certi respondi. Nam et certum erat prius tuum explorare iudicium et consilium. Si tibi videbitur hanc aetatem occupandam civilibus illis literis quae nos hactenus occuparunt, interim dum vires colligemus pares et necessarias maiori functioni,[6]) nihil oneris recuso quod amici iubebunt nos subire. Et fortassis Dominus aliquando nos inde avocaturus est ad ministerium ecclesiae, ut olim Chrysostomum a causis forensibus, Ambrosium a profana praefectura evocavit. Fac, mi pater, obsecro, ut resciscam quid tibi videatur. Tu enim unus es a cuius consilio totus pendeo.

Misi ad nostros Argentoratenses aliquod specimen civilium nostrarum lucubrationum, quibus edundis hic fefellimus taedium tristissimae morae.[7]) Si quando scripseris ad D. *Felinum*[8]) vel *Sturmium*, peto ut nostri memineris, nisi aliud visum tibi fuerit.

Porro quid noster *Ant.*[9]) nunc moliatur in Belgica, ipse, opinor, nosti. Sed agedum confirma tuis hortationibus pios principes, ne cedant minis aut terroribus larvati tyranni: multo minus patiantur sese insidiis circumveniri. Consolare quoque omnes ecclesias, ne percellantur adversariorum improbitate, aut ullis scandalis frangantur. Tu es unus inter primos quem Dominus excitat suo classico: in te omnis domus inclinata recumbit. Ergo infractis et impavidis animis sustine molem tanti operis, ut non modo verbo Domini retundas furiosos conatus adversariorum, sed etiam indies magis atque magis propages pomoeria regni christiani. Solet tibi placere notum exemplum sanctissimi herois Nehemiae: is vidit tristes ruinas funditus eversae urbis, sed nullis difficultatibus cessit excelsum pectus. Etiam progreditur per medios ruderum cumulos, qui iam vias omnes obstruxerant. Obturbant hostes intentum operi, et conspirant adversus eum pseudoprophetae. Sed nihilo minus tuetur suam stationem. Iubet suos gladiis accinctos secum in opere durare etc. Hunc virum principem quoties intuemur, tu statim in nostros oculos incurris. Is muros civitatis sanctae, qui iam ducentis fere annis iacuerant, erigit: tu non minori studio idem praestas. Intersunt quidem annorum duo millia, sed collatio et similitudo facile coniungit longo temporum intervallo disiunctos. Utinam vero non videas quae post absolutum illud suum opus vidit Nehemias. Vidit suum populum multis modis inquinatum, vidit templum profanatum parricidio sacerdotis et insolescentia barbari hostis: ut omittam paucis post eius mortem annis urbem ipsam a Ptolomaeo fraude occupatam. Sed Dominus suorum miserebitur, nec derelinquet sibi fidentem ecclesiam. Qua spe, mi pater, erigimus animos tristibus infelicium temporum portentis perterritos.

Sed de his alias. Noster *Burgundus*[10]) agit in Picardia, ut tandem recipiat uxorem cum dote. De reliquis scripsi ex Argentorato. Quum scribes ad D. *Falesium*, commenda nos praestantissimo heroi. Quum Argentorati essemus, iniecta est a nonnullis quaedam mentio de coniugio cum altera ex duabus illis heroinis sororibus quas nosti.[11]) Quid tibi e re nostra fore videatur, precor ut mihi aperias. Bonus ille famulus *Copi* novas hic fere nobis turbas excitavit sua futili garrulitate: certe interturbavit heri sui negotia nostrae curae commendata. Quantum autem laboraverimus pro tuo *Gallasio*[12]) ex ipso

---

2) *Fortassis etiam Atrebatensia.*

3) *Quo se contulerat relicta Geneva.*

4) *Erant ibi eius populares Pollanus, Fallesius, Garnerius, fortassis et Alexander: quia vero de professione publica iurisprudentiae agebatur, potius de Argentoratensibus cogitandum quorum nomina infra occurrunt.*

5) *Lud. Bebeo Wirtembergensis, olim theologus, postea prof. iuris Argentorati. Ioecherus certiora non habens eum c. a.* 1550 *mortuum dicit. Cuius viri schedis academicis Argentorati potitus, ipse Balduinus eas postea suo sub nomine edidisse dicitur.*

6) *Si haec sincere dicta sunt, sane magnam erga Calvinum observantiam testantur, qualis tunc temporis esse debebat.*

7) *Opera Balduini iuridica recenset Heineccius in praef. ad iurisprudentiam romanam et atticam. L. B.* 1738. *Tom. I.* (*Cf. Haag* II. 32). *Fortasse hic loquitur de Commentariis in ll. IV. Institt. Par.* 1546.

8) *Bucerum.*

9) *Vide an legendum sit:* Antiochus, *et interpretandum: Imperator. Principes isti in Germania quaerendi, ita ut hoc loco eum a larvato tyranno distinguere non oporteat, quo nomine Imperatorem ornat. Infra autem et Epiphanem et Gallum habebis.*

10) *Vide eius epistolam* 12. *Iul.* 1546 *ubi plura de illustri hoc viro.*

11) *An Fallesii?*

12) *Balduinus suo sumptu procurabat negotia Gallasii*

intelliges. Utrumque meo nomine quamplurimum salutari desidero, nec non et uxorem tuam, et *Iuditham* nostram, et fratrem tuum, et reliquos nostrates amicos.

Cuperem per literas plura effundere in tuos sinus, sed nosti duram necessitatem quae nobis silentium indicit. Interim ignosce nostrae simplicitati quae suos affectus dissimulare nequit, audetque tam familiariter tua familiaritate et humanitate abuti. Vale, mi pater, et tuum *Franciscum*, qui te tuosque coetus deperit sanctis amoribus, amare perge, precibusque sanctis Domino commenda. Ex museo tui *Gallasii*[13]) Nonis Decemb.[14]) quo die accepimus profanatum fuisse templum idolo Antiochi, sed paulo post repurgatum eodem eiecto. Oramus Dominum ut per vestrum ministerium suam ecclesiam repurget et compescat eidolomaniam furentis Antiochi.

Mittimus reliquas chartas bibliorum *Stephani* quae istic desiderari poterant.[15]) Misissem quoque graecam historiam Eusebii[16]) et recens edita opera Tertulliani,[17]) sed hisce nostris muneribus nec voluit nec commode potuit hic nuncius onerari. Si quid praeterea desideres facito ut resciscam, et confestim prima occasione mittam.

Tuus tibique addictissimus
Petrus Rochius B.

739.

CALVINUS VIRETO.

Champerellus a Bernensium senatu receptus Gaiensibus obtrudetur. Ipsi ibidem impanationis crimine gravati.

(Autographon non exstat. Ionvillaei exemplar Cod. Gen. 111ᵃ, fol. 36 v. fons fuit Turretino Cod. 111, fol. 129, ex quo sumsit librarius Bernensis Epp. VII. p. 737, quem denique descripsit Simlerus Vol. 58.)

S. Scilicet accidit quod semper timueram. Receptus fuit *Champerellus* a senatu vestro.[1]) Fratribus classis Gaiensis videtur exemplum nequaquam tolerabile. Testimonium a nobis scriptum petunt. Promisimus nos Lunae daturos,[2]) quo die habent suum conventum. Scripseram nominatim ut remitteres.[3]) Miratus sum te in dubio ponere quod tam clare nomine expresseram. Mitto igitur hunc fratrem qui ad me referat. Mandavi ut cras omnino Morgias usque veniat. Ego quidem multo pluris fecissem sumptum huius itineris quam laborem meum. Sed vides quibus calumniis simus expositi. Syllaba una commovebit nobis magnas turbas et carent omni pudore quos timemus. Nihil ergo melius visum est quam ex illo exemplari describere. Deinde suspicor a ministris Bernensibus rem male fuisse gestam et infideliter.[4]) Quanquam propediem sentient se fuisse negligentes suo damno. Quaestor enim *Auspurgerus* verbum hic effutivit me absente, ex quo coniicere licet, eos impanationis crimine mecum fuisse ab hoc nebulone gravatos. Sed digni sunt. Ego posthac dabo operam ne cum illis involvar. Agam interea negotium Christi in quo cessant. De Neocomensibus nihil cogitabo, quando ita sibi sapere pergunt in commune omnium damnum.[5]) Vale, frater integerrime: uxorem tuam diligenter saluta, quam Domino commendabimus ut par est.[6])

740.

VIRETUS CALVINO.

Excusat negligentiam suam in remittendis literis, Bernensium facilitatem in admittendo Champerello notat, Gaucherii felicem adventum nunciat, domesticas curas deflet.

(Ex autographo Cod. Genev. 111ᵃ, fol. 155.)

Parisiis. Cf. Defens. Balduini per Fabricium in Biga responsionum. Düss. 1763. *p.* 153.

13) *Cum Gallasii parentibus vivebat* (*Biga ibid.*)

14) *Annum Hevelingius* (*de F. Bald. p.* 5) 1546 *adscribit, satis vero similiter, quum et Fabricius et Baylius eo anno Lutetiae commoratum tradant, verum sine dubio falsus si hanc nostram cum ep.* 28. *Nov.* 1546 *conferas.*

15) *Idibus Maiis a.* 1546 *Rob. Stephanus editionem Bibl. lat. absolvit* (*de qua Masch.* III. 189) *forma maxima. Verum potius de bibliis hebr. eodem anno* 17 *tomis absolutis dictum crediderimus.*

16) *Paris. Stephan.* 1544, *fol.*

17) *Tertulliani opera Parisiis* 1544 *fol. edita paucissimi scriptores commemorant, plurimi silentio praetereunt. Nos ea non vidimus.*

739. 1) *A Genevensi dimissus fuerat d.* 8. *Sept.* (*Reg. du Conseil f.* 233.)

2) *Vide N.* 741.

3) *Scil. illud testimonium quod habuisti N.* 717, *et quod in illo altero ad Gaienses dato fere verbo tenus descriptum est.*

4) *Inde irae et suspiciones quarum vestigia anno proximo in epp. Calvini ad Viretum d.* 23. *Aug. et* 14. *Dec.* 1546 *datis deprehendes.*

5) *Scil. in negotio de decimis et bonis eccl. tractando.*

6) *Quum Viretus d.* 12. *Decembris ad hanc respondeat, paucis diebus ante scripta esse debet. Maxime quum d.* 13. *Lunae dicat proximum.*

Insigni Christi ministro Ioanni Calvino fratri et symmystae coniunctissimo

Genevae.

S. Mihi valde dolet quod hac te affecerim molestia,[1]) sed nuncius solvebat ocyus quam ut liceret revolvere literas abs te missas, in quibus illae erant quas requirebas: cui rei hoc quoque accedebat quod non arbitrabar tibi tam brevi iis opus esse, neque satis intelligebam num aliud esset quidpiam quod magis exigeres. Mitto igitur per hunc nuncium. Tu vero mihi condonabis hanc moram et hanc meam tarditatem. *Tornacus* nondum Berna rediit[2]) quod sciam. Miror *Campellum*[3]) semel reiectum tandem admissum esse. Si id suspicatus fuissem quum illic essem,[4]) maioribus conatibus ei viam praeclusissem: sed arbitrabar iam tuta esse omnia. Quam vereor ne non sit in iis fides, in quibus summa esse debuit.[5]) Sed tempus omnia revelabit. Si possum vos invisam mense Ianuario, quum classem adibo Morgiensem causa *Valerii*.[6]) Si tunc non possum, ubi collegam nactus fuero magis ex animi sententia, frequentior ero apud vos. Puto te audivisse de adventu *Gaucherii Farelli*, et de felici eius captivitatis successu.[7]) Magnus hic sparsus est rumor de vestrorum metu et excubiis,[8]) de quibus tamen nihil ad me scribis. Uxor te et tuam uxorem officiosissime resalutat. Paulo melius habet solito sed infirmis adhuc viribus est et multis malis pressa. Materteram vereor ne periculosius laboret. Nam pessime affecta est. Sed ita visum est Domino, cui maximas ago gratias quod tam amica manu nos castiget. Saluta uxorem et symmystas. Nostri vos omnes salutant. Vale. 12. Decemb. 1545.

Tuus P. Viretus.

---

740. 1) *non remissa epistola de qua vide praecedentem.*
2) *quo se purgaturus ierat* (731).
3) *lege*: Camperellum, *nunc Gaiensem.*
4) *Bernae, mense Octobre.*
5) *Ministros Bernenses notat, praesertim Sulzerum* (*Hundesh. p.* 200).
6) *Lausannam vocandi in locum B. Comitis.*
7) *N.* 676, *not.* 1 *et* 697, *not.* 14.
8) *Tales rumores de Geneva a milite sabaudico insidiis petita subinde spargebantur. Non ita multo ante Bernates Genevensibus auxilium duorum millium militum obtulerant simili occasione* (*Ruchat* V. 259).

741.

MINISTRI GENEVENSES GAIENSIBUS.

Elogium Champerelli maxima ex parte idem quod nuper in similem finem Bernensibus miserant.

(Autographon exstat in MSS. Bibl. civicae Bernensis: Hist. helvet. III. 34, fol. 214. Unde autem habuerit Simlerus Vol. 58, nobis non constat, quum aliquot notabiles variantes in eius textu occurrant. Alias reperies collato textu Ep. 710, sed pauciores.)

Fidelibus Christi ministris qui in praefectura Gaiensi evangelium annunciant fratribus symmystisque carissimis.

Quoniam scriptum consignatumque testimonium a nobis postulastis de *Champerelli* discessu, mittimus descriptum ex literis quas ecclesiae Bernensis ministris scripsimus iam ante mensem.[1]) Nam quum Bernae ambiret ministerium *Champerellus*, ne quid per imprudentiam peccarent, voluimus illos de re tota esse monitos: et facile erat suspicari hominem impudenter vanum illic quoque non abstinere calumniis. Quam coniecturam non fuisse falsam *Sulzerus* suis literis[2]) indicavit. Nos igitur officium nostrum fecimus. Si cessarunt illi, viderint quam rationem reddituri sint Deo. Neque enim credibile est quod nugator ipse iactat, illos ita desipuisse ut se causae adeo turpi et flagitiosae adiutores praebuerint. Porro quia semel nobis partibus nostris defuncti videbamur, erat in animo posthac silere, nisi essemus a vobis interpellati. Sed vobis quod aequissimum est petentibus negare, nimiae vel superbiae vel socordiae esset. Plus autem fidei habiturum putavimus testimonium, si ad verbum excerperetur ex illis literis quas dedimus non tantum recenti memoria sed fere in re ipsa praesenti. Ac tametsi vos iam ad officium voluntarios et alacres esse videbamus, hi tamen duo fratres nostri ad vos proficiscuntur ut verbis nostris vos in recto proposito confirment.

Haec porro historiae summa est.[3]) Hac conditione recipimus in collegium nostrum ministros, ut ecclesiae Genevensi serviant, tam in agro quam in urbe, quocunque fuerint senatus autoritate et nostro iudicio destinati. Hic ex agro in urbem accitus fuerat, quo tempore res erant turbatae. Postea quum nonnulli eo longe doctiores in agrum ablegarentur, retentus in urbe fuit quia bene vocalis erat

---

741. 1) *N.* 717.
2) *deperditis.*
3) *Hinc fere merum apographon habes epistolae ad Bernenses missae. Eandem historiam Hundeshagen paucioribus attingit p.* 201 *sq. Annotationes nostras hic repraesentare non attinet.*

et orationem habebat vulgo accommodatam. Saepe tamen interea monitus fuit in conventu fratrum quum de aliis vitiis tum de negligentia et dissoluto vitae genere. Ab uxore etiam multa offendicula oriebantur. Sed nihil peius nos habebat quam quod in cauponis frequentior erat quam domi. Quod fieri non poterat quin voraret uno prandio diei unius stipendium quo se et uxorem alere debebat, et interea vulgi sermonibus non se modo sed omnes ministros exponeret. Sodales habebat helluones quosdam prostituti pudoris, qui infamiam augebant. Quum eos ceperat urbis fastidium animi causa sic rusticabantur, ut aliquanto plus licentiae indulgerent. Id illi placide sed tamen severe aliquoties ostensum fuit. Atqui, tanquam humanitatis oblitus foret, nullum resipiscentiae signum praebuit. Nam sicut ad populi famam occalluerat, ita nostras monitiones parvo aestimavit. Ergo nisi hominem perditum vellemus, remedium nobis unum restabat, a sodalitiis, quibus sponte nunquam renunciasset, eum loci distantia removere. Est in praefectura Tonnoniensi parochia, huius ecclesiae membrum. Minister eius loci paulo ante mortuus erat. Donec successor esset ordinatus, unus ex nobis illuc die dominico proficiscebatur. Et iam omnes urbis ministri vice sua perfuncti erant, praeter *Calvinum* et illum. Recepit ergo se iturum. Postridie innotuit domo pedem non movisse. Nos ministri urbis non amplius differendum censuimus quin illuc mitteretur. Iudicium nostrum senatus comprobavit. Quum tamen adhuc nonnihil refragaretur, tota fratrum congregatio id scivit. Passus est itaque se ordinari illic a fratre nostro *Calvino*. Nos quid sentiat ille ex operibus cernimus. Sed ludum puerilem esse non putamus quum solenni ritu addicitur uni ecclesiae minister cum publica nominis Dei invocatione. Nunc intelligite quid sequutum sit. Quoniam uxor erat partui vicina veniam sibi dari petiit si non tam cito familiam et supellectilem suam illuc transferret. Se tamen interea non defuturum concionibus. Dilationis venia illi data est ad certum tempus. Non praestitit quod promiserat. Subinde enim eligendus erat ex nobis qui subiret eius vices. Interea certis indiciis olfaciebamus alio eum adspirare. Sed dissimulamus donec passim volitaret rumor eum subrogatum iri Bernensi ministro. Claudius *Veronus* quocum capitales exercuerat inimicitias assiduus apud eum erat. Is negotium peregit si vera fuit fama. Imo satis patefecit nihil temere de se fuisse creditum. Testis enim est tota classis Gaiensis quam petulanter se gesserit ut eum quovis modo promoveret. Re propemodum convicta admonuimus ut se purgaret. Nos enim reatum iam sustinere coram Deo tam longae cessationis et apud homines flagrare infamia, quod putarent nos sponte connivere. Quia frigide tantum negabat, iussimus ut ad haec tria postulata nobis responderet: annon eo conscio ac volente, imo et rogante agitatum foret de eo in locum *Ioannis* Bernetensis subrogando? deinde, quum ordinatus fuerat Dralliani pastor, an serio suscepisset eius ecclesiae curam, an vero aliud iam tunc animo propositum haberet? tertio an, quum admonitus fuerat a nobis de statione illic figenda, serio testatus esset sinceroque animo statim se migraturum, anne temporis causa hoc finxisset? Nullum fuit ex tribus rogatis de quo certum aliquid et planum potuerimus elicere. Tantum ambagibus et involucris effugere conatus est. Secundo revocatus perstitit in suo illo tergiversandi artificio. Porro missionem sibi dari volebat honestam, aut saltem absque ignominiae nota. Praetextum afferebat, quod propter gravem uxoris morbum neque hic neque alibi usquam ministerio fungi posset ante sex menses. Hoc eum mentiri quum ex verbis male cohaerentibus apparebat, tum quia domi illi exciderat vox impia, brevi ab hac tyrannide in qua esset exiturum. Erant iustae causae cur ministerio abdicaretur, aut saltem ad senatum mitteretur, quo iureiurando adigeretur ad canonicam purgationem. Praeterquam enim quod vehementibus indiciis et communi fama premebatur, responsiones eius partim flexiloquae partim contumaces eum non esse innocentem prodebant. Humanius tamen cum eo egimus. Ad senatum misimus tres e collegio nostro qui ipso audiente exposcerent: Iustis ac necessariis causis nos fuisse compulsos ad eum transferendum. Eum legitimo ritu fuisse ordinatum. Nos tamen certis signis animadvertisse, meram fuisse simulationem quod se passus fuisset ordinari. Nunc eum missionem petere, obtendere causas quae nobis nullo modo probarentur. Nos quidem nequaquam autores esse eius retinendi, quia inutilis futurus esset, sed potius relinquendum esse ut abiret, improbato tamen ac damnato eius discessu. Nisi haec omnia ipse approbaret, in mandatis habebant fratres totam vitae eius historiam dedecore plenam referre. Sententia quidem nostra a spe ministerii in posterum erat exclusus. Confessus est verissimum esse quidquid dixerant fratres nostri. Triduo post, aut circiter, obtulit se fratribus classis Gaiensis, ut sibi locus apud eos daretur. Hic cernitis hominis desperatam impudentiam. Qui in coetu nostro bis aut ter asseruerat, sibi necessario ab omni publico munere supersedendum esse, idem in senatu nostro confirmaverat, statim conditionem ad portas ambit. Vos statuite an tolerabile sit ministrum verbi Deo et ecclesiae mentiri in re tanta. Quo se in fratrum Gaiensium favorem insinuaret, finxit se habere quaedam arcana quae in tempus opportunum differret. Privatim conquerebatur in aures singulorum, fratrem nostrum *Calvinum* sibi et cuidam sodali suo, qui cum eo nuper ad vos (nescimus qua de causa) profectus est, infestum esse, quod parochiae cuius-

dam possessiones a clar. senatu vestro emissent. Id improbissime ab eo fuisse confictum, nos testes sumus et res ipsa clamat. Verum multo longius perrupit. Berna enim reversus testimonium a senatu nostro quum peteret multis et mordacibus calumniis nos impetivit. Senatus, id quod erat, iniquum fore ratus si nos ad purgationem non admitteret, triduo post eum adesse iussit. Nos quoque vocati sumus. Praefati nos minime voluntarium cum eo suscipere certamen, mirari nos diximus, quis eum genius incitasset ut nos criminando meliorem suam causam existimaret se facturum. Tum illa omnia quae audistis ordine recitavimus ut inde iudicium fieret. Nihil prorsus negavit, neque silentio contentus ingenti omnium stupore confessus est id totum esse verum. Iterum permissu senatus purgare nos coepimus a malevolentiae suspicione quam nobis absentibus inusserat. Diluimus item calumnias quas nobis asperserat. Qua in parte servilis ingenii malitia apparuit. Testatus enim est coram senatu, se absque ullius nota petere missionem, nec sibi in animo esse quempiam gravare invidia. Actis autem publicis multa continebantur quibus nobis odium conflare studuerat. Defensio nostra talis fuit, ut nequissimus calumniator ab omnibus iudicaretur. Sed quid proferimus aliorum iudicia? Ipse obmutescendo se palam damnavit. Neque id modo: sed maxima ex parte vera esse omnia ultro annuit. Quia non adeo frequens erat senatus, reiecta fuit causa in hodiernum diem. Postquam introducti fuimus, senatus nobiscum expostulavit quod non citius ad se detulissemus talem causam. Facilis fuit et prompta excusatio: quod quum fuissemus iusto humaniores, tamen accusaremur nimiae saevitiae. Caeterum vel clementiam vel indulgentiam nostram nequaquam eo spectasse ut aleretur in suis vitiis, sed ne praecipitem impelleremus. Postea rogavimus uno verbo senatum ut testimonium ex actis publicis redderet clarissimo vestro senatui. Quod se facturum non difficulter recepit. Deum et homines testamur, nihil hoc scripto hostili animo aut accusatorio dictum contineri conflandae invidiae causa, sed rem fideliter ut habet sincero ecclesiae iuvandae studio esse relatam. Deus vos conservet ministerioque vestro benedicat, fratres dilectissimi et nobis colendi.

Genevae, 13. Decembris 1545.

Ioannes Calvinus.
Abelus Pouppinus.
Ioannes Ferronius.
Nicolaus Gallasius.
Raymondus Chauvetus.
M. Cop.
Ioannes Calvinus iterum
absentium nomine.

742.

OPORINUS CALVINO.

Commendat ei librum Heroldi recens editum et Magnifico Maigret dedicatum.

(Ex autographo Cod. Goth. 404, fol. 771.)

S. Nihil erat causae, saltem seriae, optime atque doctissime D. *Calvine*, cur hoc tempore ineptis meis literis melioribus gravioribusque studiis tuis obstreperem, nisi me Ioannes *Heroldus*, [1]) amicus noster, hortando ad hoc impulisset. Dedicavit is librum Alesonii de Exsilio D. Ludovico Magnifico *Maigret*, [2]) quem et apud vos nunc agere tibique perquam familiarem esse intellexit. Cupit igitur a te illi officium suum commendari, quod ita animum suum erga illum nulla re alia declarare licuerit, idque uti abs te impetrarem enixe contendit. Oro itaque te, mi D. *Calvine*, quando eiuscemodi a te officium petimus uterque, quo et devincire nos tibi magis magisque potes: neque sumptu aliquo aut labore, sive molestia singulari ad praestandum id nobis opus est, nobis ut gratificari hac quoque in re libenter atque amice velis. Quod si vicissim quacunque alia in re praestari aliquid tibi aut tuis possit a nobis, semper quidem nos experiere accepti beneficii memores. Bene vale, et Timotheo tuo, [3]) quem proxime tecum hic Basileae habebas, optimo atque eruditissimo iuveni, plurimam meo nomine salutem dicito. Basileae, 16. Decembris 1545.

Io. Oporinus
tuus ex animo.

743.

CALVINUS VIRETO.

Valerio Lausannam vocato alius Capunculo quaerendus successor. In Champerelli negotio fratres Ber-

---

742. 1) *Ex Ioechero didicimus hunc fuisse verbi ministrum in agro Basileensi, ex vico Hochstädt ad Danubium oriundum et nonnullorum scriptorum historici generis autorem. Alesonium vero prorsus ignoramus.*

2) *Fuit is Genevae advena ob religionem proscriptus et profugus, iam* 1536 *a senatu stipendiatus, Calvini fidus assecla, anno* 1547 *in causa Am. Perrini contra hunc inter primarios testes agens. Sed ei nomen fuit Laurentio (Galiffe, Quelques pages d'histoire p.* 13 *ss.) non vero Ludovico ut hic habet, neque Lamberto ut Haagius, France prot.* VII. 361.

3) *Hoc viri nomen non proprium fuisse, sed symbolicum ab Oporino inditum, patet.*

nenses officio pares non fuerunt. Alia nonnulla ὡς ἐν παρόδῳ.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 150. Apographa habentur ut solent in Cod. 111ᵃ, fol. 6; 111, fol. 130; Bern. VII. p. 738 et Siml. Vol. 58.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi ministro Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et symmystae carissimo.

Quum me nuper rogasset *Farellus* ut de Iacobo *Valerio* tecum agerem, respondi ut debui: nimis stulte eos fecisse, qui sibi eligerent quem a vobis electum iri sciebant. Si veneris, dispiciemus qua ratione corrigi possit eorum stultitia. Neque vero successor *Capunculo* tantum quaerendus erit, sed de toto ecclesiae illius statu tractandum. Simul etiam audies unde excitata fuerit trepidatio in hac urbe.[1] Nam literis veram causam exprimere non licet. Puto Nicolaum *Schinderum*,[2] quum istac transiret, aliquid tibi dixisse de mandatis quae attulerunt postremi legati. Obtulerunt enim se ad omnia: idque fieri ex animo mihi asseruit *Nicolaus. Champerellum* fuisse admissum non est quod mireris. Nam eius causam duo praefecti susceperant, neque finem instandi fecerunt donec tandem obtinuerit qualemcunque locum. Profuit ergo illi habere *Pattucii* uxorem.[3] Caeterum a fratribus nostris haud dubie proditi sumus. Quanquam enim non credo, quod iste nebulo passim iactat, eos fuisse suffragatores, video tamen officium nequaquam fecisse. Valeant igitur in posterum. Cruseti[4]) minister proximo Veneris die post natalem Domini a vobis petet classis nomine ut intercessioni quam instituunt vestrum quoque nomen subscribere velitis. Quod a vobis impetraturum confido. Vale, mi frater et amice singularis. *Textor* nondum rediit. In singulas tamen horas eum exspecto. De uxore tua utinam proximis[5]) literis laetius nobis aliquid significes. Nisi matertera iam periculum evaserit, timeo ne actum sit de eius vita. Dominus vobis adsit, vos tueatur, vos spiritu consolationis repleat. Amen. Genevae, 18. Decemb. 1545.

Ioannes Calvinus tuus.

743. 1) *N.* 740, *not.* 8.
2) *Sic Codex. Simlerus habet Schniderum, quod sane praeferendum. Videtur fuisse senator Bernensium, quorum etiam qui hic laudantur legati.*
3) *Haec ad interiora pertinuisse facile coniicies, nec mirum nihil lucis Hundeshagenium afferre p.* 201.
4) *Crozet vicus inter Gex et Sergy ad Iurae radices situs. Certe in ipso pago Genevensi tale nomen non occurrit.*
5) *Sic restituimus quod autographon praebet:* proimis. *Caeteri emendant:* primis.

744.

CALVIN A M. DE FALAIS.

Il lui recommande son frère dont le voyage le conduira à Strasbourg et est désireux d'avoir de ses nouvelles.

(Autographe de la Bibl. de Genève. Cod. 194, fol. 2. M. de Falais écrit au dos: *Respondu le* 5 *Janvier an* 46.)

A Monseigneur Monsieur de Fallez.

Monseigneur, pource que mon frere servira de lettres iay bonne excuse de ne vous point escrire plus au long. Ie croy quil sera besoing quil vous racompte la cause de son voiage[1]) et quil en communicque avec vous. Comme ie seroye bien marry quil fust enveloppe en rien ou vous eussiez dommage: aussi ie seroye ioieulx quil vous peult servir a vostre proffict. Nous sommes tousiours attendans apres vos nouvelles avec grant desir. Et quant il ny auroit que cela, encor suis ie ioieux que mon frere aille iusque la pour nous rendre plus certains de tout vostre estat.[2]) Car ie vous asseure que ie languis quant ie suis long temps sans scavoir comment tout se porte chez vous. Principallement vostre personne et celle de Madamoiselle. Sur ce, Monsr., apres avoir faict mes humbles recommandations a tous deux, ie prieray nostre bon Dieu de vous avoir tousiours en sa saincte garde, vous augmenter de plus en plus en ses richesses celestes et vous maintenir le couraige quil vous a donne de surmonter le monde. De Genefve en hasté ce xxix de Decembre.

Vostre serviteur humble frere
et entier amy a iammais
Iehan Calvin.

745.

CALVINUS LIBERTETO.

Domestica et privata nonnulla breviter attingit negotia.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium.)

Pio et erudito viro Christophoro Fabro Tononiensis ecclesiae fidelissimo pastori symmystae carissimo et amico integerrimo.

S. Ita male inter te et collegam fuisse transactum, quod nihilo futura esset melior tua conditio

744. 1) *Il sera encore question de ce voyage dans une lettre à Farel du 26. janvier 1546.*
2) *Il s'agit de la santé du baron dont il a été parlé plus d'une fois les mois précédents.*

in bona causa quam adversae partis in mala! Utinam non pax modo sed concordia etiam inter vos firma sit. Ex literis quas misisti alteras recepi duntaxat. Mihi dolor uxorem tuam et *Hannam* vestram morbo simul afflictari. Nam ex me coniecturam facio quibus molestiis impliceris. Mea difficulter se colligit. Haemorrhoides adhuc eam cruciant. Accessit tussis quae dolorem exasperat. Necdum penitus soluta est a febri. Paulatim tamen, ut spero, se et vires colliget. Dominus tuae quoque et filiolae restituat plenam sanitatem. Te, quum per domesticam commoditatem licebit, videre cupio. Reversi sunt *Nicolaus* et *a Sancto Andrea*. Nolui te nominare quum de negotio tuo verba facerem. Causam malim ex me audias et simul quid excusent. Coram igitur haec omnia. Puto literas te habere unde intelligas quid de vino agendum sit. Eas dico quas abs te receperam. Neque enim in scrinio meo reperio. Vale, frater et amice integerrime, una cum uxore et filiola. Dominus vos conservet ac benedicat in omnibus. Uxor mea te et illas peramanter salutat, et fratres *Abel, Copus, Gallasius*. Genevae.[1])

Ioannes Calvinus tuus.

746.

CALVINUS CAPNIO.

(Ad hunc annum 1545 omnino pertinet epistola illa quae incipit a verbis: *Quum haberem ad te literas*, quam inseruimus Opp. Tom. VI. p. 631. Argumentum eius tale est ut vix dubium esse possit quin amicus ille, cui eam Calvinus inscripsit in editi libelli sui appendice, idem fuerit Capnius quem ex N. 600 edendi autorem fuisse cognovimus.)

---

745. 1) *Quum Libertetus adhuc Tononii ministerio fungatur, haec epistola ante mensem Martium a 1546 scripta fuit. Quod de uxoris adversa valetudine dicit iam ad a. 1545 exeuntem pertinere potest. Caetera incerta.*

nenses officio pares non fuerunt. Alia nonnulla ὡς ἐν παρόδῳ.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 150. Apographa habentur ut solent in Cod. 111ᵃ, fol. 6; 111, fol. 130; Bern. VII. p. 738 et Siml. Vol. 58.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi ministro Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et symmystae carissimo.

Quum me nuper rogasset *Farellus* ut de Iacobo *Valerio* tecum agerem, respondi ut debui: nimis stulte eos fecisse, qui sibi eligerent quem a vobis electum iri sciebant. Si veneris, dispiciemus qua ratione corrigi possit eorum stultitia. Neque vero successor *Capunculo* tantum quaerendus erit, sed de toto ecclesiae illius statu tractandum. Simul etiam audies unde excitata fuerit trepidatio in hac urbe.[1]) Nam literis veram causam exprimere non licet. Puto Nicolaum *Schinderum*,[2]) quum istac transiret, aliquid tibi dixisse de mandatis quae attulerunt postremi legati. Obtulerunt enim se ad omnia: idque fieri ex animo mihi asseruit *Nicolaus*. *Champerellum* fuisse admissum non est quod mireris. Nam eius causam duo praefecti susceperant, neque finem instandi fecerunt donec tandem obtinuerit qualemcunque locum. Profuit ergo illi habere *Pattucii* uxorem.[3]) Caeterum a fratribus nostris haud dubie proditi sumus. Quanquam enim non credo, quod iste nebulo passim iactat, eos fuisse suffragatores, video tamen officium nequaquam fecisse. Valeant igitur in posterum. Cruseti[4]) minister proximo Veneris die post natalem Domini a vobis petet classis nomine ut intercessioni quam instituunt vestrum quoque nomen subscribere velitis. Quod a vobis impetraturum confido. Vale, mi frater et amice singularis. *Textor* nondum rediit. In singulas tamen horas eum exspecto. De uxore tua utinam proximis[5]) literis laetius nobis aliquid significes. Nisi matertera iam periculum evaserit, timeo ne actum sit de eius vita. Dominus vobis adsit, vos tueatur, vos spiritu consolationis repleat. Amen. Genevae, 18. Decemb. 1545.

Ioannes Calvinus tuus.

743. 1) *N.* 740, *not.* 8.
2) *Sic Codex. Simlerus habet Schniderum, quod sane praeferendum. Videtur fuisse senator Bernensium, quorum etiam qui hic laudantur legati.*
3) *Haec ad interiora pertinuisse facile coniicies, nec mirum nihil lucis Hundeshagenium afferre p.* 201.
4) *Croset vicus inter Gex et Sergy ad Iurae radices situs. Certe in ipso pago Genevensi tale nomen non occurrit.*
5) *Sic restituimus quod autographon praebet:* proimis. *Caeteri emendant:* primis.

744.

CALVIN A M. DE FALAIS.

Il lui recommande son frère dont le voyage le conduira à Strasbourg et est désireux d'avoir de ses nouvelles.

(Autographe de la Bibl. de Genève. Cod. 194, fol. 2. M. de Falais écrit au dos: *Respondu le* 5 *Janvier an* 46.)

A Monseigneur Monsieur de Fallez.

Monseigneur, pource que mon frere servira de lettres iay bonne excuse de ne vous point escrire plus au long. Ie croy quil sera besoing quil vous racompte la cause de son voiage[1]) et quil en communicque avec vous. Comme ie seroye bien marry quil fust enveloppe en rien ou vous eussiez dommage: aussi ie seroye ioieulx quil vous peult servir a vostre proffict. Nous sommes tousiours attendans apres vos nouvelles avec grant desir. Et quant il ny auroit que cela, encor suis ie ioieux que mon frere aille iusque la pour nous rendre plus certains de tout vostre estat.[2]) Car ie vous asseure que ie languis quant ie suis long temps sans scavoir comment tout se porte chez vous. Principallement vostre personne et celle de Madamoiselle. Sur ce, Monsr., apres avoir faict mes humbles recommandations a tous deux, ie prieray nostre bon Dieu de vous avoir tousiours en sa saincte garde, vous augmenter de plus en plus en ses richesses celestes et vous maintenir le couraige quil vous a donne de surmonter le monde. De Genefve en hastê ce xxix de Decembre.

Vostre serviteur humble frere
et entier amy a iammais
Iehan Calvin.

745.

CALVINUS LIBERTETO.

Domestica et privata nonnulla breviter attingit negotia.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocom

Pio et erudito viro Christophoro
ecclesiae fidelissimo pastori
et amico integerrimo.

S. Ita male inter te
actum, quod nihilo futur

744. 1) *Il sera encor*
à Farel du 26. janvie
2) *Il s'agit de*
plus d'une fois les

in bona causa quam adversae partis in mala! Utinam non pax modo sed concordia etiam inter vos firma sit. Ex literis quas misisti alteras recepi duntaxat. Mihi dolor uxorem tuam et *Hannam* vestram morbo simul afflictari. Nam ex me coniecturam facio quibus molestiis impliceris. Mea difficulter se colligit. Haemorrhoides adhuc eam cruciant. Accessit tussis quae dolorem exasperat. Necdum penitus soluta est a febri. Paulatim tamen, ut spero, se et vires colliget. Dominus tuae quoque et filiolae restituat plenam sanitatem. Te, quum per domesticam commoditatem licebit, videre cupio. Reversi sunt *Nicolaus* et *a Sancto Andrea.* Nolui te nominare quum de negotio tuo verba facerem. Causam malim ex me audias et simul quid excusent. Coram igitur haec omnia. Puto literas te habere unde intelligas quid de vino agendum sit. Eas dico quas abs te receperam. Neque enim in scrinio meo reperio. Vale, frater et amice integerrime, una cum uxore et filiola. Dominus vos conservet ac benedicat in omnibus. Uxor mea te et illas peramanter salutat, et fratres *Abel, Copus, Gallasius.* Genevae.[1])

Ioannes Calvinus tuus.

746.

CALVINUS CAPNIO.

(Ad hunc annum 1545 omnino pertinet epistola illa quae incipit a verbis: *Quum haberem ad te literas*, quam inseruimus Opp. Tom. VI. p. 631. Argumentum eius tale est ut vix dubium esse possit quin amicus ille, cui eam Calvinus inscripsit in editi libelli sui appendice, idem fuerit Capnius quem ex N. 600 edendi autorem fuisse cognovimus.)

---

745. 1) *Quum Libertetus adhuc Tononii ministerio fungatur, haec epistola ante mensem Martium a 1546 scripta fuit. Quod de uxoris adversa valetudine dicit iam ad a. 1545 exeuntem pertinere potest. Caetera incerta.*

747.

CALVINUS VIRETO.

Ferronio in sua qua nunc est statione male habentem aliam quaerit eumque Lausannensibus commendat. Etiam Ioanni a S. Andrea prospiciendum.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 151 collatis apographis Ionvillaei Cod. 111a, fol. 10 v., Turretini Cod. 111, fol. 133, Bernensi Epp. VII. p. 740, Simleri Vol. 56.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et symmystae carissimo.

S. Habes hic fratrem nostrum *Ferronium*, de quo nuper inter nos loquuti sumus. Scis quid tibi dixerim: mihi vehementer dolere quod minus tranquillo esset animo. Siquidem molestiam qua angitur videor mihi propriis humeris sustinere.[1] Quod si ab initio putassem, eius desiderio non aliter posse fieri satis, quam si ex ea regione urbis in qua habitat ad nos traduceretur, ratio forte inventa esset. Nunc serum est remedium, nisi velim perpetui dissidii materiam serere. Suspicatus est initio me suis votis non adeo esse propitium. Ego autem medium me gerebam, quia videbatur id mei esse officii. Nunc ut vi[2]) alium extrudam in eius locum, adduci nequeo, quia non arbitror expedire. Interea mire cruciatur, neque aliter placatum iri spes est nisi locum mutet. Fratrem vero tanta anxietate constrictum non eximere, quum facile sit, inhumanum est. Praesertim fratrem eum, qui ob egregias dotes, quibus alioqui pollet fovendus est quanta licet benevolentia. Nunc quae illius ratio haberi a nobis possit, ut eius quieti consulamus, dubito. Haec porro illi conditio maxime placet, si in locum *Ioannis* subrogetur. Rationes tibi suas coram melius exponet. Video rem esse factu difficilem. Facit tamen ardor desiderii ut effici posse speret. Pluribus non agam tecum: scio enim quam illi bene cupias, et scis mihi fore gratissimum si sublevatus anxietate sua fuerit. Tametsi enim a mutationibus abhorreo, et non libenter eum abire a nobis patior, quod vulgo non reperiantur tales, mihi tanti est eius tranquillitas ut alia obliviscar omnia. Tu, si qua via patebit, consilio et ope eum ut adiuves etiam atque etiam rogatum te velim.

Ioannes quoque a *S. Andrea*[3]) meo consilio ad te proficiscitur. Narravit *Christophorus* quid de eo nihil tale cogitante fratres Tononienses consultaverint. Nunc bonus vir propemodum attonitus haeret. Nisi timeret Dei vocationem respuere, libentius, saltem adhuc ad tempus, supersederet. Tradit se tamen Deo regendum, et quocunque duxerit paratus est sequi. Nihil potui consulere melius quam te adeat, ac quidquid statuerit[4]) cum *Christophoro* ratum habeat. Quin etiam, si tu ita censueris, Lausannam usque concedat. Est vir ingeniosus ac eximia ingenii dexteritate, bene exercitatus in scripturis, prudens ac cordatus. Has dotes iacere sepultas nolim me autore, ut mihi culpa adscribatur.

Vale, frater et amice integerrime. Dominus tibi adsit perpetuo, teque spiritus sui consolatione sustentet in domesticis tuis afflictionibus. Ego cum *Textore* egi ut tuam uxorem invisat. Tanto est in te amore ut postponere omnia impedimenta non du-

---

747. 1) *Ferronius a.* 1544 *Genevam accersitus ministerio in suburbio S. Gervasii fungebatur, egestate adeo pressus ut senatus nuperrime* (15. *Dec.*) *ex aerario publico domicilii eius locationem soluto pretio in se receperit.*

2) *Apographa omnia male*: vix.

3) *De hoc vide N.* 674, *not.* 3. *Hoc ipso anno* 1546 *in vico Moing ditionis Genevensis munus sacrum adiit. Pro tempore conditionem quaerebat.*

4) *Sic codd. Genevenses omnes. Caeteri ex coniectura a vero haud absimili*: statueris.

bitet. Ibit igitur cras ut spero. Tertio nonas Ianuarias 1546.[5])

Ioannes Calvinus tuus.

748.

CALVINUS VIRETO.

Commendat ei Gallum quendam olim Parisiis sibi notum, cui Bernae aditum ad senatum patefaciat opera sua apud amicos interposita.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 152, coll. c. apographis Ionvillaei Cod. 111a, fol. 10 v., Turretini Cod. 111, fol. 133 v., Bernensi Epp. VII. p. 742, et Simleri Vol. 59.)

Fideli Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et symmystae carissimo.

S. Hic bonus vir[1]) mihi notus fuit Parisiis ante annos decem. Iam tunc et bonarum artium et pietatis studio bonis et doctis probatus erat. Ex eo tempore cardinalis *Castillionensis* eum praefectum Bellovaci constituerat, quem illic ballivum vocant. Nunc posthabito mundo huc concessit, ut se totum Christo addicat. Doctrina est instructus qua non vulgariter promovere Christi regnum poterit. Animum ex factis aestimare licet. Cur autem ad te proficiscatur haec ratio est. Patrimonium habet satis copiosum, et spem maternae haereditatis ampliorem. Ne impediretur profectio, maluit rebus suis incompositis ad nos migrare. Sed ne expositum praedae relinquat quidquid habet, consului ut anteverteret. Una est expeditissima ratio ut fidem senatus Bernensis imploret, quae illi, mea opinione, facile patebit, quoniam nullo negotio nullisque impensis constabit. Exponet adventus sui causam: operam suam ad ecclesiae aedificationem offeret: petet ut sibi velint esse adiumento. Sed quia, si absque commendatione veniat, vix illi fides habebitur, scribes ad amicos ut manum illi porrigant. Hoc negotio confecto paratus erit ad omnia, et erit tum animo tum facultate idoneus. Fac igitur ne sibi nos defuisse putet.

De *Montepinsono*[2]) minus est quam quod *Marpinus* tibi retulerat. *Nicolaus* aurifaber testem habet eum qui liberis hic relictis fuga se subduxit. Nihil tamen fur ille monetarius et fugitivus asserebat quam disputationem incidisse: an singuli privati[3]) ex officio reprehendere deberent quidquid peccatur in hoc loco? *Montpinsonum* respondisse: Habent Moisen et prophetas; deinde viros doctos posse domi se exercere legendis scripturis, ita ut quotidianis concionibus non interessent. Ad alia propediem. Vale, frater integerrime. Genevae, nonis Ianuar. 1546.

Ioannes Calvinus tuus.

749.

HEDIO CALVINO.

Varia et nova de colloquio Ratisbonensi et concilio Tridentino. Caeterum ubique terrarum piorum sanguine litatur, in Provincia, in Belgio; Germaniae quoque tristia fata et maiores minae.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 27.)

Piissimo doctissimoque viro D. Iohanni Calvino docenti evangelium apud Gebennates meo praeceptori carissimo

Genff.

S. D. Ornatissime *Calvine.* Literas tuas ad *Bucerum* ego aperui et legi. Ita abiens commisit. Abiit autem 6. Decembris Ratisponam ad colloquium. Decimo post abitum die eo pervenit cum Martino *Frechto* Ulmense, et invenit praesentes ex nostris Erhardum *Schnepfium* cum nobili viro *Gultlingero*[1]) legato ducis Wirtenbergensis, Iohannem *Brentium* Hallensem, ex adversae partis colloquutoribus solum monachum Colmariensem monoculum.[2]) A *Carolo* autem moderatores colloquii ordinati sunt episcopus Eistettensis Mauritius ab *Hütten,*[3]) qui partium evangelicarum fuerat ante episcopalem characterem, alter Fridericus a *Furstenberg*, frater *Gulielmi* nostri. De *Philippo* illuc venturo incerti rumores. Nam *Chelius* noster[4]) Francofordia hisce diebus rediens

---

5) *Non tertio Ianuarii ut S. habet.*

748. 1) *Lugdunensem fuisse patebit ex N.* 750, *not.* 10.

2) *Montepinsonum, Marpinum, Nicolaum iam supra habuisti N.* 703. 704. 706. 735 *ex quibus tamen certiora vix elicies.*

3) *Simlerus emendandum censet:* privatim.

749. 1) *De Balthasare a Gültlingen, duci suo a consiliis eiusque in colloquio partibus v. Sleidan.* II. 417 *et Seckendorf* III. 576.

2) *Io. Hofmeisterum de quo vide N.* 670, *not.* 2. *Edidit:* Handlungen des letzten Colloquii zu Regensburg. Ingolst. 1546. 4.

3) *Sleid. l. l. — Colloquium ipsum inchoatum est d.* 7. *Ian.*

4) *De Ulrico Chelio* (*Geigero*) *medico v. N.* 194, *not.* 4. *Qui olim etiam in aula gallica versatus de Bucero et Melanchthone in Galliam accersendis ibi egerat.*

a cancellario Saxoniae audivit, propter frigus forte retinendum domi, et maxime quum non adfulgeat magna spes in hoc colloquio frugem magnam exportari posse. Interea confluunt Tridentum Antichristi cohors,[5]) et fama volat papam velle decretis concilii (hoc est, suis creaturis quae ne hiscere audent contra factorem) sese submittere. Alii iactant iamiam paratum fulmen pontificium in episcopum *Coloniensem*[6]) et protestantes, ut si citati se non mox sistant altitonans ille grandistrepus et nubicogus papa diris omnibus sit papistico coelo profligaturus. Interea nostris fit spes regem Galliarum istiusmodi concilium Tridentinum non velle invisere.[7]) Quid consilii Anglus habeat forte ex legatis protestantium, *Sturmio*, *Sledano* et aliis, ubi redierint audiemus.[8])

De persequutione piorum in Provincia certe ex animo dolemus. Et quando coram hominibus iuvare eos non possumus, precibus nostris a patre misericordiarum et deo omnis consolationis hoc contendamus ut illis veritatis discipulis ac confessoribus det eam fidem quae est omnipotens, et victoriam mundi. Omnipotens enim Iesus: haec est fides nostra. Et tamen quum legati regis Galliarum in praesentiarum Francofordiae sunt in comitiis protestantium,[9]) non puto obesse causae si quae in literis tuis de hac persequutione legi D. Iacobo *Sturmio* ascribam. Si enim rex protestantium amicitiam ambit, cur consortes fidei et sacramentorum, hoc est, membra Christi persequitur? Putarim sane multorum referre, cum quo quis amicitiam vel foedus ineat. Ante omnia enim Dei praesidium quaerendum est. Iuda Deus punivit quando cum Aegyptiis iungebantur. Et quum Iudas Machabaeus Romanis confoederaretur, iam evanescebat eius fortuna. Nec impune tulit Iosaphat quoniam cum Achab foedus fuerat. Sed haec sinamus.

De *Caesare* non audimus certi quidquam, quam quod vigilia Andreae quidam Antwerpiae typographus decollatus fuit,[10]) quod biblia cum scholiis Lutheri excudebat. Ita passim christiano sanguine omnia madent, quem vereor clamare vindictam e terra.

Beatus *Rhenanus* hisce diebus ad me scripsit, apud Lutetiam promulgatos articulos orthodoxae religionis, ac damnatos libros innumeros, in queis *Erasmi* paraphrases omnes, enchiridion, colloquia, de esu carnium.[11]) *Brunsvicensem* senem in Zigenheim captum detineri haud dubie antea audivisti: iuniorem filium *Carolum Victorem* Marpurgi adservari, in loco gymnasii, forte ut discat utrum victor activum aut passivum sit.[12]) Sed iocus est. Utinam istorum principum ac aliorum corda tangantur cogitatione communis boni. Osculentur filium, et discant quid sit amare et iuvare ecclesiam, et illud psalmi: Confundantur omnes qui oderunt Sion.

Quod Ursini[13]) dextre vobis in trepidatione adfuerunt, faciunt quod decet viros et Germanos. De *Sabaudo* forte licebit hoc dicere: frustra est sine viribus ira. Deus misereatur orbi christiano, et donet veritatem et pacem in diebus nostris. Sunt enim qui metuant concilii Tridentini sanguinolentam catastrophen. Sed coeptum est Wormatiae praeludium in comitiis anni 21, ut *Aleander* et alii eiacularentur istas voces, se Germaniae instructuros balneum sanguineum. Dominus Sabaoth perdat illos balneatores. Amen.

Bene vale, mi *Calvine*, animo meo semper dilecte, et hanc epistolam boni consule. Saepius enim ad te scriberem: atqui sancta tua studia non libenter impedio legendis meis negligenter scriptis literis. Offero tamen me ad obsequia tua, si aliqua possim praestare. Argentorati vj Ianuarii 1546.

Petrus *Alexander*[14]) reginae concionator Heidel-

---

5) *Idibus Decembribus paucissimis praesentibus inchoatum fuerat concilium; deinde altera sessio a. d.* VII. *Id. Ian. frequentior celebrata est.* (*Sleid. p.* 423.)

6) *Cuius causa dudum instructa erat, et ipse ad tribunal pontificium citatus. Sed usque resistebat et a. d. V. Id. Dec. foederis Smalcaldici socios de causa sua agenda adierat.*

7) *Ipse tamen postea m. Iunio aut Iulio oratores suos eo misit.* (*Hist. des Eglises réf. de France* I. 48.)

8) *M. Septembre legati principum protestantium in Angliam et Galliam missi fuerant ad pacem inter reges conciliandam, inter alios Sturmius ad Franciscum, Sleidanus ad Henricum.* (*Vide hunc* II. 399.)

9) Deliberatum ibi fuit de concilio Tridentino, de prorogando foedere, de sumptibus belli Brunsvicensis, de non deserendo Coloniensi, de sollicitando Caesare in comitiis ut pacem religioni det. (*Sleidan.* II. 409 s.)

10) *Fuit is Iacobus a Liesvelt, cuius editiones a.* 1542—1544 *prodierunt*, *v. Brandt, Historie der Ref. in d. Nederl.* I. 152. *Gerdes, hist. ref.* III. 58. *Le Long, Boekzaal d. nederl. Bybels p.* 567. *Qui de anno mortis ambigunt*, *uno tamen ore profitentur supplicio affectum quia alicubi annotaverit* dat de saligheit der menschen alleen komt door Christus. *Vigilia Andreae est* 29. *Novembris.*

11) *Tales articuli saepius a Sorbonicis promulgati, etiam contra Calvinum. Beatus Rhenanus*, *Operum Erasmi editor obiit a.* 1547. *Eius vitam praefixit Io. Sturmius operi eius celeberrimo:* Rerum germanicarum ll. tres. Bas. 1551 fol.

12) *Henricus dux a Landgravio Hassiae et Mauritio superatus et oppressus et suis ipsius militibus ob debita stipendia rebellionem minantibus diffidens, se cum filio Carolo victori Saxoni dedidit. Sleidan. p.* 400 *seq.*

13) *De Bernensibus Genevae auxilium offerentibus v. N.* 750, *not.* 12 *et Ruchat* V. 305.

14) *Petrus Alexander*, *nisi fallimur, Carmelita apud Atrebates fuerat, postea Mariae Hungariae reginae, Caesaris sororis*, *cappellanus. Post Garnerium et Boquinum coetus Gallici Argentoratensis concionator*, *tunc temporis Heidelbergae degebat, quod nescisse videntur Seisen* (*Ref. in H.*), *Hautz* (*Gesch. der Univ. H.*), *Struve* (*pfälzische Ref. Gesch.*) *et Vierordt* (*Gesch. der badischen Kirche* I. 340 *qui certe nomen eius ignorat.*) *Sed vide Iac. Sturmium ad Philippum Landgravium d.* 21. *Dec.* 1545 *haec scribentem* (*Neudecker*, *merkw. Aktenstücke aus d. Zeit der Ref.* II. 555): Zu Heydel-

bergae Paulum ad Romanos legit: disputat magno applausu. Ibidem etiam D. *Eustathius*[15]) medica profitetur. Quare de eo gymnasio et Electore bene speramus.

Eusebius filius meus te salutat.

Caspar Hedio
tuus ex animo.

750.

CALVINUS VIRETO.

De Roseto ex mediatoris senatus autoritate sibi reconciliato. De bonis Neocomensium ecclesiasticis et ministro ab iis eligendo. Porro iterum de Gallo illo nuperrime commendato. Denique de Perrino et rebus militaribus Bernenses inter et Genevenses transigendis.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 153. — Exstant praeterea exemplaria Ionvillaei Cod. 111a, fol. 34, Turretini Cod. 111, fol. 132; Bernense Epp. VII. p. 745, Simleri Vol. 59.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et symmystae carissimo.

S. Quoniam ad multa nunc tibi respondendum est, dabo operam ut in singulis capitibus sim brevis. De *Roseto*[1]) ita res habet. Quum bona pars senatus de reconciliandis nobis ageret, me libere in medium proferre oportuit quam perfide se gessisset, ex quo semel senatus autoritate mecum in gratiam redierat. Quum omnia impudenter negaret, huc contentione progressus sum: Quid? tunc etiam negabis te cum *Vireto* ita loquutum ut propter *Sebastianum* et *Champerellum*[2]) me invidia gravares? Si apud talem virum, quem mihi non minus quam tibi amicum noveras, tibi non potuisti temperare quin evomeres aliquod virus, quid apud alios te effutivisse credibile est? Quum hic quoque tergiversaretur, iterum excepi: Quid respondeas pro te, nihil moror. Mihi satis est quod *Viretus* animadvertit, te malevolo esse in me animo, et maligne mihi obloquutum testabitur. Tum ita mihi respondit, eos qui ad me detulissent quae narrabam, fortassis primos esse autores. Hic se interposuit senatus, meque vehementer obtestatus est ut omnibus offensis valere iussis illi reconciliarer. Ego vero me optima fide id facturum respondi, nec per me stabit quin liberaliter praestem quod recepi. Ita alter alteri omnium ἀμνηστίαν promisimus. Te mihi quod audieras indicasse, quis vitio tibi vertet? Tum vero iure te omnes malae fidei damnarent si me celasses. Quare non est quod verearis ullius iudicium. Quin ne is quidem, qui tacuisse te mallet, vituperare ausit. Caeterum contentione sepulta hoc totum evanuit. Quod si quid peccatum est ignosce.

Quod *Farellus* petit, ut quasi privatum hominem admonentes scribamus de bonis ecclesiae, absurdum est.[3]) Cuius enim prudentiae fuerit sponte prorumpere? nos ingerere in negotium nobis prope ignotum? responsum ei dare qui nunquam nos consuluerit? Si eius rogatu fecerimus, fabulam de composito inter nos agi dicent adversarii. Erit tamen tolerabile neque ineptum. Petat ergo consilium cuius res agitur. Tum nos de tota re disseremus. Importune satagendo ut me derisui exponam nondum adducor.

Tibi de pastoris electione[4]) ad plebem scribendi non deest honesta occasio. Nam illic quum fueris pastor,[5]) demonstrare poteris hanc curam ab officio tuo minime esse alienam. In eligendo adhuc haereo. Video fratres a *Thoma*[6]) abhorrere, ac sane, si libera daretur optio, illum nollem. Verum si nequeunt aliter placari impii, mallem fratrum consensu admitti, quam aliquid designari per tumultum. *Marcurtius*[7]) nuncii odore dicitur excitatus, nam ad fenestram usque iam prodire incipit. *Christophorum* cur improbemus non video, siquidem impetrabunt fratres ut recipiatur.[8]) *Ferronius*[9]) nos-

---

berg lass man im Augustinercloster die Communion auch halten. Der künigin Marien prediger so im Niderland fur ein ketzer verdampt vnd so er nit entwichen verbrannt wer worden, ist von S. Churf. Gn. angenomen in das obgemelt Augustinercloster gesetzt, liset den Paulum zu den Romern, vnd mag in die furstin wol leyden dweil er in Beyen (?) der konigin Marie lieb geweseen vnd der franzosischen sprach khundig. *Electoris uxor filia erat Christiani II. Daniae regis et Isabellae, Caroli V. et Mariae Hungaricae sororis.*

15) *N.* 671, *not.* 1. — *Cf. etiam N.* 729. 736.

750. 1) *Claudius Roset tum temporis in re publica gerenda inter paucos eminens, clar. Michaelis Roseti pater, hoc ipso anno* 1546 *Syndicus iterum creatus, saepius contentionibus cum Calvino implicitus fuisse videtur, quarum vestigia passim in actis publicis relegi possunt. Cf. Galiffe, nouv. pages* 37.

2) *Haec referenda ad negotia superiorum annorum de quibus saepius in hoc thesauro mentio facta est. De Castellione v. N.* 530 *seq., de Champerello N.* 716 *seq.*

3) *Plura de hoc negotio in eundem sensum habuisti N.* 712 *et* 735.

4) *in locum defuncti Capunculi.*

5) *Anno* 1534 *Viretus per aliquod tempus Neocomi verbum praedicaverat.*

6) *De hoc nihil certi habemus. Barbarinus quidem eo ipso tempore novam sibi conditionem quaerebat* (*N.* 723). *Fuit tamen etiam alius Thomas de la Planche minister in agro Neocomensi.*

7) *Iam olim apud Neocomenses minister, ab adversariis Farelli et severioris disciplinae denuo expetebatur: qui simul plebi ius eligendorum pastorum vindicare studebant.*

8) *Et quidem impetrarunt mense Martio.*

9) *N.* 747.

ter pateretur, opinor, eo se traduci. A doctrina satis est instructus, et, nisi me fallit opinio, nunquam a *Farello* se disiungeret, et nomen forte Neocomensibus esset plausibile. Parcius tamen loquor ne obtrudere videar. Et certe nulla est iusta abitionis causa, nisi alio vocetur.

Boimontius ante septem annos valde mihi fuit commendatus. Ego tamen neque eum neque alium quempiam accersam, vel minima spe illi proposita, nisi qui mihi notus fuerit, non aliorum relatu sed sensu meo.

Lugdunensi [10]) qui meas tibi literas reddidit suaseram ut Bernam proficisceretur tua commendatione fretus, vel potius simplici testimonio, ne suspicaretur senatus aliquem esse ex vagis impostoribus qui quotidie fallunt. Exponeret breviter se huc venisse ad ecclesiam Domini aedificandam: hoc animo patriam reliquisse. Suam deinde operam offerret, patrimonii interea faceret mentionem, ut consuleret senatus quonam remedio eripi posset e faucibus luporum. Iam coniicio quale futurum sit responsum. Tu viam ostende. Faciendum ergo ut praemunitus veniat. Permittat tamen illis iudicium.

Literas tuas reddidi *Perrino*. [11]) Unde orti sint illi sermones nescio. Hospes enim sum in hac urbe. Plus tamen in rebus incognitis mihi cernere videor quam cernant omnes qui omnia oculis habent subiecta. Non est quod me iactantia nimium efferri putes. Caeci enim sunt omnes, ego luscus. Admonueram eum triduo ante coram *Abelo*, caveret ne quam diffidentiae significationem daremus. Nihil tamen audieram dictum, sed occasionem arripueram ex eius sermone, quum obiter attingeret praesidem Cameracensem multa polliceri, modo sibi ab omnibus caverent. [12]) Respondi: Hoc cavere quid aliud est quam se nudare omni praesidio? Id coram pluribus. Clam dixi quae videbantur. Senatum adire nolo, quia fugit omnem communicationem. Quid hactenus egerint cum Bernatibus omnes praeter me unum in urbe norunt. Non faciunt contemptu neque odio quod mihi nihil aperiunt, sed magis pudore, aut quod sapientes videre affectant tacendo. Pro suggestu quid moverem camarinam, quum in urbe ne minimus quidem sit rumor? Multa enim foris volitant quae portas urbis non ingrediuntur. Hoc me urit quod de nihilo tumultuamur. Licebat enim placide agere. Nunc ostentationis studium nobis plurimum oberit. Unus est autor, nullius consilii aut moderationis compos, qui utinam nihil mecum haberet consuetudinis: nam quum libidine sua agat omnia, me primum inconsulto, deinde libere improbante, ex me tamen aliquid adminiculi mutuatur. Quam vereor ne tandem liberae civitati se intolerabilem faciat. Duobus membris totum meum consilium concludo: ut quidquid egerunt cum vestris ratum maneat. [13]) Nam si retrocedant, ostendo quid sequuturum sit. Deinde, ne prae se ferant ullum diffidentiae signum, fidant autem quoad expedit. Si operae pretium iudicavero, ego me interponam. Si non patebit aditus, quid facerem? nisi ut cum illis pereem nulla mea culpa. Utinam nobis hora ad colloquendum daretur. Nam haec aenigmata essent tibi paradigmata. Ego praesidium fugiam quoad non urgebit necessitas. Nam quum nostri iam nimium militariter agere incipiant nullis magistris, hoc est, insolenter et dissolute, quid exspectem ab ipsis magistris? Deinde expende qui delecti sint. Nunquam ergo nostris autor ero praesidii hic collocandi, donec usus fuerit. Quanquam si iam id fuerit constitutum, facile assentiar, imo hortabor ne verbum commutent. Sed ineptus sum qui me illis consultorem profitear, qui excludor. Deflebo igitur mecum tacitus eorum mala, quando ridere nefas est, mederi autem non possum.

Vale cum uxore tua, cuius valetudinem Deo commendabimus. Scito nos de ea peraeque esse sollicitos ac si cuiusque uxor aut filia esset. Dominus vos conservet teque spiritus sui consolatione sustineat.

Non relegi.

751.

DIAZIUS CALVINO.

Agit de colloquio Ratisbonensi ubi ipse adest, et tradit quae per famam publicam rescivit de concilio Tridentino et conventu Francofordiense.

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 79.)

---

10) *N.* 748.

11) *Amadeus (Amied) Claudii filius capitaneus generalis reipublicae Genevensis, olim fervidissimus Calvini assecla, postea infestissimus antagonista. Vide Galiffe Not. gén.* III. 379. *Quae hic occurrunt obscurius dicta contentionem anno sequenti exorsam praesagiunt.*

12) *De Cameracensi praeside, Raimundo Pellisson, vide eundem: Quelques pages p.* 38 *sq.*

13) *Si quid videmus haec ex historia politica potius quam ecclesiastica sunt explicanda. Sub finem a.* 1545 *Bernenses bellum religionis causa in Germania oriundum metuentes legatos miserant Genevam qui cum senatu de tuenda urbe agerent. A. d. IV. idus Dec. de eà re articuli praeliminares conscripti. Iterum pridie nonas Ianuarias octo alii adfuerunt, munimenta ut instaurentur suasuri et praesidium duorum millium militum oblaturi. Genevenses vero Danaos dona ferentes timebant maxime quod etiam dux militum Bernensis futurus erat. Itaque res usque ad m. Martium protracta tandem in fumum abiit. Videtur Calvinus in hoc negotio vel in consilium adhibitus non fuisse, vel adhiberi detrectasse.*

Clarissimo viro Io. Calvino ecclesiae Genevensis primario ministro etc.

Genevae.

S. P. in Christo. Doleo tantum esse huius Ratisbonensis colloquii silentium,[1]) ut dignum aliquid non tam meis literis quam tuis auribus et tua cognitione scribere, mi praeceptor, non possim. Sed ne me negligentiae accusare possis, seu potius ne aliquid a nostris fieri putes, visum est paucis ad te scribere, ut quo in statu res nostrae sint, quidque futurum tandem speremus, non ignores. Ex adversariis nostris non omnes adsunt,[2]) licet illorum ratio ita sit tecta, ut si velint facile possint ex praesentibus quatuor colloquutores deligere. Adest enim *Cocleus*, adest et *Malvenda*[3]) Parisiensis doctor nostras, tibi satis notus. Is est a *Caesare* huc missus, et tantam autoritatem habere in hoc colloquio dicit, ut nihil sine ipso fieri posse asserat. Interim ab eo expiscatus sum, et aperte quodammodo innuebat, nihil ex hoc colloquio sperandum, sed omnia ad concilium Tridentinum esse referenda,[4]) hancque esse *Caesaris* voluntatem. Quod autem ille hic me invenerit et cum *Bucero* venerim, diuque Argentinae egerim, in quam suspicionem apud illum devenerim, quid pro restauranda mea existimatione facere debeam, quodque consilium sequi, quia longum nunc esset commemorare, in aliud opportunius tempus censui deferendum. Ex nostris solus *Philippus* desideratur.[5]) Elector enim *Saxoniae* dux non sinit illum venire, quoad certo de futuro hoc colloquio constet. Interim adversarii silent et *Philippum* non adesse dicunt. Missus est ad Electorem nuncius 3. Ianuarii. Nudius tertius literae ab Electore allatae sunt, quibus aperte dicit *Philippum* non venturum: missurum tamen se dicit eius loco alios qui in itinere iam sunt. Interim quia iam *Philippus* non spectatur, adestque Iulius *Fflug*[6]) unus ex colloquutoribus, nostri petunt a Dominis praesidibus colloquium. Illi consultant, atque ita nunc in hoc statu res sunt. Augustinianus ille Colmariensis[7]) festivis et dominicis diebus concionatur, ex nostris nullus. Sed hic non audet effutire quae Vormaciae: concionatur tamen, ut audio, cum magno applausu, et universales ac generales quasdam propositiones, nec facile audet ad particularia descendere. Duo praesides adsunt: *Mauritius* episcopus Eistettensis et comes Federicus a *Fürstemberg*, Guillelmi comitis frater. Adsunt et duo auditores, comes a Landgravio missus et nobilis ex domo Vittembergensi.[8])

Lutherus scripsit libellum satis, ut aiunt, elegantem et ad rem de capto Brunsvicensi,[9]) sed germanice, quem quorundam rogatu latinum brevi reddet *Brencius* noster. Suo tempore mittam ad vos.

De Tridentino concilio incepto, de missa spiritus sancti, de iuramento praemisso, de bombardis postea emissis, de praeconio divulgato, omnes admissuros se, Turcas etiam et Iudaeos qui illam fidem defendere voluerint: haec vulgaria sunt, et adhuc his plura vobis perspecta esse non dubito. Damus tamen quod habemus. Illud verumtamen non leve et vulgare videtur quod nuper *Bernardinus* ad *Bucerum* scripsit, s. pontificem a concilio facultatem petiisse ut possit ecclesiasticos proventus distrahere, ut bellum protestantibus inferatur, impetrareque velle ut illi liceret Bononiam et quasdam alias terras *Fernesio* cardinali relinquere, ut cardinalitio pileo relicto princeps fiat.[10]) Et ne ipsius successor gravetur, ne etiam s. pontifex tam potens videatur, id a Tridentinis postulasse. Qui si concederent et ita fieret, possemus dicere Antichristum incipere se ipsum destruere. *Bernardinus* noster praeter privata quae a *Fuqueris* et aliis procul dubio habebit, habet in singulos annos ducentos florenos.[11])

De comitiis Francofordianis[12]) nihil certi accepimus. Tantum fama fertur renovatum esse per septennium protestantium foedus, in illudque recep-

---

751. 1) *Cf. N.* 749, *not.* 3.

2) *De quorum absentia nihil ap. Sleidanum. Etiam Maior tacet cuius relationem tibi suppeditabit Hortleder* I. 362.

3) *Malvenda Hispanus theologiam ex Sorbona suam hauserat. De utroque Maior haec habet*: Adversarii, extrema sophistarum faex, monachi duo homines impudentissimi: Malvenda pro more gentis superbissimus, inflatus, Caesaris autoritate nititur turbare omnia, et ipsi praesides, sic satis aequi nobis, tamen hunc timere coguntur, et clare nobis significarunt se odisse hunc Hispanum. (*Cf. Corpus Ref.* VI. 35. 39.)

4) *Idem narrat Bucerus d.* 18. *Ian. Landgravio scribens* (*Seckend.* III. 623) *praesidem episcopum Eichstadtiensem dixisse, qui se ipsum scilicet oneri ferendo imparem sentiebat.*

5) *Elector Saxoniae veritus ne Bucerus faciliorem se praeberet quam par erat, Melanchthonem detinebat, suadente etiam Luthero* (*ap. De Wette* V. 774) *et Pontano cancellario* (*Corp. Ref.* VI. *p.* 10 *et Seckendorf* III. 576).

6) *Pflug.*

7) *N.* 749, *not.* 2.

8) *Imo Wirtembergensi, quem habuisti N.* 749, *not.* 1. *Alter erat Volradus comes Waldeccensis quem insigni laude ornat Bucerus in ep. ad Landgravium d.* 18. *Ian.* (*Seck. l. l.*).

9) An den Churfürst zu Sachsen und Landgraf von Hessen von dem gefangenen Herzog zu Braunschweig 1545. (*Walch.* XVII. 1753. *Erlang. D. WW.* 26, 229.) *Principes hortatur ne captivum dimittant: victoriam enim istam minime cruentam divinitus contigisse* (*Sleid.* II. 404).

10) *Duo erant Farnesii cardinales Pauli* III. *papae ex filio nepotes, alter Ranutius, alter Alexander, legationibus in Germaniam clarus. Caeterum falsus rumor hic fuisse videtur, pileum enim suum non reliquit. Tertius frater Octavius dux Parmae gener fuit Caroli* V. *cuius filiam spuriam Margaretam duxerat.*

11) *scil. a senatu Augustano qui eum autumno* 1545 *coetui Italorum praefecerat.*

12) *N.* 749, *not.* 9.

tos *Palatinos* et *Coloniensem* archiepiscopum.[13]) Nihil quod sciam nunc aliud est tua cognitione dignum. Te salutant D. *Bucerus*, qui in secunda responsione ad *Latomum* valde occupatus est, quam brevi edet, [14]) *Brencius*, *Snecphius*, *Pistorius* et *Frethius*. [15]) Tu etiam meo nomine salutabis, quaeso, omnes ecclesiae vestrae ministros, et vicinos ac familiares, sed inprimis *Gallasium* nostrum, *Maldonatum* et *S. Andream*, uxorem tuam et illorum. Bene vale, vir clarissime, in Christo, quem precor ut eius gratia sit perpetuo tecum, qua et ecclesiam ipsius aedificare ac propugnare possis. Ratisbonae 19. Ianuarii 1546.

Te officiosissime salutat *Claudius* [16]) noster, qui non scribit quod ipso inscio hic proficiscatur nuncius ad *Lantgravium*, atque ita has obiter scribere coactus sum.

Tibi ex animo deditissimus
I. Diazius.

Gratissimum erit si de statu rerum vestrarum et de Gallia aliquid novi scripseris, nec non si quid habetis de Tridentino concilio. Quod si per tuas gravissimas occupationes minus licuerit, vices trades fratri et amico carissimo *Gallasio*.

752.

CALVINUS FARELLO.

Mittit ei literas ad Bucerum quem monet ne a Gallis irretiri se patiatur. Tum fuse narrat negotium quod cum Anabaptista quodam habuit. Postremo petit ut a Tossano pridem scriptas epistolas remittendas curet.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Gen. p. 61, Laus. p. 127, Hanov. p. 143, Chouet p. 81, Amsterd. p. 37. Sed Laus. et Hanov. per vitium operarum ad a. 1536 referunt. Gallice legitur in edit. Berol. p. 82.)

Quoniam *Claudio* nostro [1]) mandavi, ut tibi copiose omnia exponat de quibus per alium scripturus essem, non utar longiore epistola. Si tibi prima specie displicebit meum in ipso mittendo consilium, scito me hac ratione adductum esse quod quum scirem, aut saltem suspicarer, eos a quibus rogatus fui hoc facturos nisi eorum voluntati morem gererem, antevertere malui. Si tuas ad *Bucerum* literas meis adiungere placuerit, facies rem meo iudicio perquam utilem. Tametsi enim responsum neque ab illo neque ab aliis spero quale optandum foret, danda est tamen opera, ut inter nos quam minimum dissensionis appareat. Ego hac causa, quominus magis insistam, impedior, ne urgere et propemodum velle cogere videar, ut mihi assentiatur. Tibi hac in parte maior erit libertas.

Quid moliantur in Gallia Christi hostes, et qualiter primas eorum insidias discusserit Dominus, intelliges ex *Roberti* [2]) literis, quibus acceptis protinus ad *Bucerum* scripsi, et quanta potui vehementia obtestatus sum ut ne ullis se illecebris irretiri pateretur. [3]) Huius nunc quoque *Philippum* admoneo, ac illi in memoriam revoco, qualiter pridem a *Langaeo* similibus technis sit tentatus. [4]) Vide tamen ut omnia clam suppressa contineas: scis enim ut quaecunque duobus tribusve dixeris, statim latius manent.

His diebus quum Anabaptista quidam [5]) libellos illos ineptos palam venum exposuisset, meo impulsu captus fuit. Expertus es quale sit hominum genus. Ego vero tam barbaram atrocitatem hactenus in nullo videram. Quum ego humaniter pro linguae meae more eum compellarem, nunquam aliter dignatus est mecum loqui, quam si cum cane sibi negotium fuisset. Quum introductus fuisset in curiam, voluit primo syndico assidere: inde repulsus, caput oculosque torquendo, propheticam maiestatem simulans, tribus verbis ad rogata respondebat, si liberet, saepius tacebat. Dehinc nobis exortum est de iureiurando certamen. Quum rogarem numquid lex Domini viam vitae nos doceret, axioma illud exsecrabile protulit: abolitum esse vetus testamentum.

---

13) *Palatinus elector d. 3. Ianuarii missa germanica instituta reformationem revera inchoaverat, sed in foederis societatem recipi noluit, quamvis exorto bello duci Wirtembergico auxilium miserit, et 8000 florenos solvendos sociis pollicitus fuerit. Coloniensem vero foederati et verbis et scriptis non vero factis adiuverunt.*

14) Buceri de vera et falsa coenae dom. administratione ll. II. Altera adv. B. Latomum responsio. Neuburgii Danubii 6. Apr. 1546. *Praefationi subscripsit d. 13. Martii Ratisponae. Opus excudendum Diazius ipse curavit. Barth. Latomus olim prof. Friburgensis, nunc electori Trevirensi a consiliis et auditor in colloquio, autor erat carminis heroici de clade Sickingii et commentariorum in Ciceronem. Contra Bucerum scripserat* de dispensatione eucharistiae, *item* de controversiis quibusdam ad religionem pertinentibus.

15) *Schnepfius, Frechtus.*

16) *Senarcleus.*

752. 1) *Farelli fratri.*

2) *De quo vide N. 728. 731.*

3) *scil. ut videtur, ut ministerio alicubi fungeretur vel certe ad tempus ibi commoraretur.*

4) *Cf. N. 606, not. 29.*

5) *Nomen eius Belot suppeditant senatus commentarii ad 12. Ian. (Roget p. 169 sq.) Tormentis in eum inquisitum fuit. Libelli isti quorum hic mentio fit forte ii fuerunt qui a. 1544 Neocomi impressi Farello negotium facessebant et Calvino occasionem dederunt suos contra illos scribendi.*

Tum ego ex Paulo citavi, utilem esse ad reddendum Dei hominem perfectum in bono opere (2 Tim. 3, v. 16, 17). Urgebam, ut ad hoc responderet: sed verbum nullum exprimere potui. Sic explicavi rem totam, ut omnes praefractam hominis inscitiam cum pari impudentia agnoscerent. Quum se urgeri sic videret, ad solitam illam sectae petulantiam descendit, nullum esse hominum genus, quod commodius viveret ministris. Respondi paucis, non tam ut causae nostrae patrocinium susciperem, quam ut refutarem belluae insolentiam. Postea me avarum vocavit. Riserunt omnes: sciebant enim quantum hoc anno ab ipsis recusassem, atque id tam serio, ut iureiurando assererem, me nunquam concionem habiturum nisi desisterent.[6]) Sciebant me non tantum extraordinariam munificentiam recusasse, sed remisisse etiam aliquid de iusto stipendio, nec minus viginti coronatis. Itaque omnium probris fuit impetitus. Respondi modeste, si meo loco esset, ipsum fore divitem: hoc non esse signum avaritiae, qui essem pauper in media ditescendi facultate. Verum ipsum a me capitaliter accusari furti: si negaret, caput meum ad calumniae poenam offerre. Constabat enim ipsum duobus solidis et dimidio vendidisse quatuor folia, quae quatuor denariolis illi constiterant. Neque per indicaturam steterat, quominus pluris venderet. Urgebam, si bene sibi esset conscius, innocentiam suam tueretur. Quum taceret pro more suo, coepi de ipsorum perfectione disserere. Quum suam obstinationem satis prodidisset, in exsilium eiectus fuit. Biduo post, quum in urbe deprehensus foret, virgis caesus est, libri coram exusti, ac denunciatum sub poena suspendii ne rediret. Homo est, vel pecus potius, desperatae nequitiae.

Literas, quas pridem ad vos scripseram, remittendas statim curabis. Vellem *Tossanum* admoneres, ut unius meae ad ipsos epistolae, et alterius ad *Schnepfium* exemplaria,[7]) sicut rogaveram, ad me remitteret. Si otium haberes ad nos invisendos, quam nobis iucundum officium omnibus faceres? Quaeso aliquando te ad iter tandem coniice: nec tantum laetus esset nobis, sed utilis quoque adventus tuus, sicuti ex re praesenti agnosces, et te laboris, scio, non poenitebit: festina ergo. Saluta fratres omnes, quos ego magis amabo, si te huc extrudant. Dominus vos omnes conservet. Ignosce meae lassitudini. Familiae tuae plurimam salutem. 21. Ianuar. 1546.

---

6) *Excerpta ex senatus commentariis huc pertinentia ad* 17. *Aug.* 1545 *et* 25. *Ian.* 1546 *in Annalibus exhibebimus.*
7) *Probabiliter de illis loquitur quas legisti sub N.* 547 *et* 575.

753.

CALVINUS FALLESIO.

Dedicatio prioris epistolae Pauli ad Corinthios.

(Ex editione principe Commentarii Argent. ap. Wendelinum Rihel 1546. 8. Recusa est in libro: Lettres de Calvin à Jaques de Bourgogne, Amst. 1744. p. 225 sqq. et in Museo helvet. II. 566. Abest ab omnibus editionibus commentarii illius posterioribus praeter unam a. 1551 propter illam, quae Bolseci causa inter autorem et Fallesium exorta est, simultatem. De his edd. alibi agemus.)

Illustri viro D. Iacobo a Burgundia Fallesii Bredanique domino etc.

Utinam hic noster Commentarius, quo Pauli epistolam non minus obscuram quam utilem conatus sum explicare, sicuti a multis pridem expetitus atque etiam subinde flagitatus, nunc in lucem prodit, ita spei votisque omnium similiter respondeat. Hoc ideo dico, non ut fructum inde aliquem laudis percipiam, quae ambitio a Christi servis longe abesse debet, sed quia prodesse omnibus ipsum cupio: quod fieri nequit nisi probetur. Ego quidem, ut citra ostentationem plurimum ecclesiae Dei prodesset, summa fide nec minore diligentia elaboravi. Quantum profecerim, iudicium ab ipsa experientia facient lectores.

Id certe me assequutum esse confido, ut ad Pauli mentem penitus intelligendam adiumento non vulgari sit futurus. Tibi vero, clarissime vir, vehementer placiturum adeo non dubito, ut monendus etiam mihi sis, ne amore erga me nimio abripi te extra iustum modum sinas. Quanquam ut id tibi forte contingat, iudicium nihilo minus tuum tanti faciam, ut labori meo statuam bene successisse, si tuum suffragium absque exceptione tulerit.

Porro, ut tibi nuncuparem, non haec tantum causa me impulit quod sperabam gratum tibi fore: sed quum aliae complures tum vero haec praecipue quod tua persona paulinae epistolae argumento apte congruebat. Nam quum hodie nimis multi evangelium convertant in frigidum et umbratile philosophiae genus, rite se defunctos putantes si auribus tantum annuerint, tu nobis vivae illius efficaciae, quam tantopere urget Paulus, insigne es exemplar. Te, inquam, quum intuemur agnoscimus quis sit ille spiritus vigor qui in evangelio spirare teste Paulo debet. Quod ego tua certe causa non commemoro, sed quia ad exemplum magni interesse arbitror.

Magnum quiddam fuisset si in ordine nobilitatis primario, in excelso honoris gradu quem obtinebas, in illa fortunae opumque amplitudine (quae omnia tot hodie corruptelis scatent), tum ipse moderate continenterque vixisses, tum familiam conti-

nuisses in casta honestaque disciplina. Utrumque abunde praestitisti. Ita enim te gessisti ut ab ambitione alienissimum esse claris experimentis omnes cognoscerent. Ita splendorem tuum, sicuti necesse erat, retinuisti, ut nulla in mediocritate sordium nota apparuerit, et tamen palam esset, te magnificentiam fugere potius quam appetere. Ita comem humanumque omnibus te exhibuisti, ut tuam modestiam laudare cogerentur omnes: neminem certe vel minimum fastus aut insolentiae indicium offenderet.

De familia uno verbo dixisse sufficiat: ita fuisse constitutam, ut Domini ingenium moresque, tanquam speculum aliquod imaginem, referret. Hoc iam ad imitationem illustre fuisset, rarumque virtutis exemplar. Verum multo pluris facio, quod improborum hominum calumniis apud Caesarem falso gravatus,[1]) neque id alia de causa nisi quod eos Christi regnum simul atque coepit alicubi efflorescere ad insaniam rabiemque adigit, infracta animi magnitudine te sustentas: nec minori cum laude patria nunc cares, quam tua praesentia antehac ipsam ornasti. Caetera subticeo, quia nimis longum esset persequi. Id quidem inter Christianos plus quam commune usitatumque esse debuerat, non praedia modo et arces et principatus aequo animo Christi causa relinquere, sed etiam alacriter libenterque prae ipso despicere quidquid sub coelo pretiosissimum ducitur. Quae tamen nostra fere omnium est ignavia simul et socordia, ut singulari admiratione digna est ista virtus, ita quum in te adeo conspicua cernitur, utinam multos ad aemulationis studium exstimulet: ne perpetuo desides in suis nidis latere pergant, sed aliquando in medium proferant si quam habent spiritus christiani scintillam.

Quod autem novis subinde criminationibus te adoriuntur, quos constat esse furiosos pietatis hostes, nihil proficient aliud nisi quod hac tam crassa mentiendi licentia magis ac magis putidos se reddent. Certe nemo sanus non agnoscit, rabidos esse canes qui quum discerpere te cuperent ubi mordere iam nequeunt, latrando se ulciscantur. Bene est quod procul, ut nihil laedant. Impiorum vero iniuriis, tametsi multum imminutae sunt tuae fortunae, non minus tamen apud pios verae gloriae tibi accessit. Caeterum tu, sicuti hominem christianum decet, longius respicis. Neque enim alibi acquiescis quam in coelesti gloria, quae nobis apud Deum reposita, simul atque externus homo noster interierit, patefiet. Vale, praestantissime vir, cum generosa tua coniuge. Dominus Iesus ambos diu conservet incolumes in regni sui propagationem, atque in vobis de Satana totaque hostium suorum factione semper triumphet. Genevae 9. Calend. Februarii 1546.[2])

753. 1) *Hic conferenda Apologia quam Calvinus Fallesii nomine conscripsit. Opp. T. X. Part. I.*

2) *h. e. 24. Ianuarii non 22., quod habet versio anglica ep. seq. et adeo ipse editor Gallus in Lettres fr. T. I. p.* 138.

754.

CALVIN A M. DE FALAIS.

Il lui transmet la minute de la dédicace du Commentaire sur la première aux Corinthiens, pour savoir si elle peut être imprimée.

(Autographe de la Bibl. de Genève. Cod. 194, fol. 24. — Imprimée dans l'édition d'Amsterd. p. 39; dans les Lettres françaises T. I. p. 138. — Mus. helv. II. 569, et Edinb. T. II. p. 15.)

A Monseigneur Monsieur de Fallez.

Monseigneur, depuis mes lettres escrites, ie me suis radvise touchant lepistre dedicatoire de mon commentaire: car pource que cest grant poine et difficulte de sastraindre a remplir tant de pages et non plus, ie lenvoye toute faicte. Neantmoins a telle condition quelle ne simprime que par vostre commandement. Pourtant laije enclose dans les presentes affin que *Vendelin*[1]) ne lait que par vos mains. Sil ne vous semble pas expedient que ie vous ladresse, ien feray une nouvelle, estant adverty. Au reste ne vous esbahissez si ie parle en brief de vous. Car ie craingnois dattoucher quelques espines en y entrant plus avant. Mais selon que les choses se porteront, nous pourrons, au plaisir de Dieu, a la seconde impression[2]) desduire pleinement tout ce qui sera de mestier. Combien iaurois grand desir, si cestoit le plaisir de Dieu, destre avec vous trois ou quattre iours, pour deviser de bouche plustost que descrire. Cest possible follie a moy de penser que ma presence vous servit. Mais quoy? encor que la faculté deffaille, laffection me faict parler ainsi. Toutefois ce sont souhaitz qui sont plus aysez a faire que acomplir. Ainsi contentons nous de ce que Dieu nous donne.

Hier nous eusmes icy nouvelles de la deffaicte de quattre mille Anglois par cincq cens chevaux legiers. Mais cest de France.[3])

754. 1) *M. de Falais restait alors à Strasbourg.*

2) *Elle eut lieu en* 1551 *chez Girard à Genève in-fol. Mais la dédicace n'a été changée en rien.*

3) *Le combat eut lieu aux environs de Boulogne, le lendemain du départ des ambassadeurs allemands dont la mission avait échoué* (*N.* 749, *not.* 8). Postridie nonam Galli

Monseigneur, apres mestre humblement recommande de rechef a vostre bonne grace et celle de Madamoiselle, ie prye tousiours nostre seigneur quil vous maintienne a sa gloire.[4])

755.

CALVINUS HUBERTO.

De privigno suo Francofordia Argentoratum reducendo. Petit si quid novi referatur ex Ratisbona, id sibi renuncietur. Transmittit formulam resignationis capellaniae quae olim ipsi tributa fuerat.

(Ex autographo Cod. F. 45 nunc 80 Bibl. civic. Turicensis. Exstat ap. Simler. T. 59.)

Fideli Domini nostri Iesu Christi servo D. Conrado Huberto ecclesiae Argentinensis ministro fratri et symmystae carissimo.

S. Ex literis *Tetschii*[1]) intelligo per ipsum non stetisse quo minus uxoris meae filius ad vos iam adductus sit. Verum quia is cui hoc mandaverat non adhibuit quam debuit diligentiam, promittit rem sibi curae fore. Ergo illi meo nomine ages maximas gratias, rogabisque ut non desistat nisi re confecta. Excusabis etiam quod non scribam, quia tu melius verbis mentem meam explicabis quam ipse ex scriptis perciperet. Si quid unquam in eius gratiam facere liceat, habebit me paratissimum, et huius officii non esse immemorem agnoscet. Tametsi Ratisponae meo iudicio nihil quam luditur,[2]) rogatum nihilominus te velim, si quid dignum erit narratu, me facias participem. Vale, frater et amice integerrime. Saluta uxorem tuam meo et uxoris meae nomine diligenter, atque etiam uxorem *Buceri*. Dominus Iesus vos servet tuoque ministerio benedicat in gloriam suam. Amen. Resignationis formulam quam petebas hic paucis verbis complexus sum. Genevae, 24. Ianuar. 1546.

Ioannes Calvinus tuus.

Ego Ioannes *Calvinus* omnibus quorum interest testatum esse volo, me ad resignandam capellaniam, quae vulgo dicitur Sancti Petri sub crypta in primario templo Argentinensi, procuratores constituere honorandos viros et dominos scholarchas a senatu ordinatos, idque in favorem cuiuscunque velint, promittens mihi ratam fore resignationem quam fecerint, proinde atque si a me ipso facta esset. In huius rei testimonium nomen meum hic subscripsi. Datum Genevae, 21. Ianuarii anno 1546.

Ioannes Calvinus.

---

inferebant in arcem quam in litore maris rex aedificarat. Id quum Angli prohibere vellent dimicatum est, ac multis utrinque desideratis illata fuit alimonia (*Sleid.* II. 409).

4) *La lettre n'est point datée mais on peut lui assigner la même date qu'à la dédicace elle-même, envoyée en même temps et en manuscrit, d'autant plus que M. de Falais a écrit au dos:* receu le 6 fevr. 1546.

755. 1) *De hoc et privigno Calvini cf. N.* 729, *not.* 8. *Bonnet* (*Récits du* 16e *siècle*) *plures liberos Idelettae fuisse putat ex priore marito. Quod et nobis verisimile videtur, imo certum est ex ep. ad Viretum* 7. *April.* 1549.

2) *Neque Bucerus aliquid ibi profici et effici posse credebat, et ipse Pflugius eo delegari recusabat eadem de causa. Scilicet pontificii protestantes deludere studebant usque ad bellum quod iam tunc meditabantur. Seckend.* 576. *Planck, Gesch. d. prot. Lehrb.* III. 2. *p.* 291 *seq.*

756.

CALVINUS VIRETO.

Literae commendatitiae.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 155, coll. c. exempl. Ionvillaei Cod. 196, fol. 82; Turretini Cod. 111, fol. 131; Bernensi Epp. VII. 744 et Simleri Vol. 59.)

Eximio Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et symmystae mihi carissimo.

S. Hic frater satis commendationis secum afferet citra meam operam: nisi quod suspectus vobis esse posset si a nobis discederet absque ullo testimonio. Vixit apud *Ferronium* circiter octo menses atque ita honeste se gessit ut cum bona hospitis gratia discedat. Illi non difficulter Bernae impetrabitur conditio scholastici, ut publico sumptu latinam linguam discat, qua si adiutus fuerit utiliter poterit ecclesiae servire. Est enim hebraicae bene peritus.

Vale cum fratribus, quos diligenter salutabis meo nomine. *Erasmum* nondum venisse eo magis miror quod *Ludovicus*[1]) mihi renunciaverat esse fere ad iter accinctum. Genevae, 25. Ianuar.

Ioannes Calvinus tuus.

---

756. 1) *De Erasmo Cornier ludimagistro v.* 713, *N.* 6 *et alibi saepius. De Ludovico diacono Neocomensi N.* 683. 737 *etc. Ex iisdem facile annum* 1546 *elicies quod iam Turretinus vidit. Cf. etiam* 761.

757.

CALVINUS FARELLO.

De electione ministri praefatus, narrat quae ex Germania renunciata sibi nuperrime fuerunt et quibus Genevenses de securitate urbis suae curis crucientur.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 156. Apographa recentiora, sed non parum mendosa, reperies in Cod. 111, fol. 137; in Archiv. Bern. Epp. VII. p. 750, et ap. Simlerum Vol. 59. Anglice legitur in edit. Edinb. T. II. p. 12.)

Fideli Domini nostri Iesu Christi servo Guillielmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fratri et symmystae integerrimo.

S. A fratribus tuis nihil, ex quo hac transierunt.[1]) De eligendo tibi collega sententiam meam *Vireto* paucis indicavi.[2]) Longior mora vereor ne longam seriem incommodorum secum trahat, quam caveri velim potius quam sentiri. *Ferronius* noster, quantum video, nunquam erit quieto animo antequam alio transferatur.[3]) Eius apud *Viretum* feceram mentionem, sed tuum erit dispicere. Ex Germania frater meus[4]) nihil novi retulit, nisi conventum Ratisponensem frigere,[5]) nostros Francofurti continuare suas consultationes; foederis, aut saltem amicae coniunctionis, inter eos et regem rumorem esse firmum;[6]) *Caesarem* podagris aut chiragris vinctum teneri. Qui illic est regis legatus apud me transiens coenavit: colloquuti sumus familiariter. Nam agnoscit se mihi aliquid debere. Urgeo tamen interea ne se nimium faciles nostri praebeant. Ostendo quae licentia adversus pios saeviendi hodie sit in toto regno. Exspectabimus exitum. Scis papam per simulationem nunc satagere ut Tridenti habeatur concilium, et iam illic ranae multae se commovent. Nondum tamen auditur plena coaxatio.[7])

Utinam de rebus nostris ad colloquendum nobis vel dies unus daretur. Quia tamen in praesentia non licet, ne te frustra crucies, si multa vulgo serantur. Erat quidem nobis caven[*di*] tempus, quum nostri custodias portis assignarunt, et solito in excubiis agendis fuerunt diligentiores.[8]) Sed inconsulte factum quod trepidationis signum dederunt. Factum autem est me inscio et minime suspicato tale quidquam futurum. Hac occasione arrepta accurrunt vicini nostri: valde liberaliter se offerunt. Nemini suspecta erat tam prolixa benignitas. Mecum nihil nostri communicant: ultro citroque habitis sermonibus bene convenit. Paulo post ecce tibi nova legatio cum improbissimis mandatis. Praesidii capitaneus cum suo consilio. Repudiati discesserunt. Nunc scio quam varia passim spargantur. Sed nihil video periculi. Tu si quid audias, fortiter neges quidquam esse inter nos simultatis. Iam enim quum ipsos pudeat sui, confugient ad veteres artes, se infamari nulla culpa etc. Vix nostris persuadeo quod factu[9]) est opus in hac parte. Neque mirum. Nam in aliis multis, repugnante me, desipiunt. Vale, frater et amice integerrime. Saluta mihi peramanter omnes symmystas vestros et tuam familiam. Dominus vos omnes spiritu suo gubernet ac tueatur incolumes. Genevae, 26. Ianuar. 1546.

Impostor[10]) qui *Buceri* literas ad te perferendas susceperat, Monsbelgardi substiterat. Neque unquam attulisset, nisi frater meus data opera illuc esset profectus, quod alias habebat longe maioris momenti. Est opificio aurifaber, sed dignitate suspendiarius.

A[11]) morbo ita convalui ut concionibus et lectionibus sufficiam, sed reliquiis exercear.[12])

---

757. 1) *Claudium modo habuisti, Gaucherium N.* 720.

2) *N.* 750.

3) *N.* 747. *Hic eum Neocomensibus oblique commendat, alibi Libertetum. Caeterum Ferronius quadriennio post ministerio pulsus est* (*Roget p.* 181).

4) *N.* 744.

5) *Pro* frigere *apographa male habent* fingere *et sic Anglus:* the Ratisbon assembly pretends that our party continue *etc.*

6) *Mense Ianuario vergente legati ex Gallia et Anglia reduces Landgravio eiusque sociis Francofordiae legationem renunciarunt* (*Sleid.* 414). *Caeterum apographa et Anglus habent:* inter vos et regem.

7) *Ranas omnino silere iubet Anglus; is haec tantum habet:* we do not hear that there is to be a full convocation.

8) *N.* 750, *not.* 12. La ville est grandement en regard pour obvier a toutes entreprinses. *Centum armati diu noctuque excubias agebant.* (*Reg. du Conseil* 7. *Ianuar.; Roget* II. 199 *seqq.; Ruchat* V. 306.) *Bernensium auxilio spreto, quod eorum fidem suspectam habebant, Rosetum Basileam miserunt de pecunia conquirenda acturum. Verum haec omnia vana esse et supervacanea Calvinus optime iudicavit.*

9) *Cod.* 111 factis (deeds) *Simler:* satis.

10) *Haec in margine ex transverso.*

11) *Haec in tergo. — De hoc morbo etiam agebatur in senatu d.* 25. *Ian. et postridie Idus a consistorio Calvinum abfuisse ea de causa ex eius actis constat.*

12) *In tergo huius epistolae Cod.* 106, *utpote in extremo folio fasciculi cuiusdam epistolarum, legitur:* 123 Lettres de Calvin N. LI. *Et alia manu:* Plusieurs epistres latines de feu M. Calvin, de consequence la pluspart et qu'il ne faut communiquer sans grande discretion et dont aussi aucunes sont imprimees, et quant aux autres ie n'estime qu'il s'en puisse aisement imprimer davantage oultre les 71 que iay mis a part avec le volume des imprimees.

758.

THEODORICUS [1]) CALVINO.

Ratisbonam delegatus, ut colloquio ibi habendo interesset, per morbum quominus eo se reciperet impeditus, interim quae de re gesta et gerenda rescivit nunciat.

(Manu scripta non exstat. Beza edidit Genev. p. 62; Laus. p. 139; Hanov. p. 156; Chouet p. 82; Amst. p. 37.)

Salutem in Domino. Gratissimum mihi fuit, *Calvine* doctissime, quod per civem, eumque ut intellexi vicinum tuum, me iusseris salutari. Etsi autem longe plus voluptatis attulissent literae, tamen quum mihi de tuis occupationibus constet, facile patior te id quod tibi commodius et facilius fuit, fecisse. Ego vocatus a Principibus ad colloquium Ratisbonae, et additus Domino *Philippo* socius, quum iam quasi in procinctu essem, ab articulorum morbo oppressus, domi meae decumbo: [2]) ac per alienam manum ad te scribo, ut tu quoque intelligas et amari te impense a me, et voluntatem neutiquam deesse tibi gratificandi. *Philippus* quoque propter periculum valetudinis domi se continuit, [3]) et profectus eius loco est D. Georgius *Maior*: ac 27. Ianuarii utriusque partis theologi, qui ibi non magna frequentia sunt, a praesidentibus episcopo *Aistetensi* [4]) et Comite a *Furstenberg* sunt convocati; et recitatae quaedam sententiae eis sunt Caesaris nomine, quae et forma et conditiones huius colloquii esse debeant. Cuiusmodi autem eae fuerint nondum licuit resciscere: coniicio autem plus habituras dubitationum et periculorum quam ipsum colloquium: intelligimus enim, hoc a Caesare Pontifici promissum, ut de quibus non conveniat inter colloquutores, concilium Tridentinum pronunciet. Ex nostra parte sunt Ratisbonae M. *Bucerus*, Erhardus *Schephius*, [5]) Ioannes *Brentius*, Martinus *Frechtus*, Ioannes *Pistorius*, D. Georgius *Maior*. De adversariis ut inquirerem diligentius nondum libuit, nisi quod constat de auditore sordium Caesaris, [6]) de *Malvendo*, *Pelargo*, *Cochlaeo*. Principes nostri adhuc sunt Francofordiae, ac strenue hoc agunt, ut foedus suum et confirment et propagent. Hoc autem dignum laude factum est, quod omnes qui per totam Germaniam evangelium Christi amplexi sunt pollicentur episcopo *Coloniensi* auxilium, si propter religionem eum oppugnet Caesar. De Tridentino concilio puto te omnia nosse. Bene vale in Domino, et, quod peramanter rogo, rescribe quoque. Hoc paene exciderat. Legi conciunculam tuam de sacramento coenae, [7]) ac probo quod panem et vinum sic signa vocas, ut signata revera adsint: utinam possint a te in eam sententiam deduci qui nuda tantum signa relinquunt. Iterum vale. Datae Noribergae postridie Purificationis. 1546.

758. 1) *Vitus Theodoricus s. Theodorus (Dietrich) Norimbergensis, olim Lutheri famulus quocum Coburgi commoratus est dum comitia Augustana celebrabantur, nunc V. D. M. ad S. Sebaldi in urbe patria, natus* 1506 *obiit* 1549. *V. Strobel, Nachr. v. Leben Veit Dietrichs. Nbg.* 1772. *Bonnet in Annot. ad vers. angl.* II. 25, *hunc virum Didericum de Weid appellat, nescio unde arrepto spurio nomine.*

2) *Chiragra laboravit usque ad mortem, ad quam curandam Melanchthon ei frequenter et solatia et medicamenta mittebat.*

3) *Melanchthon Ratisbonam non missus sponte postea concessit. Cf. Salig, hist. A. C.* I. 553 *ex alia Viti epistola. Cf. etiam de hac nostra Strobel l. l. p.* 116.

4) *Eichstädt.*

5) *Sic edd. pro* Schnepfius.

6) *Si quid videmus per* auditorem sordium *confessorem innuit. Caeteros in ep. supra not.* 3 *laudata acriter perstringit. Cf. etiam Planck, Gesch. des prot. Lehrb.* III. 2. *p.* 296.

7) *Libellus de coena a.* 1545 *latine versus prodierat.*

759.

FARELLUS CALVINO.

Ambages et tricae circa eligendum Capunculi successorem, quum non solum de persona verum etiam de iure ipso electionis litigetur, quod sibi tales arrogant qui ecclesiae commodum minime curant. Etiam schola aegrotat.

(Ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium, Epp. Farelli fasc. III. N. 8.)

Ecclesiae Christi quae est Genevae pastori vigilantissimo Ioanni Calvino viro et doctissimo et supra modum pio fratri et symmystae quam carissimo

Genevae.

S. Si *Erasmus* [1]) non tam sero istuc venisset, non ita lusisset operam filius *Theobaldi* pastoris apud D. Petrum Argentoratensem, [2]) quum huc quaerere voluerit gymnasium rectius institutum quam sit istic, quum longe peius habeat. Nam hostis literarum, imo Christi, parum abest quin plene quod cupit obtinuerit in profligandis omnibus quae ad pietatem faciunt. Dici non potest quam

759. 1) *N.* 756.

2) *Theob. Niger (Diebold Schwarz) Hagenoensis, olim monachus, ab a.* 1524 *pastor ad S. Petri veteris. Vide Ad. W. Strobel, Gesch. der Kirche zum Alten S. Peter. Strg.* 1824. *p.* 12 *seqq. Röhrich, passim.*

veteratorie agat omnia. Parum abfuit quin bis totam plebem convocarit pro evocando *Marcurtio*,[3]) in quo laboravit, non in gratiam *Marcurtii*, neque quod illum amet aut ei bene velit, sed tantum ut omnia confundat. Precare Dominum ut nobis adsit et hanc vulpem, ut digna est, exemplum constituat omnibus qui in Christum insurgunt, et huic plebi oculos aperiat, detque meliora sequi.

Mihi nondum est datus collega: de iis quos praefecto et senatui obtulimus, nemo acceptus neque admissus. Quid tandem sint dicturi exspectamus. Quales fuerint qui defuncti iam sunt munere publico, non est quod referam: referent ipsi digna factis praemia. Qui nunc praesunt melioris sunt spei. Inde factum est quod sub aliis non licuit tam urgere quam oportuisset, quum in ruinam regni Christi omnia viderentur facere. Insanierunt in *Corderium*, riserunt *Erasmum*, et quem habemus male voluerunt introducere. Quumque *Erasmus* apud nos agat, et ut spero gymnasium melius instituerit, visum fuit et mihi et *Vireto* una cum filio *Theobaldi*, qui pro aetate non videtur prorsus sine sensu esse, ut iterum hic istuc rediret, quo possit sua studia felicius prosequi.

Quod attinet ad ea quae istic[4]) acta fuerunt, tum ab istis tum ab amicis, varie omnia referebantur: sed tandem omnia in fumum abierunt: nihil aut parum auditur. Utinam isti consultius agerent. Sed communi laborant morbo quo inepti omnes et impudentes. Quanto opus efficiunt longe deterius, tanto magis cupiunt vitare ne quis intelligat eorum agendi rationem. Sed tandem vereor ne suo ipsorum magno malo discant consultius agere, et quae per se non possunt per alios curare. Christus ipsis adsit et meliorem det mentem.

Mirum quod de fratribus meis nihil audiatur. Quid sibi velint, nescio. Sperabamus eum qui huc venerat pro officina fratris venturum: sed ut videmus aliquis eum impedivit. Ita habemus amicos. *Viretus*, licet domi plus satis haberet negotii, tamen sustinuit nos invisere. Fuit admodum utilis eius adventus et me supra modum recreavit. Si istuc venerit, fusius omnia intelliges. Quum res ita in discrimen vocentur, et tanta sit veteratoris cum iniquis conspiratio, agaturque de exterminando prorsus ministerio, nonnulla suadent foedus inire cum iis per quos hostium improbitas impediri possit, et ius nostrum nobis salvum maneret. Id scio multis non admodum probatum iri, neque omnibus hic gratum: tamen quum urgere nos necessitas plus satis pergat, et hanc nobis Dominus viam aperiat, non videtur negligenda. Tamen tuum consilium lubens audirem.

3) *in locum Capunculi nuper defuncti.*
4) *Bernae.*

De eo qui ob evangelium omnia amisit, et princeps rogatu praefecti et senatus aliquid impertiit, sic tamen ut, si abominationes redierint, is quoque omnia restitueret: quod tamen in literis additum est quia aliter princeps non poterat sine gravi discrimine: et plura dedisset et purius nisi suos timuisset, qui indigne ferebant captivo ob *Luteri* doctrinam et digno incendio dari quae fuerant ecclesiae. Quum is consilium fratrum petierit et te fratres rogarint, ubi dabitur otii aliquid sententiam tuam scribes, quod te dudum vexabam ut faceres.

Praeterea de electione et constitutione pastorum nobis iterum facesset negotium *Marcurtio* autore Herodes. Nescio an *Ricardus*[5]) sese adiungat: de *Morando*[6]) nihil est controversiae. Paucis si iudicium tuum proferres non esset inutile. Vulpes in hoc est ut quidquid pastores eligunt et decernunt in vanum fiat et ipsorum suffragiis populo liceat eligere et instituere quos volet. Ita decreverat pridem *Marcurtium* ecclesiae cui praeest *Caspar*[7]) obtrudere, et h[*uius rei gratia*][8]) conventum curarat fieri eorum qui bombardis eiaculantur, constituto praemio iis qui vincerent, ut hac via ii quos selegerat apud plebem efficerent quo *Marcurtius* eligeretur, et nuper hic idem tentavit et vaferrime. Nihil non fit et ab hoc et similibus in ruinam ecclesiae.

Quod optas ut colloquamur, ego item exopto. Sed ego non possum pedem movere in hac ecclesiae facie, quum mihi collega non sit. Tu non potes nisi magno incommodo. Soli *Vireto* plus licet, cuius Christus misertus est. Sane id valde expediret. Faxit Christus ut quantum mihi id est necessarium, tantum id det et cito. At longior sum. Vale. Christus uxori tuae et tibi integram restituat et firmam valetudinem, et uxori *Vireti*. Cupio *Coppum*, *Gallasium*, *Abellum* cum coniugibus salvere, tuum fratrem cum istius socero et familia tota. Nostri te salvum esse optant. Neocomi, 4. Februarii 1546.

Farellus tuus totus.

5) *Ricardum hunc in agro Neocomensi fortasse quaesiveris. Cf. tamen N.* 638, *not.* 2.
6) *Io. Morandum saepius iam superioribus annis obvium habuisti. Qui natus in oppido Vervins Picardiae, Sorbonae doctor, episcopi Ambianensis vicarius, a.* 1534 *in haereseos suspicionem delapsus teste d'Argentré, errores retractavit, sed triennio post in Helvetiam se recepit ubi primum pastor in Cully in agro Vadensi constitutus mox expulso Calvino Genevae ministerio functus est ad* 1540. *Iam videtur in comitatu Neocomensi alicubi verbum praedicasse cf. N.* 685.
7) *Carmel* (?).
8) *Charta deficit.*

760.

ZERKINTES CALVINO.

Scribit de vidua quadam Neodunensi cuius causam ipsi Calvinus commendaverat. Genevae nuper eundem adire non potuisse dolet, meliora in proximum tempus sperans.

(Ex apographo satis recenti Cod. Paris. Dupuy 102, fol. 74.)

Excellenti eruditione et pietate ornatissimo viro Io. Calvino Christi ministro Genevae, Domino et amico honorando suo.

Nicolaus Zerchintes ad Io. Calvinum.

S. per Christum. Redit ad te vidua cuius mihi causam literis exposuisti. Effecit quod petebat quam expeditissime. Nemo enim Neodunensium ignorat, maritum eius ob furta et maleficia laqueo dignum, mitiori senatus sententia virgis caesum in exsilium perpetuum fuisse relegatum, ac universa Bernensium ditione illi interdictum. Vivatne an non, haud satis constat, nec ubi agat. Quod nuper Genevae non colloqui potuimus mihi perinde ac tibi fuit molestum. Sed te valetudo, me vero partim negotia, partim suspiciosi quidam homines distinebant. Neque vero conquiescam donec libere tecum multis de rebus serio contulero, idque brevi. Veniam enim propediem asiatica oratione instructus, quam fores tuas pulsando meditabor, ne me putes domi conscriptam ediscere. Vale et me ama: ego te certe colere et observare nunquam desinam. Neoduni, 6. Febr. 1546.

761.

CALVINUS VIRETO.

Amicum videre cupit multis et gravibus de causis. Cornerius tandem scholae praefectus. Syndici novi creati.

(Autographon non exstat. Describimus exemplar Ionvillaei Cod. Gen. 111 a, fol. 37, ex quo fluxerunt caetera, scil. Turretini Cod. 111, fol. 138; Bernense Epp. VII. 753, et Simleri Vol. 59. In quibus omnibus inscriptio omissa est.)

Exspecto dum venias, quod propediem fore confido. Cupio de te audire qua de causa Neocomum tam repente fueris accersitus.[1]) Denique ultro citroque multa habemus de quibus necesse est coram inter nos colloqui. *Erasmus* ea conditione receptus est quam habuit *Sebastianus.*[2]) Optima omnia de eo spero.[3]) Modestia praesertim mihi non parum promittit. Hodie creati sunt syndici *Rosetus*, *Corneus*, *Lambertus*, Claudius *a Pane.*[4]) Veni quum primum expedire te poteris: nam ideo a scribendo supersedeo ne te detineam. Vale cum uxore et familia. Dominus vos simul omnes conservet. Genevae.

Io. Calvinus tuus.

Quia verebar ne diutius apud me iacerent literae *Claudii Farelli*[5]) ad fratrem, visum est tibi mittere, ut eas prima quoque occasione perferendas cures.[6])

761. 1) *Vide Vireti ep. proxime sequentem.*

2) *Cornerius per quadriennium scholae Genevensi praefuit. Obiit a.* 1550, *mense Aprile. Caeterum non fuit Castellionis successor, sed Caroli Damont cui stipendium* 400 *flor. dabatur unde tamen duos baccalaureos sustentare debebat. Carolo successor datus fuit Francus qui tamen non venisse videtur.*

3) *Quae spes eum fefellit. Cum suis baccalaureis non bene convenit novo ludimagistro, neque disciplinae pueros astringere valebat.*

4) *Claude Roset, Amblard Corne* (*Cornaz*), *Iean Lambert, Cl. du Pan.*

5) *N.* 767.

6) *De anno ambigi nequit, sive ad nomina syndicorum respexeris sive ad electionem Cornerii et Vireti responsum. Diem ipsum fuisse primam dominicam Februarii* (7) *colliges ex comitiis eadem pro more factis.*

762.

VIRETUS CALVINO.

Neocomum vocatus a ministris, quibus adversa factio Marcurtium obtrudere volebat in Capunculi locum sufficiendum, fuse narrat in quo statu ibi res invenerit et reliquerit, quidque ipse egerit. Calvinum rogat ut ipse interveniat. Valerium munus adiisse nunciat, diaconum obiisse; de Ferronio cogitat, Textorem expetit.

(Ex autographo Cod. Genev. 111 a, fol. 165.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino vigilantissimo Genevensis ecclesiae pastori fratri et symmystae plurimum observando.

Genevae.

S. Undecimo abhinc die, qui erat 29. Ianuarii, ex improviso huc appulit *Michael* minister Sancto-

blasianus,[1]) qui non solum rogaret sed obtestaretur et adiuraret ut conscenso equo protinus secum Neocomum convolarem, ut adesse ecclesiae possem ad proximum dominicum diem. Causas addebat quod populus ex senatus consulto conventurus esset mane eo ipso die ad eligendum *Farello* collegam *Marcurtium*, praeter omnem ecclesiasticam disciplinam. Urgebat igitur ut postpositis reliquis negotiis omnibus periclitanti ecclesiae non deessem, quod spes bona esset fratribus, fore ut meus adventus magna ex parte remoraretur factiosorum et seditiosorum hominum conatus, qui istas turbas moverent. Causatus sum multa, nec abs re. Nam vix antehac pluribus distringebar ecclesiasticis curis, quae etsi nullae accessissent me tamen domesticae afflictiones[2]) merito domi cohibere debuerant. Coactus sum tamen cedere fratrum precibus, magis ut ipsorum voto satisfacerem, quam quod spes magna esset fructus ad eos ex meo adventu redituri. Solvimus hinc post horam tertiam pomeridianam eo ipso Veneris die, ut Varronum superaremus, quo postero die maturius Neocomum perveniremus. Via erat admodum difficilis et lutosa, quam multo molestiorem ac difficiliorem nox reddebat, a qua sumus intercepti: ita ut duabus aut tribus horis noctu nobis fuerit ambulandum, non sine periculo et magno meo incommodo. Nam aer ille nocturnus adeo mihi fuit gravis ut raucedinem contraxerim, quae me paene Neocomensibus reddidit inutilem. Praestiti tamen, non quod potui, sed conatus sum etiam supra vires eorum voluntatem obsecundare, adeo ut inter concionandum me paene vox deficeret. Habui tamen conciones quinque, neque impetrare potui ut me istinc reciperem antequam habitus esset classis conventus, idque aegre. Nam mihi paene vim fecerunt ut permanerem usque ad sequentem dominicum diem, etsi causas afferrem quas non possem differre, et quae adeo me urgebant ut debuerint etiam illos impellere, ut me istic cunctantem diutius huc extruderent. Quantum profuerit meus adventus, Domino iudicandum relinquo. Illorum opinione plurimum, mea vero minimum. Intelligis ergo quam susceperim peregrinationem et quas ob causas.

Sed audi quo in statu ecclesiam illam reliquerim. Frustrati sunt suis consiliis et conatibus qui ecclesiae ordinem invertere conabantur. Nam nulla sunt habita comitia, quamvis id certo certius qui praecipuas huius fabulae partes agebant se assequuturos haberent persuasum, et *Marcurtium* iamiam affore. Maxima enim populi pars in eam sententiam inclinatura erat talibus persuasa ducibus. Deinde quo maiorem spem conciperent obtinendi *Marcurtii*, et ad efflagitandum magis accenderentur, proponebatur ob omnium oculos hominis calamitas, ipsius fides, studium et beneficia in illam ecclesiam. Exprobrabatur civium ingratitudo, si nihil eos misereret veteris pastoris, senis calamitatibus et paupertate confecti, ac de eorum republica et ecclesia tam bene meriti, qui sua consumpsisset omnia ut suo ministerio ecclesiae succurreret, qui tempore pestis grassantis et in rebus dubiis et afflictis tam constanter ipsis adfuisset. Quid dico? Nullius Pauli labores, fides et probitas cum istius hominis virtutibus erant comparanda. Huc accedebant eius literae, quibus senatui respondebat, seque ad omnia offerebat, nulla tamen facta fratrum et ecclesiasticae disciplinae mentione. Nam quum fratres classis nomine obtulissent quatuor, ex quibus unum sibi eligerent, adiecerunt se non offerre *Marcurtium* quod audivissent lecto ex paralysi affixum. Inde qui *Marcurtio* favebant occasionem arripuerunt scribendi ex senatus sententia et autoritate ad *Marcurtium*, et mittendi nuncium qui exploraret qua esset valetudine. Sic enim colligebant: postquam fratres solum morbum causantur, sublata ea causa quid obstat quominus eum recuperemus pastorem omnibus gratissimum, qui noster iam fuit atque etiam se nunc nostrum esse testatur? Missus est nuncius ad hanc fabulam appositissimus, qui praeter *Marcurtii* literas multa de suo adiecit: *Marcurtium* recte valere, foras prodire, concionari ut prius, se eius concionem audivisse, virum esse sanctissimum. Quid plura? Plurimi protinus adfore certo sibi persuaserant. Sed quum fratres haec intellexissent et ad me misissent, *Farellus* cum aliis aliquot vicinis fratribus accedit ad quatuor illos qui habentur velut civium magistri:[3]) apud quos *Farellus* et qui cum eo erant fratres sese opponunt civium consiliis et decretis comitiis, protestanturque, si quid committatur adversus disciplinam ecclesiasticam, se ad ecclesias appellaturos. Admonent magistratum, diligenter caveat ne quid temere et impie aggrediatur. Profuit admonitio et protestatio apud quatuor illos primores senatus quibus pietas cordi est et qui ex animo favent ministerio Christi, iustasque causas excogitarunt quibus seditiosis hominibus illuderent. Interea temporis quum ego Neocomum appellerem, consul *Wattevillianus* appulit Columbanum:[4]) quem postero die *Pranginus*[5]) adiit, ipsum super hoc negotio consulturus. Sed consul ita egit cum homine ut ab eo redierit pacatior et minus in suum *Marcurtium* affectus. Ego quoque *Pranginum* et alios

762. 1) *St. Blaise vicus est ad lacum Neocomensem urbi a septentrione.*
2) *uxoris morbus.*
3) *les quatre ministraux.*
4) *Wattevillorum gens in vico Colombier castellum habebat et praedium.*
5) *Neocomensis praefectus.*

cives quum privatis colloquiis tum publicis concionibus hortatus sum omnes, quoad eius fieri potuit, ut se accingerent ad ministri vocationem, quemadmodum decet christianum populum, qui Christi evangelium serio profitetur, caverentque ne quid molirentur, aut per invidiam, aut per odium et contentionem, aut cuiusquam suasu adversus Christum eiusque ecclesiam et ministerium, et ne sibi sua culpa exitium temere accerserent. Spero non frustra fuisse monitos. His hunc in modum peractis proximo Iovis die petitur a *Prangino* responsum et sententia super hoc negotio, et a civium magistris et a ministris, seorsum tamen. Respondet se advocaturum viros prudentes in consilium, qui cum ministris et iis qui a senatu Neocomensi ad id delecti fuerint conferant de tota hac controversia: quod non careat res periculo si ecclesiae minister obtrudatur invito populo aut invitis ministris. Ergo res protrahitur in hanc deliberationem. Monui fratres ut suas rationes haberent paratas. Atque utinam tuam super hac re sententiam audirent, et rationes quibus hostes convincerentur, non ad populum sed ad ministros pertinere ministrorum electionem, et quae esset tenenda hac in re regula, ne quid aut ministri aut magistratus aut populus tyrannidis sibi vindicarent in ecclesiam. Vide quid licet tibi per otium. Mox audiemus ut cesserit ista consultatio, et num via aliqua inventa sit qua utrisque satisfiat, nullo ecclesiae detrimento.

De *Marcurtio* nescio an eius fautores sint perrecturi. Statueram ad eum scribere ut ita ageret cum Neocomensibus ne quid sua causa tumultuarentur, serioque scriberet se nihil tentare contra ecclesiasticam disciplinam, et alia id genus in hanc sententiam, quae virum decent qui magis cupiat ecclesiae quam suis commodis esse consultum: quamvis facile sit intelligere, nihil aeque ipsius commodis esse adversaturum quam si per aliam irreperet viam quam per ostium. Sed malui differre donec intellexero num opus sit sic cum eo agere. Proinde tuum mihi consilium significabis. Bene feceris si fratres classis Gaiensis commonefeceris ut hac de re agant cum *Marcurtio*, eumque admonueris ut vivat sua sorte contentus, nec patiatur sua causa scindi ecclesiam. Tu te geres hac in re ut expedire iudicaris. Nam timendum est ne nostris quamlibet fidis et amicis consiliis hominem potius irritemus quam compescamus. Si pergunt Neocomenses, facile erit Bernensibus, in quorum potestate est *Marcurtius*, ecclesiae tranquillitati consulere. Sed de his hactenus. Si quid audivero, quod tua te scire intersit, admonebo. Reliqua disces ex *Farelli* ad te literis.

Mitto etiam ad te exemplar articulorum [6]) quos ad nos misit *Tossanus* ut tibi quoque communicarentur, ex quibus intelliges quis sit ecclesiae Monsbelgardensis status. Redii huc admodum raucus. Obtuli ecclesiae proximo dominico die *Valerium* [7]) pro publica concione. Sed dum me Dominus consolatur addito ex animi sententia collega, aufert, ne sim omni ex parte beatus, pium diaconum qui ad superos evolavit interea dum abfui: cuius mors mihi admodum acerba est. Vides quam hic locus sit diaconis fatalis. Meministi quid ad me de *Ferronio* [8]) et eius voluntate nuper scripseras. Nunc se commodior offert occasio obtinendi quod postulat quam nuper. Sed nescio an ita expediat, et si expediat nescio an id facile a reliquis fratribus impetrari possit et a Bernensibus. Cupiam super hac re tuam mihi sententiam diligenter perscribi. Uxor habet ut solet, nisi quod indies magis atque magis contabescit et quod indies redditur imbecillior. Dominus illi et nobis omnibus sit propitius. Ea se tuis et ecclesiae precibus commendat. Nostri te omnes salutant, et Neocomenses. Saluta meo nomine *Textorem*, quem cuperem, si liceret per otium, huc usque revolare, quando opportunum iudicarit, exploraturum quid novi symptomatis uxori post eius discessum acciderit, et tentaturum si quid aliud fieri possit quo miserae tot modis afflictae succurratur. De rebus vestris multa vulgo iactantur, sed iis solum fidem adhibeo quae abs te scribuntur. Habes hic iustum volumen, non epistolam. De eventu causae *Tornaci* [9]) nihildum certi habemus. Conferes cum *Textore* de rebus nostris, cui commendo negotium ipsi quam commendatissimum. Scripsissem ad eum si per negotia licuisset. Saluta uxorem, symmystas et reliquos amicos. De *Ferronio* fac ut mox scribas, quoniam non statuimus diu cunctari in eligendo diacono. Vale. Lausannae, 8. Februarii 1546.

Tuus P. Viretus.

6) Artikel darauf der Kirche zu Mömpelgard Reformation neben und sambt Unser in Druck ausgegangenen Kirchenordnung gestellt und fürgenommen werden soll. Urach 29. Nov. 1545. MS. (*Heyd, Herzog Ulrich* III. 152.) *His articulis festa B. V. et apostolorum abrogabantur, coena quater tantum quotannis celebranda erat, baptisma obstetricum* (Jähtaufe) *non obtrudebatur, Tossano et collegis sententiam de coena libere profiteri concessum est, synodorum institutio confirmata, denique Angelandro et Germanis ministris imperatum, ut in ritibus sacris consuetudinem gallicae ecclesiae Monsb. sequerentur, neque Tossanum amplius vexarent.*

7) *Iac. Valier* (*N.* 724, *not.* 2).

8) *N.* 747.

9) *N.* 731, *not.* 5; 740, *not.* 2.

763.

HEDIO CALVINO.

Nova ex Ratisbona, Francofordia, Tridento, Belgio, Hungaria, ex parte vaga et falsa. Platinam de vitis pontificum vertit germanice et supplere cupit.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 29.)

Optimo ac doctissimo viro D. Iohanni Calvino docenti Evangelion Gebennae meo praeceptori dilecto.

S. D. In Christo venerande *Calvine*. Tuas literas datas 24. Ianuarii accepi 8. Febr. Vidi autem paucos ante dies apud D. de *Valesiis* [1]) literas cuiusdam Hispani e Ratispona scriptas, quae certe summam eorum continent quae *Bucerus* et ad Senatum et ad nos scripsit. Iam sparguntur rumores, *Paulum* III mortuum 3. Ianuarii [2]) et cardinales relicto Tridento properare Romam, ut aliud caput Satanae synagogae eligant. Quare putamus et colloquium Ratisponae et concilium Tridenti casura in spongiam. Nostri legati adhuc sunt Francofordiae: eo etiam nuper profecti D. Metensis, [3]) *Sturmius*, *Sledanus*, ut referant quae protestantium nomine egerunt apud utrumque regem. Utinam ambo oscularentur filium ne perirent de via iusta.

In Belgio scribunt saevire persequutionem nullo servato discrimine vel inter nostros, Catabaptistas, Libertinos, et nescio quos Davidicos. [4]) Quare multi optimi viri subinde fuga sibi consulunt.

Caesar ferebatur gravissime podagra laborare. Quando autem iturus sit Ratisponam nescitur. Sunt enim qui putent ob saevientem in vicinia undique pestem alium locum eligendum esse comitiis. Interim miles passim cernitur ultro citroque cursitans. Certo fertur Wittenbergae esse nuncios ex Ungaria, qui petant concionatores in eas partes Ungariae quas Turca anno superiori occupavit. Quae haec mutatio dextrae excelsi! Et num ei, qui ex lapidibus Abrahae filios facere potest, impossibile fuerit Turcas admittere in obedientiam fidei, et christianissimum propter incredulitatem eiicere? Posthac plura. Haec boni consule et vale. Raptim, 8. Febr. 1546. [5])

C. Hedio tuus.

Rogatu Palatini ducis *Otthonis Henrici* verti Platinam in Vitis pontificum. [6]) Si haberes certi aliquid de Iulio Ligure, de Leone X., de Clemente VII., et hoc Paulo III., ego sane lubens adiungerem. Quidquid verum esset, mihi etiam tutum fuerit, ut Germanus lector tandem agnoscat eum qui mysterium iniquitatis diu egit.

Colloquium Ratisponae coeptum die 27. Ianuarii. Nostri de Tridentino concilio nec gry audiunt: ita patres diversae partis sub fide secreti religiosissime se obstrinxerunt tacere, et nostris nihil communicare.

---

763. 1) *de Falais, ad quem scribebat Io. Diazius, cuius tamen epistola non ea ipsa est quae proxime sequetur (vide N. 765 init.) sed N.* 751.

2) *Paulus* III *mortuus est d.* 10. *Nov.* 1549.

3) *Ioh. Nidbrucker.*

4) *Davidis Ioris asseclas.*

5) *In numero* 8 *error latere videtur. Alioquin supra scripsisset:* Literas tuas accepi hodie, *non autem:* 8. Februarii, *quod diem iam praeteritum significat.*

6) Bapt. Platinae Historia von der Päpst und Kaiser Leben von Petro und Tiberio an bis auf Carolum V. und Paulum III. des Jahres 1546 continuirt und zusammengetragen v. C. Hedio. Strassb. 1546. fol. *Continuatio amplectitur* 75 *annos proxime elapsos.*

764.

DIAZIUS FALESIO.

Describit precationem quam Bucerus in principio colloquii Ratisbonensis recitavit.

(Ex autographo Cod. Gothani 404, fol. 316. Edita in libro: Reformistas espannoles antiguos. Madr. 1865. XX. 120.)

Generosissimo ac clarissimo viro D. Falesio etc. Argentorati.

S. P. in Christo. Pro ratione mearum occupationum, generosissime vir, ita ad D. *Calvinum* scribo ut nihilominus idem ad te scriptum (ut postremis literis significavi) velim. [1]) Unus enim ipse, et sane occupatissimus, non possum tam multis, ut cupio et vellem, satisfacere. Interim et hanc precationem, quam heri D. *Bucerus* habuit in principio colloquii, [2]) hic subiungam, quae vice erit epistolae, imo quam pro tua pietate multis meis epistolis praeferes, ut par est:

Omnipotens Deus, pater coelestis, qui admirabili benevolentiae tuae erga nos consilio scripturas tuas nobis largitus es, et adhuc conservasti, quae teste apostolo tuo erudire nos possunt ad salutem per fidem, et utiles sunt ad docendum quidquid in doctrina religionis verum est et salutare, et ad confutandum quidquid in hanc doctrinam infertur falsum et

---

764. 1) *Haec non bene assequimur. Num Calvinus epistolas Diazii Argentoratum transmittere debebat? An vero simpliciter veniam petit quod non idem ad utrumque scribit? Si quid videmus, epistolas suas ad Calvinum mittendas Falesio tradebat.*

2) *Quum colloquium d.* 27. *Ianuarii inchoatum sit, principium quod dicit heri fuisse, primum esse nequit.*

noxium, ad corripiendum etiam quidquid est in vita pravum et vitiosum, denique et ad commode instituendum in iustitia, ut homo Dei sit undique exactus et ad omne bonum opus instructus: gratias tibi maximas, quod servo tuo[3]) Imperatori nostro hanc mentem immisisti et hactenus servasti, ut controversias religionis religiosa et placida scripturarum tuarum scrutatione et tractatione componi voluerit. Et rogamus te suppliciter, respicere velis, propter filium tuum unicum servatorem nostrum et magistrum coelestem, ecclesiam tuam tot modis per doctrinas alienas[4]) afflictam, ac mittere nobis spiritum sanctum tuum, spiritum veritatis, qui depulsa a nobis omni cupiditate et sapientia carnis, omnique sophistica et impostura Satanae, corda tuorum omnium aperiat, purget, illuminet, ut ex scripturis suis solide cognoscere valeant finem legis et omnis scripturae, filium tuum, propitiatorem nostrum, et te in illo Deum verum et patrem nostrum. Atque fac ut ministerium nostrum, quod in instituta modo collatione praestare tibi et ecclesiae tuae debemus, eo illi commodet, ut tandem plene in te undique consentiat, et indies magis magisque instauretur et ad omnes gentes propagetur, ad gloriam nominis tui, per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, filium tuum, qui tecum in unitate spiritus sancti vivit et regnat per omnia saecula. Amen.

Reliqua, ut dixi, boni consulet tua humanitas. Dominam uxorem salutabis, ac fideli nuncio committenda haec mandabis, qui si ad manum non fuerit, gratum erit si communicentur, sed paucis: D. *Martyri*, *Alinio*, *Eutenobio*, *Henrico*, et quos cupio meo nomine salutari. Ut interim non omittam ecclesiae vestrae ministrum *Garnerium*. Si quid accepistis de *Valerano* scire cupimus. Bene vale, generosissime vir. 8. Februarii 1546.

Te officiose salutat nobilis *Senarcleus*. Huius precationis exemplar mitter[5]) etiam ad D. *Calvinum* oro.

T. G. H. perpetuo deditissimus
I. Dz.

765.

DIAZIUS CALVINO.

Accurate exponit prima colloquii Ratisbonensis acta. Addit quae de Dryandri conditione nuper tristia accepit.

(Ex autographo nitidissimo Cod. Genev. 110, fol. 80.)

3) non adulatur titulis (*Autor in margine*).
4) alienis *autogr.*
5) *sic autogr.*

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis primario et vigilantissimo ministro. Genevae.

S. P. in Christo. Postremis meis literis quas ad D. *Falesium* misi[1]) tibi, vir clarissime, significavi 27. Ianuarii initium aliquod colloquio dandum: quod factum est. Praemissa sua missa spiritus sancti, cui interfuere praesides et catholici quos vocant (nam nostri 26. publicas preces et concionem habuerunt) in curia civitatis convenere omnes, aliquantumque praefatus est primus praeses episcopus *Eistetensis*,[2]) deinde magister noster *Malvenda*, tanquam a Caesarea maiestate missus, et qui futurus est ac est primus colloquutor. Nostri, quoad recte fuisset colloquium institutum, praefari et protestationem suam praemittere noluerunt. Exhibita illo primo die praesidibus scripto fuit voluntas Caesaris de ratione colloquii, deque ordine et modo qui servari debeat in articulis et in admittendis aut reiiciendis ab adversariis nostris, qui in confessione Augustana Imperatori exhibiti fuerunt, quos seorsim hic mitto. Eo etiam die inceptum est de notariis admittendis agere, prout veteris ecclesiae mos fuit, et observatum Vormaciae et alibi esset, et ut maiestas causae expostulabat, et ut fideliter omnia iuxta Vormaciense edictum ad C. M. et ad Imperii status referri possent. Per octiduum hoc de notariis admittendis aut non utrinque agitatum est, nostris urgentibus, aliis negantibus, non oportere omnia scribere, sed tantum in quibus convenirent et in quibus non. Deinde excusabant sese praesides, hoc illis in suis mandatis non esse expressum: addebant etiam, se de his et aliis brevi responsum a Caesare exspectare. Tandem convenere ut essent tres notarii, ex parte praesidum unus, alii duo utrique parti suus, sed certis legibus quas etiam seorsim in literis mitto, ut hominum morositatem cognoscas, quum tamen non videant se lucem fugere et latebras quaerere. Quanquam huius rei et morositatis magna ex parte culpam in *Malvendam* omnes coniiciunt, volentis omnia pro sua gravitate prudentia et maiestate magistrali, ne dicam imperiali, moderari. Nec dubito quin ipse facile, ut in me habeo omnium nostrum propensos animos, in numerum notariorum fuissem admissus, si ex aequo omnia fierent, quanquam semper *Malvenda* reclamasset. Quidquid sit, omnia boni consulo, nec quid temere sed Dei providentia omnia fieri iudico. Iam *Pistorius* cogitur hoc munus subire, et, si minus per valetudinem ille potuerit, *Frethius*.[3])

765. 1) *N.* 751. *Ad Falesium misit, scil. Genevam mittendas.*
2) *Mauritius Huttenus ex equestri Franconiae nobilitate* (*Seckend.* III. 621). *De ipso colloquio praeter hunc adeas Hortleder.* I, *f.* 361 *ubi leges Maioris relationem*, *Sleid.* II. 416 *sq. et Hofmeisteri* Handlungen des letzten Coll. zu Regensb. Ingolst. 1546. 4.
3) *Frechtius.*

Tertia Februarii hoc fuit constitutum inter omnes, quarta quieti seu potius arcae aut cistae parandae concessa fuit. Quinta serio, Dei gratia, colloquium inceptum fuit, et in eo progredientur, nisi mutato animo et consilio Imperator interrumpere voluerit, sicut fieri facile posset: usque adeo omnia bellicis rumoribus plena sunt. Hac die praesides per cancellarium hortati sunt omnes colloquutores, ut in hoc tam gravissimo de religione colloquio christiane et amice inciperent et agerent, nec non colloquium ad finem usque sic perducerent. Postèa D. *Malvenda* elaborata oratione[4]) incepit gratias agere Deo quod C. M. instituerit hoc amicum colloquium ad pacificandam Germaniam, et per illud, quod hactenus efficere non potuerit, ipsius tranquillitati consulere. Commendavit praesidum animum et studium: praeterea ostendit quod ex colloquutoribus suae partis, quos catholicos vocavit, illos nihil dicturos per iram, invidiam aut indignationem, sed potius cum candido et sincero animi affectu ac desiderio christianae concordiae, eosque optare ut illorum cogitationes et animos possemus videre, quantum scilicet hoc desiderium pacis et concordiae alte animis eorum insideat. Item quod mallent familiarius sine omni descriptione dictorum et contradictorum nostrorum agere, ut omnia melius perpendi et librari possent et veritas certius cognosci. Quum hoc autem fieri non possit, velle ipsos parere et in pennis loqui. Protestatus est suo et aliorum nomine duo, idque sorbonico more, unum, quod in hoc colloquio nihil essent dicturi aut in medium producturi nisi sacris literis, traditionibus ecclesiasticis et communibus ecclesiae canonibus consonum, et si quid per imprudentiam inter loquendum excideret, vellent pro non dicto haberi: secundo, quod omnia quae in hoc colloquio allaturi aut concessuri essent, vellent id esse duntaxat amicam collationem et quae neminem ligent, non pro definitione, receptione aut determinatione haberi, quae C. M. reservata volunt. Posthac incepit de iustificatione agere, et primum de nomine et causa ipsius, de veteri culpa, et ad id multa scripturae testimonia, sed eorum more inversa, induxit, et illa omnia in septem propositiones sorbonico more distinxit. Hic nostri rogarunt ut illis loquendi locus daretur. Praesides ad *Malvendae* petitionem indulgentes a nostris postularunt ut paterentur illum in suo sermone progredi et absolvere: cras futurum illis liberum ad omnia respondendi. Sic quidem *Malvenda* tandem absolvit.

Nostri a prandio deliberarunt (nam matutinae horae colloquio dantur) ut communi nomine sequenti die D. *Bucerus* ad omnia responderet. Quod factum est. Sexta itaque die Februarii praemissa pia precatione et actioni accommodatissima, nec non protestatione, et illa exhibita, ad singula deinde illius dicta seu propositiones respondit. Ita tamen ut urgeret agendi ordinem a C. M. praescriptum ante omnia servandum. Contendent etiam, si modo obtinere id et impetrare poterunt, ut articulus de iustificatione hic conciliatus olim pro conciliato habeatur. Sicque in colloquio progreditur.[5])

Dolemus *Philippum* abesse.[6]) Scripsit tamen se fortasse venturum, si intellexerit serio colloquium procedere. Si pluribus nunc ad te scribere non possum, hoc condonabis meisque occupationibus adscribes. Salutant te omnes fratres, praesertim colloquutores omnes, *Pistorius* et *Frethius*, noster etiam *Senarcleus*. Tu vicissim meo nomine salutabis ecclesiae fidos ministros, carissimam etiam uxorem tuam. Nos divertimus in veteri Argentinensium hospitio tibi noto: matrona, quae vidua iam ab anno uno est, te salutat. Si vacat, quaeso ad *Dryandrum* nostrum scribito.[7]) Gaudeo quod ex literis *Musculi* intellexerimus te recte valere. Bene vale, vir clarissime, in Christo: quem precor ut ad ecclesiae aedificationem et protectionem diutissime te servet. Amen. Ratisbonae, 9. Februarii 1546.

Vere ac perpetuo tibi devinctissimus
et studiosissimus
I. Dz.

His scriptis accepi literas a *Dryandro* quibus se valde commotum dicit ac plane perturbatum, quod a suis intellexerit adeo Imperatorem saevire ut magna non solum suos parentes infamia afficeret,[8]) sed etiam ascriberet fisco quae illi a paterna haereditate provenire possunt, urgereque illos ut e Germania egrediatur si bene parentibus consultum velit, nec mihi hic satis esse tutum etc. Tu proinde, oro, mi D. *Calvine*, ut ad illum rescribas et, ut scis, bono esse animo et constanti iubeas, ad meque literas mittito. Ego curabo brevi ad illum perferri. Vellet mecum multa communicare, ideoque invitat et urget ut ad illum eam: sed praestabit huc ipsum ad nos venire ante comitia, si tamen futura sunt.

---

4) *Hortleder l. l. f.* 366.

5) *sic!*

6) *De Philippi absentia v. epistolas Lutheri* (*de Wette* V. 777) *et Bruckii* (*Corp. Ref.* VI. 10) *item Melanthonis* Indicium de colloquio Ratisb. habendo (*ibid. p.* 14).

7) *Quem tum iam Argentorati fuisse non credimus. Vide post-scriptum, ubi Calvini epistola ad Dr. scribenda per manus Diazii transitura dicitur, ergo non Argentoratum mittenda sed potius Vitebergam. In Melanthonis quidem epp. hoc tempore scriptis nullum eius vestigium relegimus. Caeterum non omnes in Corp. Ref. reperiri vel ex M'Crie, Ref. Hisp. p.* 204 *patet.*

8) *Pater Burgis degebat, patruus Antwerpiae. De Dryandri carcere et fuga v. Rabum in hist. Martyr.* 1572. II. 656. *Ibidem p.* 688 *exstat versio relationis Senarclei de morte Diazii.*

Valde enim dubitatur, multaeque sunt coniecturae non futura etc. Dominus sua bonitate et vobis et nobis ac toti suae ecclesiae prospiciat: alioqui magni motus et mutationes spectantur, atque interim Turca non dormit.

766.

CALVIN A FRELLON.

Il lui parle d'un réponse qu'il a faite à Servet, sans espoir de le ramener à des idées plus saines. Désormais cependant il entend ne pas continuer cette correspondance.

(d'Artigny, nouveaux mémoires d'histoire, de critique et de littérature. P. 1749. T. II. p. 70. Mosheim, Nachrichten von M. Serveto. Helmst. 1750. p. 89. Bonnet, lettres fr. I. 139. Henry III. 132. Calvini Opp. ed. nostrae Tom. VIII. p. 833. Traduction anglaise, édit. d'Edinbourg II. 16.)

A Sire Iehan Frellon Marchand libraire demeurant à Lyon en la rue merciere Enseigne de l'escu de Coulongne.

Seigneur Iehan, pource que vos lettres dernieres me furent apportées sur mon partement, ie n'eus pas loisir de faire response à ce qui estoit enclos dedans. Depuis mon retour, [1]) au premier loisir que i'ay eu, i'ay bien voulu satisfaire à vostre desir: non point que i'aye grand espoir de profiter gueres envers tel homme, selon que ie le voy disposé: mais à fin d'essayer encor s'il y aura quelque moyen de le reduire, qui sera quand Dieu aura si bien besogné en luy qu'il devienne tout aultre. Pource qu'il m'avoit escrit d'un esperit tant superbe, ie luy ay bien voulu rabbatre un petit de son orgueil, parlant à luy plus durement que ma coustume ne porte. Mais ie ne l'ay peu faire aultrement. Car ie vous asseure qu'il n'y a leçon qui luy soit plus necessaire que d'apprendre humilité. Ce qui luy viendra de l'esperit de Dieu, non d'ailleurs. Mais nous y devons aussi tenir la main. Si Dieu nous faict ceste grace, à luy et à nous que la presente response luy profite, i'auray de quoy me reiouir. S'il poursuit d'un tel style comme il a faict maintenant, vous perdres temps à me plus solliciter à travailler envers luy, car i'ay d'aultres affaires qui me pressent de plus prés. Et ferois conscience de m'y plus occuper, ne doubtant pas que ce ne fust un sathan pour me distraire des aultres lectures plus utiles. Et pourtant ie vous prye de vous contenter de ce que i'en ay faict: si vous n'y voyez meilleur ordre. Surquoy, aprés m'estre de bon coeur recommandé à vous, ie prye nostre bon Dieu vous avoir en sa garde. Ce xiij de Fevrier 1546.

Vostre serviteur et entier amy
Charles Despeville. [2])

767.

CALVINUS FARELLO. [1])

Haec quoque maxime ad negotium eligendi a Neocomensibus ministri spectat, in quem finem iis documentum transmittit a pastoribus Senatui tradendum. Serveti deliria et in eum minae. Petri Ameaux calumniae.

(Ex autographo Cod. Paris. Dupuy 102, fol. 3. Inscriptio nulla adest. In margine alia manus addidit: *Farello* 1546. Exstat quoque in Cod. Genev. 109, fol. 15. Edidit Henry T. III. App. p. 65, anglice vertit Bt.-Constable Tom. II. p. 17.)

S. De fratribus quieto nunc animo eris post acceptas *Claudii* literas. [2]) Nuncius qui attulerat quum a concione redirem post horam nonam, rogavit an meae essent paratae. Negavi, sed iussi ut domi meae pranderet cum uxore. Eram enim ipse invitatus a *Macrino*. [3]) Statim a prandio adfuturum me promisi ut paucis responderem. Non venit, sed momento se proripuit ut stuperem tam subito discessu. Et tamen visus mihi fuerat iuvenis alioqui non malus. Utinam cogitent fratres, sibi omnes difficultates ita expediri Dei manu, quo citius festinent. Non oportuit cessare Israelitas quum patefactus illis esset exitus, quin mox ad fugam se accingerent. Hoc fuisset epistolae argumentum nisi

---

766. 1) *Comme Calvin n'a pas fait de longue absence dans ces derniers temps, cette excuse n'est évidemment qu'une façon de parler. Et comme ce même jour il parle à Farel de l'envoi de Servet (N. 767) comme d'un fait récent, il est inutile d'avoir recours à un voyage antérieur.*

2) *Nous avons inséré ici cette lettre quoique elle ait déjà été imprimée dans le T. VIII des Oeuvres, uniquement pour réunir tout ce qui est émané de Calvin lui-même. Pour toutes les autres pièces de ce genre relatives au procès de Servet nous renvoyons nos lecteurs à l'endroit indiqué.*

767. 1) *Farello hanc inscribi debere, et non Vireto ut aliquis ex Bolseci Vita Calvini qui eam allegat coniicere posset, patet ex Farelli responsione infra N.* 773. *Caeterum vide not. ult.*

2) *N.* 759. 761.

3) *N.* 742.

me nuncius fefellisset. Verum ultro eos audere confido.

Nunc venio ad vestra certamina. Si quid adhuc molestiae vobis improbi facessant quum istae literae venient, breviter complexus sum quaenam agendi ratio mihi placeat.[4]) Velim autem primum agi viva voce, deinde hoc scriptum aut simile tradi. Ridebitis forte quod nihil nisi vulgare proferam, quum a me reconditum aliquid et sublime exspectaveritis. At ego me vestra opinione obstringi nolo: neque etiam aequum est. Malui tamen ineptus esse ita scribendo quam tacendo committere ut preces vestras a me neglectas putaretis. Si rationibus et hac legitima via nihil fuerit effectum, clam apud Bernates agendum erit ne feram illam[5]) ex cavea emittant. De foedere non satis assequor mentem tuam, nisi quod suspicor, quo Bernates auxilio vobis sint, te ad aliquam coniunctionem animum adiicere: ut quemadmodum iure civitatis libertatem populi tuentur, ita honesto aliquo titulo tueantur ministros in officio suo. Si id est, non improbo: modo memineritis ad haec extraordinaria remedia tunc demum esse confugiendum ubi ultimae necessitatis est excusatio. Deinde, ut omnes cautiones adhibeatis ne quid in posterum vobis noceat semel fuisse adiutos, ac pactionis nunc transactae magis vos poeniteat quam pristinae servitutis. *Marcurtius* certe iam locum sibi despondit. Fratrum enim consensum nihil se morari praedicat, quia a magistratu et populo expetatur. Nec fremere in te dubitat. Denique, quum ante tempus malitiam animi sui prodat, machinis omnibus repellendus est, ne emergat in locum unde efficere quod minatur possit.

De iis, qui sub praesidii specie perpetuam dominationis sedem figere hic volebant,[6]) rumores sinamus in utramque partem vagari. Civiliter et placide occursum est eorum impudentiae, ita ut eos sui pigere debeat. Spero quieturos. Nostris, quantum possum, suadeo ut securi dormiant.

Servetus[7]) nuper ad me scripsit ac literis adiunxit longum volumen suorum deliriorum cum thrasonica iactantia, me stupenda et hactenus inaudita visurum. Si mihi placeat, huc se venturum recipit. Sed nolo fidem meam interponere. Nam si venerit, modo valeat mea autoritas, vivum exire nunquam patiar.

Iam elapsi sunt ultra quindecim dies ex quo cartularius[8]) in carcere tenetur, propterea quod tanta protervia domi suae inter coenandum adversum me debacchatus est, ut constet non fuisse tunc mentis compotem. Ego dissimulanter tuli, nisi quod testatus sum iudicibus mihi nequaquam gratum fore, si cum eo summo iure agerent. Volui eum invisere. Senatus decreto prohibitus fuit aditus. Et tamen boni quidam viri scilicet me crudelitatis insimulant, quod tam pertinaciter meas iniurias ulciscar. Rogatus sum ab eius amicis ut deprecatoris partes susciperem. Facturum me negavi, nisi his duabus exceptionibus, ne qua suspicio in me resideret atque ut Christi honor maneret salvus. Iam defunctus sum. Exspecto quid senatus pronunciet. Vale, frater et amice integerrime, cum sororibus. Nostri omnes vos salutant. Fratribus dices plurimam salutem meo et symmystarum nomine. Dominus vobis semper ac vestris sanctis laboribus benedicat. Genevae eidib. Februar. 1546.

Ioannis Calvinus tuus.[9])

---

4) *Vide documentum proxime sequens.*

5) *Marcurtium.*

6) *N.* 750, *not.* 12, *et* 757, *not.* 8. *Anglus haec non intelligens vertit:* that we were establishing here a permanent seat of despotism.

7) *Bolsec Vita Calvini. Colon.* 1580. *p.* 25: Ex hoc loco (*Vienna*) ad Calvinum Genevae commorantem literas scripsit, et una librum manu descriptum cum triginta epistolis suis misit, in quibus Calvinum de erroribus, quos ex eius de doctrina christiana institutionum aliisque libris collegerat, cum non levi eius et quod profitebatur dogmatis nota admonebat.

8) Pierre Ameaux cartier c. à d. fabricant de cartes à jouer, de quilles, de dés et d'autres engins de jeu dont il tenait boutique. Entré au conseil des Deux-cents en 1530, à celui des Soixante en 1533, au conseil d'état en 1535, il n'avait pas été réélu par le parti qui renvoya les réformateurs français. Enfin aux élections de 1545 il fut réintégré au Conseil qui lui avait confié les fonctions importantes de Capitaine des artilleries .... Le 26 Janvier 1546, sortant d'une longue maladie, il avait réuni à souper quatre de ses amis, ou qu'il croyait tels .... La conversation vint à rouler sur le réformateur, et A. échauffé par le vin donna cours à ses sentiments. Dès le lendemain, l'un des convives P. Verna, membre du conseil, rapporta ses paroles .... (*Galiffe, Procès de P. Ameaux Gen.* 1863. *p.* 7. 21.) La rancune qu'A. ressentit contre C. s'explique suffisamment par ce que celui-ci avait voulu le forcer à garder pour femme une prostituée, espèce de folle, dont l'inconduite avait été affichée comme à dessein pendant plus d'un an. (*Galiffe, Not. gén.* IV. 243.) Lon a revelle que ledit A. a diest que M. Calvin estoyt meschant homme et nestoyt que un picard et preschoyt faulce doctrine..... Ordonne quil soyt constitue prisonnier et que en apres lon le forme son prosses. (*Reg. du Conseil Vol.* 40, *fol.* 359. 27 *Janvier* 1546.) *Caeterum Anglus cartularium istum nomen ipsius viri ratus scribit:* Cartelier, one of the most violent members of the party etc.

9) *De authentia huius epistolae inter viros doctos disputatum est. Vide Mosheim, anderw. Versuch. p.* 126 *et qui ibi laudantur. Quibus adde Trechselium T. I. p.* 119 *et Henry Tom. I. p. xxj praef. et III. p.* 67 *app. Nobis qui authenticum et autographon exemplar Parisiis inspeximus et descripsimus dubium ullum exsistere nequit. Imo deprehendisse nobis videmur unde aliis olim natum fuerit. Scilicet Bolsecus primus eam allegavit, Calvino infensissimus scriptor et alioquin mendaciis indulgens, ita ut quum ipsa oculis virorum doctorum se subduxisset facile spuria haberetur, atque hoc eo facilius quo paucioribus versibus de Serveto agit et ad alium scripta est quam quem Bolsecus indicabat. Qui l. l. haec habet:* Calvinus immortale adversus Servetum odium concepit et necem ei machinatus est. Nam hoc eum animo fuisse literae fidem faciunt quas Idibus Febr. manu sua scriptas dedit, quarum haec fuit inscriptio: Eximio Domini nostri I. C. servo Petro

768.

LES MINISTRES DE NEUCHATEL AU GOUVERNEUR ET CONSEIL.

Mémoire sur l'élection des ministres.

(Ce document écrit de la main de Calvin qui en est aussi l'auteur, se trouve dans le volume relié de la bibliothèque des pasteurs de Neuchâtel A. N. 25, où il porte le titre: *Remonstrances de la part des ministres de la parolle de Dieu au conte de Neufchastel a leurs tres honores et saiges seigneurs Monsieur le gouverneur et Messieurs du conseil sur le faict de lelection dun ministre qui succede au lieu de maistre Iehan Chapponeau.* Il porte en marge des notes de différentes mains, qui en indiquent la date et le contenu. La plus ancienne porte: *Calvin instruisant la classe des raisons a advancer au magistrat pour prouver et luy faire cognoistre que lelection dun pasteur depend de lordre et authorite de la classe. Icelles excellentes. Listoire est au* 1546.)

Premierement [1]) quil vous plaise de considerer que lesdictz ministres, en requerant quon leur donne lieu et faculte de presenter homme qui leur soit approuve en doctrine et en vie, ne demandent sinon ce qui leur est ordonne de Dieu. Car sainct Paul, traictant de la facon et ordre de creer ministres, adresse sa parolle a Timothee et a Tite, comme ayant la commission de ce faire. Et voit on par toute lescriture comment les apostres en ont use.

Or ilz presupposent bien que vostre intention nest pas de leur oster la charge qui leur est donnee de Dieu, ne dusurper ce qui ne vous est point permis.

Dadvantaige cela a este tousiours en usaige et observe en leglise ancienne que les ministres eussent la presentation, et que la seigneurie et la communaulte du peuple eut la liberte daccepter celluy qui seroit trouve idoine ou de refuser celluy quilz congnoistroient ne leur estre pas propre, y procedant tousiours avec bonne raison et en la crainte de Dieu.

Mesme combien quil y ait eu beaucoup dempereurs Chrestiens et de leurs lieutenans par les provinces, toutefois nul a iammais entreprins dempescher ou troubler cest ordre, du temps quil y a eu bonne police en leglise.

Et de faict cest pour le bien et repos commun de toute leglise, que nul ne soit admis devant questre examine des ministres pour iuger de la suffisance de sa doctrine. Car aultrement il en adviendroit grande confusion.

Or tel encor pourra bien estre competemment scavant, lequel pour certaines raisons ne sera point utile ne propre en une eglise. Pourtant sur cela aussi il est besoing davoir esgard.

Et comme cest chose maulvaise et contre raison de contraindre un peuple a recevoir un ministre qui ne luy est pas a gre, comme il a este faict en la papaulte, aussi dautre coste cest une semence de discorde fort pernitieuse dexclurre les ministres de leur election legitime, introduisant maulgre eux un homme en leur compaignie.

Dadvantaige un homme qui aura este ainsi advance par moien illicite contre lordonnance de Iesuschrist, daultant quil naura point vocation approuvee, ne pourra fructifier, mais plustot par iuste punition de Dieu sera inutile.

Qui pis est le Diable se mectera entre deux et sen aydera comme dun instrument pour faire des troubles, tellement quil sera comme une peste.

Il y a beaucoup dautres consequences maulvaises. Comme quun tel homme ne se vouldra renger a nulle discipline ne correction. Et ainsi fera beaucoup de scandales devant quil y ait moien dy remedier.

Mais quant il ny auroit que ceste seulle raison, si doit elle bien suffire. Cest un bien qui ne se peult assez priser que la concorde des ministres. Car les eglises qui ont experimente quelle fascherie cest davoir des ministres discordans vous doivent estre en exemple, pour ne vous point iecter en tel inconvenient de vostre bon gre.

Combien a la verite que linstitution de nostre seigneur vous doive bien contenter, comme nous esperons quelle fera quant vous aurez este advertis quil a estably ceste police, pour estre gardee iusque a la fin du monde. Car nous tenons bien tant de vous que iammais vous ne vouldriez contrevenir a sa volente.

Vireto Laus. eccl. pastori symmystae carissimo. Inter caetera autem quae in illa epistola de Serveto sunt haec scribit etiam: „Servetus cupit huc venire sed a me accersitus. Ego autem nunquam committam ut fidem meam eatenus obstrictam habeat. Iam enim constitutum habeo si veniat, nunquam pati ut salvus exeat." Dei plane voluntate accidit quod haec ep. ad meas manus delata sit quam ego multis admodum honoratis viris saepe ostendi et etiamnum ubi eadem sit novi. *Et p.* 65: Hae literae cum multis aliis ipsius Vireti conclavi et scriniis Lausannae tunc repertae fuere quum Bernensi provincia excessisset et magna festinatione profugisset *caett. Vides hic istum falsa veris miscere, sed epistolae argumentum quatenus Servetum spectat non ad verbum quidem, sed ad sensum accurate referre. Quod autem Viretum pro Farello ponit, hoc nullo negotio explicari poterit. Epistola Lausannam missa fuerat ut Vireto procurante Neocomum perveniret, quod saepissime inter illos triumviros factum est. Quid quod ipse Viretus in tergo adscripsit:* Resignavi Calvini literas ad te, *additis nonnullis aliis quae in nostras schedas referre neglexinus.*

768. 1) *Par la forme même de ce début il est évident que C. s'est borné à réunir les matériaux et arguments à l'appui de la demande à faire officiellement par la classe de Neuchâtel. La rédaction en dûe forme revenait à celle-ci. Voyez la note 4 de la lettre précédente. On voit du reste que les pétitionnaires insistent avant tout sur le droit de présentation, à réserver au corps pastoral. Le gouvernement Bernois reconnut plus tard ce droit en principe, mais déclara ne pouvoir se lier d'avance à cet égard dans le cas qu'aucun des candidats présentés ne lui conviendrait.*

Daultre coste il nous semble que nous ne vous avons donne nulle occasion de vous aliener de nous. Car nous avons mis poine de nous accommoder a vous entant quil nous a este possible. Comme il appert en ce que nous vous avons presente quattre personaiges pour en choisir un. Qui nest pas signe que nous ayons voulu usurper rien a nostre advantaige. Ceste modestie dont nous avons use vous doit mutuellement induire a ne point reiecter nostre advis, mais communicquer amiablement avec nous, affin que tout se face par bon ordre.

Nous vous pryons aussi, de vous tenir tous certains que nous ninsistons pas en cest affaire pour maintenir nostre querelle privee: mais pource que nous ne scaurions en bonne conscience souffrir quun tel scandale se commecte, et quil nous soit reproche devant Dieu et devant ses anges que nous ayons dissimule que lordre quil nous a recommande fust aboly. A quoy nostre office est de nous y opposer, au moins iusque a declairer que nous ny consentons point.

Parquoy nous vous prions au nom de Dieu de bien regarder sil vous est licite de nous refuser ce que voz consciences vous tesmoignent estre iuste et equitable. Car daultant que nous desirons vostre bien, nous craingnons que Dieu ne se courrouce contre vous, et desirons de prevenir tous les dangiers.

Avec tout cecy lestat present de leglise de Neufchastel vous doit admonester que si Dieu vous a faict quelque benediction, en ce que tous les ministres dun commun accord ne demandent sinon de vous servir en servant a nostre seigneur Iesus, que vous ne soiez point cause que Dieu vous prive dun tel bien. Mais plustot que vous taschez a amender les faultes et imperfections qui sont entre nous, que dempirer le bien qui y est desia commence.

---

768 bis.

CALVIN AUX MINISTRES DE NEUCHATEL.

(Sous ce titre M. Herminjard a inséré dans le petit recueil servant de prospectus à son grand ouvrage de la *Correspondance des Réformateurs dans les pays de langue française* [Genève 1864, page 16], un mémoire de Calvin sur l'emploi à faire des biens ecclésiastiques. Nos lecteurs le trouvent dans notre édition parmi d'autres pièces du même genre, que nous avons cru pouvoir distraire des lettres proprement dites, au tome X des Oeuvres, première partie, page 249; il commence par ces mots: *Sur le Conseil que demande le frère* etc. Nous y revenons icy pour emprunter à notre savant devancier une note détaillée sur le fait qui provoqua l'avis du réformateur. Voici ce que dit M. Herminjard à l'endroit indiqué:

Le frère qui avait des scrupules et demandait conseil était Iean Hardy bourgeois de Neuchatel. Pendant les débats d'un procès civil qu'il soutenait devant le parlement de Dôle, contre Iean Fauloche, celui-ci sut l'accuser habilement d'avoir violé un édit de l'Empereur relatif à la religion, et parvint ainsi à le faire jeter en prison. Berne, dont la protection ne faisait jamais défaut au plus humble bourgeois des cités romandes ses alliées, lutta près de deux ans pour sauver la vie du captif. L'entreprise était d'autant plus difficile, que les Neuchâtelois indignés avaient eu la malheureuse idée d'exercer des représailles sur la frontière en s'emparant du bétail des gens de Morteau. La position du prisonnier devint si grave que l'avoyer J. J. de Watteville dut se rendre lui-même à Dôle (mars 1533). Il eut le bonheur d'obtenir la libération de Hardy. Mais sa longue détention avait miné ses forces et détruit ses ressources. Il eût été réduit à la mendicité avec sa femme et six ou sept enfants en bas âge, si Jeanne de Hochberg, sur la requête des magistrats du pays, ne lui avait octroyé une petite part des biens d'église. Il fut en outre appelé un peu plus tard aux fonctions honorables de châtelain de Landeron.)

769.

BULLINGERUS MUSCULO.

De controversia sacramentaria quae nuper inter Lutherum et Turicenses recruduit, propter quam se suosque collegas a crimine temere renovati certaminis vindicat.

(Ex Archivis Turic. olim Epp. Tom. I. Scrin. C. nunc Plut. VI, vol. 117 a, fol. 355, exemplar ab amanuense scriptum, addita inscriptione autoris manu propria. Descripsit Simlerus Vol. 59.)

Musculo suo Bullingerus.

Gratiam et vitae innocentiam a Domino. Binas a te literas accepi, frater in Christo semper colende et dilecte, ac pro diligentia illa tua, qua ad meas dignatus es accurate respondere, gratias ago maximas. Ad priores autem tuas paucula haec reddo. Nullas ad meas dedisti hactenus, ob dissidium illud sacramentarium opera Satanae et magno ecclesiarum malo inter *Lutherum* et nos excitatum, et quod non leves ob causas ille dixerit tempus esse loquendi et tempus esse tacendi. Rogas ne aliter interpretari velim quam ipsa habeat veritas etc. Ac facile quidem id a me impetras, nec aliud hic tibi persuadere debes quam quod candide de te sentiam. Quia tamen dissidii illius serio meministi, hoc tantum in praesenti dixero, neque nos, neque nostras ecclesias in causa esse cur pugna haec recruduerit. Scripsit *Lutherus* librum [1]) in nos et

---

769. 1) *N.* 586. *Cf. N.* 608. 622 *etc.*

nostras ecclesias, in viventes et mortuos, talem ut non potuerimus ipsum citra impietatis notam dissimulare. Respondimus ergo ea qua potuimus lenitate et mansuetudine, ea interim libertate utentes, quae Christianos atque veram fidem et religionem habentes non dedecet. Neque dubitamus ipsi pugnam hanc Satanae opera restauratam esse: verum non ignoramus, Deum Opt. Max. pro ineffabili sua bonitate id quod Satanas in malum ecclesiae cogitavit in eximium aliquod beneficium benigne conversurum. Viderit interim quid iusto iudici respondeat, qui praeter necessitatem et utilitatem rixas, offendicula et dissidia excitat inter homines, partim veritatis studiosos, partim superstitionis amicos. Hoc duntaxat hic adiecerim, nihil in hac contentione privati, quod scilicet *Lutheri* aut nostras personas, nostram tantum vel Wittenbergensium ecclesiam attinet, geri: sed negotium publicum, quod scilicet pertinet ad universalem ecclesiam et sinceram fidei confessionem. Agitur enim de sinceritate et integritate doctrinae de coena Domini, et de his quae cum hac causa coniuncta sunt: ad quid instituta sit coena Domini, quid sit et quid valeat, an de ea *Lutherus* per omnia Antichristo consentiens, excepta transsubstantiatione et victima quotidiana, recte sentiat et doceat. Docent panem esse corpus Christi essentialiter et re ipsa, ita ut tam digni quam indigni ipsum verum Domini corpus manducent, adeoque illi ipsi qui panem percipiunt ipsum Domini corpus verum et naturale percipiant. Docet *Lutherus*, in coena non tantum spiritualem et sacramentalem, sed praeterea tertiam quandam manducationem esse corpoream. Docet *Lutherus*, hanc manducationem corpoream conferre remissionem peccatorum et vitam aeternam. Docet *Lutherus*, ascensionem corporis Christi huiusmodi esse ut nihilominus hic in terris cum pane et in venerabili et adorabili (ita enim loquitur) sacramento, aut sub pane verum adsit corpus Christi. Posse enim corpus Christi simul et semel esse in pluribus locis. Mendacium esse, Christum in uno aliquo coeli loco esse propter veri corporis modum. His omnibus nos ex diametro contradicimus. An itaque non agitur publicae et verae doctrinae in ecclesia publica et ad omnium salutem pertinens causa? Damnat *Lutherus* nostram doctrinam quae tamen publica ecclesiae et sincera doctrina iudicata est in ecclesia, a temporibus apostolorum ad annum Domini fere 1000, quo demum Antichristus paniceum deum invehere et in loco suo stabilire coepit. Rei ergo gravitas, et quod causa pertinet ad omnes filios Dei, nullam videtur admittere neutralitatem aut ullum medium. Aut enim falsa docet *Lutherus* et nos vera, aut nos docemus falsa et *Lutherus* vera: nequeunt enim contradicentia simul esse vera. Tale dissidium erat olim inter orthodoxos et Arianos, Eutychianos et Enthusiastas. Tale est hodie inter Anabaptistas et Schwenckfeldianos et inter nos. Qui non adhaeret illis adhaeret nobis. Nullo colore factum suum tuebuntur, opinor, qui neutrales esse volunt.[2]) Qui non colligit nobiscum, dispergit. Haec non scribo ut nolentem te protraham in certamen, sed ut occasionem suggeram cogitandi, quam rectis attentisque mentibus esse deceat quoslibet in huiusmodi conflictationibus, ne quis desit veritati hominibusque veritatem tuentibus et confitentibus.

Inter alia in prioribus scribis: Ais me aliis et aliis uti loquutionibus, vellem apertius scripsisses etc. Atqui primis meis ad quae in tuis impegeram significavi. Damnavimus olim scholasticum dogma: sacramenta conferre gratiam. Iam hoc ipsum fere revocantes dicimus sacramenta exhibere quae significant. Ideo dicitur, alia quidem exhibitiva, alia significativa esse signa, ac coenam Domini non tantum significativum sed et exhibitivum esse signum. Exhibet ergo coena quod significat. Significat autem panis corpus Domini pro nobis traditum: vinum significat sanguinem pro remissione peccatorum effusum. Unde consequens est, ipsissimum Domini corpus pro nobis traditum exhiberi sumentibus cum pane, aut in pane, aut sub pane. Hoc autem quid aliud est quam coenam sumptam conferre gratiam? Cuius, oro, virtute? An promittentis Dei, an verbi virtute? An ministri potentia aut beneficio? Dominus promittit credentibus traditum pro se corpus etc. vitam, et qui accedunt ad coenam prius se probaverunt et Christum possident in fide, symbolum visibile hic percipiunt, non primum participes Christi in coena fiunt. Verba nihil quam significare et significando erudire atque commonere possunt. Vim illis tribuere convertendi, advehendi et depellendi, est incantationibus accedere. Minister administrat sacramenta corporis et sanguinis Christi. Iam vero exhibere sacramentum non potest quod non habet. Non habet corpus: quomodo ergo exhibet quod significat? Si dicamus: non signum sed Dominum signi exhibere rem significatam, constat nos per fidem iam pridem Christi participes factos esse, atque ideo iam de coena eius participare, non in coena primum Christi participes fieri. Nisi ergo per exhibendi vocabulum et reparationem quandam et continuationem, ut sic dicam, dolatae iam dudum gratiae et communionis omnium bonorum cum Christo intelligamus, non video quomodo signa exhibeant quod significant. Multo tutius mihi videtur, si id signis tribuamus, quod multo minore cum periculo tribui potest, ut sint testimonia rerum gestarum, repraesentationes et invocationes quaedam, item obsignationes evangelicae praedicationis, et

2) *Bucerum innuit et qui ab eius partibus stabant. fortassis ipsum Calvinum.*

publicae caeremoniae, quibus et Deus obsignat suam nobis benevolentiam, sua dona, et colligit in unitatem corporis. De quibus iam non institui disputare. Ita omnino novum mihi visum est, quod videbam te veterem illam expositionem verborum Christi: Hoc est corpus meum, id est, panis significat corpus vel est symbolum et figura corporis mei, reiicere. Nam in veteri ecclesia nunquam damnata est nec reiecta. Petrus Lombardus in sententiis suis primus publico scripto oppugnare coepit, quanquam non nesciam, eos qui contradixere Berengario initia ei damnationi suppeditasse. Verum haec non scribo ut tecum disputem, aut te provocem in certamen, sed ut intelligas cur in postremis meis sic scripserim, aut quidnam illud sit quod in tuis non probare possim.

Scio plurimum tribui concordiae cum *Luthero* initae.[3]) Caeterum ego non video qualis illa sit concordia quam *Lutherus* nunquam violat. Non arbitror ego, omnes per Germaniam cum eo esse concordes, quod scribit, dicit, praedicat, urget et inculcat, ipsissimum Domini corpus in sua essentia et natura integrum non minus edi a Iuda et proditore quolibet quam a S. Petro. Si vero in hoc concordant cum ipso, certe concordant cum Antichristo papa, nec est quod usque adeo vituperent sophistas. Si autem in hoc est concordia quod ipse Dominus sese nobis praebuerit in cruce cibum vivificum, quem fide vera percipimus ut vivat in nobis et nos in ipso, idque repraesentet testetur et obsignet coena in qua visibiliter in unum corpus colligamur, qui spiritu et consensu prius unum cum Christo et omnibus sanctis facti sumus etc.: iam concordiam violat *Lutherus* qui sic sentientes condemnat. Nisi vero te amarem et colerem, haudquaquam in sinum tuum effunderem haec mea, *Muscule* suavissime.

Quod vero communi opera et spiritu concordes in Christo tu et reliqui symmystae cum *Hallero*[4]) ecclesiam aedificare et conservare cogitatis, valde me oblectavit. Faxit Christus ut sic pergatis feliciter. *Hallerus* nobis non potuit satis depraedicare vestram humanitatem et benevolentiam. Ideoque pollicetur fidem et caritatem mutuam quam in Christo Domino tibi et omnibus piis fratribus fideliter commendamus. Vale, carissime mi *Muscule*, et me ama. Salutant te fratres omnes. Salutabis tu nobis omnes symmystas colendissimos. Tiguri festinantissime 18. Februar. 1546.[5])

H. Bullingerus tuus.

---

3) *A.* 1536.
4) *Qui a.* 1545 *Augustam Vindelicorum vocatus ibi per biennium pastoris ad S. Annae munere functus est.*
5) *Quo die Lutherus obiit.*

770.

BULLINGERUS SCHULERO.

Qui ei quaestiones quasdam et definitiones de coena Domini proposuerat iam hic ventilatas et refutatas.

(Ex eodem volumine ac praecedens fol. seq. 356, per eundem amanuensem, et ap. Simlerum l. l. Inscriptio ipsius Bullingeri.)

Gervasio suo Bullingerus. 20. Febr. 1546.

Gratiam et pacem. Sex istas tuas, *Gervasi*[1]) dilecte, quaestiones legi et expendi, pro mea quidem tenuitate non indiligenter: ac re ipsa experior te genus universum docendi de coena Domini mutasse ab eo quo aliquando utebaris, dum eiusdem gregis essemus pastores et unius ecclesiae doctores. Valde id me turbat, ac cuperem te rem expendisse diligentius. Non nescio sic doceri fere a *Luthero*, non nescio verba sic usurpari et torqueri, figi et refigi ab illis qui videntur sibi mediam tenere sententiam inter Lutheranam et nostram. Ego vero existimo pastores ecclesiae doctrinae genus petere debere ab archipastore, non ex hominibus. Quid ergo me in tuis illis quaestionibus offendat, paucis indicabo, non iuste de his disputando sed quaedam duntaxat indicando.

Definitionem coenae legens cogitavi num animum habueris praesentem? Coena, ais, est corpus Christi et sanguis eiusdem etc. Alienissima est haec definitio a re ipsa, adeoque et absurda plane. Coena est e genere actionum. Actio ergo sacra est a Christo instituta, qua sumpto sacro pane et vino memoriam Domini celebramus, gratias ipsi agentes quod morte innoxia nos liberarit a morte. Sic enim ait Dominus: Hoc facite in mei memoriam. Et apostolus: Quoties panem hunc ederitis et poculum biberitis, mortem Domini annunciate. Sic usum coenae et finem indicans, hominum traditiones sequeris, non simplicem evangelii doctrinam. Ex ea discimus, finem coenae esse memoriam celebrare traditi corporis, gratias agere, sicuti modo dictum est, coalescere in unum corpus (1 Cor. 10), exercere fidem in Christum, qui sacramentis institutis testificatur visibiliter et obsignat promissiones evangelii sui. (Rom. 4.) Evangelio autem docemur, fide in Christum remitti peccata, haeredes nos fieri vitae aeternae, adeoque et Christi et omnium bonorum participes fieri. Non tunc demum participamus Christo quum coena participamus, sed quia participes Christi

---

770. 1) *De Gervasio Schulero s. Scholastico v. N.* 553, *not.* 1. *Hoc tempore Memmingae ministerio fungebatur.*

facti sumus ideo accedimus, apostolo dicente: Probet se homo et deinde edat.

Neque aliter tua possunt intelligi quam quod in coena et per coenam exhibeantur nobis illa omnia quae fidelis, priusquam accedat, possidet, et nisi possideat ad iudicium accedat (1. Cor. 11). Ex tua doctrina certe sequitur, sacramentis conferri sumentibus, et non ponentibus obicem, gratiam. Sic aedificamus rursum cum papistis quod olim destruximus cum apostolis. Ubi nunc generale illud dogma: Fide iustificatur homo absque operibus? Iam secundum nostram doctrinam in participatum admittetur et sumptio sacramentorum, quae revera pertinet sub speciem operum. Vellem itaque nunc, sicuti quondam, pure et simpliciter diceres quod scripturis probare posses, quod nullam ansam adversariis papistis suos errores statuendi praeberet. Remissio peccatorum et vita aeterna datur gratuito per Christum credentibus, at Christus testificatur, significat, repraesentat, invocat et obsignat in coena nobis redemptionem suam ac dona nobis collata, quae per fidem possidemus, non in coena demum percipimus. Acceptabulum salutis fides est, non signum: coena Domini signum est et in genere signi manet. Signum testificatur ac obsignat, ac nisi prius fides adsit et Christus in cordibus habitet, non dat signum quidquam. At tu dicis: *In disem hochwirdigen Sacrament finde man den hunger der Seelen ze büssen.* Aliter Christus Ioannis 4. 6. 7. Cap. Dicis: At coenae tanta, non propter coenam, et quia opus externum est, sed quia cum fide coniuncta est, adeoque et propter fidem, tribuo.[2]) Cur ergo non rite distinguis et iuste agis? Iustitia suum cuique tribuit. Ita loquere ne qua sit confusio. Dic, fidem iustificare nos, sacramenta testari. Sic Paulus: Abrahamne ante circumcisionem, an post circumcisionem, an per circumcisionem iustificatus est? Respondet: non per circumcisionem sed ante, accepisse autem circumcisionem signaculum etc. Scis eandem esse rationem sacramentorum. Ante ergo iustificati sumus quam coenaremus: additur coena, signum adeoque et signaculum iustitiae fidei quae est in coenantibus etc.

Unde, obsecro, probabis neganti aut dubitanti quod dicis: *Die wort bringent alless mit inen?* Sic *Lutherus* dicit: ab eo hoc accepisti et proposuisti ecclesiae tuae. At certum est verba nihil posse quam significare et significando docere, monere etc. Nulla verba in aeternum secum ferent quod significant, nisi placeat incantationi aliquid tribuere. Valde offendit me hoc dictum tuum temerarium, sed nolo de eo amplius disputare.

2) *In margine legitur:* Sic papistae operibus propter fidem tribuunt iustitiam impure.

Uteris cum aliis verbo exhibendi, cui nisi adiicias aliam expositionem, nunquam probabis signa exhibere quod significant. At exhibendi vox adhibetur ut expositio. Quorsum pertinet expositiones aliis expositionibus illustrare? Nisi enim dicas: Exhibet, id est, renovat, aut simile quidpiam, quomodo probabis sacramentum exhibere rem significatam, corpus et sanguinem? Ergo instrumentum et organum est sacramentum per quod se Dominus infundit? Aut habent sacramenta quod significant? Non enim exhibeo quod non habeo: exhibeo quae habeo. An vero dicemus, ministrum exhibere? Vide quid de huiusmodi doctoribus dicat Augustinus tractatu in Ioannem 5.

Caetera nolo excutere diligentius. Ex his intelligis iudicium meum de tuis sex quaestionibus quas editas nollem. Ac hortor te ut apud te cogites quomodo errori medearis — — — — 20. Februarii 1546.

Bullingerus tuus.

771.

CALVINUS FARELLO.

Turbas Neocomi sedatas ei gratulatur. De Imperatoris insidiis constans rumor et inde civitatis ambigua conditio. Petri Ameaux causa iam in peius vertitur. Parisiis novae persequutiones.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 157, Contulimus apographa Turretini Cod. 111, fol. 139, Bernense Epp. VII. 754 et Simleri Vol. 59. Quae omnia passim mendosa sunt scil. ex uno eodemque fonte Turretini derivata. Anglice versa habetur in edit. Edinb. II. 20.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo G. Farello Neocomensis ecclesiae fido pastori fratri et symmystae carissimo.

S. Gratulor tibi plurimum et vobis omnibus, imo et nobis et toti ecclesiae Christi, quod Dominus improbos cohibendo turbas omnes ex insperato sedavit.[1]) *Viretus*[2]) iam me rogaverat ut, si opus esset nostra praesentia, ad omnes articulos paratus

771. 1) *propter electionem novi pastoris ortas. Laetus hic eventus maxime prudentibus Wattevillani Bernensium sculteti consiliis debebatur quibus effectum est ut Farellus in senatu audiretur et Neocomensi classi (quod peculiari scripto petierat:* Remonstrances sur le fait de l'élection d'un ministre qui succede à Iean Chaponneau) *electio permitteretur. Quae unanimis suffragiis Christophorum Libertetum Tononiensem ministrum designavit, mox d.* 10. *Martii a Bernensibus concessum.* (*Ruchat* V. 299, *Kirchhofer*, II. 81. *Cf. Farellum infra N.* 773.)

2) *N.* 762.

forem. Neque certe fuissem in mora. Sed bis laudandus est Deus qui suo consilio res ita turbatas composuit. Agnoscimus eum vobis adfuisse, quum vobis consilium illud aperuit de admonendis civium magistris. Agnoscimus iterum mirabile eius opus, quod tales vobis dederat qui ultro ad bene agendum animati forent. Confido rem esse ex omnium piorum voto confectam. Si opera nostra desiderabitur, scis nos omnes esse vestros. Fratres tuos[3]) iam singulis horis exspecto. Dominus eos nobis restituat salvos et salvis fortunis.

Rumor hic constans vagatur de Imperatoris adventu. Pro certo habeo transitum illi absque cruento[4]) conflictu patefactum nequaquam iri. Certe ut nos praedae expositos esse velint vicini nostri, tamen fines suos tueri necesse habebunt. Quanquam nescio cur nostri curam ita cito abiecerint, nisi quod se illis in servitutem nostri tradere noluerunt ut se ab aliis dominis vindicarent. Iniqua conditio, ut socios non habeas defensores nisi te illis addicas in servitutem. In uno peccarunt nostri quod ferocius responderunt. Sed quid facerem? In me tamen redundat invidia, quum magna contentione decertarim ne id fieret. Sed pravis hominum iudiciis valedixi.

Alio transeo. Cum cartulario[5]) durius agetur quod partem senatus mecum permiscuit. Postquam satis luculento clementiae officio perfunctus sum cessare iam institui. Obloquentur malevoli. Sed si locus respondendi erit, habeo quo illis os obstruam. Nemo certe vocem ullam minus aequam excidisse mihi dicet. Nam apud bonos et malos extenuare conatus sum quod deliquerat.

Curia Parisiensis nunc incendiis bellum cum Christo gerit, quantum[6]) audio. Certum quidem est ingentem piorum turbam in vinculis passim teneri. Sardanapalus[7]) interea inter scorta victorias sibi fingit. Dominus ecclesiam suam respiciat! Vale, frater in Domino integerrime, una cum symmystis omnibus, quos salutabis diligenter meo et fratrum nomine. Christus vos omnes gubernet semper recto consilio, et sanctis[8]) vestris conatibus benedicat. Genevae 20. Febr. 1546.

Ioannes Calvinus tuus.

Quatuor civium magistris salutem plurimam meo nomine. Deus ter et quater illis benedicat.

---

3) *N.* 767.
4) quodam *Apogr.*
5) *Vide ibid. not.* 8. *In commentariis senatus ad* 19. *Febr. haec leguntur:* Vu le proces et confessions de P. Ameaux et que pour avoir blaspheme et maudit des sieurs Calvin et des aultres prescheurs et aussi de Messieurs ce dont il demande grace et pardon; arreste que son proces soit visite par les Sieurs Iean Çoquet, Girardin de la Rive et Michel Morel pour en faire rapport. (*Galiffe, l. l. p.* 25.)
6) prout *Apogr.*
7) *Franciscus rex.*
8) faustis *Apogr.*

772.

CALVINUS VIRETO.

Communicat cum eo quae a Farello nuper de rebus Neocomensium iam compositis acceperat. Amicum hortatur ut se comparet ad tristiorem finem morbi uxoris fortiter perferendum, quippe de qua ipse medicus desperet.

(Ex autographo Cod. Gen. 106, fol. 158. Exstant praeterea exemplaria Ionvillaei Cod. 111a, fol. 11, Turretini Cod. 111, fol. 139 v., Bernense Epp. VII. 756 et Simleri Vol. 59. — Versio anglica l. l. II. 22.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et symmystae carissimo.

Neocomi sedatos fuisse motus, certior factus sum ex postremis *Farelli* literis. Et iam de pastore eligendo confido rem esse confectam. Convenerat[1]) enim tandem ut iureiurando promitterent ministri, se bona fide eum nominaturos quem censerent maxime idoneum. Iam de *Christophoro* certum fere habebatur: modo eum concedant Bernates. Spes est autem non recusaturos. *Farellus* scribebat a consule *Watevillensi* bonam causam non parum fuisse adiutam. Si nos vocassent fratres, fuissem omnibus horis paratus. Sed gaudeo plurimum te plus fecisse quam putabas. Omnes enim tuum adventum valde fuisse utilem praedicant.[2])

De uxore video *Textorem* non multum amplius sperare. Non es pluribus monendus ut te compares ad quemcunque eventum moderate perferendum. Utinam istuc usque possem ad moerorem tibi levandum advolare, aut certe partem aliquam sustinendam. Sed mihi molesta esset equitatio tam longa. Potius consulo, si aliter contigerit quam optemus, ut huc ad paucos dies te conferas. Vale, frater integerrime, una cum uxore et familia. Dominus vos omnes soletur ac confirmet. Amen. Genevae 22. Februar. 1546.

Ioannes Calvinus tuus.

---

772. 1) *Ionvillaeus lapsu calami:* commemorat.
2) *De his omnibus vide quae ad praecedentem adnotavimus.*

773.

FARELLUS CALVINO.

Pluribus enarrat quo pacto tandem negotium electionis ad optabilem finem perductum sit, verum pro more fusius quam lucidius verba faciens. Tum plurima alia attingit de quibus nuper inter ipsum et Calvinum actum fuerat.

(Ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium. Epp. Farelli fascic. III. N. 9.)

Christianae plebis pastori vigilantissimo Ioanni Calvino et eruditissimo et summae pietatis fratri et symmystae quam carissimo

Genevae.

S. Quod tuas non exspectavit literas is qui ad fratres meos [1]) rediit, valde mihi displicet, quum optem illis tuum consilium patefieri, et magis ut istud sequantur, quum pium et necessarium valde sit. Sed ut video non solus sum qui habeo amicos: habes et tu per quos simplices ita seducuntur, seque ita erga te gerunt. Habeo tibi gratiam quantam possum maximam, quod supra modum pressus ita nostra cures, quasi nihil aliud supersit quod agas. Sane pudet me quod a sanctis in Paulum commentariis avoceris, [2]) ne dicam a recognitione bibliorum. [3]) Deberemus omnes incumbere, ut aliud nihil ageres quam ut horum alterum, quod si possis utrumque. Quam peccamus, dum aliquam tibi iniicimus remoram. Verum est sors piorum quod undique obruantur. Ita tibi contigit, et nos pressi sub levioribus oneribus fatiscentes cogimur robustiores quantumcunque onustos implorare ut nos sublevent. Ideo omnia boni consules, quod ut facias te per Dominum rogo.

Super electione collegae quid dicam? Actum erat prorsus, ridebamus, differebatur quidquid erat: nam hoc videbatur magis expedire iuxta consilium eorum qui nos amant scilicet, nimirum quod interea stipendium collegae in usus proprios vertebatur, et simultas aliqua inter nos forte posset exoriri. Taceo de *Marcurtio*, quem si sciam facile irritabilem, non puto tamen eo amentiae progressum, quo audio iam ferri, nisi hinc fuisset impulsus ab iis qui suo more pergunt ut nos turbent. Siquidem tota actione ita de eo actum est ut nihil possit de nobis conqueri, et non dubito, si intelligeret ut res acta fuit, nobis non esset iniquus. Propterea nescio quid exspectabatur grande de Caesare et Rege, licet nonnihil casus latronis incendiarii spes magnas labefactarit. Sed quia non fuit adeo cruenta victoria, et nostri non insolenter grassati fuerunt post victoriam, ut sperabant suos facturos etiam ad internecionem usque omnium nostrum, credebant vires hostium salvas, et nihil eis decessisse per ruinam latronis, sed magis animos impiorum exacerbatos, ut ardentius et maioribus animis et viribus nos impeterent. Non dicam quod sub onere tanto, peste etiam grassante, quum collega et diacono essem privatus, sperabant me prorsus consumendum.

Haec fuerunt praeter alias praecipuae rationes differendi negotii. Nos dum urgeremus, magis nos perdebamus. Non te fugit quae et qualia habuerimus anno superiore capita. Res ita habebant ut nihil male fieret quod nobis fieret acclamantibus, neque bene fieret quidquam nobis assentientibus. Dixisses hoc unum fuisse propositum, nihil non facere nisi ingratum nobis. Sed dum capita tam bene formata cursum suum absolvunt, et metuunt ne qui successerunt non impii curatores reipublicae repugnent gestis priorum, agunt sub finem de comitiis habendis, idque statim. Vix potuerant pii impetrare ut differrentur a primo die (is Mercurii erat, [4]) quo intrabant novi electi) in diem dominicum. Conclusa erant omnia: supererat ut vocatis omnibus parerent monstrum quod pridem parturierant non pauci. Tam erant omnia composita ut nemo non fuisset sequuturus horum sententiam. Hic nos adimus vicepraefectum et graviter querimur de ruina ecclesiae, de profligatione verbi, vastatione ecclesiarum, et id genus alia: dicimus quae contingent si plebs, sine pastoribus, non probatum, non idoneum, sed quemcunque vellet deligat et assumat sibi pastorem: ordinem ita everti, et quae nobis iurata fuerunt infringi, nullo nostro peccato, quum sancte versati fuerimus in prospiciendo ecclesiis. Haec et plura afferimus nostris delectis, et obtestamur ob Christum, quum iurarint se verbum Domini tuituros, et

---

773. 1) *Vide proxime praecedentes et N.* 676. *Cf. etiam Kirchhofer p.* 88.

2) *Quorum prior iam prodierat* (*N.* 753), *posterior mox sequutus est, quum epistola nuncupatoria ad Wolmarium Cal. Aug. data sit.*

3) *Historia bibliorum Genevensium cimmeriis adhuc tenebris involuta est. Ex Farelli verbis neque probare poteris tum primum Calvinum bibliis gallicis recognoscendis manum admovisse, neque eorum sententiam confirmare qui iam antea id factum fuisse arbitrantur. Sed hoc ipso anno* 1546 *et quidem mense Iulio apud Girardum absolutam fuisse editionem V. T. quam eodem anno vel sequuta est vel praecessit Novum, ex pulcherrimo exemplari quod exstat in bibliotheca Reussiana, eodemque unico in quod hucusque incidimus, et omnium Genevensium editionum quas vidimus antiquissimo, affirmare possumus. Caeterum vide Proll. T.* IX. *p.* 64 *et quod subiiciemus epistolis huius anni.*

4) *Is incidebat in decimum et decimum septimum mensis Februarii. Quorum prior rerum seriei magis convenire videtur. Tum enim dominica fuit postridie Iduum, et Calvinus vicesimo iam a Farello certior factus rescribere poterat. N.* 771.

pro ecclesia Domini laboraturos: stent promissis, videant quem habeant principem, quo tendant hi conatus, quid aliae sint facturae ecclesiae: non posse ita fieri sine gravi iniuria verbi et ecclesiae. Permoti fuerunt, et ubi rediisset praefectus indicarunt ei quid eos movisset quod populum non convocasset, petiveruntque ut nos audiret praefectus, qui dixit timendum esse de seditione. Respondent se curaturos pro viribus, curet et ipse. Commodum aderat consul consultissimus *Wattevillanus*, qui suo consilio praefectum ita direxit ut alia via fuerit ei agendum. Convocati fuerunt consiliarii principis et capita plebis, quae nisi prudenter se gessissent, nobis non auditis res peracta fuisset. At nos audiri oportuit. Actum de malis quae contingunt ubi magistratus tollitur aut dissipatur, et hostem Dei et hominum esse eum qui potestatem a Deo constitutam tollit et labefactat. Sed si in civili haec contingunt et peccatur quam maxime, multo magis in spiritali, in eversione pastorum et vastatione ecclesiarum, quae sequitur ubi ministerium tollitur. Christus civilem non mutavit . . . .[5]) neque creationem potestatum. Sed pastores ipse constituit apostolos diu apud se edoctos, et quo a plebe exciperentur virtutibus et miraculis eos insignivit, neque prius emisit post multam experientiam et probationem, quin sanctis precibus patrem etiam per totam noctem invocaret. Neque solus Christus hoc egit, sed et ipsi apostoli. Palam id est de Paulo, ut docuerit et probarit quos instituit, ut videre est in Apollo, Timotheo et aliis. Neque tantum hoc egit ipse, sed alios huius commonefecit, ut apertissime patet in epistolis ad Timotheum et Titum, quibus committit ut deligant et instituant pastores, non quosvis, sed selectos et his ornatos donis Dei quae tractat copiose, et sedulo eos admonet ne cui temere manus imponant. Quumque ad plures scripsit Paulus, et omnes officii diligenter admonuerit, nusquam tamen plebem admonet ut deligat pastores manusque imponat. Quod si in manu plebis id fuisset quid omisisset in re tam seria, quam adeo diligenter persequutus sit erga Timotheum et Titum, per quos coetum quemvis pastorum hortatur? An sine Petro et apostolis actum fuit de eligendo aliquo in locum Iudae? Sed quid multa? Nonne ubi nulla esset scriptura, nullum exemplum, res ipsa loquitur, esse pastorum, qui pure Christum praedicant, probationem, examinationem vitae et doctrinae instituendi? Neque puto quemquam esse qui refragetur. Sed coguntur id fateri etiam ii qui maxime in nos vociferantur, quod omnia velimus nobis vendicare. Sed putant omnino esse tunc liberum plebi deligere sibi aliquem qui iam sit in ministerio et qui pridem probatus et electus a pastoribus fuerit. Verum quod is qui iam ministrat non possit nisi per manuum impositionem ab una in aliam transire ecclesiam, satis nos docet spiritus sanctus, non in viris obscuris et postrémae notae, sed in eo qui neque ab hominibus neque per homines assumptus fuit in munus apostolorum sed a Deo, et in insigni apostolo Barnaba. Quum Antiochiae palam faceret Domini evangelium quam latissime diffundendum, et ieiuniis et precationibus intenti essent, audiunt a spiritu sancto ut sequestretur Paulus et Barnabas, qui deliguntur et eis manus imponuntur. Nam quid tandem fieret si ad nutum mutabilis plebis unusquisque ambitiosus modo ecclesiam unam desereret, modo alteram intraret? Hoc ne fieret, cautum est Actis apostolicis etiam alibi. Nam quum ad praedicationem Philippi Samaria verbum Dei excepisset ac baptisati fuissent credentes, non tamen visibili specie spiritum sanctum suscepissent, non currit eo unusquisque ut vult, vel a quocunque missus, sed Petrus et Ioannes ab apostolis eo mittuntur. Et mirum quod ausint aliqui contra agere, et quasi rem novam, non observatam ab apostolis neque hactenus, ut aiunt, a nobis damnare, quum praeter adducta constet, in primo coetu qui hic habitus fuit omnium fratrum linguae gallicae, ubi aderat Caspar *Megander* tunc pastor Bernensis[6]) et consul Moratensis Ioannes Rudolphus *Erlacensis* (non enim datum erat tunc praefecto profiteri evangelium, ut nunc testatur), in eo inquam coetu ita ab omnibus conclusum fuit, tam de admittendis in ministerium quam de mutandis, et ita observatum fuit, quin, ut audio, praefectus iureiurando promisit ita se observaturum. Et in coetu omnium, tam plebis quam magistratus, ante aliquot annos palam indicavit hunc ordinem tenendum: ut pastores eligant, magistratui offerant, et inde plebi, et si nihil sit quod obiici possit nec in vita neque doctrina, qui et electus et oblatus appositus sit admittatur. Praefecto tunc respondente, quod id non mutasset, ibi ego subintuli: nec, ut sperarem, immutaret posthac, quod si faceret peccaret. Addidi quid magistratus debeat videre, quid plebs: nempe ne quid indebite fiat in electione, et quantum potest nosse ne ineptus eligatur, et, ut debet recte electo ac idoneo adesse, ita ubi secus habet potenter reluctari, et unicuique ex plebe licet, si quid habeat, obiicere eligendo, et si quid dignum afferat non esse tunc admittendum electum. Et hunc ordinem recte respondere actis a Christo et Mose et prophetis. Nam electio debita fratrum pastorum non abludit a vocatione apostolorum facta per Christum, et a

5) *deficit charta* (ordinem).

6) *Haec pertinent ad a.* 1537 *et synodum Lausannensem ubi Caroli causa agebatur. Megander enim eo anno vergente Berna dimissus fuit.*

praecepto Domini iubentis Mosi ut acciperet Aaronem et demum Eleazarem, et Eliae ut vocaret Elisaeum. Quod autem magistratui offertur et plebi, expositis virtutibus et donis quae pastori adesse debent, nonne haec sunt ut virtutes et miracula, et ut vestis et ornamenta quibus Mose vestiebat Aaronem et Eleazarem? Quumque res ita habet, is qui electus est plena fide potest suum munus obire, certus quod a Deo missus fuerit et quod per ostium intrarit, et plebs certior est quod pastorem habet, non lupum aut latronem qui per ostium non intrarit.

Ideo haec fusius scribo ut quod tu paucis et apertis et solidis rationibus ad nos misisti, quae nobis tam probantur ut nihil magis, si quando per aliquem haec legi cures, annotare iubeas lectorem ea que me nosse oportet ut tam sancta sanctis et firmis tractem rationibus. Quamvis, ut audio, data fuerit opera ut in fumum abirent omnia quae attulimus, tamen conclusum fuit electionem nobis salvam debere manere, sed adessent praefectus et aliqui secum praesentes, ne quid fieret indec[*orum*]. Unicum supererat diverticulum, nempe eos qui plebis nomine aderant non facere fidem quod possent concludere. Ideo agendum fuit apud plebem piis rectoribus. Sed non nisi maxima difficultate conclusum fuit ut starent iam in arce conclusa. Scis quam sit plausibile ut plebs habeat autoritatem et eligendi et commendandi pastorem. Ubi dies aderat nemo nos vocabat: nesciebant conventum indicatum qui ex plebe adesse debebant. Dixisses nihil minus futurum quam quod conclusum fuerat. Adimus praefectum. Ait se exspectare aliquos, queritur de . . . .[7]) Nos convenimus, tractamus scripturam, et paene omnia quae videbantur tractanda, etiam de iis quae agenda sunt coram praefecto, praecipue ut concordes essemus in electione, et bis mittimus ad praefectum, qui ubi pransus est liberum facit ut ad se veniamus. Ubi diu exspectatum fuit, convenerunt tandem qui adesse debebant. Dico fratres paratos esse omnia agere et plura quam debeant, nec per eos stare quin ecclesiae consulatur quam optime, et maxime idoneum eligant. Hoc unum poscere omnes propter Christum, exspectatum iam plus satis esse. Praefectus petiit ut qui prius non iurarunt iurent omnes se sancte electuros. Quod factum fuit. Post iusiurandum admoneo quam possum omnes per Christum ardenter ut ecclesiae consulant. Post preces rogo omnes singillatim coram omnibus votum. Omnes *Christophorum* elegerunt: actae fuerunt gratiae Deó ab omnibus et preces factae ut Dominus adsit electo et ut id prospere cedat ecclesiae. Praefectus egit gratias Domino de consensu fratrum et iussit ut cum *Christophoro* ageremus et cum aliis ministris, ipse demum cum Bernensibus esset ac vobis quoque scripturus. Hic fuit exitus. Designati fuerunt *Fatonus* et *Thomas:*[8]) qui 22 huius mensis solverunt Thononium profecturi. Rogabam *Viretum* ut cum illis iret ac omnia ageret quo fratrem possimus impetrare a classe. Nescio an per uxorem, cui Dominus adsit, id poterit praestare, et an Thononienses nobis in tanto discrimine futuri sint aequiores. Unus est Dominus quem speramus nobis adiutorem. Si istac transierint, spero te aliquid contulisse, nam in hac Boreae vehementia non puto eos lacum traiicere posse. Mirum quam visa fuerint omnia hic pacata post electionem, cui tu cum piis successum precaberis, ac etiam ut successor idoneus detur *Christophoro*, ut ubique sit aedificatio sine ruina.

Consilium tuum quod de *Audaeo*[9]) das, quis posset non probare? Agam cum fratribus, et speramus per misericordiam Dei te non frustra istud laboris impendisse, sed fructus plurimum sequuturum. Nam impiis non tanta nunc est licentia neque potestas: quum efficere non potuerint omnia quae conabantur, et audiant successum evangelii maiorem quam velint, pro vastitate quam exoptabant, non tam erigunt cristas ut olim. Quum nuper de victoria, licet non adeo cruenta fuerit, tamen non sine caede fieri potuerit quin obtigerit, tu istic gratias egeris, spero de tanto successu non taciturum, sed ut par est gratias Domino acturum: nam triumphus iste evangelii et ruina Antichristi, quum sine sanguine contigerit, salutem plurimis adfert.

Quam gratissimae fuerunt conciones tuae,[10]) quamvis vellem te paulo accuratius sermonem, ut alias soles, formasse. Sed bene habet quod sensui nihil decedit, licet lectio non futura sit tam grata ac fuisset. Ego quum ex te audivissem per tuas literas, quantus fuisset plebis concursus, ex corde toto omnibus gratias agentibus, istic cupiebam valde te sequi, at potius a quibusdam impetratum fuisset ut pro tyranno preces fierent quo restitueretur. Si Bernae aliquid fuisset actum, forte sequi possemus: preces retinemus utcunque, nisi Dominus iratus ob peccata nostra plectere nos velit. Exspectamus meliora, quod et coactus fui aperte loqui, dum omnes uno consensu eligerent *Christophorum*, me iam sentire Dominum velle huius ecclesiae misereri.

Quod te rogabam de foedere non frustra faciebam: primum ne nostros offenderemus, si his igno-

7) *Quod omisimus vocabulum aut nomen legere non valuimus.*

8) *Fatonus Columbariae minister et nisi fallimur Thomas de la Planche Cortaillodi ad lacum prope Boudry, qui fortasse iam N.* 237 *occurrebat.*

9) *Ecce deperditae epistolae vestigium.*

10) *Tales tunc excusas fuisse omnino nescimus.*

rantibus attentaremus, vel minus Domino fidere videremur, ne praeterea ex fumo in flammam incideremus. Et tu recte mones: nam terra quae colitur difficile iacto semine, plus palearum refert quam tritici, ut taceam de spinis quae nihil praeter id quod pungat exoriri non ferunt. Quam sunt multa quae tractationem seriam poscerent cum magna nominis divini invocatione, quum difficilius sit hodie cum hominibus agere, quos ambitio non patitur ut sese contineant in aequitatis limitibus. Ego isti populo, et praecipue rectoribus optarim plus consilii et prudentiae, ac multo magis maiorem in Deum fiduciam, solidum numinis timorem et perfectum pietatis studium. Ita in Domino quiescerent ac feliciter pergerent. Sed quid, si isti male habent, hi et alii pessime? Christus omnes sanet. Non multum morer miseri *Marcurtii* minas. Longe magis de perditis pastoribus, qui in istis classibus omnia perdunt. Quam horrui dum tam nefanda audirem. Ubi nunc est miser ille qui eiusmodi introduxit et fovit? Quid demum facient qui tam gravibus malis mederi dolerent et possent et non faciunt? D. Iesus tam nocentes pestes auferat et vere sanos et sanctos pastores emittat.

Miramur in Gallia tam tarde verbum Domini progredi et tot illic exoriri monstra. Quid non potius demiremur, ubi tales ferae agunt, aliquid superesse non divini sed humani, et non omnia in immanissima monstra verti? Si hic inter nos ita audent sine fronte et sine modo flagitia sua patrare, Deum et verbum et quidquid est pietatis ridere, quid ausint in excitata Gallia?

De *Serveto* ubi agat scire vellem.[11]) Si in Gallia versetur, non aliud exspecto quam manum Domini quam gravissimam. Immanissimae belluae et quam truculentissimae necarunt innocentes, qui aliud non dicebant quam quod doctores et patres quos observant scripserunt, et hunc scelestum qui tam insane errat, ut ne unum quidem habeat ex scriptoribus qui perditissimum hominem non damnet, quem et verbum Dei merito exsecratur et quantumcunque omnia eum damnent, tamen eum ferunt. Satis me mones tuo exemplo, et mecum omnes, quid cum eiusmodi nobis agendum sit. Sed danda est opera ne aliis noceat. Nam impostor ille mire, ut audio, appositus est ad decipiendum etiam eos qui non prorsus sunt indocti neque a pietate alieni. Ex *Matthaeo*[12]) memini me aliquando quaedam audivisse. Mirum ut sibi placeant in revelationibus et somniis tam perditi homines. Fuerunt et nonnulli olim involuti qui utinam plene resipuerint, et contenti revelatis in divinis literis eis prorsus se dedant.

Chartularius aut humiliari debuit aut gravissime impingere. Malam uxorem superat pessimus maritus. Det illi et uxori Dominus mentem meliorem. Hunc demiror ita reliquisse divina studia: paupertas dura est necessitas. Non adeo mihi placet quod tam libere in plerosque debacchetur. Merito sane sunt quos proscindant, non homines sed canes et ferae. Sed deflenda est ecclesiarum calamitas quod in tales porcos et lupos inciderint: dolendum quod miseri donis Dei tam misere abutantur et sese cum aliis perdant.

Audivisti ni fallor de misero interitu *Baptistae*. Mirum quod quum animo discruciaretur quod cum *Hautmontano*[13]) de te male senserit et loquutus fuerit, ut de me taceam, prout suis ad me literis testatus est, tamen coram non ausus fuit nostrum alicui verbum facere. Ego non tantum diligebam ut fratrem, sed ut insignem servum Dei amplexabar. Idque iure: nihil enim unquam fecit nisi ut quam optime de me mereretur. Quos illi commendabam, summo studio adiuvabat et ad meliora hortabatur. Nimius labor eum perdidit. Hoc egregie vitabunt ventres et utres vini, qui nunquam adsunt ecclesiis quas susceperunt regendas verbo Dei.

Sed iam plus satis te detinui. Plura non addam, nisi quod tibi gratulor *Erasmum*[14]) feliciter exceptum felicius pergere. Spero futurum ut per istum schola aliquando erigatur. Quam primum fieri poterit nepotes meos istuc ad eum mittam, et volebam per hunc, nisi alia quaedam obstitissent. Vale, et tecum uxor, cum *Iudith*[15]) et tuis omnibus, ne fratrem praeteream cum istius socero et uxoribus utriusque. *Coppum, Gallasium, Abellum* et quidquid pastorum salvum cupio cum piis omnibus. Nostri te salvum esse cupiunt.

Ubi haec scripsi alterae mihi redditae fuerunt literae tuae[16]) quibus testaris te fratrum adventum in horas exspectare. Exaudiat votum tuum Dominus. Quod gratularis nobis et te ipsum offers, non putes id a nobis respui: imo te omnes impensius rogant, praeter me qui te impensissime flagito, ut id praestes, et quamvis non sis venturus ut eas turbas offendas ut apparatae erunt, tamen adsis impositioni manuum *Christophori*,[17]) si Dominus nostri misertus eum nobis dederit: nec nobis obiicias omnia feliciter cessisse, ideo nihil opus esse. Imo magis opus est ut quod feliciter contigit quam felicis-

11) *Erat Viennae in Delphinatu.*

12) *Huius nominis aliquis occurrebat N.* 425. *Erat quoque M. Blanc ludimagister Neoduni.* (*Herminj.* IV. 92.)

13) *Lud. du Tillet.*

14) *Initio huius mensis scholae Neocomensi praefectum* (*N.* 759).

15) *Calvini privigna* (*N.* 778).

16) *N.* 771.

17) *N.* 779. 783.

sime absolvatur. Si malorum fuga te instigabat ut venires, mirum si bonorum procuratio non te magis urgeat: alioqui exspecta me dicturum cum Socrate, quod ille uxori querenti innocentem damnari quasi maluisset reum plecti: potius velles hanc invisere ecclesiam in magno discrimine ne periret, quam melius habentem, ut quam optime ipsi sit. Fratres, ut tibi gratias agant, hoc omnes contendunt cupiuntque, ut adesse omnes possint, non in die dominico fiat, sed in die precum. Volunt enim semel videre quam sit hic pergendum et agendum reverenter. Vale iterum. Christus omnes servet tecum. Neocomi 25. Februarii 1546.

Farellus tuus.

774.

CALVINUS VIRETO.

Genevam ut se recipiat animi relaxandi causa suadet, scilicet morte uxoris afflicti. Ipsum quoque mortuum et quidem veneno exstinctum, rumor sparsus fuerat iam feliciter ipsius literis dissipatus.

(Autographon non exstat. Habuimus exemplaria apographa quatuor, Ionvillaei Cod. Gen. 111a, fol. 36 v., Turretini Cod. 111, fol. 140, Bernense Epp. T. VII. p. 757 et Simleri Vol. 59. Ita inscriptio desideratur. Anglice legitur l. l. II. 23.)

Veni hac lege ut non modo a moerore animum relaxes sed etiam ab omni molestia. Noli timere ne quid tibi oneris imponam. Per me enim licebit ut quiescas tuo arbitrio. Quod si quis tibi erit molestus, ego me interponam. Fratres etiam mecum idem tibi pollicentur. De civibus etiam praestabo quod voles. Quid nebulonibus imprecari debeam, qui de morte tua rumorem sparserant, nescio. Nihil unquam literis tuis opportunius nobis advenit. Tametsi de morte nunciatum erat, quia tamen veneficii fiebat mentio, iam se ad iter parabat *Textor*, ut equis celeribus Orbam advolaret. Aderat bona pars fratrum, omnes luctu confusi. Mox visis literis tanta exsultatio subito erupit ut vix essemus nostri compotes. Bene accidit quod nullam noctem luctuosam habuimus, neque enim impune tulissem. Sed quid te detineo, ac non potius exstimulo ut quam citissime accurras? Vale, frater et amice suavissime. Saluta diligenter fratres, *Iacobum*, *Ribittum*, *Imbertum*, *Corderium*, *Coelium*, *Franciscum*, *Merlinum*. Dominus te cum reliqua familia tueatur. Genevae 8. Idus Martias. [1])

Ioannes Calvinus tuus.

775.

VIRETUS WATTEWYLIO.

Mortem uxoris carissimae et omni laude dignae deflet. Multus est in excusando Corderio de cuius severiore disciplina pater filii causa questus erat.

(Ex autographo in tabulario ill. gentis de Wattewyl asservato edidit R. Ruetschi in Theol. Studien et Kritiken 1863. III. 556.)

Clarissimo viro D. Nicolao Wattevilliano patrono suo plurimum observando
Bernae.

Gratia et pax a Deo per Dominum Iesum. Reddidit mihi tuo nomine coronatos vigint. Albertus *Ludovicus*, quorum causa habeo gratiam. Ego vero quamvis multis iisque gravissimis premar incommodis et molestiis, adeo ut tantum non obruar, dabo tamen omnem operam, ne meum abs te officium usquam merito desiderari possit. Dominus me gravissima affecit plaga, et totam meam familiam, uxoris carissimae fato. Abstulit mihi dimidium mei et me fida consorte et proba matrefamilias et coniuge meis moribus et studiis ac meo denique ministerio aptissima orbavit: qua plaga ita sum affectus ut mihi domi meae peregrinus videar. Sed ita visum est Domino, cuius semper est voluntas aequa, cui indignus visus sum qui diutius tali fruerer solatio et fructu iucundissimo consuetudinis eius, quam iure amare debui, et quae ministerio meo nihil derogarit, sed plurimum cohonestavit sua fide, pietate, probitate et aliis praeclaris animi dotibus, quibus a Domino fuerat non vulgariter insignita. At laudandus Deus cui nos nostraque omnia iure committere debemus. Gravissimum mihi vulnus inflictum est, quo vix potuit gravius infligi, quod mecum quoque sensuri sunt aliqua ex parte quibus

---

774. 1) *Non* 8. *Martii ut Simlerus habet. Turretinus adscribit:* Hanc epistolam ad a. 1546 pertinere colligo ex eo quod Calvinus non salutat uxorem Vireti sed reliquam eius familiam, quod videtur innuere eam tum mortuam fuisse. Idem quoque videtur innuere moeror quem Vireto tribuit, a quo vult ut Genevae animum relaxet. *Haec omnino nostra facimus, ut et Bonnetus fecit. Diem obitus Elisabethae Turtaz definire accuratius non possumus.* (*Pierrefl.* 184.) *De rumore illo cuius mentio fit in Calvini epistola aliunde non constat.*

auxilio futura erat, praesertim pueri qui mihi convivunt. Sed postquam ita vult Dominus, praestabo cum iis qui mihi relicti sunt quod potero. Valde metuo ne propediem matertera quoque priver, proba muliere, multis iam annis gravata et lecto affixa laterali morbo. (Imo quum haec iam ad te scripsissem, Dominus probam et sanctam viduam ad se vocavit.) [1]) Sed quid te frustra detineo recensendis meis calamitatibus? Condonabis meis affectibus quibus abripior. Nam videor mihi aliqua ex parte his malis levatus, quum meas miserias in sinum amicorum effudi, quorum in numero non arbitror te postremas tenere. Sed de his plus satis. Si quid amplius scire cupis de rebus nostris, hic tabellarius frater mihi carissimus et mihi convictor plura referet et de statu scholarum nostrarum, de quibus velim te optima quaeque sperare.

Valde mihi doluit quum intellexi ex postremis tuis literis quantopere fueris conturbatus querela *Petri* tui de *Corderio.* [2]) Rem omnem exquisivi diligenter, non solum a *Corderio*, sed a pueris qui testes oculati fuerant et *Petri* ipsius condiscipulis. Si rem probe teneres, non iudicares *Corderium* magna haerere in culpa. Crede mihi *Corderium* non secus affectum in tuum filium quam in suos ipsius liberos, nisi me valde animus et coniecturae omnes fallunt. Scis qua fide doceat et instituat omnes, praesertim eos qui apud me agunt, quum mea tum maxime tua et aliorum causa a quibus pueri mihi commendati sunt. Te igitur obsecro ut omnem revellas ex animo sinistram suspicionem, si quam de *Corderio* conceperis. Meministi in tuis literis de Gallo quodam, viro bono, qui pridem tibi futurum praedixit, ne spem magnam conciperes fructus quem ex *Corderii* disciplina et institutione filius tuus esset reportaturus, quod ei suboluisset filium odio aliquo apud *Corderium* laborare. Quisquis ille mali huius testimonii nuncius fuerit, hoc ausim asserere, maximam ab eo irrogatam esse *Corderio* iniuriam. Nam si id de industria apud te detulerit, ut gravaret virum bonum apud amicum, inique factum est. Sin id sola suspicione motus egerit, nondum didicit caritatem non esse suspicacem, nec quo candore de viris bonis et doctis iudicandum est. Te igitur oro, ne facile huiusmodi nunciis fidem adhibeas. Miror sane *Corderium* istic et apud alios quosdam tam male audire, quum nihil viderim unquam eo sanctius et innocentius, cuius probitatis et innocentiae tota paene Gallia, praesertim vero academia Parisiensis et Burdigalensis testis est, [3]) adeo de eius doctrina fide et probitate bene persuasa, ut hunc prae reliquis omnibus optent, qui hominis mores et eruditionem probe explorata habent. Qui fit igitur ut apud nos adeo vilescat? Aut ipse immutatus est, aut nostri homines reliquis sunt morosiores. Eundem vero semper esse qui fuit, audio ab iis qui longa vitae consuetudine hominis ingenium perspectum habent. Haec scribo ad te familiarius quod sciam eum tibi esse amicissimum, quodque eius partes strenue sustinueris adversus eos qui hominem calumniantur, ne te posthac instituti poeniteat, desinasque facere quod hactenus fecisti. Nam dum hominis nomini consulis, non unius *Corderii* consulis honori et commodis sed bonis studiis.

Quod autem suspicaris *Corderium* forte tuo filio infensum, quod ei non commiseris educandum, hoc habe persuasum, *Corderium* non id tulisse iniquiore animo quam ego, quod me iudicaris tibi tam amicum et dignum cuius disciplinae domesticae optimi parentis optimae spei filius commendaretur. At obiicies: qui fit ergo ut tam male de filio mereatur, velut pristinorum meorum in se beneficiorum penitus immemor? Disciplina est scholastica qua in filium usus est, non iniuria: neque dubito quin idem acturus fuerit in suum ipsius filium si quid ei tale contigisset. Nullum crimen tuus *Petrus* dedecore dignum admiserat, nec id voluit *Corderius* significatum. Legem aliquam suis indixerat discipulis non molestam nec tyrannicam. Forte nonnihil peccarunt in eam legem aliquot discipuli, inter quos *Petrus* fuit. Iussi sunt sedere paulo humilius reliquis ad breve temporis momentum, idque animo minime malo. Non erat ergo quod *Petrus* id tam sinistre interpretaretur et te literis protinus commoveret, quasi gravissima fuisset affectus iniuria. Nisi aliquid iuris praeceptoribus in discipulos permittatur, cuiuscunque sint fortunae, quis cordatus homo eo munere fungi sustinebit? Quamobrem te iterum oro ne qua hanc ob causam molestia afficiaris. Si quis parum fausta nunciavit de spe futuri profectus qui ex schola *Corderii* ad filium rediturus est, etsi parum nobis testibus credis qui quotidie eius facimus periculum, spero fore ut, ubi redierit ad te filius, re ipsa ac ipso experimento discas quam fidus ac diligens fuerit praeceptor. Proinde optima quaeque sperato, nec te tua spes fallet. Ignosces mihi si liberius et familiarius tecum ago. Id enim mihi licere apud te puto, fretus tua humanitate et amicitia, quae me impellit ut hoc adhuc unum adiiciam, scilicet ut te moneam, sicut amicum decet, ne sic

775. 1) *Haec Ruetschius in parenthesi textui inseruit. Nos suspicamur esse post-scriptum in margine additum.*

2) *Wattevillanus Corderii fama permotus qui anno superiore Neocomo Lausannam vocatus fuerat* (*N.* 697. 724) *filium suum Petrum eius scholae tradiderat, simul in Vireti familia alendum.*

3) *Parisiis in collegio de la Marche ipsius Calvini praeceptor fuerat. Parisiis Burdigalam inde Genevam transierat.*

assuefacias filium ut facile de praeceptoribus apud te conqueratur aut eos incuset, aut ne facile movearis huiusmodi querelis. Scis enim quam infirma et imprudens sit ea aetas, quae seniorum prudentia regenda est. Lacedaemoniis mos erat ut si eorum liberi apud parentes conquererentur quod ab aliis castigati essent, ut denuo a parentibus castigarentur, quod persuasum haberent, suos liberos ab aliis diligi haud secus ac si omnibus communes essent. Si nobis negotium esset cum tyrannis, merito metueremus liberis nostris: sed a christianis praeceptoribus christiana omnia sunt nobis exspectanda. Ego alios meo pede metior. Crede mihi: ego magis sum de alienis quam de meis sollicitus et indulgentior in alios quam in meos. Novi praeterea quam molestum sit cordato viro huiusmodi querelis fatigari. Haec ideo scribo quod metuam ne *Corderii* animum huiusmodi scriptis *Petrus* a se alienet, quem hactenus semper habuit amicissimum et vere patronum. Nam omnes homines sumus, nihilque gravius homini accidere potest quam quum probra sustinet ubi laudem se assequuturum sperabat, et quum sua officia videt non aequis animis excipi. Nisi valde fallor, tuus *Petrus* innocentissimus est et optimae indolis, sed memineris eum puerum et iuvenem esse. Quamvis enim ego candide omnia interpreter, non possum tamen eum omni culpa liberare, quod me inscio ista ad te scripserit. Nam prius eum monueram ut, si quid in ludo aut domi iniquius in eum ageretur, id mihi significaret. Quod si faceret, me receperam omnia optima fide curaturum quae in rem ipsius futura iudicarem. Id vero hactenus non praestitit. An de me aut de meis questus sit nescio. Rem mihi faceret gratissimam si me moneret. Multa enim domi fieri possunt quae ipse ignorem. Porro, quod ad *Corderium* attinet, ita monui, ut monita non dubitem profutura, sicque ea temperavi, ut nihil de paterno suo in tuum filium affectu remisisse videatur. Eum igitur persuade tibi amicum et filio tuo patrem, quod tibi de me quoque persuasum esse velim. Iam secundum veniam precatus sum, quod tertium facio, ut condones, si quid forte mea te libertate offenderim, et si nimium tua abusus videri queam amicitia et familiaritate. — — — Vale, felix in Domino, qui te nobis diu servet incolumem. Lausannae 8. Martii 1546.

Tuus, si suus est, Petrus Viretus.

776.

FARELLUS CALVINO.

Pergit in enarrandis iis quae de accersendo Liberteto tam Neocomi quam alibi gesta fuerunt et Calvinum invitat ut ipse adsit quando novus pastor munus adibit.

(Ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium. Epp. Farelli fascic. III. N. 10.)

Doctissimo et insigniter pio pastori ecclesiae Genevensis Io. Calvino fratri et symmystae quam carissimo

Genevae.

S. Qui istic fuerunt fratres [1]) narrarunt quam humaniter cum eis egeris, quibus officiis et supra quam possent referre modis omnibus contenderis eos excipere, et tecum alii fratres, ac iusserunt ut eorum nomine tibi et caeteris gratias agerem. Doces nos tuo exemplo quid praestare aliis debeamus. Nec satis fuit quod ita egeris domi, nisi ad coetum [2]) venires et causam nostram adiuvares, ut feliciter illic transigeretur, ut contigit benignitate Domini. Huc appulerunt Veneris [3]) sub vesperam, et literas *Christophori* dederunt praefecto, qui nescio quid attulit de eo qui constitutus fuerat Albonae, quasi Comes Grueranus effecisset ut omnia inversa fuissent, subindicans nobis non secus eventurum, dixitque post lectas literas ut eas redderent quatuor reipublicae praesidibus. Quibus quum datae fuissent, et hi adiissent praefectum et petiissent ut praefectus scriberet ut in electione conclusum fuerat, is respondit oportere prius audire *Christophorum*, et si populo esset gratus tunc rogarent Bernenses. Sed tandem admonitus praefectus voluit ut quatuor cogerent senatum et illos quos quadraginta vocant, ut hac via, si quid posset impediri, fieret. At pauci refragati fuerunt, alii censuerunt scribendum ad Bernenses. Praefectus, ubi videt per alios nihil posse, assentitur. Heri ergo missae fuerunt Bernam literae, et hodie fratres qui istic fuerunt concesserunt Bernam. Speramus Dominum nobis benigne adfuturum. Tononiensis decanus cum altero fratre profectus eo fuit. Si Christus fecerit nos voti compotes, quam esset gratum omnibus fratribus te hic esse! *Viretum* etiam cupiunt, imo etiam ipsum *Tussanum*, et altero die impositionis manuum, imo ipso die, coetus haberetur ac

776. 1) *delegati a Classe Neocomensi Tononium missi ad Libertetum* (*N.* 773, *not.* 7).
2) *classis Neocomensis.*
3) 5. *Martii.*

auxilio futura erat, praesertim pueri qui mihi convivunt. Sed postquam ita vult Dominus, praestabo cum iis qui mihi relicti sunt quod potero. Valde metuo ne propediem matertera quoque priver, proba muliere, multis iam annis gravata et lecto affixa laterali morbo. (Imo quum haec iam ad te scripsissem, Dominus probam et sanctam viduam ad se vocavit.) [1]) Sed quid te frustra detineo recensendis meis calamitatibus? Condonabis meis affectibus quibus abripior. Nam videor mihi aliqua ex parte his malis levatus, quum meas miserias in sinum amicorum effudi, quorum in numero non arbitror te postremas tenere. Sed de his plus satis. Si quid amplius scire cupis de rebus nostris, hic tabellarius frater mihi carissimus et mihi convictor plura referet et de statu scholarum nostrarum, de quibus velim te optima quaeque sperare.

Valde mihi doluit quum intellexi ex postremis tuis literis quantopere fueris conturbatus querela *Petri* tui de *Corderio.* [2]) Rem omnem exquisivi diligenter, non solum a *Corderio*, sed a pueris qui testes oculati fuerant et *Petri* ipsius condiscipulis. Si rem probe teneres, non iudicares *Corderium* magna haerere in culpa. Crede mihi *Corderium* non secus affectum in tuum filium quam in suos ipsius liberos, nisi me valde animus et coniecturae omnes fallunt. Scis qua fide doceat et instituat omnes, praesertim eos qui apud me agunt, quum mea tum maxime tua et aliorum causa a quibus pueri mihi commendati sunt. Te igitur obsecro ut omnem revellas ex animo sinistram suspicionem, si quam de *Corderio* conceperis. Meministi in tuis literis de Gallo quodam, viro bono, qui pridem tibi futurum praedixit, ne spem magnam conciperes fructus quem ex *Corderii* disciplina et institutione filius tuus esset reportaturus, quod ei suboluisset filium odio aliquo apud *Corderium* laborare. Quisquis ille mali huius testimonii nuncius fuerit, hoc ausim asserere, maximam ab eo irrogatam esse *Corderio* iniuriam. Nam si id de industria apud te detulerit, ut gravaret virum bonum apud amicum, inique factum est. Sin id sola suspicione motus egerit, nondum didicit caritatem non esse suspicacem, nec quo candore de viris bonis et doctis iudicandum est. Te igitur oro, ne facile huiusmodi nunciis fidem adhibeas. Miror sane *Corderium* istic et apud alios quosdam tam male audire, quum nihil viderim unquam eo sanctius et innocentius, cuius probitatis et innocentiae tota paene Gallia, praesertim vero academia Parisiensis et Burdigalensis testis est, [3]) adeo de eius doctrina fide et probitate bene persuasa, ut hunc prae reliquis omnibus optent, qui hominis mores et eruditionem probe explorata habent. Qui fit igitur ut apud nos adeo vilescat? Aut ipse immutatus est, aut nostri homines reliquis sunt morosiores. Eundem vero semper esse qui fuit, audio ab iis qui longa vitae consuetudine hominis ingenium perspectum habent. Haec scribo ad te familiarius quod sciam eum tibi esse amicissimum, quodque eius partes strenue sustinueris adversus eos qui hominem calumniantur, ne te posthac instituti poeniteat, desinasque facere quod hactenus fecisti. Nam dum hominis nomini consulis, non unius *Corderii* consulis honori et commodis sed bonis studiis.

Quod autem suspicaris *Corderium* forte tuo filio infensum, quod ei non commiseris educandum, hoc habe persuasum, *Corderium* non id tulisse iniquiore animo quam ego, quod me iudicaris tibi tam amicum et dignum cuius disciplinae domesticae optimi parentis optimae spei filius commendaretur. At obiicies: qui fit ergo ut tam male de filio mereatur, velut pristinorum meorum in se beneficiorum penitus immemor? Disciplina est scholastica qua in filium usus est, non iniuria: neque dubito quin idem acturus fuerit in suum ipsius filium si quid ei tale contigisset. Nullum crimen tuus *Petrus* dedecore dignum admiserat, nec id voluit *Corderius* significatum. Legem aliquam suis indixerat discipulis non molestam nec tyrannicam. Forte nonnihil peccarunt in eam legem aliquot discipuli, inter quos *Petrus* fuit. Iussi sunt sedere paulo humilius reliquis ad breve temporis momentum, idque animo minime malo. Non erat ergo quod *Petrus* id tam sinistre interpretaretur et te literis protinus commoveret, quasi gravissima fuisset affectus iniuria. Nisi aliquid iuris praeceptoribus in discipulos permittatur, cuiuscunque sint fortunae, quis cordatus homo eo munere fungi sustinebit? Quamobrem te iterum oro ne qua hanc ob causam molestia afficiaris. Si quis parum fausta nunciavit de spe futuri profectus qui ex schola *Corderii* ad filium rediturus est, etsi parum nobis testibus credis qui quotidie eius facimus periculum, spero fore ut, ubi redierit ad te filius, re ipsa ac ipso experimento discas quam fidus ac diligens fuerit praeceptor. Proinde optima quaeque sperato, nec te tua spes fallet. Ignosces mihi si liberius et familiarius tecum ago. Id enim mihi licere apud te puto, fretus tua humanitate et amicitia, quae me impellit ut hoc adhuc unum adiiciam, scilicet ut te moneam, sicut amicum decet, ne sic

775. 1) *Haec Ruetschius in parenthesi textui inseruit. Nos suspicamur esse post-scriptum in margine additum.*

2) *Wattevillanus Corderii fama permotus qui anno superiore Neocomo Lausannam vocatus fuerat* (N. 697. 724) *filium suum Petrum eius scholae tradiderat, simul in Vireti familia alendum.*

3) *Parisiis in collegio de la Marche ipsius Calvini praeceptor fuerat. Parisiis Burdigalam inde Genevam transierat.*

assuefacias filium ut facile de praeceptoribus apud te conqueratur aut eos incuset, aut ne facile movearis huiusmodi querelis. Scis enim quam infirma et imprudens sit ea aetas, quae seniorum prudentia regenda est. Lacedaemoniis mos erat ut si eorum liberi apud parentes conquererentur quod ab aliis castigati essent, ut denuo a parentibus castigarentur, quod persuasum haberent, suos liberos ab aliis diligi haud secus ac si omnibus communes essent. Si nobis negotium esset cum tyrannis, merito metueremus liberis nostris: sed a christianis praeceptoribus christiana omnia sunt nobis exspectanda. Ego alios meo pede metior. Crede mihi: ego magis sum de alienis quam de meis sollicitus et indulgentior in alios quam in meos. Novi praeterea quam molestum sit cordato viro huiusmodi querelis fatigari. Haec ideo scribo quod metuam ne *Corderii* animum huiusmodi scriptis *Petrus* a se alienet, quem hactenus semper habuit amicissimum et vere patronum. Nam omnes homines sumus, nihilque gravius homini accidere potest quam quum probra sustinet ubi laudem se assequuturum sperabat, et quum sua officia videt non aequis animis excipi. Nisi valde fallor, tuus *Petrus* innocentissimus est et optimae indolis, sed memineris eum puerum et iuvenem esse. Quamvis enim ego candide omnia interpreter, non possum tamen eum omni culpa liberare, quod me inscio ista ad te scripserit. Nam prius eum monueram ut, si quid in ludo aut domi iniquius in eum ageretur, id mihi significaret. Quod si faceret, me receperam omnia optima fide curaturum quae in rem ipsius futura iudicarem. Id vero hactenus non praestitit. An de me aut de meis questus sit nescio. Rem mihi faceret gratissimam si me moneret. Multa enim domi fieri possunt quae ipse ignorem. Porro, quod ad *Corderium* attinet, ita monui, ut monita non dubitem profutura, sicque ea temperavi, ut nihil de paterno suo in tuum filium affectu remisisse videatur. Eum igitur persuade tibi amicum et filio tuo patrem, quod tibi de me quoque persuasum esse velim. Iam secundum veniam precatus sum, quod tertium facio, ut condones, si quid forte mea te libertate offenderim, et si nimium tua abusus videri queam amicitia et familiaritate. — — — Vale, felix in Domino, qui te nobis diu servet incolumem. Lausannae 8. Martii 1546.

Tuus, si suus est, Petrus Viretus.

776.

FARELLUS CALVINO.

Pergit in enarrandis iis quae de accersendo Liberteto tam Neocomi quam alibi gesta fuerunt et Calvinum invitat ut ipse adsit quando novus pastor munus adibit.

(Ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium. Epp. Farelli fascic. III. N. 10.)

Doctissimo et insigniter pio pastori ecclesiae Genevensis Io. Calvino fratri et symmystae quam carissimo

Genevae.

S. Qui istic fuerunt fratres [1]) narrarunt quam humaniter cum eis egeris, quibus officiis et supra quam possent referre modis omnibus contenderis eos excipere, et tecum alii fratres, ac iusserunt ut eorum nomine tibi et caeteris gratias agerem. Doces nos tuo exemplo quid praestare aliis debeamus. Nec satis fuit quod ita egeris domi, nisi ad coetum [2]) venires et causam nostram adiuvares, ut feliciter illic transigeretur, ut contigit benignitate Domini. Huc appulerunt Veneris [3]) sub vesperam, et literas *Christophori* dederunt praefecto, qui nescio quid attulit de eo qui constitutus fuerat Albonae, quasi Comes Grueranus effecisset ut omnia inversa fuissent, subindicans nobis non secus eventurum, dixitque post lectas literas ut eas redderent quatuor reipublicae praesidibus. Quibus quum datae fuissent, et hi adiissent praefectum et petiissent ut praefectus scriberet ut in electione conclusum fuerat, is respondit oportere prius audire *Christophorum,* et si populo esset gratus tunc rogarent Bernenses. Sed tandem admonitus praefectus voluit ut quatuor cogerent senatum et illos quos quadraginta vocant, ut hac via, si quid posset impediri, fieret. At pauci refragati fuerunt, alii censuerunt scribendum ad Bernenses. Praefectus, ubi videt per alios nihil posse, assentitur. Heri ergo missae fuerunt Bernam literae, et hodie fratres qui istic fuerunt concesserunt Bernam. Speramus Dominum nobis benigne adfuturum. Tononiensis decanus cum altero fratre profectus eo fuit. Si Christus fecerit nos voti compotes, quam esset gratum omnibus fratribus te hic esse! *Viretum* etiam cupiunt, imo etiam ipsum *Tussanum,* et altero die impositionis manuum, imo ipso die, coetus haberetur ac

776. 1) *delegati a Classe Neocomensi Tononium missi ad Libertetum* (*N.* 773, *not.* 7).
2) *classis Neocomensis.*
3) 5. *Martii.*

tractaretur de iis quae faciunt ad Christi gloriam et ecclesiae aedificationem. Quae ideo ad te iam scripsi et iterum scribo, ut apud te deliberes, imo ut te appares ut cum *Vireto* et *Christophoro* venias, et id ita fiat ut die Mercurii actio perfici hic possit, ne, si die dominico fiat, fratres non possint adesse. Volumen quod ad te misi pro literis, ut tibi placuerit, non invitus rescirem, si tam tibi arriserit quam mihi, non potest aliquid molestius pari nec videri. Iusseram serio tabellarium ut te admoneret, alteri ut legendas dares, idque horis, si quae tibi sint, quibus non te immergis quam maximis curis. Si ita feceris non adeo me poenitet, modo per eum qui legerit me admonitum cures eorum, ut multa sunt, quae addecet maiori cura et puritate tractare. Quis enim ad tam sancta satis idoneus? Quae de nepotibus ac *Erasmo* scripsisti effecerunt ut, quod faciebam non adeo cunctanter, importunius urgerem. Unde factum est ut, dum fessus labore et concionibus diei dominici quiescerem, fratria solvente navi quae Iverdunum petebat iussit nepotes ascendere, ut inde opera *Zebedaei* ad Iacobum *Gallum*,[4]) et illinc istuc ad *Erasmum* mittantur. Hic vides quam prudenter omnia apud me fiant. Si istuc venerint priusquam *Caspar*,[5]) qui eos sequuturus est, veniat, *Erasmus* eos excipiet ac curabit, non ut meriti sumus, sed ut nos amat in Domino. Non frustra eos exceperit, etiam ubi praeter laborem aliud non haberet. Fiet demum aliquid volente Domino. Ut tua fratrum meorum exspectatio (non dubito) tibi longa et gravis est, ita et nobis supra modum. Dominus eos quam citissime nobis reddat in usum suae ecclesiae et familiae ipsorum. Vale, mea anima, et iube tuam coniugem salvere, quam tibi Dominus servet incolumem tecum quam diutissime. Collegas omnes cum piis senatoribus opto salvere. Nostri te omnes salvum cupiunt, et praecipue quatuor hi quibus quater et amplius optas a Deo benedici. Neocomi 9. Martii 1546.

Farellus tuus totus.

777.

FARELLUS CALVINO.

Negotium de novo ministro accersendo feliciter procedit et Bernae omnia ex voto impetrata sunt.

4) *Le Coq, ministrum Morgiensem.*
5) *N.* 759 *not.* 7.

(Ex eadem Bibliotheca ac praecedens, eodem fasciculo N. 11. Ipsa epistola ab amanuense scripta. Subscriptio Farelli manu addita.)

Doctissimo et non minus pio pastori ecclesiae Genevensis Io. Calvino fratri et amico quam carissimo

Genevae.

S. Christus absolvat quae tam mirifice post tot contradictiones et supra omnem spem ad exitum laetiorem perduxit. Qui fuerunt istic et Tonnonii egerunt fratres Bernam petierunt, et quamvis consul *Vattevillanus* illic non esset, tamen ut nobis fuit auxilio hic,[1]) ut via aperiretur prospiciendi huic ecclesiae (siquidem prae caeteris hic laboravit) ita et illic dum esset verbis, et dum abesset literis egit ut facilius omnia expediri potuerint. *Sulcerus*, quum audiret a nostris quid tu et collegae tui egisses istic, et demum ut interfuisses coetui et causam adiuvisses, mire commendans laetus causam fratrum egit in senatu. Impetrata omnia[2]) et nobis et classi Tononiensi. Scriptae huc ad praefectum et senatum literae fuerunt. Quid dicatur de me, et alia quae te volo scire ex [*tabellario*][3]) audies. Vellem bonos viros, quorum iudicium magis probo, in iis quae dicunt mihi deesse, quam in caeteris quae mihi tribuunt maiore mecum agerent caritate.[4]) Verum utcunque res habeat, Dominum laudo quod vel hac via mei me admonet. Sane minor sum quam qui minimam possim provinciam in ecclesia Domini curare. Spero misericordia Dei futurum ut quae mihi desunt *Christophorus* abunde resarciat. Ad quem propediem nostri mittent ex senatu aliquem a quo huc deducatur. Hoc non tantum peto abs te, imo fratres omnes, ut si fieri possit intersis, quod saepius petii. *Viretum* quoque cupimus adesse. Pluribus tecum non agam quum per otium non liceat, et hic pro literis tibi abunde satisfacere possit. Vale cum coniuge et istius *Iudith*, fratre et socero ipsius tuisque omnibus, praecipue coll[*egis*], quos opto salvere, et pios omnes. Te nostri salutant. Neocomi 13. Martii 1546.

Farellus tuus totus.

777. 1) *N.* 771 *seqq.*
2) *die* 10. *Martii, missio Liberleti et confirmatio novi ministri Tonnoniensis* (*Welsch Missivb.*).
3) *deficit charta.*
4) *Patet fuisse Neocomi qui occasione huius electionis de Farello ita loquerentur ut meliore aliquo iam opus esse dicerent, sive pastore sive oratore.*

778.

DIAZIUS CALVINO.

Iterum eum hortatur ut ad Dryandrum scribat qui amicorum solatio indiget ob ea quae in patria contra ipsum inimici moliuntur.

(Ex autographo Cod. Gothani 405, fol. 79.)

Clarissimo viro D. Iohanni Calvino etc.

S. P. in Christo. Ex literis D. *Falesii*, sicut ille ex tuis solet, intelliges, vir clarissime, omnia quae apud nos gerantur,[1]) quantum quidem ex multorum literis accipere potui. Te tamen vehementer rogatum velim, ut ad nostrum *Dryandrum*[2]) scribere velis, cuius literas ad te mitto, sed iam diu datas. Vix enim possis credere in quanto moerore, in quanta animi anxietate et perturbatione sit constitutus. Intellexit enim nuper a suis, illum C. exomologistam[3]) tam aegre tulisse ipsius in Germaniam reditum, ut non modo curet confiscanda, si quae a parentibus haereditario iure sperat, verum etiam contra omne divinum et humanum ius insigni aliqua infamia graves seniores ac innocentissimos parentes afficere. Atque, ut haec vitet, cogi quodammodo in Italiam ire, quasi illic tutus esse possit. Ego do operam ex consilio D. *Buceri* ut Nurembergam ambo conveniamus de his ac aliis acturi inter nos. Dissuadebo, sicut iam et literis feci, ne id tentet, nisi velit sese apertissimo periculo exponere et sese contaminare idololatriis etc. Te iterum atque iterum oro, ut et solari et, ut optime nosti, consulere fratri in hoc discrimine versanti per Christum velis, et fratri tui studiosissimo, et qui multum in ecclesia suo tempore, si vixerit, poterit. Ad me vero scribes quum per tuas iustissimas et gravissimas occupationes licuerit. Neque enim tuis privari literis velim, quae tanto mihi sunt gratiores quanto te, ut par est et debeo, summe observo ac diligo. Ubique habes tui studiosos. Te salutat hospes meus D. licentiatus Adam *Bartolomeus*, vir pius et doctus, a consiliis illustrissimi et christianissimi principis *Ottonis* utriusque Bavariae ducis, qui et illius est concionator, omnibusque concionatoribus istius ducatus praeest. Nomine meo salutabis uxorem tuam carissimam et filiam *Iudit*, fratrem *Antonium* et D. *de Fer*[4]) et ipsius domum totam, reliquosque fratres et notos et nominatim *Magnificum*[5]) et eius uxorem. Bene vale, vir clarissime, in Christo: quem precor ut te diutissime servet ad ecclesiae protectionem et aedificationem. Neuburgi Danubii[6]) 13. Marcii 46.

Tibi ex animo perpetuo devinctissimus
I. Dzs.

778. 1) *Vide omnino quae annotavimus ad N.* 765.
2) *ibidem in post-scripto.*
3) *Fortassis inquisitorem aliquem Hispanum.*
4) *Sine dubio Antonii Calvini socerum Nicolaum, qui alibi Le Fert audit. Caeterum De Fer nomen est gentis alicuius Genevensis, cuius tamen membrum nullum illo saeculo producit Galiffe, Not. gén.* I. 160.
5) *Laur. Maigret, Calvini fautor et vindex, maxime postea in causa contra Perrinum agenda.*
6) *Oppidum Ottonis Palatini undecim supra Ratisbonam milliaribus ad Danubium situm. Eo Diazius se contulerat ut cuiusdam libri Buceriani* (de vera et falsa coenae dominicae administratione altera adv. Barth. Latomum responsio) *quem ille typographo Neoburgensi miserat excudendum, emendationi praeesset.* (*Sleid.* II. 437.)

779.

FARELLUS CALVINO.

Libertetus iam adducendus propediem munus auspicabitur, ubi Calvinus quoque ut Neocomi adsit cum Vireto iterum rogat. Significat nebulonum quorundam petulantiam Genevensium famae potius quam securitati infestam.

(Ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium. Epp. Farelli fascic. III. N. 12.)

Doctissimo et non minus pio Ioanni Calvino pastori Genevensi fratri et symmystae quam carissimo

Genevae.

S. Vereor ne te obtundam meis literis quibus toties idem inculco, et quod tibi non minus est cordi quam mihi: sed quum hunc sperem istac transiturum ut *Christophorum* adducat, volui per eum te rursus rogare ut, si fieri possit, die Martis 23 huius adsis, et si prius id potes indicare *Vireto*, ut ipse quoque adsit facito, et Dominum precare ut sanctum successum det, nosque omnes ita agat ut nihil fiat neque dicatur quod aedificationi ecclesiarum non conducat plurimum. Senatus non videtur male affectus. Unus est qui omnia impedire conatur, ita tamen ut non videatur aliquid mali egisse, sed in alios culpa omnis transferatur. Ubi apertis cogitur cedere rationibus assentiri videtur et commendare meliora, et demum poenitentia ducitur. Ideo invocandus nobis est Dominus ut ita nos suo spiritu regat, ne quid nos Satanas per suos impediat quod sit e re ecclesiae. Arbitror *Casparem* tecum

fusius egisse, ut pluribus non sit opus. Unum est quod istic puto rescirio portere. Compotores Prioris Mortuae aquae,[1]) qui fuit aliquamdiu istic in vinculis ob aes quod pater conflaverat, inviserunt ante dies aliquot insanum illum Priorem ut ebrietati indulgerent: quod dum faciunt nebulones iactant se provinciam habere legendi milites,[2]) vocant multos qui nomina dant, et recipiunt se venturos Genevam ut sint praesidio. Hoc quum palam sit actum movit (ne dubita) non paucos quod ex pontificiis Geneva viros sibi quaerat. Tu pro tua prudentia efficere poteris ut eiusmodi cogantur in ordinem, et ut ii qui offendebantur intelligant, nihil minus curatum fuisse quam quod actum fuit nomine urbis. Vale bene, et tecum tui omnes, praecipue qui ministrant in verbo. Neocomi 15. Martii 1546.

Farellus tuus totus.

780.

GALLASIUS FALLESIO.

Epistola dedicatoria praemissa versioni latinae opusculorum Calvini adversus Anabaptistas et Libertinos.

Descripsimus eam in Prolegomenis Vol. VII. pag. 26. Data est Idibus Martiis 1545 et incipit a verbis: *Quae rationes Calvinum impulerint.*)

781.

CALVINUS THEODORO.

Agit maxime de suis in articulo de coena elucidando editis variis lucubrationibus et concordiam cum Luthero et Turicensibus si fieri possit ineundam votis suis prosequitur. Addit quaedam politica.

779. 1) *Aigues Mortes oppidum est olim celebrius quam nunc in Provincia non procul a Massilia situm. De Priore isto aliunde nobis non constat.*

2) *Hoc ipso tempore, ut iam antea, varii rumores spargebantur, modo de Caesaris et Hispanorum modo de Bernensium contra Genevam insidiis. Haec omnia falsa et vana fuisse eventus demonstravit, quod etiam pridie Idus Martii, foedere civitatum inter vicinas has respublicas renovato, ab altera affirmatum altera pro vero et rato accepit.* (*Roget.* p. 202.)

(Manu scriptam alicubi exstare non rescivimus. Simleri enim apographon Vol. 59 sui thesauri insertum repetitum est ex B. Hommelii Semicenturia II. Epp. celeb. virorum Saec. XVI. et XVII. 1780. N. XIII. p. 39. Qui tamen vir doctus ipse fortassis ex Bezae exemplari a. 1575 sumpsit epistolam quam ibi ad calcem voluminis a typographo additam reperiri diximus supra in Prolegg. X. p. I. p. 12. Anglus habet T. II. p. 25.)

Ornatissimo viro D. Vito Theodoro fidelissimo Christi Domini nostri ministro fratri et symmystae Norib. Salutem.

Literae tuae[1]) eo mihi fuerunt gratiores quo minus eas sperare ausus fuissem. Meum enim fuerat priores scribendi partes occupando ipsas elicere. Quod vero non provocatus ultro anteverteris, id mihi maioris benevolentiae est argumentum. Si tamen, cur non scripserim, causam nosse velis, pudore magis quam negligentia abstinui. Animi tui sinceritatem videor mihi habere perspectam. Et alioqui *Philippi* testimonium satis habet apud me fidei. Sed ubi non magna familiaritas intercedit, temporum iniquitas interdum me reddit timidum. Quo maiorem tibi gratiam habeo, quia mihi scrupulum omnem exemeris. Libellum etiam meum de coena tibi non displicuisse vehementer gaudeo. Scriptus gallice fuerat ante annos decem.[2]) Quum me inscio a duobus iam in latinam linguam versus foret, permisi tandem ut ederetur, veritus scilicet ne deterior aliqua versio locum occuparet. Ratio docendi simplex et popularis indoctisque hominibus accommodata quale fuerit initio consilium meum indicat. Accurratius enim latinis hominibus scribere soleo. Studui tamen quod sentiebam non modo fideliter complecti et in brevem summam redigere, sed dilucide etiam explicare et absque involucris. Ab eo tempore Institutio a me recognita iterum prodiit in publicum. Ubi eandem doctrinam diverso loquendi genere et aliquanto luculentius, nisi fallor, expono et confirmo solidius. Tandem Catechismum quoque publicavi, qui fidus est ac idoneus testis quali doctrina plebs a me imbuatur. Utinam, ut dicis, vellent Tigurini se ad hanc confessionem adiungere. Non existimo tam durum esse *Lutherum*,[3]) quin facilis futura esset compositio. Neque tamen improbare mea audent. Quo minus palam mihi assentiantur, hoc potissimum obstat quod praeconcepto semel, et quidem iam olim, sensu occupati ita usitatis sibi formis insistunt ut nihil admittant novum. Verum si consideres quam imperiose ex adversa

781. 1) *N.* 758.

2) *De his omnibus suo loco disputavimus in Prolegomenis singulorum tomorum.*

3) *Cuius ergo mortem nondum resciverat. Caeterum in eo profecto errat quod sibi fingit Lutherum facilius suae ipsius sententiae quam Zwinglianorum calculum adiecturum fuisse.*

parte quidam adigere mundum velint, non solum ad omnia sua sensa, sed ad verborum quoque praescriptum, quam violenter insultent, quos tumultus moveant: qua praeditus es tum aequitate tum rectitudine, nihilo Tigurinos magis in causa, quam hos in praepostera actione damnabis. Dominus nos omnes spiritu suo ad veram moderationem componat. Scis me non de nihilo conqueri. Nec dubito quin eadem tacitus pro singulari tua pietate tecum gemas, dum mederi nequis. Caeterum quod de te mihi polliceris, velim etiam tibi vicissim de me persuadeas, esse me tibi sincerum amicum et fratrem perpetuoque fore. Hoc te cum multis nunc rogabo, ne finem facias strenue pergendi, donec Genesin absolutam nobis reddideris.[4]) Nam ut sibi merito gratulari debet *Lutherus* quod nactus sit talem artificem, a quo sua opera expoliantur, ita experiuntur alii quam fructuosus in publicum sit labor. Optarim tamen te in sacramentariis nominandis esse parciorem, quod videam quorundam animos ita exacerbari, de quibus ad aliquam moderationem flectendis nonnulla spes esset. Tuum tamen erit, quidnam magis expediat dispicere. Mihi satis erit si meam admonitionem boni consulas, utcunque aliud sequaris.

Conventus Ratisbonensis fumum scilicet nobis pariet,[5]) quem Dominus mox discutiet. Hic sumus tranquilli, nisi molestus nobis sit Caesar, quem suspicantur nonnulli in Burgundiam cogitare, ut inde regno Galliae immineat, dum infestat Provinciam per iuniorem Sabaudum, et ab altera parte Anglos immittit. Ego me in uno Dei praesidio contineo, quando video nos a praesenti periculo non longe abesse. Vale, ornatissime vir et amice integerrime. Dominus Iesus te gubernet spiritu suo perpetuo tuisque sanctis laboribus benedicat. Salutant te diligenter omnes collegae mei. Tuis etiam plurimam salutem dices meo et ipsorum nomine. Genevae 16. Cal. Apr. 1546.

Ioannes Calvinus tuus.

4) *Vitus scilicet editionem libri curavit:* In primum librum Mose enarrationes rev. Patris D. Mart. Lutheri plenae salutaris et christianae eruditionis bona fide et diligenter collectae. Wittb. 1544 fol. *Hoc primum volumen priora tantum undecim capita complexum post Viti obitum sequuta sunt tria alia Nor.* 1550—54 *cura M. Roting et Hi. Besold.* (*Strobel Nachr. v. V. Dietrich* 1772, *p.* 105. *Cf. etiam Lutheri Opp. lat. Erl. T. I. praef.*)

5) *Imo peperit, nam his ipsis diebus finem habuit.*

782.

GALLASIUS FALLESIO.

Cum versione latina libellorum Calvini contra Anabaptistas et Libertinos Fallesio dicata.

(Ex autographo Cod. Genev. 194, fol. 25. Fallesius adscripsit: *Receu le 2 Apvril respondu le 13 eiusdem. Gallasius.* Impressa est in Ed. Amstelodamensi Epp. Calvini ad Fallesium p. 41.)

A Monseigneur Monseigneur de Falez
A Strasbourg.

S. Non prius ausus sum versiones meas sub tuo nomine nuncupare,[1]) quam ex tuis ad D. *Calvinum* literis id tibi non displicere intellexi. Tametsi enim te facile assensurum iudicabamus, melius tamen omnino videbatur id tibi prius significare. Eas igitur mitto ad *Vandelinum* cum epistola ad te mea: quam leges, ut si quid in ea quod ad te spectet addendum aut minuendum putes, me certiorem reddas. Vale, ornatissime vir. Dominus te cum tua familia incolumem servet. Genevae 19. Martii 1546.

Tui observantissimus
Nicolaus Gallasius.

783.

CALVINUS VIRETO.

Iterum presse eum rogat ut Genevam concedat ut se cum amicis paululum reficiat.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 159. Ionvillaei exemplar ibid. Cod. 111a, fol. 39 v., Turretini Cod. 111, fol. 140, Bernense Epp. VII. p. 758, Simleri Vol. 60. Inscriptio nulla adest in authentico. Versio anglica T. II. p. 24.)

Hactenus scribere ad te distuli quod sperabam in singulos dies venturum, sicut promiseras. Neque etiam nunc scripturus eram, quia in eadem spe maneo, nisi ut te ad maturandum iter impellerem. Miror enim qui fiat ut ita diem ex die trahas. Memini quid Ioannes *Tornacensis* mihi dixerit, tibi scilicet equum deesse. Sed cur non potius nave? Nisi *David* suos vendidisset, haec difficultas facile tolleretur. Quanquam nunc facilius equum inveniri posse credo quam ante octo dies. Minus enim cur-

782. 1) *N.* 780.

sorum hac transiit his diebus. Festina ergo ut te nobiscum paululum reficias ac recolligas: nam qui istinc veniunt aiunt te esse semimortuum. Si alia ratione te extrahere nequeo, denuncio tibi nullam te literam a me habiturum donec veneris. Cito igitur. Vale. Saluta omnes amicos. Dominus te incolumem nobis brevi sistat![1]

Ioannes Calvinus tuus.

784.

CALVIN A M. DE FALAIS.

Il se plaint de sa santé, et parle de l'Apologie que M. de Falais avait demandé qu'on écrivît en sa faveur, ainsi que d'autres entreprises littéraires et d'intérêts de différentes personnes de la sphère du baron.

(Autographe de la bibliothèque de Genève. MS. 194, fol. 26. Imprimée dans l'éd. d'Amsterd. p. 42, dans les Lettres fr. de Bonnet I. 141 et en anglais T. II. p. 29.)

A Monseigneur Monsieur de Fallez.

Monseigneur, ie vous remercie du soing que vous avez de ma sante, craignant que ie ne me grefve oultre mesure, mefforcant de vous escrire pendant que ie ne suis pas en disposition. Mais sil ny avoit qua vous escrire, ce me seroit une poine bien aysee a porter, si poine se doit appeller ou on prent seulement plaisir. La difficulte est des fascheries et rompemens de teste qui interviennent, pour interrompre vingt fois une lettre, ou encor dadvantaige. Quant a la sante, iestois beaucoup plus debile, vous escrivant nagueres, que ne suis a present. Mais estant bien dispose par tout le reste du corps, ie suis tormente sans cesse dune doleur qui ne me souffre quasi rien faire. Car oultre les sermons et lectures, il y a desia un mois que ie nay gueres faict, tellement que iay presque honte de vivre ainsi inutile. Mais sil plaist a ce bon Dieu de se servir de moy, il me relaschera et appaisera le mal, qui me presse[1]) si fort, que ie ne puis vacquer a aulcun labeur dimportance, pour employer le loysir quil me donne. Combien que ce pendant il ne laisse pas de mexercer pas quelques moiens, affin que par oisifvete ie ne menrouille. Tant y a que sil ne me faict la grace de me restituer en meilleure disposition, ie ne suis pas en train de iammais monter sur cheval. Pourtant encor que ie feusse mande, si ne pourrois ie bouger de la maison en tel estat. Mais, comme vous dictes, on sy passe de moy, de paour desmouvoir les testes furieuses. Et de mon coste, ie quicte volontiers les dietes a ceux qui en sont friantz, pour chose quon y face.[2]) Ie suis ioieux que nostre Seigneur vous a mis hors de poine quant a *Norberg.* Quil sera de faire au reste, vous aurez opportunite den adviser, ayant este informe par Iehan de *Rochefort,*[3]) et apres avoir estably vostre cas, selon quil se peult faire en lissue dEgipte et de Babylon. Cest comme il est dit par Moise et par Ezechiel: *In tumultu et festinatione.* Iespere au plaisir de Dieu, que cen est faict a present. Ie ne mesbahissois pas trop du long temps que vous aviez este sans recevoir lettres de luy, veu le voiage. Mais si Dieu luy a faict la grace, et a vous aussi, de le faire eschapper des dangers, il naura pas tant targe quil ne soit auiourdhuy de retour. Ainsi estant a repos de ce coste la, vous prendres conseil.

De Constance,[4]) ie ne vous en avoye parle, si non en cas que la demeure ou vous estes ne vous pleut pas. Mais quant il vous viendra a poinct, Strasbourg est plus propre, et layme mieulx ne fust que pour la raison que vous alleguez.

En Metz,[5]) ie voy un grant mal, faulte de conduite et de cueur, combien que ce sont plustost deux maulx. Mais Dieu trouvera le moien. Cest a nous de tenter tous les moiens quil nous presente et mesmes nous efforcer, ou il semble que les moiens deffaillent. Pource que ie scay quil nest pas mestier

---

783. 1) *Sine et die et consule, ita ut de loco ei tribuendo ambigere possis. Verum iam Turretinus eam ad mensem Martium a.* 1546 *referebat, et in primario codice (cuius sane concinnator quis fuerit nescimus) similem seriem observatam videbis. Farellus N.* 779 *utrumque invitarat in* 23. *Martii. Sed ex N.* 785 *effici posse videtur Calvinum Neocomum non ivisse, quia suspicatum se dicit Viretum cum Liberteto eo se contulisse. Quid quod ex N.* 787 *patet Viretum quoque abfuisse. Interim nescio quo pacto certior factus in ea coniectura se falsum fuisse iterum eum morte coniugis afflictum accersere conatur. Nomen Davidis, vel si Busantonii esse dixeris a.* 1545 *demortui, quod tamen non crediderimus, ad rem extricandam nihil valet.*

784. 1) pren *Bt.*

2) Une nouvelle diète était convoquée à Ratisbonne pour la pacification des troubles religieux de l'Allemagne. Cette assemblée s'ouvrit au mois de juin 1546, en présence de l'empereur, et fut, comme les précédentes, sans résultat. (*Bt.*) *Nous croyons plutôt qu'il fait ici allusion au colloque qui se tenait alors à Ratisbonne et qui se termina le* 20 *Mars sans avoir abouti, ce que ni Calvin, ni à plus forte raison Falais, ne pouvait savoir en ce moment. C'est aussi le sentiment de l'éditeur d'Amsterdam.*

3) *Auteur d'ailleurs inconnu qui a écrit, selon Du Verdier, un livre de la cène. Strasb.* 1548. (*Haag. VIII.* 457).

4) *Il paraît que le baron avait eu l'intention de s'y établir.*

5) *La réforme y avait été comprimée à cette époque.*

de vous exhorter a ne vous y espargner, ie men depporte.

Ie ne mesbahis point, si maistre Pierre *Alexandre* est hardy, ayant le menton ainsi soubstenu, avec ce quon est tout accoustume a Heildeberg douir ceste doctrine desia de long temps.[6] Mesme il scait quil na aultre moien pour sadvancer. Ainsi ce nest pas merveille sil en use hors de tout peril. Mais ie voy bien quil nest pas homme trop suffisant, et ne fust que par ses conclusions. Qui pis est, il y a une lourde faulte, en ce quil dict le iurement estre defendu de Dieu: avec un blaspheme, en ce quil attribue auctorite a sainct Paul de permectre ce qui a este defendu de son maistre. Mais ce sont les resolutions magistrales.

LApologie[7] se feroit beaucoup mieulx aupres de vous, que de lieu loingtain. Ce que ie diz non pas pour men exempter, mais daultant que ie pense quainsi est. Car ie suis bien tout prest a my emploier. Aussi[8] seroit bien Maistre Pierre *Viret*, mais sa facon descrire ne seroit pas du tout propre a tel argument, a cause de sa prolixite. Et de moy iaurois a ronger mes ongles en plus de centz passages, si nous ne conferions ensemble pour resouldre dun commun accord de ce qui seroit bon dire ou omectre. Toutefois nous mecterons poine de le satisfaire a vostre desir quant vous en aurez conclud sur ladvertissement de voz affaires. Tant y a, que ie nen ay retenu nul memoire par devers moy. Ce que ie vous mandois de lepistre[9] nestoit pas tant pour reprendre ce qui a este faict, que pour alleguer la raison quelle ne devoit estre inseree affin destre veue. Ie loue[10] nostre Seigneur de ce que le present de mon Commentaire vous est aggreable.[11] Suivant vostre response nostre frere envoye sa translation a *Vendelin*,[12] vous adressant la preface, affin que layant veue devant le coup, vous iugiez de ce qui vous semblera expedient.

La requeste que ie vous faisois tant affectueuse de ne separer vostre maison de leglise francoise,[13] nestoit point fondee sur aulcun rapport, mais seulement sur un article de voz lettres ou vous me signifiez que vous seriez en train de ce faire, ne voiant la nul amendement. Mais il suffit que ie scay votre intention pour nen plus estre en fascherie. Ie voy bien les occasions que vous en pouvez avoir, mais iay esgard au scandale qui en sortiroit. Tout va bien que vous mavez octroie ma requeste.

Ie desireroye, Monseigneur, que les cent escus feussent envoiez a la Damoiselle, et ils vous seroient rendus incontinent, envoyant aux damoiselles de *Tilly* ce qui leur reste, puis que le pere se monstre tel. Ie desirerois quen nous disposant a porter volontiers et patiemment la croix, nous a former[14] nos espaulles a telle charge. Ie le dis suivant le mot que vous me touchez. Mais ce sont matieres dont on parleroit mieulx quon nen peult escrire.

Ie vous prye me tenir excuse, si ie ne vous mande encor mon iugement de la translation des sermons de Messire *Bernardin*.[15] Ie vous puis bien dire un mot en loreille, quilz sont plus utiles en italien quen aultres langues, nestoit que le nom de lhomme sert: et puis il y a telle diversite desprítz, quil nest pas maulvais de tascher a en amener aulcuns par ce moien. Du translateur, ie vous en manderay en brief au plaisir de Dieu.

Touchant de lApologie des Damoiselles,[16] ie pense, Monseigneur, vous en avoir desia mande mon advis en brief, pour le moins ie lavois icy declaire, que laucteur navoit point garde ce que les Latins appellent *decorum*. Car la procedure ne convient pas aux personnes. Tous ne lappercevoient pas, mais ceux qui auront le sens ouvert. Cest la cause qui me la faict retenir par devers moy.

Les lettres de *Diazius*[17] nestoient pas necessaires pour me monstrer en quelle auctorite vous aviez ouvertes celles quil mescrivoit. Car vous avez bien lauctorite sans que nul aultre la vous donne. Ie vous remercie humblement de loffre tant gratieuse que vous me faites pour le baptesme de nostre enfant.[18] Et sur ce, Monsieur, pour faire fin, apres mestre humblement et de si bonne affection quil mest possible, recommande a vostre bonne grace, et celle de Madamoiselle, et vous avoir aussi presente les humbles recommandations de ma femme, ie prye nostre bon Dieu de vous conduire tousiours

6) *L'électeur palatin Fréderic II. avait introduit la réforme par édit du* 3 *janvier* 1546. *Mais Fagius, que M. Bonnet nomme le principal instrument de cette révolution ne fut appelé à Heidelberg que plus tard dans le courant de cette année. Alexandre fut prédicateur français à Strasbourg en* 1556. (*Voyez Gerdes, Scrin. antiq. IV.* 670. *Balduini biga.* 134. 146.

7) *Voyez Oeuvres T. X. Proleg.* 1re *partie p.* 12.

8) *ainsi Bt.*

9) l'empereur *Amst. Bt.*

10) *l'autographe porte:* ie luy.

11) *N.* 753.

12) *Il s'agit de Des Gallars et de sa traduction du Traité dédiée au baron* (780).

13) *de Strasbourg, dont J. Garnier était alors pasteur.*

14) *sic.*

15) *Les sermons d'Ochino* (*Prediche* 1542—44) *furent édités en latin d'après Nicéron* (XIX. 179) *à Genève* 1543 *suiv. en* 4 *vol., en français* 1561; *en allemand par Jq. Hochstetter. Neub.* 1545. 4.

16) *Nous ne savons rien d'un pareil écrit. Si comme le pense M. Bonnet, il s'agit ici des soeurs de M. de F. l'une, Hélène, épousa Adrien de Tresnoy* (*Fresnoy?*), *l'autre, Françoise, fut abbesse de Ste. Claire à Lille.*

17) *N.* 765. 778.

18) *qu'on paraît avoir attendu, mais qui en tout cas ne vécut point.*

comme il a faict, se monstrant vray protecteur de vous et de tout ce qui vous concerne.[19])

Vostre humble frere, serviteur et entier amy a iamais,

Iehan Calvin.

785.

CALVINUS VIRETO.

Mittit ei equum ut commode Genevam pervenire possit.

(Sequitur ubique praecedentem, nisi quod Ionvillaei apographon reperiatur in Cod. 196, fol. 81. — Autographon l. l. fol. 160. Turretini fol. 140 v. Bernense p. 759 caett. — Versio anglica II. 28.)

Fideli Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et amico carissimo.

S. Is qui mihi tuas reddidit nesciebat unde essent allatae aut a quo scriptae. Itaque factum est ut paulo serius eas receperim quam vellem. Curavi quod optabas, ut tibi commodus equus absque pompa mitteretur. Missus autem citius fuisset, nisi praemonuissem nostros, tibi non licere istinc exire ante concionem matutinam. Maluissem certe, si in tempore literae venissent, te citius accersi. Verum suspicabar te una cum *Christophoro* profectum. Ea etiam causa fuit cur familiari nuncio nihil ad te dederim literarum. Si habita concione poteris Neodunum usque pervenire, eris hic Lunae ante horam prandii. Sed cave te fatiges. Lunae potius Neodunum venias. Satis opportune te habebimus, si bene habebis. Saluta fratres omnes. Dominus te adducat nobis incolumem et hilarem. Genevae 26. Martii super coenam. [1])

Ioannes Calvinus tuus.

---

19) *Au dos:* Receue le 2 Apvril 1546. Respondu le 11e du mesme mois par Pierre Darras.

785. 1) *Vide omnino quae annotavimus ad N.* 783. *Dies Lunae quo Neodunum ille appellere debebat* 29. *Martii erat.*

786.

LASCUS BUCERO.

Hortatur eum ut colloquium aliquod promoveat inter principes Germanos et ecclesias helveticas quo controversiis de re sacramentaria tandem finis imponatur.

(Ex Gerdesii Scrinio antiquario IV. p. 1, pag. 465; recusa ap. Kuyperum in Opp. Lasci II. 604.)

Post scriptas literas venit mihi in mentem, vir doctissime, ut te admonerem de instituendo aliquo colloquio, si quo modo iam fieri posset, ut haec sacramentaria controversia tandem aliquando componeretur. Principem nostrum Coloniensem ab ea re video non abhorrere, et Lantgravius facile forte induci ad id posset, neque forte abnueret et Comes Palatinus Elector, si modo ad id per te aut tui similes excitarentur. Per te, inquam, mi Bucere, quandoquidem tu in concilianda hac controversia plurimum laboris hactenus insumpsisti. Non dubitarem profecto rem bene cessuram esse si tentaretur. Et quid optatius posset accidere quam si haec controversia componeretur? Certe sine magno fructu colloquium tale institui non posset. Sed essent eo quoque vocandae omnes Helveticae ecclesiae, unaque et Gallicae, hoc est Allobrogicae, quas Calvinus instituit. Si scirem tuum in hac parte animum, essem tibi ea in re adiutor, scriberemque et ipse quum ad nostrum Coloniensem, tum ad Palatinum et Lantgravium, certoque mihi persuadeo non vanos fore conatus nostros hic, si id una uterque apud istos principes contenderemus.

Suasi per literas Tigurensibus [1]) ut posteaquam Dominus nobis Lutherum sustulit, illi laudationem tanti viri aliquam ederent, cum sui erga illum amoris christiani testificatione, etiamsi haec inter illos dissensio intercessisset, simulque testarentur se non detrectare amicum et christianum quodcunque colloquium, si quo modo haec controversia componi queat. An hoc sint facturi nescio. Sed faciant aut non faciant, suam ipsi doctrinam gravarent, si vocati ad tale colloquium non venirent, et interim aliae ecclesiae conciliari possent. Exspectabo igitur abs te ut me de tuo in has partes animo facias certiorem. — — — — — — —

---

786. 1) *Tales literae ad Bullingerum et Pellicanum datae d.* 23. *Martii* 1546 *praecedunt hanc nostram apud Gerdesium et Kuyperum, neque dubitari potest quin haec proxime illas sequutae sint, sin minus incontinenter, tamen ad summum paucis post diebus. Caeterum non ita diu post Lutheri obitum scriptam esse oportet.*

787.

FARELLUS VIRETO.

Tristia eademque ridicula ex Ratisbona. Evangelii progressus in regionibus orientalibus. Lutheri pie mortui laus. Recentissima de concilio Tridentino.

(Ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium. Epp. Farelli fasc. III. N. 14 cf. Perroti Vitam Farelli MS. p. 91 (132).

Christi servo insigni Petro Vireto pastori Lausannensi fratri et symmystae quam carissimo
Lausannae.

S. Heri dum in coetu [1]) essemus consul a *Vattevilla*, quem tuo et *Calvini* nomine veniens salutaram, pridie per *Fatonum* pium fratrem nos participes fecit literarum quas Ratisbona acceperat, in quibus incredibilia paene narrantur. Quantum attinet ad conventum et colloquium, nihil non fuit actum ab adversariis quin in fumum omnia abirent. [2]) Parati erant hostes digladiari semper, ita tamen ut neque sua neque nostrorum dicta in lucem prodirent, nemine excipiente quae dicebantur, aut si quis exciperet esset pontificius. At principes qui stant pro evangelio unum habere voluerunt, quod quum non possent impedire adversarii, voluerunt ut iureiurando adstringeretur nihil se evulgaturum. Responsum fuit, principes velle omnium certiores esse et ideo misisse suos et scribam quoque. Tandem conventum fuit ut tres exciperent quae hinc inde dicerentur, et in cistam coniicerentur omnia tribus obfirmatam seris, quarum pars quaelibet unam clavem haberet, tertiam praesidentes. Urgebant nostri, conciliationem dudum factam super iustificatione locum habere et ratam teneri. Adversarii oppugnare contendebant, et actum a suis rursus agere captionibus et vanis rationibus veritatem Dei obducere frustra tentarunt. Caesar modo praesidentium numerum auget, et ut nonnullis fides habeatur quos mittit, literis mandat, quumque nihil nisi coactus pro Domino sit acturus, simulasse satis habet. Tamen maior et sapientior est Caesare Christus, contra quem neque consilium neque potentia quidquam valet. Pergit enim in opere suo invitis omnibus adversariis, non tantum in Germania, ut dicitur de Moguntino, verum etiam in Hungaria, sub ipsa immanitate turcica Budae, et apud Transylvanos, de quibus ante aliquot annos scripserat ad me *Myconius*. Valachia quoque fertur excepisse evangelium, nec prohibent id annunciare Bassae turcici. Quin et Constantinopoli. Qui eo concesserant legati, nescio an Hungarici an alii, referunt praedicari evangelium et coenam Domini celebrari, cuius et ipsi participes illic fuerunt. *Asco* [3]) Polonus fertur in Phrysia multos Christo lucrifecisse, et non paucas constituisse ecclesias.

De transitu *Luteri* [4]) admodum pio et sancto coguntur omnes Dominum laudare. Magna enim fide et alacritate ad Dominum migravit: mire commendavit studium conservandae doctrinae pietatis, potissimum ut summa cura pastores idonei praeficiantur debite sanctoque ordine, scholarum et iuventutis ut exactissima ratio habeatur, demum ne gladio cogant ad evangelium eos qui in potestate non sunt cogentium. Repetiit precationem eandem pluries veniam et misericordiam patris implorans. Paucis exprimi non possunt tam multa, et tam insignia tam abiecto sermone non possunt apte tradi — — —

Concilium Tridentinum indies augeri dicitur, et illic neque pontifici neque aliis succedit pro voto. Digladiatum fuit de titulo concilii: [5]) nam de more ita dicebatur concilium Tridentinum ecclesiam universalem repraesentans. Hoc *Paulus* tertius, qui iam nullus est, nullo modo ferendum duxit, quod hac via concilio subiiceretur pontifex, qui caput est iniquitatis, et ob id merito iniquis omnibus praeesse debet, etiam ubi concilium ab omnibus orbis partibus cogitur ad perdendum Christum. Egerunt legati pontificis strenue, sed pugnante *Esulano* [6]) et secum faciente multitudine cecidit spe pontifex, et ut reputat vulnus non leve accedit. An ex dolore perierit, aut aliud acciderit, non adeo sum anxius, sed capitis fatum potiora nunc membra non leviter torquet. Siquidem pereunte pontifice concilio coacto, ius eligendi ad concilium universale devolvitur. Hoc purpurati patres qui ferre poterunt? Quam graves angustiae! Quanta ferenda sunt, scilicet monstris et portentis tam exsecrandis, pro fide, ut aiunt, catholica! Nonnulli non prorsus mali exspectabant ex Germanis aliquos venturos, et id ex piis aliqui flagitabant. Sed nulla ratione a principibus impetrari potuit. Habent multas et ut videtur iustas rationes quare id permittere non debeant.

---

787. 1) *classis.*
2) *Sleidan.* p. 420. *Seckend.* III. 626. *Hortleder* I. 366 *seqq.* *Ranke* IV. 299 *seqq.*

3) *Io. a Lasco, qui tum temporis Emdae in Frisia degebat.*
4) *Conf.* Iust. Ionas und Mich. Coelius Bericht von chr. Abschied D. Luthers. Wittb. 1546. *Melanchthon, ad auditorium scholae Witteb.* (*Corp. Ref.* VI. *p.* 58) *Seckendorf* III. 633. *Sleidan.* II. 431. *Meurer*, Luthers Leben nach d. Quellen *Dr.* 1852, *p.* 749 *ss.*
5) *Agit de iis quae acta sunt Idibus Ianuarii, de quibus vide Sarpi p.* 252. *Pallavicini L.* VI. *c.* 5. 6. *Salig p.* 372.
6) *Imo* Faesulano. *Loquitur enim sine dubio de Bracio Martello ep. urbis Faesularum* (*Fiesole*), *quem Card. del Monte* (*postea Iulii* III.) *adversarium, Tridento removeri iubebant quovis praetextu.* (*Sarpi ed. Le Courayer* I. 300.)

Ita fit ut vix e Germania aliquis eo sit concessurus. Decreverant fastum episcoporum in ordinem cogendum esse, tam in ornatu quam mensis et familia, et quaedam id genus. Sed de doctrina, de pietate ne gry quidem. Quis non dicat eos prorsus insanire qui nugas tantum curent et, ut servator ait, culicem colent, camelos totos deglutiant. Haec volui ut rescires et *Calvinum* quoque participem faceres.

Salutavi tuo et *Calvini* nomine nostros civium magistros, qui amanter et honorifice vos resalutant. Sane rem quam gratissimam uterque fecissetis si huc venissetis. Videndum vobis erit ut piorum desiderio satisfaciatis et propter Christum et hanc ecclesiam id praestetis quod animi gratia plerique omnes faciunt, ne dicam ob amicum — — — — Neocomi 10. Aprilis 1546.

Farellus tuus totus.

788.

FARELLUS CALVINO.

Varia exponit de delectu ministrorum quibus ecclesiis prospici possit et debeat, et quae ea de re cum consule Bernensi egerit.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium. Epp. Farelli fasc. III. N. 13.)

Christi servo Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis doctissimo summae pietatis et vigilantiae

Genevae.

S. Uterque consul Bernensis de causa matrimonii cuiusdam hic fuit heri. *Neglium* [1]) conveni. Is commendabat istam [2]) ecclesiam et pastorum istic sanctum consensum, et una dissidium aliorum damnabat. Pergendum vobis est semper in ista concordia et puritate tum doctrinae tum vitae, quae augeat Christus. Ego meas egi partes nactus virum qui me ex animo audire videbatur, et demum questus sum de confoederatis, [3]) qui in contumeliam nominis Dei et magnum omnium offendiculum et ecclesiarum ruinam introducuntur et foventur ut ministrent in verbo. Regessit culpam in pastores, qui si non admisissent tales, nunquam senatus fuisset admissurus, subindicans illos in hoc esse ut magis eos obtrudant, per quos sperent gloriam propriam et autoritatem auctum iri, quam qui ecclesias bene administrant. Addebat, pro viro gravi probato et diu exercito, ut ecclesia requirit, qui *Erasmi* [4]) vices subeat, iuvenem doctum quidem sed non adeo expertum velle offerre et constituere, ne sit qui aetate aut aliis obscuret eos qui praesunt. Ego indicabam me cupere ut Ambrosius *Blaurerus* [5]) tantae daretur ecclesiae, cui, si usquam aliqua sit, consulendum est de viro numeris omnibus absoluto. Vel *Vadianum* consulendum, qui perspectos habet pastores et quo sit ecclesiae tali opus. Et demum recto ordine curandum ut sancte et per Dominum consulatur ecclesiae. Excepta fuerant omnia, dictumque fuit commonefaciendos literis, ne tantum sui curam et suae autoritatis haberent, neque adeo vererentur non tam eminere, ac parum sibi decedere ac deiici, modo ecclesiae consuleretur et Christus magis exaltaretur. Vides virum non adeo a scopo aberrare. Si quisquam hic possit, tu potes per Dominum et *Viretus*. Si *Bucerus* vicinior esset, is conferret non parum. Vulnera quae nobis inflicta fuerunt et tantum non perdiderunt ecclesias, dum non satis probi pastores nec satis officium facientes praefuerunt, nos monere debent. Tu pro dono tibi a Domino dato ages, et si quid mea possit tenuitas, indica et iube quid faciendum mihi sit, et *Viretum* hortare. *Tussanus*, qui tantum pro erigenda et instauranda ecclesia laboravit, vides ut a suis infestetur. Priusquam has exciperem, audivi aliqua quae *Guarinus* [6]) *Nicolao* nostro dixit, quae satis indicant quo is sit animo et qui cum eo faciunt. Nostra haec sunt hic exercitia quibus nos Dominus exercere vult. Quies nobis alibi speranda, ubi omnia bene habebunt. Utcunque tamen res habeant, agendae sunt Domino gratiae: nam quis sperasset ex tanta vastitate futurum, ut in hanc culturam et aedificationem aliquando veniretur? Non frangamur sed pergamus, sperantes eum qui coepit et hic tam admiranda peregit, suum opus absoluturum. Noster aromatarius venit: si conventis steterit, non possumus non stare promissis. Vale cum tua coniuge, *Coppo, Gallatio, Abelo* et caeteris piis collegis ac coniugibus sanctis. *Nicolaum* cum uxore, fratrem quoque tuum saluta. Nostri te omnes salvum optant, praecipue *Christophorus*, cui quietis vel hora una non fuit a die quo venit. Neocomi 13. Aprilis 1546. Pios senatores salvere item iube et quidquid est Christi amans. Existimo te

---

788. 1) *Io. Franc. Naegeli Bernensis, saepius consul.*
2) *Genevensem puta.*
3) *Vide an loquatur de pastoribus quibusdam ex ditione Bernensium ad Neocomenses missis.*

4) *Ritterus tum aegrotabat Cal. Aug. obiturus.*
5) *tunc temporis Constantiae verbo ministrans.*
6) *Talis aliquis laudabatur N.* 133.

accepisse quae feruntur de progressu evangelii quae ad *Viretum* scripsi ad te mittenda.

Farellus tuus totus.

789.

ZERKINTES CALVINO.

Negotium quod sibi a Senatu et Calvino commissum fuerat curasse testatur. Turbas Genevae excitatas moderatione huius sedatum iri optat et sperat.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 127.)

Pietate et eruditione excellentissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae antistiti cordatissimo domino et amico incomparabili.

S. Feci quod senatus Genevensis et tu a me petiistis.[1]) Non ego quidem ipse, sed Coppetano curatori scribaeque, quorum testes producendi subditi sunt, per literas iniunxi ut citra dilationem rem omnem curent quam diligentissime. Si quid praeterea est quod mea tenuitas pro te tuisque possit, persuasum habeto libentius quam libentissime operam me daturum, ne quid officii in me desideretur. Turbarum[2]) aliquid inter vos excitatum non sine summo dolore audio. Si, qua es animi moderatione et prudentia, mederi rei alioqui in republica perniciosissimae potes, fac omnes quaeso sciant, filios pacis esse filios Dei, te vero horum non doctorem tantum sed antesignanum (ut es) perquam conspicuum, qui vita universa eo contendat ut pax primum Christi in ecclesia, deinde civilis concordia perpetuo conservetur. Hactenus sus Minervam. At vero tua facilitas summaque animi lenitas Christi spiritu et humilitate imbuta ita haud dubie aequo animo ac in bonam partem interpretabitur. Vale. Novioduni 17. Aprilis 1546.

Tuus ex animo
Nicolaus Zerchintes.

Praeses Sabaudiae causam Regis neque per eos homines quos volebam neque eo modo agit: sed ipse viderit.

789. 1) *Quod quid fuerit nescimus. Agebatur sine dubio de causa aliqua forensi, in qua testes Bernensibus subditi citandi erant. Conicere etiam possis haec referri debere ad negotium de capitulo S. Victoris nondum penitus absolutum* (*vide Reg. du Conseil.* 8. *Martii*).

2) *Causam Petri Ameaux, nisi fallimur, innuit, in qua d.* 8. *Aprilis iudicium senatus promulgatum fuit.*

790.

CALVIN A M. DE FALAIS.

Il lui envoie l'Apologie demandée, lui recommande l'affaire du Sr. Nicolas, porteur de la présente, et ajoute une série de nouvelles sur différentes personnes.

(Autographe de la Bibl. de Genève. Vol. 194, fol. 28. Imprimé dans l'édition d'Amst. p. 49, dans les Lettres fr. I. p. 147 et en anglais T. II. p. 33.)

A Monseigneur Monsieur de Fallez.

Monseigneur, vous verrez icy ce que iay faict desirant de vous obtemperer.[1]) Ie noseroye pas me promectre quil y ait dequoy pour vous contenter. Il me suffira bien si vous avez ceste persuasion quil na pas tenu que ie neusse bon vouloir. Ie crains bien que vous ny trouviez pas ce que vous aviez attendu. Mais ce nest pas raison que ie porte la faulte du trop grant credit que ie pourrois avoir envers vous. Si ieusse este dispose de ma personne, et que ieusse eu loysir, possible est que ieusse mieulx faict. Mais puis que ces deux choses mont deffailly, ie vous prye quil vous plaise me tenir pour excuse. Il ne meust pas tant couste de remplir beaucoup plus de papier, mais ie me suis estudie a estre brief, pensant quil ny avoit rien meilleur, attendant la personne a qui lescrit sadresse. Il na pas semble advis a *Sainct Andre*[2]) quil y mancat rien, sinon que estant venu au passage de vostre retraicte,[3]) vous pourriez insister a desduire par le menu les voiages que vous feistes adoncq. Iavoye bien pense dune aultre conclusion, mais pour ce que ie ne scavois pas bonnement quelle mesure y tenir, ie lay laissee. Il sera en vostre discretion dy adiouster un article de cela, si vous le trouvez expedient. Cest quant aux biens, que vous ne luy osez faire aultre requeste, craingnant que ce ne fust poine perdue, de luy parler des biens, devant questre rentre en sa bonne grace, et aussi que cest la chose que vous desirez le plus et preferez a tout le reste. Neantmoins quil luy plaise davoir esgard a une telle maison, et qui ne se laisse pas mener par ceux qui ne cherchent que la destruire. Ie ne scay sil profiteroit a voz freres[4]) de faire mention deux. Vous y adviserez.

790. 1) *Voyez la note 7 du N.* 784 *L'apologie a dû être écrite dans la première quinzaine d'Avril.*

2) *St. André ayant eu antérieurement des rapports avec M. de Falais, Calvin lui avait communiqué son manuscrit.*

3) *Voyez notre édition T. X.* 1re *partie p.* 283.

4) *M. de Falais avait cinq freres: Jean, seigneur de Fromont, gouverneur de Namur lors de la prise de cette ville par D. Juan d'Autriche en* 1577. *Pierre, pronotaire apostolique, qui avait embrassé la Réforme, comme le précédent,*

En la fin, a mon iugement, il fauldroit aiouter une clausule, pour oster souspecon que vous y eussiez trop grant regret, declairant que pour lhonneur de Dieu vous en portez patiemment la perte, priant Dieu quil vous face tousiours sentir combien vault Iesuschrist, et les biens qui vous sont donnez par luy, affin de reputer au pris de luy toutes choses comme ordure et dommaige. Si vous deliberez dentrer en propos des biens, il me semble quil seroit bon de le coucher ainsi en brief. Ie vous ay amene lexcuse pourquoy ie ne lay pas faict.

Or, Monseigneur, iavoye arreste lhomme qui mavoit apporte vos dernieres, esperant quil seroit le messaiger pour vous porter ceste response. Mais au bout de six iours, il est survenu un affaire souldain a sire *Nicolas* present porteur.[5]) Ainsi iay renvoye laultre, luy baillant deux ieunes enfans a conduire, pource quil ne pouvoit pas si tost arriver. Il a este suffisamment admoneste, non pas tant par moy que par les aultres, de sarrester et choisir quelque maniere de vivre. Mais iappercois bien quil nest pas encor las de courir. Cela vient en partie de sa trop grande simplicite. Car il ny a pas grant sens en sa teste. Quelquun du pais qui nest gueres plus saige que luy, desia en passant luy avoit souffle en loreille que ie leusse bien peu recommander a Berne pour lintroduire a estre prescheur. Ie lay repoulse bien loing de ceste esperance. Mais il ne laisse point de vaguer. Et quant il aura approuve un conseil, incontinent apres cest a recommencer. Il men faict mal, pource que ie le trouve aultrement de bon vouloir et sans malice.

Quant a laffaire du sire *Nicolas*, le cas est tel. Il navoit moien de saulver sa somme, quen prenant la place laquelle estoit adiugee en hypotheque a un aultre creancier premier en ordre, ayant retranche quelque piece pour les frez de la iustice. Ainsi il estoit exclus, sinon quil eust prins charge de rembourser laultre. Qui pis est, celluy qui la tenoit, estoit hypotheque ailleurs, en dangier que son bien ne fust vendu, et devoit recouvrer ses interets la cessans. La piece vault richement ce que ledit *Nicolas* en baille. Le mal estoit pour luy, quil en failloit payer sept cens escus dedans Pacques, et aussi quelle luy est trop grosse. Mais la necessite faict oublier tout cela. Il est vray quil doit recevoir du sire Antoine *Sieglessen* somme pour y satisfaire, mais il craint quelle ne soit pas preste en si brief terme, pource quil aura affaire a gens sans pitie. En ceste perplexite, il a pense que si daddvanture Antoine de *Sieglessen* ne pouvoit si promptement fournir ce quil doit recevoir de luy, quil trouveroit secours envers vous pour un mois ou six sepmaines dattente, en vous asseurant sur le sire *Antoine* et sur la place, a bonne condition et equitable. Quant il men a demande conseil, ie lay prye de tenter tous moiens devant quavoir refuge a vous. Ce quil avoit bien delibere, comme il ma dict, mais que cestoit son dernier remede. Il vouloit en tout evenement vous porter lettres dasseurance sur la place. Ie nen ay point este dadvis craingnant quil ne vous semblast que ce fust occasion de long terme, luy promectant de vous certifier quil nauroit pas tenu a luy, mais a moy.

Ie vous ay bien voulu faire ce recit, Monseigneur, affin que vous fussiez adverty quil ne sest pas voulu advancer oultre son pouvoir par temerite, mais quil y a este contrainct: affin aussi que quant il ne se pourroit nullement passer de vostre secours, voiant la cause, vous fussiez plus tost induict a luy ayder. Ie vous asseure bien que rien ne sera en hazard, car lassignation est trop bonne. Et sil y avoit icy bourses, il neust pas fallu bouger de la maison. Mais le pais est tant desnue dargent que cest pitie, et aussi il luy en est plus deu a Strasbourg, quil ne luy en est de mestier. Ie nentreprens pas de vous en requerir, car ce nest pas a moy. De ce que ien ay faict pour vous oster les doubtes qui vous pourroient empescher, iespere que vous le prendrez a la bonne part et ne lattribuerez point a importunite. Ioinct que mon devoir y est, pource que iay este cause avec Monsieur *David*[6]) de lenvelopper en ceste solicitude. Car nous feismes le premier achapt en son absence pource que ledit Monsieur *David* avoit bonne devotion de ce temps la de sy mectre.

Ie croy que vous estes advertis par dela de la mort du marquis de *Guast*.[7]) On ne scait que lempereur veult faire, sinon que gens descendent de Naples vers Genes. On ne peult penser quil sen veuille aller esbattre si loing qua Argiers.[8]) Et toutefois ie croy que se tenant seur du coste de France, et laissant langlois pour amuser le Roy, ayant tout bien ordonne en Allemaigne a son profict, quil ne se feindroit point daller en Argiers.[9])

Maistre Guillaume *Farel* et maistre Pierre *Viret*

Charles mort 1582 *en Hollande, d'où l'on peut conclure qu'il était aussi protestant, enfin François et Antoine.* (*Table généalogique de l'édition d'Amsterdam.*)

5) *Le Fert, le beau-père d'Ant. Calvin* (*N.* 793). *Peut-être la lettre N.* 800 *donnera-t-elle quelques éclaircissements de plus que la présente sur cette affaire.*

6) *de Busanton.*

7) *Alphonse d'Avalos, marquis de Guasto, gouverneur du Milanais, général de Charles-Quint, défait à Cérisole en* 1544. *Voyez N.* 201. 544. *Brantôme, vies des grands Capitaines* I. 21.

8) *Alger. L'expédition de* 1541 *ayant manqué, on pouvait croire qu'il en méditait une nouvelle.*

9) *Il feignait en effet, n'importe quoi, mais ses véritables projets préparaient la guerre dite de Smalcalde.*

mont prye au passer dicy,[10]) de vous faire leurs humbles recommandations. Ilz ont este icy huict iours a ma grande consolation sinon daultant quilz mont reculle en vostre excuse. Ie suis ioieux de vostre bonne disposition, premierement pour vostre soulagement, et aussi pource que iespere quelle nous sera le moien de vous veoir. Ce pendant nous prierons Dieu quil vous veuille encor restaurer de mieulx en mieulx, combien quil ne vous fault pas attendre, no vous ne moy, destre iammais fort vaillans en ce monde.

Nous avons faict *Sainct Andre*[11]) prescheur, dequoy vous serez possible esbahy. Il ne sy attendoit pas et ie croy aussi que son couraige ny enclinoit pas du premier coup. Mais nous avons faict conscience voyant son zele et sa dexterite, de le laisser tousiours oisif. Iespere que Dieu en sera servy au profict et edification de son eglise. Il ny a pas este amene sans combat, mais congnoissant que la vocation venoit denhault, il ny a pas resiste.

Sur ce, Monseigneur, apres avoir presente les humbles recommandations tant de moy que de ma femme a vostre bonne grace et a celle de Madamoiselle, ie supplieray nostre bon Dieu de vous avoir tousiours en sa protection, vous conduisant a son honneur comme il a faict iusques icy, et se monstrant si puissant en vous quon y congnoissent tousiours le fruict de ceste belle victoire en laquelle Iesuschrist nous console. De Genefve ce 16. dapvril.

Comme iavoys achepve ces presentes, iay eu de piteuses nouvelles de la mort du bon *Diazius.*[12]) Mais il fault que les malheureux papistes monstrent de plus en plus quilz sont menez de lesperit de leur pere, qui dez le commencement a este meurtrier.

Vostre humble serviteur et frere en nostre Seigneur Iesus,

Iehan Calvin.

791.

CALVINUS VIRETO ET FARELLO.

Relatio causae in Consistorio actae contra choreas, et maxime Fabrorum familiam et Perrinum. Abdicatio Henrici de la Mare ministri. Sulzeri suspecta agendi ratio. Diazii mors.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 164. 165. Cuius apographa nulla facta sunt quia Beza maximam partem ediderat Genev. p. 64, Laus. p. 143, Hanov. p. 161, Chouet p. 84, Amsterd. p. 38. — Anglice versa legitur ex impresso T. II. p. 38. Cuius autor authenticum non inspexit.)

Fidelissimis ecclesiae Dei pastoribus Guillelmo Farello et Petro Vireto fratribus et symmystis carissimis.

A discessu vestro[1]) choreae nobis plus exhibuerunt negotii quam putaveram. Omnes ii qui interfuerant vocati ad consistorium,[2]) duobus exceptis *Corneo* et *Perrino*,[3]) impudenter Deo et nobis mentiti sunt. Excandui, ut rei indignitas postulabat, et graviter in illum Dei contemptum invectus sum, quod pro nihilo ducerent sanctas obtestationes, quibus usi fueramus, ludibrio habere. Perstiterunt in sua contumacia. Ego quum res mihi comperta esset, nihil aliud poteram quam Deum testari poenas tantae perfidiae daturos: simul tamen denunciavi, me vel propriae vitae dispendio facturum, ut veritas patefieret, ne quid se lucrifecisse mentiendo putarent. *Francisca* etiam *Perrini* graviter conviciata est nobis, quod adeo infesti essemus *Fabris*.[4]) Respondi ut visum fuit atque ut merebatur. Rogavi numquid sacrosancta esset domus, numquid legibus soluta? Patrem enim iam unius adulterii convictum tenebamus:[5]) alterius probatio prope ad manum erat: de tertio magnus erat rumor: frater senatum et nos palam contempserat ac deriserat:[6]) tandem adieci fabricandam illis esse novam urbem, in qua seorsum viverent, nisi vellent nobiscum hic sub Christi iugo contineri:[7]) quamdiu Genevae

---

10) *Voyez la lettre suivante.*

11) *Les Registres du Conseil constatent qu'il fut nommé ministre à Moing le* 12. *Avril.*

12) *Voyez N.* 791.

791. 1) *Initio mensis ambo Genevae fuerunt honorifice a senatu excepti.* (*Reg. du Conseil.*)

2) *mense Martio apud Ant. Lect. in Bellerive plures utriusque sexus nobiliore loco nati saltando se oblectarant, de quibus consistorium sine mora inquirebat.* (*Reg. du Consistoire* 8. *April. et seqq.*)

3) *Amblard Corne Syndicus et Consistorii praeses et Am. Perrin, capitaneus generalis et senator, uterque Calvino coniunctus illis choreis interfuerant et admonitionem modeste acceperunt a Consistorio iis irrogatam. Alii inter quos Iac. Gruet et Petr. Moche mendaciis se extricare conati sunt.*

4) *Francisca Favre, Perrini uxor, Francisci Favre viri consularis filia, ferocis ingenii femina et maxime Calvino infensa, cui dixit hac occasione:* Méchant homme vous voulez boire le sang de notre famille, mais vous sortirez de Genève avant nous. *Gaberel, hist. de l'égl. de G.* I. 380. *Galiffe, quelques pages d'hist. etc. p.* 6.

5) *Franc. Favre mense Martio accusatus fuit* d'avoir commis paillardise avec une fille qui s'estoit retiree riere Gex. (*scil. iam a.* 1531) *Galiffe, l. l. p.* 93. *Bonivard, anc. et nouvelle police de G.* 1865, *p.* 69).

6) *Gaspar Favre, quem dixisse ferebant, si quando syndicus constitutus foret se lupanaria in urbe restauraturum.* (*Reg. du Consist.* 4. *Mart.* 17. *Iun. Reg. du Conseil* 18. *Iun. Gaberel. p.* 382.)

7) *Edd.* nisi vellent a nobis hic sub iugo Christi contineri.

En la fin, a mon iugement, il fauldroit aiouter une clausule, pour oster souspecon que vous y eussiez trop grant regret, declairant que pour lhonneur de Dieu vous en portez patiemment la perte, priant Dieu quil vous face tousiours sentir combien vault Iesuschrist, et les biens qui vous sont donnez par luy, affin de reputer au pris de luy toutes choses comme ordure et dommaige. Si vous deliberez dentrer en propos des biens, il me semble quil seroit bon de le coucher ainsi en brief. Ie vous ay amene lexcuse pourquoy ie ne lay pas faict.

Or, Monseigneur, iavoye arreste lhomme qui mavoit apporte vos dernieres, esperant quil seroit le messaiger pour vous porter ceste response. Mais au bout de six iours, il est survenu un affaire souldain a sire *Nicolas* present porteur.[5] Ainsi iay renvoye laultre, luy baillant deux ieunes enfans a conduire, pource quil ne pouvoit pas si tost arriver. Il a este suffisamment admoneste, non pas tant par moy que par les aultres, de sarrester et choisir quelque maniere de vivre. Mais iappercois bien quil nest pas encor las de courir. Cela vient en partie de sa trop grande simplicite. Car il ny a pas grant sens en sa teste. Quelquun du pais qui nest gueres plus saige que luy, desia en passant luy avoit souffle en loreille que ie leusse bien peu recommander a Berne pour lintroduire a estre prescheur. Ie lay repoulse bien loing de ceste esperance. Mais il ne laisse point de vaguer. Et quant il aura approuve un conseil, incontinent apres cest a recommencer. Il men faict mal, pource que ie le trouve aultrement de bon vouloir et sans malice.

Quant a laffaire du sire *Nicolas*, le cas est tel. Il navoit moien de saulver sa somme, quen prenant la place laquelle estoit adiugee en hypotheque a un aultre creancier premier en ordre, ayant retranche quelque piece pour les frez de la iustice. Ainsi il estoit exclus, sinon quil eust prins charge de rembourser laultre. Qui pis est, celluy qui la tenoit, estoit hypotheque ailleurs, en dangier que son bien ne fust vendu, et devoit recouvrer ses interets la cessite. La piece vault richement ce que ledit *Nicolas* en baille. Le mal estoit pour luy, quil en failloit payer sept cens escus dedans Pacques, et aussi quelle luy est trop grosse. Mais la necessite faict oublier tout cela. Il est vray quil doit recevoir du sire Antoine *Sieglessen* somme pour y satisfaire, mais il craint quelle ne soit pas preste en si brief terme, pource quil aura affaire a gens sans pitie. En ceste perplexite, il a pense que si dadvanture Antoine de *Sieglessen* ne pouvoit si promptement fournir ce quil doit recevoir de luy, quil trouveroit secours envers vous pour un mois ou six sepmaines dattente, en vous asseurant sur le sire *Antoine* et sur la place, a bonne condition et equitable. Quant il men a demande conseil, ie lay prye de tenter tous moiens devant quavoir refuge a vous. Ce quil avoit bien delibere, comme il ma dict, mais que cestoit son dernier remede. Il vouloit en tout evenement vous porter lettres dasseurance sur la place. Ie nen ay point este dadvis craingnant quil ne vous semblast que ce fust occasion de long terme, luy promectant de vous certifier quil nauroit pas tenu a luy, mais a moy.

Ie vous ay bien voulu faire ce recit, Monseigneur, affin que vous fussiez adverty quil ne sest pas voulu advancer oultre son pouvoir par temerite, mais quil y a este contrainct: affin aussi que quant il ne se pourroit nullement passer de vostre secours, voiant la cause, vous fussiez plus tost induict a luy ayder. Ie vous asseure bien que rien ne sera en hazard, car lassignation est trop bonne. Et sil y avoit icy bourses, il neust pas fallu bouger de la maison. Mais le pais est tant desnue dargent que cest pitie, et aussi il luy en est plus deu a Strasbourg, quil ne luy en est de mestier. Ie nentreprens pas de vous en requerir, car ce nest pas a moy. De ce que ien ay faict pour vous oster les doubtes qui vous pourroient empescher, iespere que vous le prendrez a la bonne part et ne lattribuerez point a importunite. Ioinct que mon devoir y est, pource que iay este cause avec Monsieur *David*[6] de lenvelopper en ceste solicitude. Car nous feismes le premier achapt en son absence pource que ledit Monsieur *David* avoit bonne devotion de ce temps la de sy mectre.

Ie croy que vous estes advertis par dela de la mort du marquis de *Guast.*[7] On ne scait que lempereur veult faire, sinon que gens descendent de Naples vers Genes. On ne peult penser quil sen veuille aller esbattre si loing qua Argiers.[8] Et toutefois ie croy que se tenant seur du coste de France, et laissant langlois pour amuser le Roy, ayant tout bien ordonne en Allemaigne a son profict, quil ne se feindroit point daller en Argiers.[9]

Maistre Guillaume *Farel* et maistre Pierre *Viret*

Charles mort 1582 *en Hollande*, *d'où l'on peut conclure qu'il était aussi protestant, enfin François et Antoine.* (*Table généalogique de l'édition d'Amsterdam.*)

5) *Le Fert, le beau-père d'Ant. Calvin* (N. 793). *Peut-être la lettre N.* 800 *donnera-t-elle quelques éclaircissements de plus que la présente sur cette affaire.*

6) *de Busanton.*

7) *Alphonse d'Avalos, marquis de Guasto, gouverneur du Milanais, général de Charles-Quint, défait à Cérisole en* 1544. *Voyez N.* 201. 544. *Brantôme, vies des grands Capitaines* I. 21.

8) *Alger. L'expédition de* 1541 *ayant manqué, on pouvait croire qu'il en méditait une nouvelle.*

9) *Il feignait en effet, n'importe quoi, mais ses véritables projets préparaient la guerre dite de Smalcalde.*

mont prye au passer dicy,[10]) de vous faire leurs humbles recommandations. Ilz ont este icy huict iours a ma grande consolation sinon daultant quilz mont reculle en vostre excuse. Ie suis ioieux de vostre bonne disposition, premierement pour vostre soulagement, et aussi pource que iespere quelle nous sera le moien de vous veoir. Ce pendant nous prierons Dieu quil vous veuille encor restaurer de mieulx en mieulx, combien quil ne vous fault pas attendre, ne vous ne moy, destre iammais fort vaillans en ce monde.

Nous avons faict *Sainct Andre*[11]) prescheur, dequoy vous serez possible esbahy. Il ne sy attendoit pas et ie croy aussi que son couraige ny enclinoit pas du premier coup. Mais nous avons faict conscience voyant son zele et sa dexterite, de le laisser tousiours oisif. Iespere que Dieu en sera servy au profict et edification de son eglise. Il ny a pas este amene sans combat, mais congnoissant que la vocation venoit denhault, il ny a pas resiste.

Sur ce, Monseigneur, apres avoir presente les humbles recommandations tant de moy que de ma femme a vostre bonne grace et a celle de Madamoiselle, ie supplieray nostre bon Dieu de vous avoir tousiours en sa protection, vous conduisant a son honneur comme il a faict iusques icy, et se monstrant si puissant en vous quon y congnoissent tousiours le fruict de ceste belle victoire en laquelle Iesuschrist nous console. De Genefve ce 16. dapvril.

Comme iavoys achepve ces presentes, iay eu de piteuses nouvelles de la mort du bon *Diazius.*[12]) Mais il fault que les malheureux papistes monstrent de plus en plus quilz sont menez de lesperit de leur pere, qui dez le commencement a este meurtrier.

Vostre humble serviteur et frere en nostre Seigneur Iesus,

Iehan Calvin.

791.

CALVINUS VIRETO ET FARELLO.

Relatio causae in Consistorio actae contra choreas, et maxime Fabrorum familiam et Perrinum. Abdicatio Henrici de la Mare ministri. Sulzeri suspecta agendi ratio. Diazii mors.

10) *Voyez la lettre suivante.*
11) *Les Registres du Conseil constatent qu'il fut nommé ministre à Moing le* 12. *Avril.*
12) *Voyez N.* 791.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 164. 165. Cuius apographa nulla facta sunt quia Beza maximam partem desiderat Genev. p. 64, Laus. p. 143, Hanov. p. 161, Chouet p. 84, Amsterd. p. 38. — Anglice versa legitur ex impresso T. II. p. 38. Cuius autor authenticum non inspexit.)

Fidelissimis ecclesiae Dei pastoribus Guillelmo Farello et Petro Vireto fratribus et symmystis carissimis.

A discessu vestro[1]) choreae nobis plus exhibuerunt negotii quam putaveram. Omnes ii qui interfuerant vocati ad consistorium,[2]) duobus exceptis *Corneo* et *Perrino,*[3]) impudenter Deo et nobis mentiti sunt. Excandui, ut rei indignitas postulabat, et graviter in illum Dei contemptum invectus sum, quod pro nihilo ducerent sanctas obtestationes, quibus usi fueramus, ludibrio habere. Perstiterunt in sua contumacia. Ego quum res mihi comperta esset, nihil aliud poteram quam Deum testari poenas tantae perfidiae daturos: simul tamen denunciavi, me vel propriae vitae dispendio facturum, ut veritas patefieret, ne quid se lucrifecisse mentiendo putarent. *Francisca* etiam *Perrini* graviter conviciata est nobis, quod adeo infesti essemus *Fabris.*[4]) Respondi ut visum fuit atque ut merebatur. Rogavi numquid sacrosancta esset domus, numquid legibus soluta? Patrem enim iam unius adulterii convictum tenebamus:[5]) alterius probatio prope ad manum erat: de tertio magnus erat rumor: frater senatum et nos palam contempserat ac deriserat:[6]) tandem adieci fabricandam illis esse novam urbem, in qua seorsum viverent, nisi vellent nobiscum hic sub Christi iugo contineri:[7]) quamdiu Genevae

791. 1) *Initio mensis ambo Genevae fuerunt honorifice a senatu excepti.* (*Reg. du Conseil.*)
2) *mense Martio apud Ant. Lect. in Bellerive plures utriusque sexus nobiliore loco nati saltando se oblectarant, de quibus consistorium sine mora inquirebat.* (*Reg. du Consistoire* 8. *April. et seqq.*)
3) *Amblard Corne Syndicus et Consistorii praeses et Am. Perrin, capitaneus generalis et senator, uterque Calvino coniunctus illis choreis interfuerant et admonitionem modeste acceperunt a Consistorio iis irrogatam. Alii inter quos Iac. Gruet et Petr. Moche mendaciis se extricare conati sunt.*
4) *Francisca Favre, Perrini uxor, Francisci Favre viri consularis filia, ferocis ingenii femina et maxime Calvino infensa, cui dixit hac occasione:* Méchant homme vous voulez boire le sang de notre famille, mais vous sortirez de Genève avant nous. *Gaberel, hist. de l'égl. de G.* I. 380. *Galiffe, quelques pages d'hist. etc. p.* 6.
5) *Franc. Favre mense Martio accusatus fuit* d'avoir commis paillardise avec une fille qui s'estoit retiree riere Gex. (*scil. iam a.* 1531) *Galiffe, l. l. p.* 93. *Bonivard, anc. et nouvelle police de G.* 1865, *p.* 69).
6) *Gaspar Favre, quem dixisse ferebant, si quando syndicus constitutus foret se lupanaria in urbe restauraturum.* (*Reg. du Consist.* 4. *Mart.* 17. *Iun. Reg. du Conseil* 18. *Iun. Gaberel. p.* 382.)
7) *Edd.* nisi vellent a nobis hic sub iugo Christi contineri.

En la fin, a mon iugement, il fauldroit aiouter une clausule, pour oster souspecon que vous y eussiez trop grant regret, declairant que pour lhonneur de Dieu vous en portez patiemment la perte, priant Dieu quil vous face tousiours sentir combien vault Iesuschrist, et les biens qui vous sont donnez par luy, affin de reputer au pris de luy toutes choses comme ordure et dommaige. Si vous deliberez dentrer en propos des biens, il me semble quil seroit bon de le coucher ainsi en brief. Ie vous ay amene lexcuse pourquoy ie ne lay pas faict.

Or, Monseigneur, iavoye arreste lhomme qui mavoit apporte vos dernieres, esperant quil seroit le messaiger pour vous porter ceste response. Mais au bout de six iours, il est survenu un affaire souldain a sire *Nicolas* present porteur.[5]) Ainsi iay renvoye laultre, luy baillant deux ieunes enfans a conduire, pource quil ne pouvoit pas si tost arriver. Il a este suffisamment admoneste, non pas tant par moy que par les aultres, de sarrester et choisir quelque maniere de vivre. Mais iappercois bien quil nest pas encor las de courir. Cela vient en partie de sa trop grande simplicite. Car il ny a pas grant sens en sa teste. Quelquun du pais qui nest gueres plus saige que luy, desia en passant luy avoit souffle en loreille que ie leusse bien peu recommander a Berne pour lintroduire a estre prescheur. Ie lay repoulse bien loing de ceste esperance. Mais il ne laisse point de vaguer. Et quant il aura approuve un conseil, incontinent apres cest a recommencer. Il men faict mal, pource que ie le trouve aultrement de bon vouloir et sans malice.

Quant a laffaire du sire *Nicolas*, le cas est tel. Il navoit moien de saulver sa somme, quen prenant la place laquelle estoit adiugee en hypotheque a un aultre creancier premier en ordre, ayant retranche quelque piece pour les frez de la iustice. Ainsi il estoit exclus, sinon quil eust prins charge de rembourser laultre. Qui pis est, celluy qui la tenoit, estoit hypotheque ailleurs, en dangier que son bien ne fust vendu, et devoit recouvrer ses interets la cession. La piece vault richement ce que ledit *Nicolas* en baille. Le mal estoit pour luy, quil en failloit payer sept cens escus dedans Pacques, et aussi quelle luy est trop grosse. Mais la necessite faict oublier tout cela. Il est vray quil doit recevoir du sire Antoine *Sieglessen* somme pour y satisfaire, mais il craint quelle ne soit pas preste en si brief terme, pource quil aura affaire a gens sans pitie. En ceste perplexite, il a pense que si dadvanture Antoine de *Sieglessen* ne pouvoit si promptement fournir ce quil doit recevoir de luy, quil trouveroit secours envers vous pour un mois ou six sepmaines dattente, en vous asseurant sur le sire *Antoine* et sur la place, a bonne condition et equitable. Quant il men a demande conseil, ie lay prye de tenter tous moiens devant quavoir refuge a vous. Ce quil avoit bien delibere, comme il ma dict, mais que cestoit son dernier remede. Il vouloit en tout evenement vous porter lettres dasseurance sur la place. Ie nen ay point este dadvis craingnant quil ne vous semblast que ce fust occasion de long terme, luy promectant de vous certifier quil nauroit pas tenu a luy, mais a moy.

Ie vous ay bien voulu faire ce recit, Monseigneur, affin que vous fussiez adverty quil ne sest pas voulu advancer oultre son pouvoir par temerite, mais quil y a este contrainct: affin aussi que quant il ne se pourroit nullement passer de vostre secours, voiant la cause, vous fussiez plus tost induict a luy ayder. Ie vous asseure bien que rien ne sera en hazard, car lassignation est trop bonne. Et sil y avoit icy bourses, il neust pas fallu bouger de la maison. Mais le pais est tant desnue dargent que cest pitie, et aussi il luy en est plus deu a Strasbourg, quil ne luy en est de mestier. Ie nentreprens pas de vous en requerir, car ce nest pas a moy. De ce que ien ay faict pour vous oster les doubtes qui vous pourroient empescher, iespere que vous le prendrez a la bonne part et ne lattribuerez point a importunite. Ioinct que mon devoir y est, pource que iay este cause avec Monsieur *David*[6]) de lenvelopper en ceste solicitude. Car nous feismes le premier achapt en son absence pource que ledit Monsieur *David* avoit bonne devotion de ce temps la de sy mectre.

Ie croy que vous estes advertis par dela de la mort du marquis de *Guast*.[7]) On ne scait que lempereur veult faire, sinon que gens descendent de Naples vers Genes. On ne peult penser quil sen veuille aller esbattre si loing qua Argiers.[8]) Et toutefois ie croy que se tenant seur du coste de France, et laissant langlois pour amuser le Roy, ayant tout bien ordonne en Allemaigne a son profict, quil ne se feindroit point daller en Argiers.[9])

Maistre Guillaume *Farel* et maistre Pierre *Viret*

Charles mort 1582 *en Hollande, d'où l'on peut conclure qu'il était aussi protestant, enfin François et Antoine.* (*Table généalogique de l'édition d'Amsterdam.*)

5) *Le Fert, le beau-père d'Ant. Calvin* (*N.* 793). *Peut-être la lettre N.* 800 *donnera-t-elle quelques éclaircissements de plus que la présente sur cette affaire.*

6) *de Busanton.*

7) *Alphonse d'Avalos, marquis de Guasto, gouverneur du Milanais, général de Charles-Quint, défait à Cérisole en* 1544. *Voyez N.* 201. 544. *Brantôme, vies des grands Capitaines* I. 21.

8) *Alger. L'expédition de* 1541 *ayant manqué, on pouvait croire qu'il en méditait une nouvelle.*

9) *Il feignait en effet, n'importe quoi, mais ses véritables projets préparaient la guerre dite de Smalcalde.*

mont prye au passer dicy, [10]) de vous faire leurs humbles recommandations. Ilz ont este icy huict iours a ma grande consolation sinon daultant quilz mont reculle en vostre excuse. Ie suis ioieux de vostre bonne disposition, premierement pour vostre soulagement, et aussi pource que iespere quelle nous sera le moien de vous veoir. Ce pendant nous prierons Dieu quil vous veuille encor restaurer de mieulx en mieulx, combien quil ne vous fault pas attendre, ne vous ne moy, destre iammais fort vaillans en ce monde.

Nous avons faict *Sainct Andre* [11]) prescheur, dequoy vous serez possible esbahy. Il ne sy attendoit pas et ie croy aussi que son couraige ny enclinoit pas du premier coup. Mais nous avons faict conscience voyant son zele et sa dexterite, de le laisser tousiours oisif. Iespere que Dieu en sera servy au proffict et edification de son eglise. Il ny a pas este amene sans combat, mais congnoissant que la vocation venoit denhault, il ny a pas resiste.

Sur ce, Monseigneur, apres avoir presente les humbles recommandations tant de moy que de ma femme a vostre bonne grace et a celle de Madamoiselle, ie supplieray nostre bon Dieu de vous avoir tousiours en sa protection, vous conduisant a son honneur comme il a faict iusques icy, et se monstrant si puissant en vous quon y congnoissent tousiours le fruict de ceste belle victoire en laquelle Iesuschrist nous console. De Genefve ce 16. dapvril.

Comme iavoys achepve ces presentes, iay eu de piteuses nouvelles de la mort du bon *Diazius.* [12]) Mais il fault que les malheureux papistes monstrent de plus en plus quilz sont menez de lesperit de leur pere, qui dez le commencement a este meurtrier.

Vostre humble serviteur et frere en nostre Seigneur Iesus,

Iehan Calvin.

791.

CALVINUS VIRETO ET FARELLO.

Relatio causae in Consistorio actae contra choreas, et maxime Fabrorum familiam et Perrinum. Abdicatio Henrici de la Mare ministri. Sulzeri suspecta agendi ratio. Diasii mors.

10) *Voyez la lettre suivante.*
11) *Les Registres du Conseil constatent qu'il fut nommé ministre à Moing le* 12. *Avril.*
12) *Voyez N.* 791.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 164. 165. Cuius apographa nulla facta sunt quia Beza maximam partem ediderat Genev. p. 64, Laus. p. 143, Hanov. p. 161, Chouet p. 84, Amsterd. p. 38. — Anglice versa legitur ex impresso T. II. p. 38. Cuius autor authenticum non inspexit.)

Fidelissimis ecclesiae Dei pastoribus Guillelmo Farello et Petro Vireto fratribus et symmystis carissimis.

A discessu vestro [1]) choreae nobis plus exhibuerunt negotii quam putaveram. Omnes ii qui interfuerant vocati ad consistorium, [2]) duobus exceptis *Corneo* et *Perrino,* [3]) impudenter Deo et nobis mentiti sunt. Excandui, ut rei indignitas postulabat, et graviter in illum Dei contemptum invectus sum, quod pro nihilo ducerent sanctas obtestationes, quibus usi fueramus, ludibrio habere. Perstiterunt in sua contumacia. Ego quum res mihi comperta esset, nihil aliud poteram quam Deum testari poenas tantae perfidiae daturos: simul tamen denunciavi, me vel propriae vitae dispendio facturum, ut veritas patefieret, ne quid se lucrifecisse mentiendo putarent. *Francisca* etiam *Perrini* graviter conviciata est nobis, quod adeo infesti essemus *Fabris.* [4]) Respondi ut visum fuit atque ut merebatur. Rogavi numquid sacrosancta esset domus, numquid legibus soluta? Patrem enim iam unius adulterii convictum tenebamus: [5]) alterius probatio prope ad manum erat: de tertio magnus erat rumor: frater senatum et nos palam contempserat ac deriserat: [6]) tandem adieci fabricandam illis esse novam urbem, in qua seorsum viverent, nisi vellent nobiscum hic sub Christi iugo contineri: [7]) quamdiu Genevae

791\. 1) *Initio mensis ambo Genevae fuerunt honorifice a senatu excepti.* (*Reg. du Conseil.*)
2) *mense Martio apud Ant. Lect. in Bellerive plures utriusque sexus nobiliore loco nati saltando se oblectarant, de quibus consistorium sine mora inquirebat.* (*Reg. du Consistoire* 8. *April. et seqq.*)
3) *Amblard Corne Syndicus et Consistorii praeses et Am. Perrin, capitaneus generalis et senator, uterque Calvino coniunctus illis choreis interfuerant et admonitionem modeste acceperunt a Consistorio iis irrogatam. Alii inter quos Iac. Gruet et Petr. Moche mendaciis se extricare conati sunt.*
4) *Francisca Favre, Perrini uxor, Francisci Favre viri consularis filia, ferocis ingenii femina et maxime Calvino infensa, cui dixit hac occasione:* Méchant homme vous voulez boire le sang de notre famille, mais vous sortirez de Genève avant nous. *Gaberel, hist. de l'égl. de G.* I. 380. *Galiffe, quelques pages d'hist. etc. p.* 6.
5) *Franc. Favre mense Martio accusatus fuit* d'avoir commis paillardise avec une fille qui s'estoit retiree riere Gex. (*scil. iam a.* 1531) *Galiffe, l. l. p.* 93. *Bonivard, anc. et nouvelle police de G.* 1865, *p.* 69).
6) *Gaspar Favre, quem dixisse ferebant, si quando syndicus constitutus foret se lupanaria in urbe restauraturum.* (*Reg. du Consist.* 4. *Mart.* 17. *Iun. Reg. du Conseil* 18. *Iun. Gaberel. p.* 382.)
7) *Edd.* nisi vellent a nobis hic sub iugo Christi contineri.

essent, eos frustra niti, ne legibus parerent. Nam si tot essent diademata in domo *Fabrorum*, quot sunt rabiosa capita, id non fore impedimento quin Dominus foret superior. Maritus Lugdunum interea concesserat, sperans rem tacite sepultum iri. Censui, ut iureiurando ad veri confessionem adigerentur. *Corneus* illos monuit, se nequaquam passurum ut peierarent. Non modo confessi sunt quod volebamus, sed se eo die saltasse apud *Balthasaris* viduam.[8]) Omnes in carcerem coniecti: syndicus insigne moderationis exemplum fuit.[9]) Nam in se et totum gregem severius est concionatus, quam ut oportuerit cum eo multa verba facere. Admonitus tamen graviter fuit in consistorio loco suo deiectus donec poenitentiae testimonium edidisset. *Perrinum* Lugduno reversum aiunt: quidquid agat, poenam non effugiet.[10])

Henrichus abdicatus fuit nobis consentientibus:[11]) illic altercatio incidit non illepida. Confessus fuerat verum esse quidquid a testibus scriptum fuerat. Interim confugiebat ad illud praesidium: Adversus presbyterum accusationem ne admittas, nisi sub duobus aut tribus testibus. Rogavi, cuiusnam esset sententia haec: Ex ore tuo te iudico, serve nequam. Iam enim causam in testium fide non consistere, sed in eius confessione. Quum testes adhuc repudiaret, dilemmate institi: Aut veram esse eius confessionem, aut falsam: si vera esset, nihil amplius haesitandum esse; sin falsa, eum teneri reum periurii, quod iuratus aliter dixisset quam res habebat. Eo usque prorupit, ut diceret se falso et nequiter loquutum esse. Quum iniquum esse diceret ab eo se premi, qui deberet eum defendere, rogavi quonam iure illi obstrictus essem ad malam causam tuendam: nunquam enim me iurasse in factionem Franciscanam.[12]) Multa eiusmodi[13]) ultro citroque dicta fuerunt, sed ita ut probro et odio omnium plenus discesserit. Abdicatus ministerio, simul retrusus fuit in carcerem: unde tamen triduo post fuit liberatus. Illic strenuus fuit saltationum patronus: et quoad potuit exacerbavit in me eorum odia, qui iam ante plus satis erant alienati. Verum quidquid per eius similes moliatur Satan, exemplum valde proderit. Duo enim iam vulgo dicuntur, nullam spem esse impunitatis quum primariis non parcatur, et me nihilo magis amicis quam alienis favere. *Perrinus* cum uxore fremit in carcere: vidua prorsus insanit: alii pudore confusi silent.

Iam venio ad tuas literas, *Virete*. Nihil novi si gallicana ecclesia quae Argentinae est ineptit. Ego tamen admonui per *Nicolaum*[14]) columnas ut posthac sibi temperare discant. Est illic indoctus monachus qui sibi multum placet. Alii aut nihil iudicant, aut non curant. Sed vobis erit expedita ratio, si hominem diligenter observetis. Mox enim se prodet. Quod si propius congrediendum erit, rogate quonam literas tulerit quas a nostro collegio ad vestrum petierat. Neque enim ferendum est ut literas suo rogatu scriptas ad unam classem supprimat vel intercipiat pro sua libidine. Si videbitur, fac ut fratres postulent nostrum testimonium, et me tribus verbis admone quid velis. Erit enim absurdum si anticipem. Quanquam non dubito quin vobis suppeditet largam materiam si fuerit observatus.

De conterraneo meo sequere quidquid fratres decreverint. Nisi forte mitigandae illius odiosae de eucharistia quaestionis inventa fuerit commoda ratio. In aliis coerceatur tanta importunitas. *Sulzerus*[15]) agit suo more. Ambitiose omnia. Proinde in illius gratiam ne pilum quidem a sententia dimoveri te velim. Semper enim ludibrio erimus improbis, si ad eorum arbitrium flectamur qui ad quamlibet auram nutant.

Divino aliqua ex parte quid voluerit *Piochetus*.[16]) Putat enim tibi concreditum esse quod apud eum Christus deposuit, ut si otiosum iacere sinas rationem sis redditurus. Literas tamen non indignas responsione existimat. Nam *Copus* mihi retulit eum exspectare quid nam sis ad haec rescripturus.

Diazius Hispanus,[17]) quem apud *Gallasium* hic vidisti, *Virete*, et qui Neocomo in Germaniam proficiscens transierat cum duobus *Senarcleniis*, crudelissime fuit interfectus. Quum Caesar appropinquare diceretur, Neoburgum se contulerat, quod oppidum est

---

8) *Balth. Sept., Michaelis filius, a Calvini partibus steterat.* (*Galiffe, l. l. p.* 86.)

9) Ledit Sr. Sindique a respondu en remerciant les bonnes ammonicions tant selon Dieu que selon les editz des Seigneurs. (*Reg. du Consist.* 15. *Avril.*)

10) *Qui et ipse d.* 13. *Maii in Consistorio exemplum Cornei sequutus est. Galiffe p.* 6. *Gaberel p.* 384. *Caeterum haec vix ac ne vix quidem conciliari possunt cum iis quae infra dicit de Perrino in carcere fremente.*

11) *H. de la Mare, minister in vico Jussy, dimissus fuit d.* 15. *Aprilis.* (*Galiff. p.* 38 *seqq. Gaberel* I. 360.)

12) *Id est Gallorum eorumque patronorum* (*Guillermins, Francillons*).

13) *Pro*: eiusmodi *edd. praebent:* homini.

14) *eundem scil. qui epistolam praecedentem ad Fallesium asportaverat.*

15) *Iam pridem hic Nostro et Vireto suspectus erat, utpote non ὀρθοποδῶν πρὸς τὴν ἀλήθειαν. Senatus scil. Bernensis illo tempore omnes ministros iureiurando adegit ut legibus ecclesiasticis ab ipso latis se subiicerent simul articulis synodi Bernensis et disputationis Lausannensis subscriberent. Cuius decreti inter alios Sulserus in agro Vadensi exsequendi officium in se recepit (mense Maio) v. Ruchat.* V. 303. *Hundeshagen p.* 200 *seq.*

16) *De hoc non habemus quid dicamus nisi quod ex ep. proxime sequente eliciendum est* (794).

17) *Interfectus est d.* 27. *Martii cf.* Historia vera de morte Io. Diazii *etc.* per Cl. Senarcleum c. praef. M. Buceri. 1546 (*etiam germ.*). *De quo libro v. Schelhorn, Ergötzl.* III. 862. *Cf. etiam Sleidan.* II. 435. *Seckendorf.* III. 652 *etc.*

sub ditione *Othonis Henrici.* Inde ad me scripserat 13. Martii. Fratrem habebat Romae nomine *Alphonsum*, qui data opera illuc venit, ut pium virum tolleret e medio. Colloquuti sunt aliquot diebus. Quum *Ioannes* nihil se proficere intelligeret, *Alphonsum* reliquit. Hic simulans aliquid sibi excidisse, famulum mittit qui fratrem revocet ac in itinere interficiat. [18]) Subsequutus est paulo post. De caede perpetrata fidem non habuit famulo, donec cadaver spectasset ipse. Tum equis celeribus in comitatum Tirolensem se proripuit. Dux *Otho* praefectum palatii misit, qui ad supplicium eum postularet. Nisi *Ferdinandus* humana omnia divinaque miscere volet, necesse est tam indignum et abominandum facinus vindicet. Nam praefectus in carcerem se una dedit.

Valete fratres carissimi. Dominus Iesus vos semper tueatur. Salutate amicos omnes. Tu *Farelle*, plurimam salutem dices civium magistris. Utinam aliquando istuc adrepere quoquomodo liceat. Nostri omnes vos salutant. [19])

Ioannes Calvinus vester.

Ubi perlegeris has literas, [20]) optarim huc abs te remitti, quoniam iis mihi erit opus in negotio nostri Carmelitae. [21]) De *Deotheo* [22]) nihildum contulimus. Vix vobis dari poterit. Sum Bernam iturus cum *Francisco* Viviacensi proxima hebdomade. Si mihi licet, per vos iter faciam. Vereor tamen ne non possim. Saluta civium magistros, symmystas, et reliquos amicos meo nomine. Vale 21. Aprilis Laus. 1546.

Tuus P. Viretus.

Mitto ad te meas ad *Tossanum* literas resignatas ut eas legas, deinde obsignes, cum *Calvini* literis.

---

18) *Edd. habent:* ac domi interficiat. Subsequutus est domum usque.

19) *Epistolam hanc post* 15. *April. et ante* 20. *scriptam esse ex plurimis quae in ea attinguntur patet, item ex postscripto Vireti. Absunt ab impressis tria illa commata quae incipiunt a verbis:* Iam venio ad tuas literas, *usque ad:* haec rescripturus. *Plura alia ibidem variata negleximus. Quae hinc sequuntur in edd. non leguntur.*

20) *Post-scriptum Vireti ad Farellum, ad quem nempe haec illi per illius manus pervenire debebat.*

21) *an illius de quo N.* 395. 726. 730*? si revera hic unus idemque. An illius quem supra indoctum monachum Calvinus dixerat?*

22) *ludimagistro Lausannensi.*

792.

CALVINUS PERRINO.

Persuadere illi conatur ut consistorii iurisdictionem agnoscat et castigationi se submittat, et suam ipsius in officio firmitatem et constantiam flecti nesciam praedicat.

(Manu scripta non exstat. Ex gallico versam Beza edidit Genev. p. 88, Laus. p. 170, Hanov. p. 191, Chouet p. 117, Amst. p. 53. Anglice versa legitur T. II. p. 42.)

Lubenter te convenissem, D. Capitanee, [1]) nisi aliter expedire mihi visum esset: causam suo tempore et loco audire ex me licebit. Optassem vero ut te stitisses consistorio, quo aliis exemplo praeires. Quum in eo aliquid desideratum sit, quod tu fortasse admonitus non esses, optassem saltem te ad extremam concionem adesse hodie, ut illic syndicus *Corneus* et ego tecum ageremus. Unde steterit non video: illud vero te existimare volo, non posse nos uti pondere ac pondere, atque impari bilance: et si in iure aequabilitas retinenda est, non potest sane in ecclesia Dei inaequabilitas tolerari. Quis sim aut ipse scis, aut scire saltem debes: is nempe cui ita cordi sit ius coelestis heri, ut ab illo recta conscientia asserendo nullius mortalis causa dimovendus sim. Alio te spectare ipse non sentio: sed illud adverto, in sua causa parum oculatum quemque esse. Quantum ad me attinet, in hoc quidem negotio non tantum ecclesiae aedificationi et saluti tuae, sed etiam commodo tuo, nomini et otio consultum cupio. Quam enim odiosum erit quod in te redundaturum est, quasi a iure communi, quo nemo non tenetur, liber et solutus esses. Praestat vero pro meo in te studio periculum praevertere, quam ut illa tibi nota infligatur: sane audivi quod ex domo tua prodierit, caverem videlicet, ne ignem sopitum excitarem, ne perinde mihi atque ante annum septimum hoc cedat. Sed nullius sunt momenti voces illae apud me. Neque enim Genevam redii vel otii vel quaestus causa, neque rursum mihi dolendum erit quum Geneva erit egrediundum. Commodum et salus ecclesiae et civitatis mihi redeundi animum dedit. Ac si de me uno ageretur nunc, omnibus semel dictum vellem quibus molestus esse videor, quod facis fac citius. Atqui non efficiet illa quorundam indignitas et ingratus animus, ut officio desim, atque studium illud erga hunc

---

792. 1) *Amadeus (Amied) Perrinus, Claudii filius, iam a.* 1527 *ducentorum consilio adscriptus, postea variis muneribus clarus, Calvinianae partis assecla ideoque a.* 1538 *senatu pulsus, iam conversa rerum facie, a.* 1541 *Capitaneus generalis creatus, a.* 1545 *syndicus (Vide omnino Galiffe l. l.).*

locum ad extremum spiritum deponam, cuius Deum autorem habeo. Neque unquam alieni hominis affectum admittam, ut corpore abesse deinde contingat. Ista ad te non spectant, sed ad proximum a te ex tuis ipsis.[2]) Neque etiam ut iurgia spargantur, haec scribo, sed ut constet qua constantia perrecturus sim, quidquid accidat. Te vero imprimis tibi persuadere velim, primariam illam virtutem tibi affectandam esse, ut Deo obedias et ordinem communem atque politiam ecclesiae observes. Dominus te praesidio suo tueatur, tibique patefaciat, quantum verbera etiam certi amici praestent proditoriis aliorum blanditiis. Vale.[3])

Tibi addictus et ex animo
frater I. C.

793.

BUDAEUS[1]) CALVINO.

Memoriam grato animo recolit benevolentiae qua Genevae apud Calvinum frui contigerat. Diazii mortem deflet. Proxime in patriam rediturus iterum Genevam invisere sperat.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 134.)

A Monsieur Maistre Iehan Calvin
A Geneve.

Accepi tuas literas, vir humanissime, quae mihi pergratae fuerunt, quum ob eam quam in eis agnovi animi tui erga me benevolentiam et caritatem, tum ob consolationem quam in eis cepi non mediocrem. Cuius benevolentiae etsi luculentissimum praebuisti testimonium mihi, quum ita officiose in Domino excepisti me sociumque itineris mihi gratissimi et iucundissimi cupide assumpsisti, tamen non mediocriter laetor, quam coram inivimus amicitiam, eam literis confirmatam esse. Cuius rei tibi magnam habeo gratiam, Dominumque rogo ut pro hoc caritatis officio, quo erga omnes qui Christum profitentur et amant uti soles, rependat tibi suum illum favorem quo suos prosequutus est a mundi exordio.

De iis quae hic[2]) agantur nihil est quod scribam: omnia enim nosse poteris ex fratris tui socero *Nicolao* cui has ad te dedi. Ex quo etiam intellexi de *Diazio* vos rescivisse, qui crudelissime a fratre Caino interfectus fuit. Quae res maximo dolori fuit nostro *Bucero* et nobis omnibus.

Frater[3]) in Italiam profectus est: ego spero me in patriam profecturum intra unum aut alterum mensem volente Domino, animo huc redeundi si Dominus dederit: quem precor ut iter meum ad vos iterum dirigere dignetur. Uxorem tuam meo nomine velim salutes totamque familiam et affines, item nostrum in Domino *Galatium*. Vale etiam atque etiam in Domino. 26. Aprilis.[4])

Tuus ex animo
Matthaeus Budaeus.

794.

CALVINUS VIRETO.

De Piocheti negotio talia tradit quae iam hoc tempore enucleari nequeunt. Vireto novam uxorem quaerit: quem ut Genevam veniat rogat, ipse ulcere laborans itineri impar.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 161. — Vidimus praeterea exx. Ionvillaei Cod. 196, fol. 82 v., Turretini Cod. 111, fol. 143, Bernense Epp. VII. 760 et Simleri Vol. 60.)

---

2) *uxorem puta, vel potius socerum.*

3) *De occasione huius epistolae post praecedentem non opus est ut amplius disputemus. De tempore quo scriptam dicamus ambigimus. Patet Perrinum se consistorio nondum stitisse, quod demum d.* 13. *Maii factum est: patet etiam Genevae adfuisse quum Calvinus dicat se lubenter eum conventurum fuisse nisi aliter ipsi visum fuisset. Verum iam ad praecedentem annotavimus non omnia et singula, quod ad seriem rerum gestarum attinet, perspicua esse. In carcere Perrinum non detentum fuisse, ex eo efficimus quod concioni interesse hoc die potuisset.*

793. 1) *Guilelmo Budaeo, celeberrimo humaniorum literarum professori et Erasmi amico, septem fuerant filii, ex quibus hic Matthaeus tertio loco natus. Qui cum matre et duobus fratribus a.* 1549 *Genevam se recepisse ibique caelebs mortuus dicitur (Haag* III. 75). *De quo tamen valde dubitandum, si quod ad ultimam ep. anni* 1547 *adnotamus vero consentaneum est.*

2) *sine dubio Argentorati quum Nicolaum viderit (N.* 790 *not.* 5 *et* 791, *not.* 14) *et Bucerum nostrum appellet.*

3) *Ludovicus, qui postea Genevae fuit prof. l. hebraicae, non Ioannes, omnium notissimus et Calvino proximus, postea Genevae rei publicae inserviens et gentis Budaeae Genevae florentis atavus. (Haag l. l. Galiffe* III. 86.) *Cf. Matthaei ep. ad Calv.* 23. *Mart.* 1547.

4) *Ex mentione mortis Diasii annum nullo negotio definies.*

Fideli Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae eximio pastori fratri et symmystae carissimo.

S. De *Piocheto*[1]) nostro quid dicam, nisi hominem esse male compositi cerebri? Plus quinquies a me consilium petiit a tuo discessu. Mavult tamen nihil habere quam aureos quingentos. Ubi omnia disputaveris, huc subinde redit. Habet enim sororem quae summam illam offert, si patrimonium illi velit cedere usque ad tempus solutionis. Clamat rem indignam esse, quod nonnisi tertia pars aut quarta sit iusti pretii, imo vix quinta, eius aestimatione. Respondi, non adeo iniquam esse conditionem, quia nihil ei ex praecipuo iure depereat. Liberum enim illi erit redimere quoties volet. Verum hoc est quod dixi: nihil pluris facit quam quingentos aureos. De te familiariter apud hospitem conqueritur quod nihil responsi acceperit, quum aliquoties scripserit. Adversus nos multo est liberior. Didici quale sit arrogantiae fomentum atra bilis.

De te, mi *Virete*, ut par est, cogito. Sed postquam diligenter circumspexi nullam adhuc audeo nominare.[2]) Non tamen desino. Quum Berna redieris satis erit nos iterum coram hac de re agere. Ulcus me adhuc captivum tenet. Nam etsi magna ex parte sedatus est dolor, non audeo tamen equitatione irritare. Venies igitur et nobiscum eris, usque dum aliqua nobis oblata a Domino fuerit.

Bernae salutabis diligenter amicos omnes. Nihil habeo quod praeterea mandare velim, nisi forte ut *Henrichi*[3]) mendacia tempestive praevenias. Vale iterum atque iterum, frater et amice integerrime, cum tota familia. Saluta *Iacobum*, *Imbertum*, *Ribittum*, *Corderium*, *Coelium* et reliquos meo nomine. Dominus vos omnes tueatur. 28. April.[4])

Ioannes Calvinus tuus.

---

794. 1) *N.* 791.
2) *Eius uxor initio Martii obierat. Ecce quam verum sit, nihil lacryma citius arescere. Sed tu cave severius de illis viris iudices qui maioribus curis districti rem domesticam mulieribus permittere omnino cogebantur.*
3) *De la Mare, nuper munere abdicati et hinc in Calvinum satis male dispositi.*
4) *Annum suppeditant quae de Piocheto, Henrico, et nova Vireti uxore dicit. Quod iam Turretinus vidit.*

795.

CALVINUS FARELLO ET VIRETO.

Rogat ut alter eorum, quum ipse adhuc morbo laborans impediatur, in Germaniam iter suscipiat ut foedere principum Germanorum cum rege Galliae sancito levatio aliqua protestantibus eius subditis procuretur.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 162, collato cum apographis Ionvillaei Cod. 111a, fol. 6 v., Turretini Cod. 111, fol. 141, et Simleri Vol. 60. Anglice ed. Edinb. II. 44.)

Fidelissimis ecclesiae ministris G. Farello et P. Vireto fratribus mihi carissimis.

Hic pius frater civis est Uticensis[1]) ex qua urbe multos profligavit impiorum saevitia. Tentare placuit omnibus num quid auxilii futurum sit in Germanis. Respondi, me aliquanto plus hodie sperare, quod principes nostri non obscuris signis suam a Caesare[2]) alienationem demonstraverint. Praeterea admonitus eram, esse Wormaciae[3]) quendam a Delphino missum qui multa promittat. Novi quidem aulicam vanitatem. Sed facere periculum nihil nocebit. Non negassem quod a me vehementer postulabant, ut hanc profectionem susciperem, nisi captivus adhuc tenerer. Ita lenta est morbi curatio. Vix scio quid hactenus promoverim, nisi quod sedati sunt dolores. Has igitur partes in alterum vestrum reieci, utri scilicet erit commodius. Sumptus hic ministrabit. Quoniam Bernam profecturus es,[4]) *Virete*, si tibi senatus permiserit, levari aequum est abs te *Farellum* nostrum hac molestia. Quod si tibi non erit liberum, *Farellus* ipse, scio, neque sibi neque aetati suae parcet. Certe alter omnino erit necessarius. Quamobrem, si *Vireto* negabitur commeatus, cave desis, *Farelle*. Prope enim fratribus spopondi vestro nomine. Fidem igitur a me datam, etiamsi temere, praestare vestrum est. Porro quia frustra, ut hodie status est regni, a Rege postularetur quod sponte facere debuerat, hoc saltem petendum censuimus ut cognitionem ipse suscipiat. Hoc porro erit curiis interdicere ne cognoscant, deinde ut aequos iudices extra ordinem nominet. Si hoc obtinebitur, multum fuerit profectum. Ulterius niti, sicut dixi,

---

795. 1) *Bonnetus satis probabiliter coniicit oppidum Usès significari.*
2) *Anglus vertit*: from imprisoning, *nescio quo oculorum errore deceptus.*
3) Ad. Cal. Apr. legati protestantium Wormaciae conveniunt de summa rei consulturi. Aprilis d. 23. discedunt ut Ratisbonae, quo proficiscendum erat alioquin ad comitia, de his ipsis rebus deliberent (*Sleid.* II. 455 *cf. Seckend. p.* 616. 619).
4) *ad discutienda quaedam ecclesiastica negotia* (*Ruchat* V. 298).

supervacuum foret. Si Cancellarius adspirare volet suo favore, omnia bene habebunt. Sed quia timidus est ac tardus, curandum erit ut acriter urgeatur. Quare non minus laborandum erit in his secundis partibus quam in primis. Semper vero nominatim excludenda abiuratio. Facimus enim Satanae officium si viam hanc patefacimus piis, ut illis Christum liceat abnegare. Totum negotium diligenter commendo primum D. Iacobo *Sturmio*, cuius in conventibus primaria est autoritas, deinde *Bucero*, ut quos poterit instiget. Rursum *Sturmio* et D. *Ulricho*,[5]) ut suam quoque personam interponant. Res ipsa vobis dabit consilium. Neque vero estis tirones quos mandatis instrui oporteat. Valete, fratres mihi carissimi. Dominus eius iter fortunet qui suscipiet sacrum hoc patrocinium.[6]) Genevae Calendis Maii 1546.[7])

Ioannes Calvinus vester.

796.

CALVINUS MYCONIO.

De duobus pueris, altero Basileensi altero Genevensi, discendae alienae linguae causa invicem permutata sede educandis.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 111, olim Epist. Tom. VI. Part. I. pag. 1432. Simler. Vol. 60.)

Fideli Domini [*Iesu Christi*] servo D. Osualdo [*Myconio*] Basiliensis [*ecclesiae pastori*] symmystae [*et fratri carissimo*].[1])

S. Est hic quidam mercator ex primariis civibus mihi valde familiaris, qui filium habet puerum ingenii docilis et mansueti, quem ad vos linguae discendae causa mittere cupit, si istic reperiat honestum hominem qui suum vicissim huc mittat, sitque mutua victus compensatio. Porro intellexit te nepotem habere de quo verba cum aliquo feceris.

5) *Chelio medico et Io. Sturmio.*

6) *Viretum revera ad hoc inter se accinxisse docet Teutsch Missiv-Buch in Arch. Bern. ad* 5. *Maii, maxime vero Ep. ad Fallesium N.* 797 *ex qua patet eum Argentorati fuisse: comitem itineris habuit Farellum (N.* 799*). De persequutionibus ipsis quae huic negotiationi ansam praebuisse videntur neque ex Hist. ecclesiastica quae Bezae tribuitur neque ex Hist. martyrum quidquam disces. Merae igitur coniecturae sunt quae habet Kirchhofer (Farel.* II. 89). *Omnino etiam conferendus Hottinger, Helv. KG.* III. 764.

7) mense Maio *S.*

796. 1) *Magna pars inscriptionis cera inducta vel alio modo periit.*

Itaque me rogavit ut de voluntate tua certius inquirerem, numquid ita sit. Si haec conditio tibi placeat, nepos tuus in familia casta et honesta educabitur. Velim tamen ut me quamprimum certiorem facias, ne videar in amici negotio fuisse negligentior. Vale, frater et symmysta integerrime et mihi colendissime. Genevae Calendis Maiis 1546.

Ioannes Calvinus tuus.

797.

CALVIN A M. DE FALAIS.

Baptême d'un Allemand amené de Francfort à Genève, personnage évidemment connu du baron, mais mystérieux pour nous. Affaires d'Allemagne.

(Orig. autographe. Bibl. de Genève. Vol. 194, fol. 31. — Edition d'Amst. p. 57. Ed. Bonnet, I. 153.)

A Monseigneur, Monsieur de Fallez.

Monseigneur, iay retenu ce porteur huict iours entiers, attendant le retour du sire *Nicolas*,[1]) affin davoir messaiger prest, si dadventure il y avoit rien en vos lettres qui requist souldaine response. En la fin ne scachant sil viendroit de brief, ie luy ay faict sa depesche qui est seulement de vous mander que nous navons pour le present nulles nouvelles pardeca, sinon que ce pendant nostre Alleman nous a este amene de Francfort, et lavons baptise dimanche dernier. Il est vray que du commencement ien feuz un peu fasche, craignant le bruit qui en seroit. Et de faict celluy qui le bailla au marchant qui la icy conduict, ioua mal son personaige. Mais ne doubtant pas que la chose estoit ainsi advenue par lordonnance de Dieu, combien que ie ne sceusse point la fin pourquoy, ie me deliberay den faire mon devoir. Car ce nest pas a nous denquerir tousiours pourquoy Dieu dispose ainsi dez choses, mais de faire nostre office, sans en disputer plus longuement. Les freres fusrent dadvis que lacte se fist en la plus grande assemblee, ou ie declairay ce qui me sembla estre a propos. Et la chose est tournee en plus grande edification que nous nesperions, dont nous avons a louer Dieu. Toutefois ie vous remercie affectueusement de la poine quil vous a pleu en prendre. Car le marchant qui me la amene, ma bien confesse que vous aviez com-

797. *N.* 790, *not.* 5.

mande quon le vous envoyat. Mais Dieu y a proveu contre noz deliberations.

On devine icy que lempereur, apres avoir faict quelques contenances a la iournee,[2]) fera souldain un pertuis en lair pour se retirer. Mais ne scay sil pourroit demeurer oisif. Si cestoit a moy a faire, ie luy donnerois quelque bonne commission, laquelle lempescheroit dapprocher de nous pour long temps. Ie desire quil soit a son ayse moiennant quil ne nous moleste point. Combien quil y a une bonne bride pour le retenir, de laquelle ie me contente.

Ie ne vous ay point escrit par Maistre Pierre *Viret*,[3]) pource que ie nestoye point certain sil iroit, ou non. Ie croy que vous aurez este ioieux de lavoir veu.

A tant, Monseigneur, apres mestre humblement recommande a vostre bonne grace et de Madamoiselle, vous avoir aussi presente a tous deux les humbles recommandations de ma femme, ie supplye nostre bon Dieu destre tousiours garde de vous, et dadresser toutes voz voyes a son honeur, pour estre de plus en plus glorifie par vous. De Genefve, ce 11. de may.[4])

Vostre serviteur, humble frere et entier amy a iammais,

Iehan Calvin.

798.

CALVINUS VIRETO.

Post reditum eius ex itinere Argentoratensi et literas eius avide exspectans, imo sollicitans, nonnulla privata negotia tractat.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 163 ex quo descripta sunt exemplaria Ionvillaei Cod. 196, fol. 83, Turretini Cod. 111, fol. 143, Bernense Epp. VII. 762 et Simleri Vol. 60.)

Fideli Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri mihi carissimo.

S. Rogavit me Ioannes *Parvus* ut tibi suo nomine indicarem, pretium vestis stragulae quam tibi vendiderat se iussu senatus retulisse in rationes publicas, atque ita pridem sibi persolutum fuisse.[1]) Quare non est quod posthac mentionem facias. Mater *Cornei*[2]) respondit, Lausannam se consilio Ioannis *Roche* pharmacopolae venisse, quod ille se optime curatum a chirurgo quodam fuisse diceret. Chirurgus porro ille homo est rusticanus quem magum esse suspicantur. Si visum fuerit pharmacopolam vocandum curabis, ut melius sciamus totam historiam. Literas tuas avide exspecto, quae mihi profectionis tuae successum exponant. Vale, frater carissime. Saluta omnes fratres et familiam tuam. Dominus vos omnes custodiat.[3])

Ioannes Calvinus tuus.

799.

FARELLUS CALVINO.

Ex itinere redux, relationem faciendam Vireto permittit; ipse pro tempore quid Argentoratenses de Calvino sentiant et dixerint unice refert et eum ut Neocomum veniat enixe rogat.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium. Epp. Farelli fascic. III. N. 15.)

Magno ecclesiae Christi pastori Io. Calvino et doctissimo et paris pietatis.

S. *Viretum* te omnium admonuisse spero ut frustra me eadem recensere non oporteat, et quid Basileae et quid Argentorati actum fuerit, ut excepti fuerimus. *Fallesius* admirandum opus Domini, ne quid deesset quod amplius ab eo expeteremus, te nobis dedit, in opere quod illi dicasti,[1]) cuius gratia omnes vellent te tantum scribendo occupari. Hoc enim dicebat *Bucerus* de te: Non deberet vir ille occupari nisi in scribendo. Et interea quum diceremus te ex animo, si per valetudinem licuisset, suscepturum fuisse profectionem quam tuas subeundo vices nos susceperamus, optabant omnes

---

2) *La diète de Ratisbonne qui s'ouvrit le* 1 *juin* 1546. (*Sleid.* II. 458. *Seckend. p.* 619).

3) *Sur le voyage de Viret voyez N.* 795.

4) *M. de Falais a écrit au dos:* Receu le 21. may 1546. Respondu le 5. juing ensuivant.

798. 1) *Videtur hic Iehan Petit mercator Genevensis fuisse apud quem Viretus vestem emerat, quam tamen ex senatus decreto dono accepit.*

2) *Iohanna d'Armeis vidua Petri Corne, mater syndici Amblardi Corne saepius laudati. Tertio vel quarto marito nupserat Francisco Bonivard.* (*N.* 530, *not.* 6.) *Vide Galiffe not. gén.* II. 162. *Quod hic de pharmacopola dicit ex nostro thesauro lucem frustra exspectavit.*

3) *Epistola proxima Farellus Viretum iam scripsisse putat. Inde natales nostrae facile definientur.*

799. 1) *N.* 753.

ut licuisset. Nostri non parum optant te videre, et nisi valetudo te excusaret non effugeres obiurgationem quod toties rogatus non venias. Si possis statuere diem, dispicerent fratres ut tunc coetus haberetur iustus, et ageretur de iis quae praecipue nunc expedit. Videbis, quaeso, si possis aliquando vel animi gratia huc usque exspatiari. Si fratres mei non festinent peragere quae, domi illis curanda sunt, saltem persequutio quae passim ardet eos coget ocyus redire. *Gaucherius*[2]) nescio an tantum sit accepturus quantum pro recuperandis insumpsit. Dominus omnes dirigat et miseris omnibus adsit. Vale et mihi omnes collegas officiosissime saluta. Fratres te salvum cupiunt cum omnibus. Neocomi 29. Maii 1546.

Farellus tuus totus.

800.

CALVINUS FARELLO.

Gratulatur ei et Vireto felicem reditum. Genevae comoedia publice agenda praeparatur. Gaucherii Farelli et Nicolai Le Fert negotia.

(Ex autographo Cod. Gothani 404, fol. 22. — Edidit Bretschneider Epp. p. 21 sed passim mendose.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Guillelmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fratri et symmystae carissimo.

S. Gratulor tibi et *Vireto* quod Deus sanctae[1]) vestrae legationi benedixerit. Utinam successus apud tyrannos respondeat. Sed Dominus hunc quoque moderabitur. Nihil hic habemus novi, nisi quod secunda comoedia iam cuditur.[2]) Cuius actionem testati sumus nobis minime probari. Pugnare tamen ad extremum noluimus, quia periculum erat ne elevaremus nostram autoritatem, si pertinaciter repugnando[3]) tandem vinceremur. Video non posse negari omnia oblectamenta. Itaque mihi satis est si hoc, quod non est adeo vitiosum, indulgeri sibi intelligant, sed nobis invitis.

Quia scribebat mihi nuper *Christophorus* de *Baldino*, scitote in locum *Macrini* esse suffectum.[4]) *Textor*, quum Matisconem[5]) discederet, mihi pollicitus est se mox a reditu istuc iturum. Ubi venerit constituetis omnia, ne res perpetuo pendeat. Fratres tuos exspectare in dies incipio. *Gaucherium*[6]) adeo morosum esse mihi dolet. Quum hac transiret, rogavit ubinam esset *Nicolaus*, fratris mei socer. Respondi: in Germania. Cupiebat scilicet, iniecta hominis mentione, verba a me fieri de Tornacensi villa. Non memini. Quid enim profuisset? Adiudicata erat *Senarcleniis*[7]) tota, nec erat spes ulla residua *Nicolao*, nisi ante diem paschatis numeraret plus quam nongentos coronatos. Optasset iactura sexaginta coronatorum esse extricatus, sed nulla erat ratio. Itaque coactus fuerat Argentoratum currere[8]) ad pecuniam mutuo sumendam. Frater autem tuus conqueritur sibi fuisse illusum. Et nos malae fidei, si Deo placet, accusat. Quod vero fratrem meum simulate loquutum putat, magis quam puerile est. Timebat scilicet *Nicolaus* ne subito prodiret cum duobus millibus aureorum, qui res suas adeo impeditas adhuc habebat, ut tu nosti. Certe eius stultitiam merito iam ridere possum. Sed tanta acerbitas mihi bilem movet. Vale, frater et amice integerrime, una cum optimo fratre nostro *Christophoro* et tota familia illius et tua. Dominus vos omnes gubernet ac custodiat. Genevae 3. Iunii.[9])

Ioannes Calvinus tuus.

---

2) *In Delphinatu nuper diutius versatus ut bona sua olim fisco addicta recuperaret.*

800. 1) Dominus faustae *B.*

2) *Mense Maio histriones extranei comoediam agere voluerant quae in Actis senatus nominatur:* Bataille des puissances de Harcules. *Venia negata proposuerunt aliam*: les Actes des Apostres, *quae tandem d. 4. Iulii publice acta est. Multa de his in commentariis publicis. Inter alia ad 24. Maii haec occurrunt:* Sur la requeste faicte par les ioueurs des ystoires requerant leur oultroyer qui puissent iouyer les Actes des Appostres pour ledification du peuple: arreste que il soyt communique ladite istoyre a M. Calvin et si elle se trouve sainne et de edification quon la ioue.

3) pugnando *B.*

4) *Io. Baldin (de St. Romain du Gard), d. 4. Maii in vico Iussy minister creatus est a senatu (non* 1548 *demum in vico Moing, ut Archinardus habet) et quidem in locum H. de la Mare. Macrinus (Aimé Mégret) pastor in Moing simul destitutus. Hinc fortasse error vel scribae senatus vel Calvini.*

5) Matisco non *B.*

6) Gaucheriffum *B.*

7) *e qua nobili gente Claudium supra saepius obviam habuisti v. N.* 606. — Un homme party de Gap nommé Pharel fist achapt du chasteau de Senarclens proprieté de no. Rose de Cossonay vefve de feu no. Guillaume de Burnens. (*Mém. de Pierrefleur* 322.)

8) *N.* 790, *not.* 5.

9) *Farellus adscripsit:* 1546.

801.

FRYUS BULLINGERO.

Farellum et Viretum in articulo de coena a Zwinglio ad Bucerum defecisse queritur.

(Integra habetur in Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 117a, fol. 320. Alibi non exstat.)

Piissimo doctissimoque viro D. Heinrycho Bullingero patri suo carissimo

Tiguri.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Exspectatur vestrum [*iudi*]cium de *Calvini* quam misi dissertatione super eucharistiae negotio. [1]) Pergunt *σαρκοφάγοι* nostri, suumque indies numerum augent. *Farellus* totus illorum: qui nunc in reditu de *Vireto* dixit (nam cum ipso propter gallicam persequutionem Argentoratum missus sine illo per nos transiit [2]), quod is hactenus ea qua nos sententia fuerit, sed audito *Bucero* Deo summas egisse gratias quod rem antea sibi absurdissimam visam nunc tam clare videat. [3]) Multa cum illo contulit *Michael* noster, sed frustra. Ait nos non capere negotium, et orandum esse ut Deus illud nobis aperiat. Sese enim, quoties celebrat coenam, plus alimenti sentire quam olim fide infirmior senserit. Item si *Zvinglius* viveret, nos in hoc omnes consensuros. Esse quidem corpus Domini localiter in coelo, sed tamen super omnem humanae rationis captum nos praesenti sua carne et sanguine alere, sicut dixerit Ioa. 6 et verba coenae habeant. Et quoniam non ludificatur nos Dominus, efficiente spiritu sancto Christi corpus sibi magis esse praesens quam nostra iunctissima corpora — — — — Vale. Biellis 6. Iunii 1546.

Tuus ex animo Io. Leop. Fry.

---

801. 1) *Tractatus de Coena a.* 1545 *a Gallasio latine versus prodierat.*
2) *Fortasse Viretus Argentorato rediens Bernam se contulit, dum Farellus recta Neocomum pergebat.*
3) *Vir bonus hic evidenter nimia canit quippe cui ultra Zwinglium sapere merum delirium esset. Cf. Kirchhofer* II. 92. *Quid quod ipse Farellum fortasse non audierat sed tantum collegam Michaelem ex eius ore referentem.*

802.

FARELLUS CALVINO.

Dolet amico tam parum otii dari, nihilominus eum denuo hortatur ut Neocomenses fratres invisat, simul excusat nuncium qui ei molestus fuerat. Quid legatio profecerit exspectandum. Interea Mediomatrices vexantur, Tossanus aegrotat, Genevenses ludunt et luduntur.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium Epp. Farelli fasc. III. N. 16.)

Doctissimo et insigniter pio Christi servo Ioanni Calvino pastori Genevensi summa fide et diligentia gregi Domini incumbenti.

S. Te tot impediri modis a scribendo mihi valde dolet; succenseo et morbo et omnibus praesentibus occupationibus ac remoris, quibus et praesentium utilitati et posteriorum tantum incommodatur: sed is qui dispensat omnia multa prudentia consilio et vi captum nostrum quae prorsus excedunt facit ut me contineam. Tamen te rogatum velim ut quod potes suffurari temporis et tam necessario labori ipse ne committas, quin ardori plurimorum aliquid deferas. Faxit Christus ut quam felicissime possis. Tuum adventum ideo expetimus, [1]) quod nobis non parum utilis tua fuerit praesentia, et peregrinationem istam facturam speramus ad corporis valetudinem. Si potes facito: quod non potes, quid abs te flagitaremus? At dices: quoties improbe id factitatum fuit et literis importunis et quam importunissimis nunciis! Hic velim te omnium rationem habere, nec reputes nos tui habendi desiderio vulgari teneri mirum. Igitur absurdum videri non tibi debet instantius peti quod tam expetitur. De nuncio non adeo offendi debebas, nisi te aqua offendat quod humectet suapte natura. Nostri fratris ingenium probe hactenus cavit ne quid prudenter ageret vel diceret. Iam eo aetatis pervenit ut sperare non liceat prudentiae aliquid admissurum esse. Non exspectare magis debebas aliquid circumspectum ex eo magis quam ex pumice aquam. Argues nos quod huic provinciam dederimus. Non est quod id facias, nam et minus prudenti commisissemus. Satis enim nobis fuit indicare per quemcunque quid optaremus. De eo quod tam fuerit offensus et tragicis verbis egerit, mihi non parum displicet. Verum omnia haec parum honesto et multo minus utili tegumento obteguntur

---

802. 1) *Iam supra N.* 799 *idem dixerat; videtur Calvinus interim recusasse sive in epistola deperdita sive viva voce per nuncium qui N.* 800 *Farello tradidit.*

imprudentiae et insignis stultitiae, quae plus satis apud hominem regnant. Arguendus erit si tandem impetrari poterit, ne tam misere desipiat. Tua expostulatione tantum abest ut offendar, ut gratiam tibi habeam quod indicaris imprudentis erratum, in quo ipse quoque culpa non vaco. Nam si paulo maiore severitate tam foedos lapsus corriperem, minus peccarent qui me dissimulante et praetereunte tantum audent. Vereor ne plus arguendus apud Dominum sim quam qui neglecti per negligentiam meam peccant. Faxit Christus ut magis apud omnes officium faciam. Optas legationi nostrae[2]) successum: pater coelestis afflictorum misertus e coelo intueatur et propitius succurrat miseris, siquidem gravis haec crux, quae tam dure premit calamitosas reliquias e strage tam infanda, [*non*] parum me cruciat. Mediomatrices pii pelluntur iam urbe.[3]) Argentoratenses non solum iis pro quibus oratum veneramus auxilium tentarunt, sed ipsis quoque Mediomatricibus. At, ut audio, nihil effecerunt, quin pergerent scelesti tyranni. Det Deus ut felicius cadant quae apud Gallum student impetrare. Illi urbe pellunt, hic vita et fortunis privat.[4]) Non est quod tibi omnes commendem ut precibus eos adiuves quum id facias serio. *Tussanum* opto non praeteriri in tuis et collegarum precibus, et ecclesiam cupio pro eo orare, nam laborat morbo. Scis utilem esse adhuc ecclesiae. Isti qui tam delectantur ludis,[5]) utinam non serio dolore torqueantur. Timendum est, ne qui alienis personis oblectantur quum propriam in Christo debeant sustinere in omni genere officiorum, ne ferre cogantur non personatos, qui fingunt nocere, sed qui nimis vere affligent et angant. Sed quis tandem perfectam . . . . .[6]) habebit plebem? Utinam in malis personati tandem essent, nec aliquid ipsi facerent, tantum aliorum peccata repraesentarent . . . . omnes ea vitarent, in bonis veri essent actores, imo factores. Gaudeo *Viretum* istuc venturum, ex quo audies omnia quae ei contigerunt, et cum eo dispicies nonnihil quod faciat ad conciliandos omnes et ad ecclesiarum aedificationem. Me omnium facite certiorem. *Christophorus* Bernam petiit et forte illinc Lausannam et Genevam petet. Quod si fiat, erit mihi lucro si te cum *Vireto* convenerit. Has daturus eram ei qui equum *Franci* istuc veniens empturus libros accepit, sed dum aliis impedirer, abiit hinc. Ergo praeter spem occurrenti dedi: cupio ut boni consulas, sed magis ut bene valeas cum coniuge et collegis omnibus. Neminem velim praetermissum. Nostri te omnes salutant et symmystas quoque. Neocomi 16. Iunii 1546.

Farellus tuus totus.

2) *Argentoratensi, pro Gallis.*
3) *De his in fontibus nostris nihil reperimus. Evangelicorum conciones iam a.* 1543 *interdictae et coetus dispersi. Sane singuli in urbe remanere potuerant. Kirchhofer p.* 72 *laudat hanc epistolam in hunc finem, unde similis notitia etiam in Perroti Vitam MS. fluxit.*
4) *Provinciales.*
5) *N.* 800, *not.* 2.
6) *hic et infra charta abscissa est.*

803.

CALVINUS MYCONIO.

Commendat ei adolescentem quemdam studiosum et optat certiora ex Germania rescire.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 111 olim Epp. T. VI. Part. I. p. 1434. Simleri Vol. 60.)

Eximio Christi Domini nostri servo D. Osualdo Myconio ecclesiae Basiliensis pastori fratri et symmystae observando.

S. Hic adolescens cupit apud vos literis operam dare. Si esset pecunia instructus, nihil haberet difficultatis eius deliberatio. Sed quia non est unde se et studia sua possit sustinere, vereor ut istic reperiat quod in animum induxit. Quia tamen ingenuae indolis videtur, et qui eum noverunt optimum illi testimonium reddunt, nolui commendationem quam petebat illi negare. Tuum erit iudicare quantum illi prodesse queas. Quum erit fidelis nuncius, praestabis mihi gratissimum officium, de rebus Germaniae[1]) si me feceris certiorem, ne semper anxii exspectatione pendeamus. Vale, ornatissime vir et frater in Domino plurimum colende. Dominus Iesus te et symmystas perpetuo regat et conservet. Illis et uxori plurimam salutem. Genevae 18. Iunii.

Ioannes Calvinus tuus.

803. 1) *Comitia nonis Iuniis inchoata fuerunt: verum omnia iam bellum praesagiebant, quod Imperator aperte parabat. Ex his coniecturam facimus circa annum* 1546.

804.

CALVINUS INCERTO.

(Dedimus in Opp. Tom. VI. pag. 635 seqq. epistolam Calvini quae inscribitur Altera ad amicum N. Pertinet ad libellum de Vitandis superstitionibus et agit de quaestione an missis interesse idololatriae sit professio. Incipit a verbis: *Quum mihi ignotus sit is.* Data est Genevae 14. Calend. Iulii 1546. Amicus ille fortasse Capnius erat cf. N. 600 not. et 745.)

805.

CALVIN A MADAME DE FALAIS.

A l'occasion de la nouvelle d'une grave rechute de son mari.

(Orig. autographe Bibl. de Genève. Vol. 194, fol. 32. — Éd. d'Amst. p. 60. Éd. Bonnet I. 155. — Trad. angl. II. p. 46.)

A Ma Damoiselle Madamoiselle de Falez.

Madamoiselle, combien que laddition des lettres [1]) ma merveilleusement contriste, toutefois si estoit il bon que ien feusse adverty, car cela servira a nous soliciter que nous prions Dieu de tant meilleur cueur, que le dangier est a craindre. Et de faict, ien avois desia entendu quelque chose par Monsieur *Dallein*, et maistre Pierre *Viret* [2]) me la conferme. Reste quen pryant Dieu quil nous regarde en pitie en cest endroict, nous attendions patiemment lissue telle quil luy plaira envoier. Et quelque chose quil en dispose, que nous soions preparez a le porter, de sorte quil apparoisse par effect comment nous luy sommes obeissans. Pensez mesme que par ceste longue maladie et tant de recheutes, nostre Seigneur vous admoneste avant le coup de vous fortifier, affin que vous ne soiez surprinse, quoy quil en advienne. Tant y a que ie croy bien que encor quil revienne au dessus, nous ne ferons pas luy ne moy longue demeure icy bas. Et possible que vous nous pourrez bien convoier tantost apres. Mais encore ne laisse ie pas desperer nouvelles plus ioieuses.

Sur ce, Madamoiselle, apres mestre humblement recommande a vostre bonne grace, ie supplye nostre bon Dieu de tousiours avoir loeil sur vous, et le vous faire sentir par experience a vostre consolation, vous augmentant en tous les biens dont ses enfans doivent estre riches. De Genefve, ce 21 de iuing.

Vostre humble frere, serviteur et entier [3]) amy,

Iehan Calvin.

Ma femme vous presente ses humbles recommandations. [4])

---

805. 1) *Probablement il s'agit là d'un post-scriptum dans lequel il était question d'une rechute de M. de Falais.*

2) *La mention de la présence de V. à Strasbourg sert à déterminer l'année.*

3) ancien *B.*

4) *Au dos de la main de M. de Falais:* Receu le 22. Iullet.

806.

CALVIN A M. DE FALAIS.

Il désire vivement recevoir de ses nouvelles et lui demande de s'intéresser à la recherche d'une femme pour Viret.

(Copie Bibl. de Genève. Vol. 194, fol. 1. — Ed. Bonnet I. 157. Trad. angl. II. 49. Cette lettre manque dans l'édition d'Amsterdam, l'original ne se trouvant pas entre les mains de l'éditeur, mais en possession d'un M. Iennet à Utrecht, où César de Missy de Marylebone près Londres le copia; c'est cette copie qui se trouve à Genève. On remarquera que l'orthographe n'est pas celle de Calvin.)

A Monsieur Monsieur de Fallez.

Monsieur, vous voyez par la date des aultres lettres [1]) combien elles ont repose longtemps chez moy depuis quelles estoient escrites, daultant que le porteur ne pouvoit trouver moien de faire charger son cas. De quoy ie vous ay voulu advertir, de peur quil ne vous semblast quil les eust si longtemps tenues entre ses mains. Nous sommes en grande attente de vos nouvelles pour le bruict qui court. [2]) Dieu face par sa grace que vous aiez matiere de nous resiouir. Or cependant que le porteur a targe, ie me suis advise, Monsieur, de vous faire une requeste. Vous scavez que nostre frere *Viret* est a marier. [3]) Ien suis en aussy grand soing que luy. Nous trouvons assez de femmes icy, a Lausanne, a Orbe. Mais il ny en a point encore apparut une de laquelle ie me contentasse du tout. Durant que nous serons a deliberer, ie vous

---

806. 1) *Celle du 21. Iuin, à Mad^e de F. et probablement une autre au baron, de la même date, aujourd'hui perdue.*

2) *sur l'état de sa santé, ou sur les affaires politiques? Mais pour celles-ci C. avait bien d'autres sources.*

3) *N.* 775. 794.

prierois volontiers, si vous en aviez marque une par dela qui vous sembla propre pour luy, quil vous pleust le me signifier. Ie ne me suis voulu adresser à aultre qua vous, pource que tous nont pas la prudence qui est icy requise. Vous me pourriez alleguer que iy en congnois pour le moins quelque une: mais ie noseroye sonner mot, devant quen avoir vostre iugement, lequel vous pourrez mander en un mot, car ie tiendray vostre silence pour un *non placet.*[4]) Ie nay point faict difficulte de madresser a vous privement en cecy, combien que ce soit matiere scrupuleuse, car la necessite mexcusera, encore que ie feusse importun, pour ce quil ny avoit nul aultre auquel il me semblast bon de me fier, et ie scay bien que de vostre coste scachant combien le mariage dun tel homme emporte pour lEglise de Dieu, vous ny vouldriez pas estre espargne. Combien que ie ne vouldrois pas vous empescher a procurer pour luy, cas advenant, que son parti se trouvast la. Mais quant a demander conseil, iay pense que vous me donneriez ceste liberté.

Sur ce, Monseigneur, apres mestre recommande a vostre bonne grace de telle affection comme ie vous ayme, ie supplye nostre bon Dieu davoir tousiours le soing de vous, en vous conduisant tellement que vous serviez de plus en plus sa gloire. De Genefve, ce 4. de iuillet.[5])

Vostre serviteur, humble frere et entier amy,

Iehan Calvin.

807.

CALVINUS FARELLO.

Narrat quid evenerit circa comoediam publice agendam, et hoc ipso die actam. Commendat Heliam Lemovicum.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Gen. p. 72, Laus. p. 140, Hanov. p. 157, Chouet p. 95, Amst. p. 43. — Anglicam versionem praebet editio Edinb. II. 47.)

Parum abfuit quin ludi nostri versi fuerint in tragoediam.[1]) Quum meam sententiam rogasset senatus, negavi me responsurum nisi de communi fratrum consilio. Auditis fratribus, respondi multas ob causas nobis non videri expedire ut agerentur, et simul causas exposui: nos tamen nolle contendere, si senatus contenderet.[2]) Quum instaret dies, N.[3]) pro concione iterum invectus est in actores (semel enim id fecerat) verum hac secunda invectiva tam fuit vehemens, ut protinus concursus ad me factus fuerit, magni clamores, minae, et quid non? Quod nisi intemperiem quorundam graviter compescuissem, manu pugnaturi erant. Conatus sum in secunda concione mollire iratos animos, moderatione adhibita: nam imprudentem fuisse iudicabam qui extra tempus tali declamatione usus foret. Verum magis displicebat excessus, nullo enim modo approbare poteram quod dixerat. Ille verum esse tuebatur, ego constanter negabam. Erant ex fratribus qui hominis obstinationem fovebant. Circiter nonam vespertinam mihi renunciatum est centum aut circiter postridie conventuros in curiam. Extemplo fratres vocavi: decrevimus eundum esse cum N. Vix illi fuit permissum ut mecum egrederetur: deduco illum, alios accersi interea iubeo. Accusatores renuunt nobis praesentibus se verbum facturos, sibi enim nihil esse mecum negotii, nisi quod reverenter de me sentirent, ideoque nollent mecum litigare. Ego acriter insisto communem esse causam, donec appareat, N. in officio peccasse: iubemur utrinque secedere. Ab adversa parte seditiosi clamores: minantur se fuisse N. occisuros, nisi me reveriti fuissent. Ad cohibendum tumultum detentus fuit in curia, sed honorifice. Secundo die omnes turbas Domini auspiciis composuimus. *Abel* enim gratia valebat, ego autoritate apud actores. Senatus vero erat noster. Hoc tantum male me habebat quod non esset fortior et animosior: nam pro more suo nimium timide se gessit. Hic finis. Nunc ludi aguntur:[4]) adest *Viretus* spectator, qui ex composito iterum rediit, ut furiosum nostrum ad sanam mentem reducat.

De fratribus tuis nihil prorsus audio. Est apud vos Helias *Lemovicus* cognomine, natione Rupellensis, qui me tertiis iam literis rogavit, ut vobis testarer quid de superiore eius vita intellexerim. Pii qui illinc veniunt, asserunt probum fuisse virum et honestae vitae, atque etiam caelibem fuisse, quum illinc migraret ad nos. Itaque non est quod haec suspicio impedimentum coniugio afferat. Excusabis quod illi non responderim: atque etiam quod tibi adeo breviter perstrinxerim, quod longiorem forte orationem postulabat. Vale, frater in Domino ca-

---

4) *M. Bonnet entrevoit ici une allusion à une soeur de M. de Falais, ce qui nous paraît fort douteux.*

5) *Au dos:* Receu le 22. juliet.

807. 1) *N.* 800, *not.* 2. *Cf. Roget, hist. de Genève* II. 238.

2) *sic edd. Vide an legendum:* concederet.

3) *Michael Cop, ut habent Commentarii senatus ad* 27. *Iunii et dies seqq. Qui dies dicta fuit ab histrionibus, verum tamen sine effectu. Composita enim res postea fuisse videtur. Ruchat* V. 313 *pro Copo falso Poppinum exhibet.*

4) *Ipso hoc quarto die Iulii.*

rissime et integerrime amice. Saluta diligenter omnes fratres. Nemo hic te vel illos salutat, quoniam nemo scripturum me sciebat, praeter *Nicolaum* fratris socerum qui intervenit. Dominus vobis perpetuo adsit, ac sanctis vestris laboribus benedicat. Genevae 4. nonas Iulii 1546.

808.

CRISPINUS [1]) CALVINO.

Post longas itinerum ambages et usque Genevam appetens, occasionem nactus de se suisque Calvinum certiorem facit.

(Ex authentico exemplari, manu amanuensis scripto, Cod. Gen. 112, fol. 6.)

[*C*]larissimo eruditissimo [*vi*]ro D. Carolo Passelio.

S. Longum esset, vir ornatissime, nec vacat plane Ulysseos hactenus errores nostros in repetenda Penelope tibi describere. Defessus sane sum et me pudet taedetque eius morae quae hic tamdiu mihi nectitur. Et quum in animo esset ingratos hos compedes plane abrumpere, ecce mihi oblata est remora, morbus soceri mei [2]) aegre iam trahentis animam: matris etiam pietas, quae iam a viro, cui secundis nuptiis iuncta erat, me imprimis monitore atque ad eam rem autore ob illius peccatum divertit: uxoris item adversis maxime rebus explorata et plane perspecta iam animi constantia et fides, tum vero prompta alioqui ad profectionem iam dudum communibus votis institutam alacritas, quam in ea perspexi, ita adeo me movit ut nihildum adhuc promoverim. Ut taceam interim filiolae meae, quam ego etiam hoc nomine quia tu mihi eam literis tuis commendasti carissimam habeo, vagitus et iam grata superatis cunis suspiria. Addo etiam me, ne nescias, aliquot menses aulicum factum, et rogatu amicorum in aula hac regia communi eorum nomine sollicitasse, ne quid damni ob manus regiae in merces ab eis hic emptas iniectionem acciperent: ut hoc beneficio ego mihi eos compararem, magisque et magis faciles ac propitios haberem. Et sane non omnino frustra eum laborem sumpsi. Sensi enim eorum benignitatem in me hoc nomine magis apertam. Quid porro facturi sint proxime ab iis exspecto. Tantillum id sit quod facturi sint, mihi abunde erit ad liberam illam et toties votis cupitam peregrinationem.

Haec ego tibi apud amicum illum tuum, imo iam nostrum, virum humanissimum Dominum subpraefectum eius urbis in qua natus es, [3]) Perona a meis hac in reditu iter faciens, obiter scripsi. Illum virum literae tuae, quas amantissimas ad me hactenus scripsisti, amicum mihi iunxerunt, non aliqua Thesea sed plane christiana fide. Amo certe insignem hominis pietatem, et in amicos pectus prorsus τὸ γυμνὸν (ut dicitur) τῶν χαρίτων referens. Quum itaque illum, ut soleo, hac praeteriens salutassem, renunciavit mihi duos concives tuos, viros graves et bonos, studio pietatis cras, aut perendie ad summum, ad te ire. Ego ocreatus illico in hospitio arrepto calamo, dato aut quocunque modo quaesito argumento, occasionem scribendi praetermittere non potui. Reliqua tu ex superioribus, quas per mercatores nostrates Lugduno ad te dedi, [4]) intelliges. Ex his hoc solum cognosces, ita hactenus mihi aliud ex alio incidisse, ut totos sex menses quietus non fuerim, sed illos huc atque illuc cursitando exegerim. Non omnino tamen absque fructu, vel hoc solo quia miseriam, ut ille aiebat, vidi maximam.

Et tu scribis venerandos patres quintam iam sessionem aggressos, [5]) nos vero unam et illam perpetuam meditari, quum maxime ego motoriam hactenus egerim. Extra iocum: aliud nihil cogito quam vos, vos suspiro. Vobiscum ego me oblecto, absens praesens sum, tametsi his mihi non satisfacio. Faxit Dominus noster Iesus ut me, cum uxorcula et filiola consociis crucis, vobis brevi sistat. Quas ego precibus tuis, vir sanctissime, commendo. Bene vale. Perpropere. Ex hospitio urbis nutritiae Novioduni, in summis Iulii caloribus, duodecima ipsius.

Salutabis singularibus verbis fratrem *Antonium*, *Nicolaum* nostrum, DD. *Galasium, a Sancto Andrea*, *Maldonade*, et novum incolam vestrum, meum Pyladem, *Picotum*. [6]) Uxores omnes, inprimis vero

---

808. 1) *Hic enim celeberrimus postea typographus Genevensis sub nomine Io. Burgundi latet. Erat Io. Crespin Atrebas iuris doctor, studiis operam dederat per quinquennium Lovanii, deinde Parisiis pedem fixit cum populari suo Franc. Balduino, et advocatus in parlamento fuit. Denique cum Beza Genevam se contulit.* (*Haag* IV. 118. *Galiffe, not. gén.* III. 156.)

2) *Cui nomen fuit Lescambier. Eius filiam duxerat Magdalenam. Ipsius filia Margareta Genevae nupsit Eustathio Vignon, cui typographiam patris haereditario iure transmisit. Uterque etiam in N. T. graeco edendo prelum exercuit.* (*Vide Reussii biblioth. N. T. p.* 56 *sq.* 97 *sq. etc.*)

3) *Noyon in Picardia et Laur. de Normandie.*

4) *deperditas.*

5) *Sessio quinta concilii Tridentini celebrata est d.* 17. *Iunii* 1546. (*Sarpi p.* 327. *Sleidan.* II. 465. *Salig. Conc. trid.* I. 480.) *Hinc annum scriptae epistolae facile definies.*

6) *Nicol. Picot, Noviodunensis uxorem habuit Catharinam Le Fert, sororem uxoris Antonii Calvini. A.* 1547 *in civium Genevensium numerum receptus,* 1560 *ducentis adscriptus est* (*Galiffe* III. 412). *De Maldonade supra dictum N.* 577.

tuam lectissimam matronam. Anhelabo ad reditum horum qui tibi has perferunt, et tuas literas et stimulos avidissime exspectabo. Fac igitur me de omnibus quae poteris certiorem. Rursus vale vir ornatissime.

Tuus ex animo
Ioannes Burgundus.

809.

CALVINUS VIRETO.

Sibi videtur aliquam invenisse lectissimam puellam quam amico ducendam presse commendat.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 167. Inspeximus praeterea exemplaria Ionvillaei Cod. 111ᵃ, fol. 7, Turretini Cod. 111, fol. 142, Bernense Epp. VII. 765 et Simleri Vol. 61. — Versio anglica T. II. p. 51.)

Fidelissimo Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori amico et fratri carissimo.

S. Tu quid facturus sis cogita, et quid statueris mox rescribe. Quo plus inquirimus, eo pluribus testimoniis et melioribus ornatur puella. Itaque nunc exploro patris voluntatem. Simul ac certi aliquid habuerimus tibi indicabo. Tu interea fac sis paratus. *Perrino* non placet hoc coniugium, quod filiam *Ramei* tibi vult obtrudere. Id me magis sollicitat ut mature praeoccupemus, ne simus impediti excusando. Hodie, quantum intelligo, mecum aget. Nam a *Corneo* invitati sumus ambo ad coenam. [1]) Ego tempus extraham civili praetextu. Magis expediret si mihi permitteres eam petere. Bis eam vidi. Modestissima est vultu, et toto corporis habitu mire decoro. De moribus ita loquuntur omnes ut Ioannes *Parvus* [2]) mihi nuper dixerit se esse in ea captum. Vale. Dominus te consilio regat ac nobis benedicat in hoc tanti momenti instituto. 13. Iulii 1546.

Ioannes Calvinus tuus.

809. 1) *Ergo hoc tempore, non obstante consistorii de choreis nuper instituta inquisitione, Perrinum inter et Nostrum satis bene conveniebat.*
2) *Idem ille, ut videtur de quo N.* 798.

810.

CALVINUS VIRETO.

Idem negotium tractat iam fere peractum, si ille consentiat, et ipso iudice felicissime. Commendat iuvenem Italum et mittit Buceri epistolam.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 168. — Apud Ionvillaeum 111ᵃ, fol. 37 v., apud Turretinum l. l. fol. 142, in Bernensi ex. VII. 766, apud Simlerum Vol. 61. — Anglice T. II. 51.)

Fideli Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori, fratri et amico singulari.

S. Nudius tertius facta est sub finem coenae [1]) mentio coniugii, quod tibi futurum praedixeram. Sed Dominicus *Arlotius*, [2]) cuius opera usus fueram, sermonem mox interrupit. Dixit enim rem peractam. Hoc verbo audito noster [3]) ex mensa protinus exsiluit et more suo habenas laxavit indignationi. Totum enim corpus quatiens: Ergone, inquit, illam ducet ex genere pudendo? Annon potuit illi in urbe ex meliore familia inveniri? Quicunque illi autores vel adiutores fuerunt in hoc negotio, eos existimo nequam et sceleratos. De fratre et sorore ita cogor invitus loqui. [4]) Ego vero, inquam, autor illi esse non poteram cui incognita erat puella: adiutorem me fuisse profiteor, et quidem praecipuum. Sed tamen, quod asseruit *Dominicus*, rem esse confectam, non est ita, nisi quod eo usque sum progressus ut retrocedere, nisi turpiter, non liceat. Id non est meae verecundiae. Ita furor in risum conversus est. Verum coepit rursum excandescere quod abs te celatus esset. Stulta aemulatio potissimum urebat hominem quod confessus erat *Corneus*, vos aliquid inter equitandum contulisse de hac re. Itane? dicebat *Corneo*: ideo tecum ipsum comitabar ut ignominiose me excluderet a suo consilio? Quem habet in mundo fideliorem? Ipsum libenter praeferrem mihi. Excepi, male ipsum colligere, quum ne *Farello* quidem mentem tuam aperueris. Rursum ergo placatus fuit, nisi quod de *Ramea* loquutus est, quam miris laudibus extulit. Annui in omnibus, ut manerem de altera in proposito. Nunc dispice an expediat te in urbem liberum venire. Erit enim odiosa excusatio, si eam tibi obtrudere

810. 1) *vide praecedentem. Quae quum a. d. III. Idus Iulii* 1546 *scripta sit, hanc nostram ipsis Idibus assignandam esse patet.*
2) *Domeine d'Arlod saepius syndicus primum a.* 1540, *quintum a.* 1553.
3) *Am. Perrin.*
4) *Scil. ego Calvinus Perrino respondens cogor dicere meum fratrem eiusque uxorem puellam commendasse etc. Anglus haec ita intellexit ut verba Perrini sint.*

pergant. Scio quam sit etiam periculosum fidem dare, nisi explorato puellae ingenio. Anxius sum, neque facile me expedio. Hanc tamen rationem puto esse non absurdam: si velis me tuo nomine petere, conditione addita ut antequam sponsalia fiant et aliquid certo polliceamur, tu puellam convenias: sic fiet ne te urgere audeant. Rescribe igitur primo quoque nuncio quid tibi placeat. Quanquam simul consulo ne diu differamus et propediem venias. De puella nihil audimus quod non mire arrideat. In patre etiam et matre nihil culpatur. Magis confirmor quum video adversarios nihil habere quod carpant, nisi quod nos absterrere non potuit. In *Ramea* sunt aliqua quae metuo. Tamen quia res tua agitur, liberum tibi sit eligere. Nunquam tamen tibi concedam, hominem esse in mundo cui maiori curae sit res sua quam mihi haec est.

Hic adolescens ex Italia se ad nos contulerat ut sacris literis operam daret, si inventa esset conditio qualem speraverat: sed quoniam spes eum frustrata est, antequam domum rediret voluit te invisere. Bonam sane indolem in eo animadverti. Tu eum paucis verbis in timore Domini et doctrinae eius reverentia confirmabis. Vale. Dominus te consilio regat et tibi benedicat in hac tanti momenti consultatione. Saluta diligenter omnes fratres. Genevae.

Ioannes Calvinus tuus.

Ignosce quod has literas non miserim nuper per quaestorem nostrum, *Buceri* dico.[5]) Nam quum nuncius resignatas obtulisset, putavi abs te et *Farello* iam lectas. Postea admonuit, ne *Tossanum* quidem legisse. Mittes igitur ad *Farellum*, quum primum se dabit occasio. Miror *Bucerum* non exorsum fuisse a tam execrando latrocinio quod perpetravit Imperator, quum primarios senatores Ratisponae decollavit.[6]) Miror etiam quod de incendiariis nullam fecerit mentionem, sed partem condono eius occupationibus, alteram partem forte praetermisit consilio, quia non audebat dubiis temporibus omnia literis mandare.

5) *deperditas, quibus ille nova ex Germania scripsisse videtur.*
6) *haec Noster ex falso rumore habebat. Senatus Ratisbonensis minime contra Imperatorem moverat. Vide ep. Farelli infra* 3. *Sept.*

811.

CALVINUS VIRETO.

Dic modo verbum: confecta res est.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 166. Caetera exemplaria invenies locis modo laudatis, Turretini fol. 142 v. Bernense p. 769. Simleri Vol. 61 solum Ionvillaei alibi exstat scil. Cod. 196, fol. 82. — Anglice II. 52.)

Fideli Christi servo Petro Vireto fratri et amico singulari.

S. Dic modo verbum: confecta res est.[1]) Nunquam adeo festinassem, nisi me tot praeclara testimonia movissent: sed nihil me magis coegit quam quod optabam nos expeditos ab illis tricis quas nosti. Vale iterum.[2])

812.

MYCONIUS CALVINO.

De puero illo qui Basileam mittendus erat, deperditis, ut videtur, ipsius literis, nihil amplius audivit. Addit quaedam recens ex Germania nunciata, de Papa et Sadoleto.

(Ex autographo Cod. Genev. 113, fol. 76.)

D. Ioanni Calvino viro doctissimo ministro Christi apud Genevenses fidelissimo fratri ac domino suspiciendo suo.

S. Nuper, amice, scripsi ad te. Nihil accepi ab eis literis quas scripsisti de puero mercatoris cuiusdam Genevensis recipiendo ad mensam.[1]) Quibus et respondi per *Farellum* et *Viretum:*[2]) at quantum suspicor non reddiderunt quod respondi. Sententia fuit, si hodie mitteret ille filium, cras missurus essem ego meum. Breviter dico, quia tempus non est scribendi pluribus. Quem misisti fasciculum curabo diligenter. Miror tamen cur ex inscriptione deberet esse periculum. Times forsitan

811. 1) *Imo non confecta est ut ex sequentibus disces* (*N.* 813).
2) *Turretinus suspicatur eodem die scriptam fuisse ac proxime praecedentem, sed per alium nuncium. Sane de eadem puella dicit, et omni mora excussa cunctantem iubet advolare. Sed dies unus aut alter intercedere potuerat.*
812. 1) *N.* 796.
2) *qui mense Maio ex Argentorato reduces Basileae transierant.*

aliquid quod equidem ignoro. Res D. *Buceri* recte habent apud suos: non est igitur ut inscriptione alia sit opus.

De tumultu bellico non opus est ut multis scribam. Nosti nimirum omnia, et quae ignoras ex legatis tuis intelliges. Unum dicam: et *Carolum* et papam Helvetios suis scriptis cepisse, ut eos qui ad civitates exierunt revocare suffragiis tentent. Quatuor millia sunt. Exspecto si sint obtemperaturi revocationi non satis aequae. Adde: mandat Antichristus episcopis Sedunensi et Curiensi, abbatibus item helveticis, ut veniant Tridentum, quum ipsi sint ecclesia helvetica et inprimis debeant curare ut haereses, quae apud se sint exortae, exstirpentur. Quod si fecerint, bene quidem: sin aliter, se facturum pro officio.

Audio quoque *Sadoletum* agere in Provincia crudelissime contra Dominum.[3]) Non id exspectaram ab homine humano. Video ergo verissimum esse quod semper dico, nullam esse plane fidem ubi non est Deus. Igitur qui ab huiusmodi homine fallitur a se ipso fallitur. De adventu Turci rumor est iterum, et quod grassetur circa Ungariam valde turcicῶς. Feliciter agitur hactenus auxilio divino ab exercitu nostro. Implorandus Dominus ut pacem largiatur quae non obsit gloriae ipsius. Vale in eodem, cum bonis ac piis omnibus. Basileae raptim 20. Iulii ann. 1546.

T. Os. Myconius.

813.

CALVINUS VIRETO.

Res tantum abest ut confecta sit, ut totum negotium sit abruptum. Ergo alio nos vertamus.

(Autographon deperditum videtur. Describimus exemplar Ionvillaei ex Cod. Genev. 196, fol. 81 v. collatum cum apographo Turretini Cod. 111, fol. 145, Bernensi Epp. VII. 767, et Simleri Vol. 61. Versio anglica exhibet T. II. p. 54.)

Quod tibi per quaestorem scripseram de confecto negotio, mihi a Petro *Urserio*[1]) relatum fuerat, quo internuncio tunc utebar, quod nolebam, nisi accepto certiore mandato, ipse verba facere. Lectis vero tuis literis ita patrem et filiam convenio ut nihil de successu prorsus haesitarem. Verum simul atque migrationis facta est mentio, excepit pater, sibi aliud fuisse promissum. Negavi factum id fuisse nobis consciis: quin etiam Petro *Urserio* me diligenter praecepisse ne talibus promissis eos lactaret. Ostendi quam foret absurdum nos relictis ecclesiis sequi quo uxores vocarent: infelix fore coniugium quod hac lege sancitum foret: fore enim impiam pactionem, quae nec tibi nec puellae impune cessura esset: abs te demum nunquam posse impetrari ut tam foedi exempli autor esses, ideoque frustra postulari. Adiunxi, Lausannam non adeo procul hinc distare, quin filia illi adfutura esset quoties esset necesse: satius etiam fore filiae absenti quotidie gratulari, quam assidue videre audireque eiulantem et conquerentem de mariti iniuriis, quod in tam multis cerneret. Petiit deliberandi spatium. Tertio die respondit se unicam filiam alio nolle ablegare. Vehementer indignatus sum eorum stultitia, quibus fidebam, nos ita delusos. Continui tamen me ac dissimulatione texi iracundiam. Apud te vero non est quod pluribus excusem, qui omni culpa careo. Alio itaque nos vertamus. *Christophorus* mecum de quadam vidua loquutus est, quam tibi asserit mire placere. Si ita est quiesco ac desino. Sin minus, quid velis significa. Propediem etiam habebimus Argentorato nuncium. Vale, frater et amice integerrime. Saluta symmystas omnes peramanter. Dominus vos omnes servet incolumes suoque spiritu gubernet usque in finem. Genevae 25. Iulii.

Ioannes Calvinus tuus.

Ignosce quod per famulum *Petronillae* non scripseram. Nondum enim certior eram factus, hoc est, fulgebat adhuc aliqua spei scintilla.

814.

CALVINUS VOLMARIO.

Dedicatio commentarii in secundam Pauli ad Corinthios epistolam.

(Ex archetypo Genevae per Ioannem Gerardum impresso 1548. Caeteras editiones alibi recensebimus.)

Ornatissimo viro Melchiori Volmario[1]) Iurisconsulto Ioannes Calvinus S.

Si me non modo negligentiae sed etiam inhu-

3) *De hoc neque Hist. ecclesiastica neque Historia Martyrum aliquid produnt. Imo cf. illam I. 41 sq.*

813. 1) *Pierre d'Orsières châtelain de Peney* (*Galiffe l. l.* I. 177) *vir nobilis saepius in Commentariis publicis laudatus. Vides Vireti matrimonium primariis urbis curae fuisse.*

814. 1) *De M. Wolmario Rufo v. Bezae Icones, Adami Vitas germ. philos. Ed. III. Frcf.* 1706, *p.* 108; *Baum, Beza I. p.* 11. — *Natus in oppido Rottweil, Parisiis studiis operam*

manitatis accuses, quod tam diu nihil ego ad te literarum dederim, fateor, quod excusem vix me habere. Nam si praetexam, longis nos locorum spatiis distare, neminem me habuisse toto quinquennio [2]) qui istuc proficisceretur, verum quidem erit: sed nimis infirmum fore, iam sponte agnosco. Quamobrem nihil melius visum quam compensationem aliquam interponere, quae superioris temporis errata corrigendo me semel omni culpa liberaret. En itaque tibi Commentarius in secundam Pauli ad Corinthios epistolam, quanta potui industria a me elaboratus. Neque enim dubito quin tibi, pro tua aequitate, iustae compensationis loco futurus sit. Quanquam aliis etiam et quidem gravioribus causis ad eum tibi nuncupandum sum adductus. Primum memini amicitiam, quae mihi aliquantula tecum pridem intercesserat, qua fide colueris atque auxeris: quam liberaliter paratus fueris te mihi officiaque tua impendere, quum testandi amoris erga me tui oblatam tibi occasionem esse putares: [3]) quam sedulo operam mihi tuam detuleris ad me ornandum, nisi me vocatio, cui tunc eram alligatus, ea uti prohibuisset. Verum nihil apud me plus valuit quam primi temporis recordatio, quo ego, a patre missus ad discendum ius civile, graecas literas te autore ac magistro legum studio permiscui: quas tunc summa cum laude profitebaris. Neque vero per te stetit quin maiores facerem progressus. Manum enim, quae tua est humanitas, porrigere non recusasses ad totum stadii decursum, nisi me ab ipsis prope carceribus mors patris [4]) revocasset. Hoc tamen nomine tibi non parum debeo, quod rudimentis saltem abs te fui imbutus, quae mihi maiori postea adiumento forent. Proinde aliter mihi satisfacere non potui, quam si ad posteros exstaret aliquod gratitudinis meae monumentum et simul qualiscunque laboris tui fructus ad te rediret. Vale. Genevae calendis Aug. 1546. [5])

---

navavit ducibus Iac. Fabro Stapulensi, Guil. Budaeo et Theod. Lascari. Postea primum Aureliae deinde apud Bituriges, a Margaretha ducissa Alenconii vocatus, litt. hum. docuit. A. 1535 *Tubingam concessit ab Ulrico duce accersitus. Postremo Isnam se recepit ibique a.* 1561 *aet.* 64 *diem suum obiit.*

2) *scil. ex quo ipse C. Argentoratum reliquerat, unde facillime epistolicum cum Suevis commercium institui poterat.*

3) Entre autres qu'il hantoit pour lors à Bourges, il y avoit un excellent personnage allemand, professeur des lettres grecques, aux gages de la feue roine de Navarre lors duchesse de Berry: c'estoit Melchior Volmar .... Ce bon personnage voyant que Calvin avoit faute des lettres grecques fit tant qu'il s'appliqua à les apprendre. A quoy aussi il luy servit beaucoup, comme luy mesme en a rendu tesmoignage en luy dediant ses commentaires sur la seconde ép. aux Corinthiens *etc.* (*Bèze-Colladon, Vie de C. éd. Franklin p.* 15.)

4) Sur ces entrefaites son pere va mourir, qui fut cause qu'abandonnant ses estudes de loix il retourna à Noyon et puis vint à Paris (*ibid. p.* 17).

5) *Commentarius ipse demum a.* 1548 *prodiit. Causam habebis infra.*

815.

VIRETUS CALVINO.

Diuturnum amici silentium miratus literas aliquas deperditas aut interceptas fuisse suspicatur.

(Ex autographo Cod. Gothani 405, fol. 109.)

D. Ioanni Calvino fratri et amico integerrimo Genevae.

S. Pro quinis aut senis ad te literis, ne literam quidem abs te accepi. [1]) Miror cui tuas ad me dederis. Nam tribus nunciis mihi confirmatum est te scripsisse. Metuo ne duo illi iuvenes, qui Argentorato venerant, utrumque fefellerint, postquam hac non redierunt, si modo istinc solverint. Te igitur quaeso ut per hunc tabellarium me facias omnium certiorem, si forte divinare aut coniicere possim quo literae pervenire potuerint. Timeo ne perfidia tabellarii inciderunt [2]) in manus eorum qui parum nobis et pietati favent. Scribe igitur ad me perinde ac si nihil scripsisses. Vale. Lausannae. 8. Augusti 1546.

Tuus Petrus Viretus.

816.

CALVINUS VIRETO.

Ipse quoque nuperrimam epistolam amico non redditam queritur eiusque summam repetit. Commentarii Argentoratum missi eo non pervenisse videntur. Farellum Lausannam vocandum putat ad professionem linguae hebraicae.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 169. Quater alibi exstat Cod. 111 a, fol. 37, Cod. 111, fol. 146, Bern. Epp. VII. 771 et Siml. Vol. 61.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori.

S. Miror ac doleo non redditas tibi fuisse literas quibus familiariter complexus eram permulta quae nollem in aliorum manus venire. Is cui

---

815. 1) *Quae omnes nobis deperditae sunt, nisi forte una aut altera inter eas lateat quas certo anno assignare non possumus. Calvini epistolae ad Viretum hoc tempore scriptas plurimae exstant, non tamen omnes ut ex proxime sequenti constabit.*

2) *sic.*

dederam erat alter ex iuvenibus qui Argentorato venerant. Forte ita se ulcisci voluit quod non tantum illi habitum erat fidei a fratre meo quantum speraverat. Frater enim ab eo semel iam deceptus committere illi maioris pretii libros recusavit. Scribebam de statu urbis nostrae,[1]) de negotio coniugali et aliis: *Fallesium* nihildum respondisse quod nuncius illuc non pervenerat: hac cura me vehementer cruciavi quod meos commentarios[2]) illi dederam, nullo exemplari retento: demum hortabar ut libellum tuum[3]) primo quoque die mitteres, lectionem mihi oblectamento fore et simul remedio ad fallendum taedium. Quam vereor ne mihi illuserit ille nebulo. Sed iacta est alea. Scriberem prolixius nisi nuncius festinaret: sed exspecto dum aliquid laetius Argentorato afferatur, si salvus nuncius illuc appulerit. Audiemus etiam *Fallesii* consilium.[4]) Longior quidem mora non placet, sed usque ad paucos dies differre non erit adeo incommodum. Si vobis cito eligendus est professor nescio quid dicam. Certe dum omnia confero in duobus quos nominas, magis alternat animus quam inclinet alterutram in partem. *Farellus* tamen longe exercitatior est in scripturarum lectione, et fidelior interpres futurus, ut omittam linguae hebraicae cognitionem. Et nulla meo iudicio reperitur aptior occupatio in qua boni viri senectus exerceatur et acquiescat. Indies enim magis dediscit esse popularis.[5]) Tu tamen dispice, cum *Ribitto* praesertim et *Iacobo*,[6]) quos diligenter salutabis meo nomine, una cum fratribus et amicis. Dominus vos omnes semper regat spiritu suo. Vale, frater et amice integerrime. Genevae 9. Augusti.[7])

Ioannes Calvinus tuus.

---

816. 1) *Talis epistola inter proxime praecedentes non exstat.*
2) *in secundam ad Corinthios, quos Rihelio Argentoratensi excudendos miserat. v. N.* 817. 826.
3) *Quem libellum hic significet incertum est. Ad a.* 1546 *Schmidtius noster unum tantum Vireti exhibet:* Exposition familiere sur le symbole des apostres. Gen. 12 *cuius tamen Haagius antiquiores editiones ad* 1543 *et* 1544 *refert. Quid quod ex N.* 820 *patet Vireti opus pluribus tractatibus constitisse, ita ut de tertio disputationum volumine cogitare possis.*
4) *De eligenda Vireto uxore* (*N.* 806, *not.* 4).
5) *Classis Lausannensis revera Farellum proposuit, quem tamen Bernensis senatus vocandum non duxit. Paulo serius, quum etiam Curio abiisset, Zebedaeus accersitus fuit.* (*Ruchat* V. 298.)
6) *Valerio.*
7) *Iam Turretinus annum* 1546 *recte definivit.*

817.

CALVINUS VIRETO.

Iterum de epistolis et commentariis deperditis. De negotio Vireti cum debitore Argentoratensi. De novo scandalo a Fabrorum familia et Perrini uxore exorto.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 170 et ap. Ionvillaeum Cod. 111[a], fol. 7. A Turretino Cod. 111 omissa etiam inter Bernenses et Simlerianas desideratur. Edita est, sed ex parte tantum a Beza Gen. p. 63, Laus. p. 141, Hanov. p. 158, Chouet p. 83, Amst. p. 38.)

Fidelissimo Christi Domini nostri servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori.

S. Scripsi ad te ante triduum quum adhuc de superioribus literis dubium esset, periissentne an tibi redditae fuissent. Iam alia quoque maioris momenti perdita fuisse video. Utinam mihi Ioannes *Girardus* indicasset se biblia missurum. Vetuissem. Ita salvae fuissent reliquae chartae. Neque enim sine mercede fallere voluisset.[1]) De meo commentario nihildum audivi. Ita factum est ut neque mihi de tuo negotio rescripserit *Fallesius*. Hoc inter nos interest quod ista iactura te non impediet a libelli editione. Ego, si intellexero lucubrationem meam fuisse perditam, Paulum non amplius attingere decrevi. Et tamen magnum est periculum. Mensis enim ab eius discessu elapsus erat,[2]) quum mihi scriptum est nondum illuc appulisse. Anxie exspecto quid afferat proximus nuncius. Literas *Farelli* remiseram et *Mallieti*, cum meo consilio quid in utroque agendum foret. Pecuniam, quacunque ratione curaverit tibi *Mallietus*, recipere tuto potes.[3]) Quis sit Argentinensis mercator, tua nihil refert. Donec tibi eam numeraverit *Nicolaus*, extra periculum tuum erit. *Farellus*, mea opinione, consultius in hanc formam scriberet: Se audita dissidii aut simultatis fama mecum egisse ne ecclesiam perderemus: me humaniter respondisse, alienationem minime accidisse mea culpa, neque etiam hodie manere: illum falsis partim delationibus partim suspicionibus temere locum dedisse: mihi nihil esse

---

817. 1) *Suspicatur ut vides tabellarium epistolas ideo non tradidisse ut etiam illa biblia sibi reservaret. Quod ad haec ipsa attinet v. N.* 773, *not.* 3.
2) *Epistola ergo nuncupatoria ad Volmarium nondum manuscripto commentario addita erat.*
3) *Ant. Maillet passim occurrit in epp. ad Fallesium et Farellum. Videtur fuisse mercator aut trapezita Neocomensis qui cum Argentoratensibus et Belgis negotia habebat. Hic agitur de quadam pecuniae summa quae Vireto debebatur et quam Nic. Le Fert, quum alia de causa Argentinam proficisceretur, recuperaturum se receperat.*

maiori curae quam eius salutem commodaque omnia, ac tametsi videam eum nebulonibus se adiungere quo stomachum mihi moveat, me tamen magis recordari superiorum temporum. Tandem sequentur exhortationes. In tempore adhuc veniet epistola. Neque enim magnitudinem suam retinere potest quin foveat magna scandala. Neque ullus est finis. Interea me fugit: nisi quod semel a coena ad me venit. Cogor autem, velim nolim, multa agere quae ipsum pungant.

Nuper[4]) spurius ex domo *Fabrorum*[5]) cui nomen est ab Orba uxorem duxit spuriam cuiusdam Nantuatis. Triginta aut circiter prodierunt obviam sponsae. Vides quam ridicula fuerit pompa. Nosti enim maritum, hominem nihili et nullius honoris. Et tamen strepitus audiebatur tota urbe eius causa valde intempestivus. Egressi sunt quum haberetur prima concio. Inter secundam concionem sunt reversi. Quid sequutum est? Dominus stercore aspersit totam illam pompam. *Abel* coniugio benedicebat. Quum stipularetur fidem coniugalem, nebulo alibi habebat animum. Iussit ut saltem annueret. Caput concussit. Magna populi obmurmuratio. *Abel* perrexit, quum deberet actionem abrumpere. Verum se nequaquam animadvertisse deierat. Quod ridebat noster severe punitum fuit a senatu. Nam contemptor ille per dies octo in arctum carcerem inclusus hodie coram ecclesia culpam deprecatus est. Patruus uxoris *Ioannes* nunc est in carcere. Severe prohibitum insulario ne quid praeter aquam et panem illi det. Neque exiturus est nisi cum publica ignominia. Nam quum Deum palam abnegaret atque a fratre nostro *Raymondo*[6]) reprehenderetur, repetita exsecrabili Dei eiuratione dixit sibi dolere quod non arrepta barba eum in terram illisum pedibus calcasset. *Proserpina*[7]) etiam, pridie quam sponsam exciperent tam honorifice, socrum ita vulneravit ut largus illi sanguis ex occipitio flueret, facies autem laceratione foedata esset, totum corpus luto et pulvere conspersum. Nosti qualis sit temperies vetulae. Audiebatur toto vico inclamans Dei et hominum fidem. *Proserpinam* ad consistorium vocavimus. Sed ad sororem evolaverat. Proxime iterum vocabitur. Quid facerem? Silentione redimerem unius hominis gratiam, ut a tota ecclesia proditionis damner? Dabo tamen operam ne iure excandescat. *Penthesilea*[8]) certe brevi nobis reprimenda erit. Nam malas omnes causas suscipit et furiose defendit. Denique fronte meretricia agit omnia et loquitur.[9]) Hodie venerunt a *Frellonio*[10]) literae, *Petrum* librarium[11]) fuisse exustum. Cuius te monitum volui ut de puella cogites, quando eligendi spatium Dominus nobis concessit. Vellem tamen diligenter inquirere priusquam eo adiiciamus animum. Vale, frater et amice integerrime. Saluta symmystas omnes diligenter. 11. Augusti 1546.

Ioannes Calvinus tuus.

4) *Hinc incipiunt edd.*
5) *Vide omnino N.* 791. 792. *Le bâtard d'Orbe, Roget* II. 224.
6) *Chauvet.*
7) *Hoc nomine designatur mater Perrini, Pernette Grant, Claudii Perrini vidua. Cf. Galiffe, Not. gén.* III. 379. *Bonivard, police de Genève p.* 55, *Roget, hist. de Genève* II. 246. *Ioannes ille Favre, qui supra occurrebat pannifex vocatur s. propola (drapier). Et ipse quoque Mallietus (Guy Maillet) gentis eiusdem affinis erat, quippe cuius uxor soror fuerit prioris Amedei Perrini uxoris.*
8) *Francisca Favre, Perrini uxor, de qua supra l. l. De qua vide etiam Gaberel p.* 384. *Roget* 226. *Geneva tandem relicta in vicum Pregny in ditione Bernensium se recepit.*
9) *Hic subsistunt edd.*
10) *N.* 766.
11) *Petrus Chapot Delphinas, olim Genevae degens, postea Parisiis ob exemplaria S. S. divendita et distributa a Io. André bibliopola Liseto praesidi parlamenti et Sorbonistis denunciatus periit (Hist. des Martyrs p.* 190).

818.

VIRETUS CALVINO.

Literas illas itemque commentarium in Corinthios iam ipse deperdita credit. Libellum suum propediem mittet. De novo matrimonio pro tempore amplius non cogitat.

(Ex autographo Cod. Genev. 111[a], fol. 156 in quo tamen charta passim deficit, madore deleta.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino fratri et symmystae plurimum observando

Genevae.

S. Scripsi ad *Farellum* iuxta tuam sententiam. Mihi dolet tibi tam longum esse cer[*tamen*] cum monstris istis.[1]) Quam metuo ne br[*evi*] magno cum luctu videamus [*eorum*] ruinam quos servatos cupimus. Tu tuo muneri [*dees*]se non potes. Dominus tibi perpetuo [*adsit*] et illos revocet ad mentem meliorem. Si tua in Paulum lucubratio perierit, me plurimum ea iactura cruciabit, quum tuo tum potissimum ecclesiae nomine. Miror quo se proripuer[*int*] illi nebulones qui tanta perfidia nobiscum egerunt. Si tuae literae, quibus *Fallesium* s[*uper*] meo negotio consulebas, non perverint[2]) in manus illius, nisi tu deinceps scripseris, diu et

818. 1) *Fabrorum gente.*
2) *sic.*

frustra responsum exspectabis. Quod si per hos nebulones scripseris, metuo ne idem tibi contingat. Velim tamen te aliquid accepisse responsi, postquam res nostrae nobis integrum manent. Tametsi non decrevi negotium praecipitare, video tamen instare hyemem. Priusquam ergo quidquam certo constitutum sit p[*aene?*] aderit hyems, s[*per*]oque fore ut aliquis sit huius motus germanici eventus. Nihildum hic habeo quo valde inclinet animus meus. Quo magis cogito, eo magis angor: quo fit ut statuerim me totum aliis cogitationibus impendere, ne frustra me commemoratione accepti vulneris cruciem. Totum negotium Domino commendo. Qui hic curet, perpaucos habeo, aut si qui sunt parum valent in hac re. Libellum de quo ad te scripsi mittam propediem. Sed nolo ut tu molestiam eius legendi devores. Satis erit si quis indicarit si quid videbitur minus firmum, aut quod praestiterit silentio premere. Sed de dicando tu nihil respondisti. Fortasse tuum differs iudicium donec intellexeris quid contineat. Quod scribis de *Petro* libra[*rio*], me arbitror coniicere quid velis. Ego qualis sit fa . . . . ingenia, aut quid [*sit*] sperandum, haud satis [*novi. C*]ommitto omnia tuae p[*rudentiae*] . . . . . . nosti quid mihi . . . . Saluta uxorem meo nomine. Vale. Lausannae 14. . . . . . . 546.[3])

Tuus P. Viretus.

819.

CALVINUS MYCONIO.

Negotium de pueris duobus a parentibus mutuo sibi tradendis denuo capessit. Nova refert ex Gallia et Germania et vicissim talia sibi scribi petit.

(Ex apographo coaevo Cod. Gen. 107ᵃ, fol. 300. Recentius Turretini habetur Cod. 108, fol. 160, unde manavit Bernense Epp. VII. 517, denique Simleri Vol. 61.)

Ornatissimo viro D. Osualdo Myconio Basiliensis ecclesiae fido pastori symmystae et fratri colendissimo.

S. Ex postremis tuis literis intelligo eum cui meas dederam fefellisse. Excusabam de puero[1]) quod interea in morbum incidisset. Nunc convaluit. Itaque decrevit pater circa initium Septembris eum mittere. Novi nihil hic habemus nisi quod Sabaudi nova spe inflati sunt post allatum motus germanici rumorem. Quid rex Galliae habeat in animo nescitur. Lugdunum tamen propediem veniet. Favere etiam Caesari non est credibile. Curia tamen Parisiensis miro furore ardet ad pios trucidandos:[2]) flammis scilicet Antichristo litant sicuti Caesar gladiis. Delectus habiti sunt in Italia tanto studio ut Caesar parte aliqua praesidii arcem Mediolanensem exuerit. Si nostri cessant male agitur. Multum enim in festinatione positum est, ut ante opprimatur hostis quam spatium habeat viribus colligendis. Nos precibus militamus ut Dominus se illis ducem ostendat suisque auspiciis gubernet totum bellum. Amen.

Rogo, si quid habebis quod mea scire referat aut scitu dignum sit, non graveris scribere. Non diu Argentinae morabitur nuncius. Diem tibi indicabit quo sint paratae literae. Vale, frater in Domino plurimum observande. Dominus te cum uxore et familia conservet. Genevae 17. August.

Ioannes Calvinus tuus.

820.

CALVINUS VIRETO.

Sulzerum salutari iubet cuius epistolam sibi placuisse testatur. Petit ut opus amici, antequam excudi incipiat, integrum typographo tradatur. Macrini filia morte absumpta.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 171. — Reperies Apographa Ionvillaei Cod. 111ᵃ, fol. 7 v., Turretini Cod. 111, fol. 147, Bernense Epp. VII. 773 et Simleri Vol. 61.)

Fideli Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et symmystae carissimo.

S. *Sulzeri* epistola, quod non speraveram, mihi placuit. Sic enim penitus a se alienavit animum meum, ut statuerem ingratum mihi esse debere quidquid ab eo exiret. Nunc gaudeo me fuisse falsum in hac epistola. Quum ad illum scribes, velim nomine meo salutem adscribas: quanquam, ut verum fatear, multum abest quin illi sim plane reconciliatus. Opus, cuius initium misisti, totum

3) *Ad mensem Augustum hanc pertinere ex proxime praecedentibus apparet quae de libris et literis amissis et Petro librario egerant.*

819. 1) *N.* 796. 812.

2) *N.* 817, *not.* 11.

esse in manibus Ioannis *Girardi* praestabit antequam excudere incipiat, ut pro magnitudine chartam eligat. Quanquam duos posteriores tractatus breves fore existimo.[1]) Epistolam nuncupatoriam malo ipse tuo arbitratu componas. Si quid in forma et titulis peccatum fuerit non magno negotio corrigetur. *Macrino*[2]) Dominus filiolam abstulit ex quo discessit cognatus. Itaque nostrorum conviciis extractus fuit in agrum, quando precibus educi non poterat. Amanter et honeste tractatur. Iacturam magno animo fert, ita ut vulneris tamen acerbitatem sentiat. Vale, frater et amice integerrime. Uxor mea tibi plurimam salutem dicit. Saluta fratres meo nomine. Genevae 23. Aug. 1546.

Ioannes Calvinus tuus.

821.

CALVINUS VIRETO.

Amanuensem quendam ei commendat.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 172. Quatuor apographa locis saepius laudatis Cod. 111ᵃ, fol. 8, Cod. 111, fol. 147, Bern. VII. 774. Simleri Vol. 61.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae fido pastori fratri integerrimo.

S. Quum admonitus essem ab Ioanne *Girardo* te hominem petere et[1]) tibi et minister et amanuensis foret, hunc ad te mittendum censui, quia et elegantissime scribit et mihi visus est moribus compositis. Poteris aliquot diebus facere periculum num tibi sit idoneus. Ego nisi id sperarem autor illi nunquam fuissem ad te proficiscendi. Sed tuum erit iudicare. Vale. 24. Aug. 1546.

Ioannes Calvinus tuus.

---

820. 1) *v. N.* 816, *not.* 3. *Quae hic de epistola nuncupatoria deque forma et titulis dicit, paulo obscurius dicta quam ut ea explanare conemur, praesertim quum ne de ipso opere quidem nobis satis constet.*
2) *Laurent Maigret, v. N.* 741, *not.* 2.

821. 1) *sic autogr. Caeteri omnes emendant:* qui. *Fortasse legendum*: ut.

822.

FARELLUS CALVINO.

Mittit ei epistolam Perrino destinatam, eumque invitat ad proximum classis conventum.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium. Epp. Farelli fascic. III. N. 17.)

Insigni servo Christi Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis doctissimo et admodum pio Genevae.

S. *Viretus* scripsit priores tibi non placuisse literas, ac sane multo minus tibi placebunt posteriores. Nam satis non assequutus sum quid vellet literis suis quibus me hortatus est ut rursus scriberem. Malui tamen tentare aliquid quam nihil agere. Si prodesse possit et tu ita iudices, quod scripsi fac ut reddatur: sin minus, pereat. Age ut pro tua prudentia noveris.[1])

Lutetia pergit ut mensuram impleat iniquitatis.[2]) Quanta est immanitas sceleratorum in verbum et eos qui aliquid verbi sectari videantur, ut ignorantes quoque perdant! Rependat Dominus Satanae et Antichristo dignam mercedem pro iis quae tam flagitiose facit.

Cuperemus, si fieri posset, ut die Iovis proxima[3]) adesses, si quid fieri posset: quod vix sperare possum, siquidem insignis Christi hostis ac proditor nihil non agit veteratone,[4]) et vix video aliquem qui causam Domini ita tractet ut oportet. Quid faciant hi tam intenti unusquisque eorum propriis, quum fratres mei in tanto periculo securi videantur haerere apud eos qui aliud quam ipsorum perniciem non optant. Me frustra reclamante et incusante moram existimo te tuas partes absolvisse, at surdis canimus.

Aegerrime tuli quod acceperim te ita dedisse notas tuas in alteram ad Corinthios ut periculum sit ne perierint. Si matres suos foetus curant non negligenter, talem in Domino foetum debebas paulo circumspectius mittere. At spero Dominum ita nobiscum acturum ut non perierint. Vale cum tua coniuge. Utinam parem *Vireto* Dominus det. Saluta omnes collegas, te per Dominum quaeso, ac omnium precibus nos commenda. Neocomi 25. Augusti 1546.

Tuus totus Farellus.

---

822. 1) *Ex N.* 824 *efficies hic agi de literis Farelli ad Perrinum scriptis, quocum Calvinus in gratiam redire cupiebat, ita tamen ut suam sibi dignitatem servaret.*
2) *Alludit ad supplicium Petri Chapot* (*N.* 817, *not.* 11).
3) *i. e.* 2. *Sept. Nam de* 26. *Aug. cogitari nequit. Qua vero de causa, non liquet.*
4) *sic!* (veteratorie?)

frustra responsum exspectabis. Quod si per hos nebulones scripseris, metuo ne idem tibi contingat. Velim tamen te aliquid accepisse responsi, postquam res nostrae nobis integrum manent. Tametsi non decrevi negotium praecipitare, video tamen instare hyemem. Priusquam ergo quidquam certo constitutum sit p[*aene?*] aderit hyems, s[*per*]oque fore ut aliquis sit huius motus germanici eventus. Nihildum hic habeo quo valde inclinet animus meus. Quo magis cogito, eo magis angor: quo fit ut statuerim me totum aliis cogitationibus impendere, ne frustra me commemoratione accepti vulneris cruciem. Totum negotium Domino commendo. Qui hic curet, perpaucos habeo, aut si qui sunt parum valent in hac re. Libellum de quo ad te scripsi mittam propediem. Sed nolo ut tu molestiam eius legendi devores. Satis erit si quis indicarit si quid videbitur minus firmum, aut quod praestiterit silentio premere. Sed de dicando tu nihil respondisti. Fortasse tuum differs iudicium donec intellexeris quid contineat. Quod scribis de *Petro* libra[*rio*], me arbitror coniicere quid velis. Ego qualis sit fa . . . . ingenia, aut quid [*sit*] sperandum, haud satis [*novi. C*]ommitto omnia tuae p[*rudentiae*] . . . . . . nosti quid mihi . . . . Saluta uxorem meo nomine. Vale. Lausannae 14. . . . . 546.[3])

Tuus P. Viretus.

819.

CALVINUS MYCONIO.

Negotium de pueris duobus a parentibus mutuo sibi tradendis denuo capessit. Nova refert ex Gallia et Germania et vicissim talia sibi scribi petit.

(Ex apographo coaevo Cod. Gen. 107[a], fol. 300. Recentius Turretini habetur Cod. 108, fol. 160, unde manavit Bernense Epp. VII. 517, denique Simleri Vol. 61.)

Ornatissimo viro D. Osualdo Myconio Basiliensis ecclesiae fido pastori symmystae et fratri colendissimo.

S. Ex postremis tuis literis intelligo eum cui meas dederam fefellisse. Excusabam de puero[1]) quod interea in morbum incidisset. Nunc convaluit. Itaque decrevit pater circa initium Septembris eum mittere. Novi nihil hic habemus nisi quod Sabaudi nova spe inflati sunt post allatum motus germanici rumorem. Quid rex Galliae habeat in animo nescitur. Lugdunum tamen propediem veniet. Favere etiam Caesari non est credibile. Curia tamen Parisiensis miro furore ardet ad pios trucidandos:[2]) flammis scilicet Antichristo litant sicuti Caesar gladiis. Delectus habiti sunt in Italia tanto studio ut Caesar parte aliqua praesidii arcem Mediolanensem exuerit. Si nostri cessant male agitur. Multum enim in festinatione positum est, ut ante opprimatur hostis quam spatium habeat viribus colligendis. Nos precibus militamus ut Dominus se illis ducem ostendat suisque auspiciis gubernet totum bellum. Amen.

Rogo, si quid habebis quod mea scire referat aut scitu dignum sit, non graveris scribere. Non diu Argentinae morabitur nuncius. Diem tibi indicabit quo sint paratae literae. Vale, frater in Domino plurimum observande. Dominus te cum uxore et familia conservet. Genevae 17. August.

Ioannes Calvinus tuus.

820.

CALVINUS VIRETO.

Sulzerum salutari iubet cuius epistolam sibi placuisse testatur. Petit ut opus amici, antequam excudi incipiat, integrum typographo tradatur. Macrini filia morte absumpta.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 171. — Reperies Apographa Ionvillaei Cod. 111[a], fol. 7 v., Turretini Cod. 111, fol. 147, Bernense Epp. VII. 773 et Simleri Vol. 61.)

Fideli Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et symmystae carissimo.

S. *Sulzeri* epistola, quod non speraveram, mihi placuit. Sic enim penitus a se alienavit animum meum, ut statuerem ingratum mihi esse debere quidquid ab eo exiret. Nunc gaudeo me fuisse falsum in hac epistola. Quum ad illum scribes, velim nomine meo salutem adscribas: quanquam, ut verum fatear, multum abest quin illi sim plane reconciliatus. Opus, cuius initium misisti, totum

3) *Ad mensem Augustum hanc pertinere ex proxime praecedentibus apparet quae de libris et literis amissis et Petro librario egerant.*

819. 1) *N.* 796. 812.

2) *N.* 817, *not.* 11.

esse in manibus Ioannis *Girardi* praestabit antequam excudere incipiat, ut pro magnitudine chartam eligat. Quanquam duos posteriores tractatus breves fore existimo.[1]) Epistolam nuncupatoriam malo ipse tuo arbitratu componas. Si quid in forma et titulis peccatum fuerit non magno negotio corrigetur. *Macrino*[2]) Dominus filiolam abstulit ex quo discessit cognatus. Itaque nostrorum conviciis extractus fuit in agrum, quando precibus educi non poterat. Amanter et honeste tractatur. Iacturam magno animo fert, ita ut vulneris tamen acerbitatem sentiat. Vale, frater et amice integerrime. Uxor mea tibi plurimam salutem dicit. Saluta fratres meo nomine. Genevae 23. Aug. 1546.

Ioannes Calvinus tuus.

821.

CALVINUS VIRETO.

Amanuensem quendam ei commendat.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 172. Quatuor apographa locis saepius laudatis Cod. 111 a, fol. 8, Cod. 111, fol. 147, Bern. VII. 774. Simleri Vol. 61.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae fido pastori fratri integerrimo.

S. Quum admonitus essem ab Ioanne *Girardo* te hominem petere et[1]) tibi et minister et amanuensis foret, hunc ad te mittendum censui, quia et elegantissime scribit et mihi visus est moribus compositis. Poteris aliquot diebus facere periculum num tibi sit idoneus. Ego nisi id sperarem autor illi nunquam fuissem ad te proficiscendi. Sed tuum erit iudicare. Vale. 24. Aug. 1546.

Ioannes Calvinus tuus.

---

820. 1) *v. N.* 816, *not.* 3. *Quae hic de epistola nuncupatoria deque forma et titulis dicit, paulo obscurius dicta quam ut ea explanare conemur, praesertim quum ne de ipso opere quidem nobis satis constet.*

2) *Laurent Maigret, v. N.* 741, *not.* 2.

821. 1) *sic autogr. Caeteri omnes emendant:* qui. *Fortasse legendum:* ut.

822.

FARELLUS CALVINO.

Mittit ei epistolam Perrino destinatam, eumque invitat ad proximum classis conventum.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium. Epp. Farelli fascic. III. N. 17.)

Insigni servo Christi Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis doctissimo et admodum pio
Genevae.

S. *Viretus* scripsit priores tibi non placuisse literas, ac sane multo minus tibi placebunt posteriores. Nam satis non assequutus sum quid vellet literis suis quibus me hortatus est ut rursus scriberem. Malui tamen tentare aliquid quam nihil agere. Si prodesse possit et tu ita iudices, quod scripsi fac ut reddatur: sin minus, pereat. Age ut pro tua prudentia noveris.[1])

Lutetia pergit ut mensuram impleat iniquitatis.[2]) Quanta est immanitas sceleratorum in verbum et eos qui aliquid verbi sectari videantur, ut ignorantes quoque perdant! Rependat Dominus Satanae et Antichristo dignam mercedem pro iis quae tam flagitiose facit.

Cuperemus, si fieri posset, ut die Iovis proxima[3]) adesses, si quid fieri posset: quod vix sperare possum, siquidem insignis Christi hostis ac proditor nihil non agit veteratone,[4]) et vix video aliquem qui causam Domini ita tractet ut oportet. Quid faciant hi tam intenti unusquisque eorum propriis, quum fratres mei in tanto periculo securi videantur haerere apud eos qui aliud quam ipsorum perniciem non optant. Me frustra reclamante et incusante moram existimo te tuas partes absolvisse, at surdis canimus.

Aegerrime tuli quod acceperim te ita dedisse notas tuas in alteram ad Corinthios ut periculum sit ne perierint. Si matres suos foetus curant non negligenter, talem in Domino foetum debebas paulo circumspectius mittere. At spero Dominum ita nobiscum acturum ut non perierint. Vale cum tua coniuge. Utinam parem *Vireto* Dominus det. Saluta omnes collegas, te per Dominum quaeso, ac omnium precibus nos commenda. Neocomi 25. Augusti 1546.

Tuus totus Farellus.

---

822. 1) *Ex N.* 824 *efficies hic agi de literis Farelli ad Perrinum scriptis, quocum Calvinus in gratiam redire cupiebat, ita tamen ut suam sibi dignitatem servaret.*

2) *Alludit ad supplicium Petri Chapot* (*N.* 817, *not.* 11).

3) *i. e.* 2. *Sept. Nam de* 26. *Aug. cogitari nequit. Qua vero de causa, non liquet.*

4) *sic!* (veteratorie?)

823.

POLLANUS CALVINO.

Commendat aliquem Genevae conditionem modestam quaesiturum, et pluribus bene notum et notatum. In Belgio evangelii causa deplorata nec quisquam hiscere audet. Ipse tamen alios novit pietati studentes, alios disputando ad meliores sensus pertrahere conatur.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 224.)

Clarissimo theologo ecclesiarum Christi pastori et doctori vigilantissimo D. Ioanni Calvino magistro ac patri in Christo observandissimo
Genevae.

S. P. Troilum *Critz*, qui has tibi redditurus est valde mihi commendant boni quidam et prudentes viri. Nam ante aliquot annos de christiana religione edoctus, hoc unum semper in eo studium deprehenderunt, ut vitam ad Christi institutum quam proxime, et quantum humana sustinet infirmitas, institueret. Sunt itaque merito huiusmodi homines iuvandi a nobis, quacunque fas est. Quum autem desiderium iam ante aliquot menses incessisset domus Dei, inter caeteras urbes, ubi iam suos Christus recolligit, vestram delegit, non tantum ob linguae gallicae usum cuius nunc studio tenetur, verum etiam ob doctrinam puram et caeteram pietatem, quam istic, ut si alibi, maxime vigere intellexit. Non fefellit hominem in delectu iudicium: nam, uti ait, vestra doctrina et multorum piorum exemplis plurimum iuvari potest. Verum cuiusmodi homines ad se vocet Christus nosti. Neque hic ex divitibus est saeculi huius. Quare in adipiscendo apud bonum aliquem virum servitio tuam opem desiderat et meam sibi hac in re commendationem fore utilem sperant amici. Quae ne spes eos fallat te vehementer etiam atque etiam rogo. Hactenus apud negotiatorem quendam aulaearium vixit satis laudabiliter. Si aliquam istic similis servitii conditionem adipisci possit, sese beatum iudicat. Ego illum tibi, pater, ex animo commendo in nomine Domini nostri Iesu Christi. Tu vicissim illum fratri et *Nicolao* eius socero commendato. *Antonius* monachus, *Nicolao* non ignotus, apud me huius nomine fideiussit et rogavit ut si opus esset vellem etiam huius fidem mea fide commendare. Itaque si forte magistrum invenias, oro audacter apud illum fideiubeas. Ego enim omne damnum in me recipio et praestaturum polliceor. Quin et si aliquos sumptus feceritis exspectantes opportunitatem, ego rependam.

Intellexi quendam esse nobilem qui cupiat ad vos transire. Sed prius ex isto vult de universo ecclesiae vestrae statu certum cognoscere. Plura ex ipso cognosces. Nam et novarum rerum tametsi habeamus satis ampla argumenta nihil tamen audemus scribere, imo inter nos narrare propter Corycaeos. Si quid enim ingratum temere ab aliquo dicitur, statim ad aulam vocatur. Dominus Iesus ecclesiam suo sanguine partam non deseret. Nos videamus ne primi ab ipso desciscamus. Quum nuper Bebburii otiosus essem apud comitem *Novae Aquilae*,[1]) satis prolixe respondi[2]) nostro Gandavensi ad patrocinium missalis abominationis. Ille tamen nihil. Rescripsi. Tuas literas mihi reddi antequam ad illum accedam vehementer opto. Est enim eruditus vir et placidissimo ingenio, quique singularem Dei timorem prae se ferre videtur. Itaque plurimum spero profecturum si ad illum scripseris. *Fraxineae*[3]) obitum iam vestris a marito scriptum intelligo. Itaque supersedeo. Valde me miseret multorum qui Christum hic norunt et vix audent os aperire. Caro haec adeo, non dico infirma, sed nimis hominis firma est et robusta. In plerisque enim spiritum vincit nec sinit Dei timorem regnare. Dominus omnes his miseriis liberet et tandem aliquando palabundum gregem recolligat.

Plura scribam ubi Argentinam rediero. Et brevi futurum spero. Interim perge me amare et Dominum Iesum pro me rogare. Uxori tuae, fratri, *Gallasio* et symmystis omnibus plurimam ex me salutem dices. Christus Opt. Max. te suo spiritu augeat et quam diutissime suae servet ecclesiae. Raptim. Antverpiae ad quintum Cal. Septemb. 1546.

T. p. observantissimus filius et discipulus
in Christo Valerandus Pollanus.

Quum has obsignarem redditus est abs te literarum fasciculus, in quo, quum literas ad Wesaliensem et Aquensem ecclesias vidi, gaudio exsultavit cor meum. Faciam sedulo quod paterne et sancte mones. Sed inprimis gratias ago pro responso ad missarium patronum. Non poterat reddi magis opportune. Spero enim brevi aut illum huc ad me, aut me ad illum iturum. Ego iudicio scripsisse illum impulsu aliorum ut abs te aut *Bucero* aliquid praeterea extorqueret, ad illorum confirmandos ani-

---

823. 1) *Comites de Neuenaar nomen suum a sede sua habuerunt ut caeteri omnes, haec autem cum aquila nihil habebat commune. Bebburium nobis incognitum, prope Coloniam Agrippinam fortasse quaerendum.*

2) *Apud Haagium* (VIII. 309) *libellus Pollani laudatur:* Traité tres-utile du sacrement de la Cene avec response aux principaux argumens des anciens et modernes contre ce sacrement. Strasb. 1547. *An de hoc opusculo hic loquitur?*

3) *Dame de Fresne. Voyez N.* 840, *not.* 3.

mos. Sed tamen missae patrocinium non opportune interseruit. Confido ex illius literis te consolationem accepturum, ut una de reduce tam praeclaro fratre ad Christi caulas Deo nobiscum gratias agas. Nondum vacavit omnes literas legere: faciam otiosior. Dominus Iesus te servet et pro tuo istoc in me amore te vicissim semper magis ac magis gratia sua prosequatur.

824.

CALVINUS FARELLO.

Literas eius ad Perrinum quamvis asperiores huic tradidit. Qui ipse difficilior est tractatu, mulieres affines verae furiae. Iocosam historiam uxoris Frumenti narrat, quae tamen et tristiorem faciem habet.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genev. p. 63, Laus. p. 142, Hanov. p. 159, Chouet p. 83, Amst. p. 38. — Anglice legitur T. II. p. 56.)

Tametsi literae non omni ex parte mihi placebant, quod verebar ne asperitate nimia stomachum tam delicatum offenderent: reddendas tamen curavi, sed ita ut nesciret a me fuisse visas.[1]) Hic enim quasi abs te sibi commissas in eius domum pertulit. Si tonabit suo more, tandem eius fulmina evanescent in crepitus. Ego me illi non offero tantum, sed propemodum obtrudo, duntaxat modum adhibeo, ut meminerim quem locum teneam: neque id mea causa, sed quia homo adulationibus assuetus modestia mea abuteretur in Christi ludibrium. Despero itaque, nisi Dominus remedium adhibeat. Uxor eius prodigiosa est furia. Vidua N. adeo procaciter lascivit, ut dicas esse iuvenculam.[2]) Deinde male sibi conscia verbis omnibus, quae pro concione proferuntur, incitatur ad rabiem; domi quidquid veneni habet, in nos evomit: quanquam erga te mire se praebuit benevolam. Duos enim nepotes tuos, quum periculose aegrotarent in se recepit, neque aliter tractat quam filios. Hoc officium dignum est liberali gratiarum actione, quam non omittes, ubi se nuncius obtulerit. Nobis omnibus adeo est infesta, ut credam Caesarem[3]) ipsum nihilo magis esse inimicum. Et tamen si causa dicenda sit, fateor me nescire, nisi quod impudenter criminum omnium defensionem suscipit.

Narrabo hic iocosam historiam. Nuper huc venit *Frumenti* uxor. Per omnes tabernas, per omnia fere compita declamitavit adversus longas vestes. Quum id mihi fuisse indicatum sciret, excusavit se ridendo dixisse, aut nos indecenter vestiri cum magno ecclesiae offendiculo: aut vos falsum docuisse, quum diceretis a longis vestibus dignosci posse falsos prophetas. Quum tam putidam calumniam refutarem, coepit etiam spiritui sancto adscribere, quod vobis impegerat. Quid sibi vult, dicebat, locus ille evangelii: Venient ad vos in longis vestibus? Respondi me nescire ubi esset illa sententia, nisi forte inveniretur in evangelio Manichaeorum. Sic enim exstat locus Lucae 20. vers. 45. Cavete a scribis qui volunt ambulare in stolis. Non autem venient ad vos, etc. quod ex Matth. 7 interpolaverat.[4]) Quum sentiret se urgeri, conquesta est de nostra tyrannide, quod non cuivis liceret quidvis garrire. Tractavi mulierem ut debui. Statim ad *Michaelis* viduam perrexit, quae eam hospitio recepit, non mensae tantum sed lecti sociam, quia ministris maledicebat. Haec vulnera, quod insanabilia mihi videntur, intacta relinquo, donec manum Dominus admoveat.

Coenam proximo die Dominico sumus celebraturi. Hinc cogita quibus angustiis nunc constringar. Utinam me absente posset celebrari, hac conditione, ut ad vos usque vel manibus reptarem. Fratribus tuis utinam illud Terentianum veniret in mentem: Perdere in tempore, lucrum facere est. Admonui: sed non festinant quantum vellem. Paulisper tamen adhuc hanc moram quamvis nobis ingratam, sustineant. Vale frater et amice integerrime. Saluta meo nomine diligenter fratres omnes, familiam, et pios cives. Dominus te conservet ac semper regat suo spiritu, Amen. Genevae, Calend. Septemb. 1546.

Ioannes Calvinus tuus.

---

824. 1) *Haec explicata invenies not.* 1 *ad N.* 822. *De tabellario qui epistolam Farelli Perrino tradidit cf. N.* 843. *Caeterum quae hic de epistola Farelli ad Perrinum leguntur Kirchhofero fraudi fuerunt, ita ut hunc Libertinis adnumeraret, quales in Flandria et Neocomi exstiterunt, pseudotheologis. Dicit enim p.* 89: Den Calvin ermunterte er nicht nur gegen die Libertiner zu schreiben sondern er schrieb selbst an Perrin.

2) *De hac vide N.* 817, *not.* 7.

3) *comicum puta, quem illi vocabant, i. e. ipsum Perrinum.*

4) *Vers.* 15. *Utinam ipse meminisset aquilam muscas non captare.*

823.

POLLANUS CALVINO.

Commendat aliquem Genevae conditionem modestam quaesiturum, et pluribus bene notum et notatum. In Belgio evangelii causa deplorata nec quisquam hiscere audet. Ipse tamen alios novit pietati studentes, alios disputando ad meliores sensus pertrahere conatur.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 224.)

Clarissimo theologo ecclesiarum Christi pastori et doctori vigilantissimo D. Ioanni Calvino magistro ac patri in Christo observandissimo
Genevae.

S. P. Troilum *Critz*, qui has tibi redditurus est valde mihi commendant boni quidam et prudentes viri. Nam ante aliquot annos de christiana religione edoctus, hoc unum semper in eo studium deprehenderunt, ut vitam ad Christi institutum quam proxime, et quantum humana sustinet infirmitas, institueret. Sunt itaque merito huiusmodi homines iuvandi a nobis, quacunque fas est. Quum autem desiderium iam ante aliquot menses incessisset domus Dei, inter caeteras urbes, ubi iam suos Christus recolligit, vestram delegit, non tantum ob linguae gallicae usum cuius nunc studio tenetur, verum etiam ob doctrinam puram et caeteram pietatem, quam istic, ut si alibi, maxime vigere intellexit. Non fefellit hominem in delectu iudicium: nam, uti ait, vestra doctrina et multorum piorum exemplis plurimum iuvari potest. Verum cuiusmodi homines ad se vocet Christus nosti. Neque hic ex divitibus est saeculi huius. Quare in adipiscendo apud bonum aliquem virum servitio tuam opem desiderat et meam sibi hac in re commendationem fore utilem sperant amici. Quae ne spes eos fallat te vehementer etiam atque etiam rogo. Hactenus apud negotiatorem quendam aulaearium vixit satis laudabiliter. Si aliquam istic similis servitii conditionem adipisci possit, sese beatum iudicat. Ego illum tibi, pater, ex animo commendo in nomine Domini nostri Iesu Christi. Tu vicissim illum fratri et *Nicolao* eius socero commendato. *Antonius* monachus, *Nicolao* non ignotus, apud me huius nomine fideiussit et rogavit ut si opus esset vellem etiam huius fidem mea fide commendare. Itaque si forte magistrum invenias, oro audacter apud illum fideiubeas. Ego enim omne damnum in me recipio et praestaturum polliceor. Quin et si aliquos sumptus feceritis exspectantes opportunitatem, ego rependam.

Intellexi quendam esse nobilem qui cupiat ad vos transire. Sed prius ex isto vult de universo ecclesiae vestrae statu certum cognoscere. Plura ex ipso cognosces. Nam et novarum rerum tametsi habeamus satis ampla argumenta nihil tamen audemus scribere, imo inter nos narrare propter Corycaeos. Si quid enim ingratum temere ab aliquo dicitur, statim ad aulam vocatur. Dominus Iesus ecclesiam suo sanguine partam non deseret. Nos videamus ne primi ab ipso desciscamus. Quum nuper Bebburii otiosus essem apud comitem *Novae Aquilae,*[1]) satis prolixe respondi[2]) nostro Gandavensi ad patrocinium missalis abominationis. Ille tamen nihil. Rescripsi. Tuas literas mihi reddi antequam ad illum accedam vehementer opto. Est enim eruditus vir et placidissimo ingenio, quique singularem Dei timorem prae se ferre videtur. Itaque plurimum spero profecturum si ad illum scripseris. *Fraxineae*[3]) obitum iam vestris a marito scriptum intelligo. Itaque supersedeo. Valde me miseret multorum qui Christum hic norunt et vix audent os aperire. Caro haec adeo, non dico infirma, sed nimis hominis firma est et robusta. In plerisque enim spiritum vincit nec sinit Dei timorem regnare. Dominus omnes his miseriis liberet et tandem aliquando palabundum gregem recolligat.

Plura scribam ubi Argentinam rediero. Et brevi futurum spero. Interim perge me amare et Dominum Iesum pro me rogare. Uxori tuae, fratri, *Gallasio* et symmystis omnibus plurimam ex me salutem dices. Christus Opt. Max. te suo spiritu augeat et quam diutissime suae servet ecclesiae. Raptim. Antverpiae ad quintum Cal. Septemb. 1546.

T. p. observantissimus filius et discipulus
in Christo Valerandus Pollanus.

Quum has obsignarem redditus est abs te literarum fasciculus, in quo, quum literas ad Wesaliensem et Aquensem ecclesias vidi, gaudio exsultavit cor meum. Faciam sedulo quod paterne et sancte mones. Sed inprimis gratias ago pro responso ad missarium patronum. Non poterat reddi magis opportune. Spero enim brevi aut illum huc ad me, aut me ad illum iturum. Ego iudicio scripsisse illum impulsu aliorum ut abs te aut *Bucero* aliquid praeterea extorqueret, ad illorum confirmandos ani-

823. 1) *Comites de Neuenaar nomen suum a sede sua habuerunt ut caeteri omnes, haec autem cum aquila nihil habebat commune. Bebburium nobis incognitum, prope Coloniam Agrippinam fortasse quaerendum.*

2) *Apud Haagium* (VIII. 309) *libellus Pollani laudatur:* Traité tres-utile du sacrement de la Cene avec response aux principaux argumens des anciens et modernes contre ce sacrement. Strasb. 1547. *An de hoc opusculo hic loquitur?*

3) *Dame de Fresne. Voyez N.* 840, *not.* 3.

mos. Sed tamen missae patrocinium non opportune interseruit. Confido ex illius literis te consolationem accepturum, ut una de reduce tam praeclaro fratre ad Christi caulas Deo nobiscum gratias agas. Nondum vacavit omnes literas legere: faciam otiosior. Dominus Iesus te servet et pro tuo istoc in me amore te vicissim semper magis ac magis gratia sua prosequatur.

824.

CALVINUS FARELLO.

Literas eius ad Perrinum quamvis asperiores huic tradidit. Qui ipse difficilior est tractatu, mulieres affines verae furiae. Iocosam historiam uxoris Frumenti narrat, quae tamen et tristiorem faciem habet.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genev. p. 63, Laus. p. 142, Hanov. p. 159, Chouet p. 83, Amst. p. 38. — Anglice legitur T. II. p. 56.)

Tametsi literae non omni ex parte mihi placebant, quod verebar ne asperitate nimia stomachum tam delicatum offenderent: reddendas tamen curavi, sed ita ut nesciret a me fuisse visas. [1]) Hic enim quasi abs te sibi commissas in eius domum pertulit. Si tonabit suo more, tandem eius fulmina evanescent in crepitus. Ego me illi non offero tantum, sed propemodum obtrudo, duntaxat modum adhibeo, ut meminerim quem locum teneam: neque id mea causa, sed quia homo adulationibus assuetus modestia mea abuteretur in Christi ludibrium. Despero itaque, nisi Dominus remedium adhibeat. Uxor eius prodigiosa est furia. Vidua N. adeo procaciter lascivit, ut dicas esse iuvenculam. [2]) Deinde male sibi conscia verbis omnibus, quae pro concione proferuntur, incitatur ad rabiem; domi quidquid veneni habet, in nos evomit: quanquam erga te mire se praebuit benevolam. Duos enim nepotes tuos, quum periculose aegrotarent in se recepit, neque aliter tractat quam filios. Hoc officium dignum est liberali gratiarum actione, quam non omittes, ubi se nuncius obtulerit. Nobis omnibus adeo est infesta, ut credam Caesarem [3]) ipsum nihilo magis esse inimicum. Et tamen si causa dicenda sit, fateor me nescire, nisi quod impudenter criminum omnium defensionem suscipit.

Narrabo hic iocosam historiam. Nuper huc venit *Frumenti* uxor. Per omnes tabernas, per omnia fere compita declamitavit adversus longas vestes. Quum id mihi fuisse indicatum sciret, excusavit se ridendo dixisse, aut nos indecenter vestiri cum magno ecclesiae offendiculo: aut vos falsum docuisse, quum diceretis a longis vestibus dignosci posse falsos prophetas. Quum tam putidam calumniam refutarem, coepit etiam spiritui sancto adscribere, quod vobis impegerat. Quid sibi vult, dicebat, locus ille evangelii: Venient ad vos in longis vestibus? Respondi me nescire ubi esset illa sententia, nisi forte inveniretur in evangelio Manichaeorum. Sic enim exstat locus Lucae 20. vers. 45. Cavete a scribis qui volunt ambulare in stolis. Non autem venient ad vos, etc. quod ex Matth. 7 interpolaverat. [4]) Quum sentiret se urgeri, conquesta est de nostra tyrannide, quod non cuivis liceret quidvis garrire. Tractavi mulierem ut debui. Statim ad *Michaelis* viduam perrexit, quae eam hospitio recepit, non mensae tantum sed lecti sociam, quia ministris maledicebat. Haec vulnera, quod insanabilia mihi videntur, intacta relinquo, donec manum Dominus admoveat.

Coenam proximo die Dominico sumus celebraturi. Hinc cogita quibus angustiis nunc constringar. Utinam me absente posset celebrari, hac conditione, ut ad vos usque vel manibus reptarem. Fratribus tuis utinam illud Terentianum veniret in mentem: Perdere in tempore, lucrum facere est. Admonui: sed non festinant quantum vellem. Paulisper tamen adhuc hanc moram quamvis nobis ingratam, sustineant. Vale frater et amice integerrime. Saluta meo nomine diligenter fratres omnes, familiam, et pios cives. Dominus te conservet ac semper regat suo spiritu, Amen. Genevae, Calend. Septemb. 1546.

Ioannes Calvinus tuus.

---

824. 1) *Haec explicata invenies not.* 1 *ad N.* 822. *De tabellario qui epistolam Farelli Perrino tradidit cf. N.* 843. *Caeterum quae hic de epistola Farelli ad Perrinum leguntur Kirchhofero fraudi fuerunt, ita ut hunc Libertinis adnumeraret, quales in Flandria et Neocomi exstiterunt, pseudotheologis. Dicit enim p.* 89: Den Calvin ermunterte er nicht nur gegen die Libertiner zu schreiben sondern er schrieb selbst an Perrin.

2) *De hac vide N.* 817, *not.* 7.

3) *comicum puta, quem illi vocabant, i. e. ipsum Perrinum.*

4) *Vers.* 15. *Utinam ipse meminisset aquilam muscas non captare.*

825.

FARELLUS CALVINO.

De scriptis Calvini tam latinis quam gallicis in alterum sermonem versis et vertendis. Nova ex Germania, maxime Ratisbona.

(Ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium. Epp. Farelli fascic. III. N. 18.)

Christi servo pastori ecclesiae Genevensis vigilantissimo summa tum pietate tum eruditione Io. Calvino fratri et symmystae quam carissimo
Genevae.

S. Recte factum quod latinate [1]) donati sunt libri in anabaptistas et libertinos. Expediret idem fieri de condemnatione librorum a theologis parisinis [2]) qui nihil minus sunt, et in aliis quae gallice emisisti. Sed gallice vertenda esset tua firmissima oppugnatio, imo plena expugnatio dormientium in bono et vigilantium in malo. [3]) Est enim valde utilis, ne dicam necessaria, quam plurimis, non tantum ut a perverso revocentur errore vel ut possint delirantibus resistere, verum etiam ut multa in sacris intelligant quae in eo opere explicantur clarius. Paulum perge familiarem omnibus reddere pro gratia tibi data.

Nos exspectabamus te istuc spatiatum venturum. Si potes id effice. Consul *Wattevillanus* hic fuit. Quae scribit *Maillctus*, vera ait sed vetera. [4]) Caesar Ratisbona Lanshutum concesserat ut obviam iret missis ad se militibus aliquot, quibus exceptis rursus miseram intravit Ratisbonam. In suburbio collocavit Germanos quos habet, Hispanos cum Italis secum in urbe habet. Nulli civium licet gladium gestare, neque possunt plures convenire, non septem modo, quin mors immineat. Miseret me urbis, cui Christus adsit. Urbs est ad Danubium, in quem influit fluvius ex Augusta: Rhein [5]) vocant. Ea erat Bavari ducis, sed oppignerata uni ex ducibus Imperatoris non postremis, qui verbum amat et huius gratia noluit arma in nostros movere nec militare sub Caesare. In ea urbe agebat, neque Caesaris neque Bavari sed suo nomine. Admonitus a nostris hic ut se amicum aut hostem declararet urbemque aperiret, tandem nostris se dedidit et urbem, et cum nostris militat. Piorum exercitus non procul a Caesariano est ad sylvas Bohemicas. Nos valde frigemus in precibus, et nunquam magis oportuit operam dare ut solide ad Dominum converteremur. Quid agunt nostri quibus curae est, ita eos excierante [6]) ambitu, bonis negotium ut facessant et malos tuantur? Aliud puto eos curare quam preces. Tu apud *Viretum* insta et alios, ut dedit Dominus posse. Ac vale cum tuis collegis omnibus, ne praeteream *Gallatium* et *Coppum*, imo neminem. Saluta tuam coniugem cum fratre ac tota familia. Nostri te salutant, collega ac *Caspar* praecipue. Neocomi 3. Septembris 1546.

Farellus tuus totus.

825. 1) *sic. Festinantissime haec scripta videtur quum et infra similia occurrant.*

2) *Libellos adv. Anabaptistas et Libertinos latine versos a Gallasio supra vidisti* N.780. 782. *Quid vero sibi velit ista* Condemnatio librorum a theologis parisinis, *de qua dicit Calvinum gallice scripsisse, id perspectum non habemus. De Antidoto contra Articulos Sorbonistarum cogitari nequit quum hoc latine primum editum fuerit et iam a.* 1544 *gallice quoque.*

3) *Prolegg. T. V.* p. 38 (*Psychopannychia*).

4) *Ad haec cf. N.* 810, *PS. et N.* 817, *not.* 3.

5) *imo Regen.*

6) *sic. Quid hoc sibi velit tu videas. Proxime sequens* tuantur *ipsi tacite emendassemus nisi plura in hac ep. talia essent ut genuinam tibi eius faciem repraesentandam duxerimus.*

826.

CALVINUS FARELLO.

Commentarium in alteram ad Corinthios quem deperditum credebat, iam salvum esse rescivit. Alia exarare conatus huc usque parum profecit. Varia refert de Farelli cognatis, de Textore, de sui ipsius itinere Neocomum versus promisso, suscepto, interrupto.

(Ex autographo Cod. Gothani 404, fol. 9. — Bretschneider Epp. p. 23.)

Eximio servo Domini nostri Iesu Christi Guillelmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fratri et symmystae carissimo. [1])

S. Nunc aliquantulum fui recreatus postquam intellexi salvum esse meum commentarium. [2]) Nam interea dum periisse suspicor, totus mensis mihi periit. Libellum de scandalis inchoaveram. [3]) Abiicere coactus sum. Denique quidquid tentabam carebat successu. Nam epistolae ad Galatas vix dimidium caput potui perficere, quamdiu ita fui prae-

826. 1) *Pro hac inscriptione Bretschncideri editio aliam exhibet nescio unde desumptam:* Insigni servo G. F. Neoc. eccl. pastori fratri integerrimo. *Inscriptioni Farellus add.* 15. Sept. 1546.

2) *N.* 816 *seq. Falso Bretschn. de comm. in Galatas cogitat.*

3) *Cf. Prolegg. T.* VIII. *p.* 9.

peditus.[4]) Non tam me iactura movebat quam quod meae ignaviae id imputabam. Posthac sapiam ictus. Mirati sumus quo consilio suppresserit *Wendelinus* epistolam ad vos meam in libello contra Anabaptistas.[5]) Missa enim fuerat a *Gallasio*. Primo nuncio sciam cur eam et libellum de Reliquiis teneat apud se, et nullam mentionem faciat.[6])

Iusseras nepotes tuos[7]) ad te reduci. Hic pro duobus tres habebis. Magistrum tertio invenire, non adeo facile esset. Tentaveram nihilominus, et perrexissem, nisi istuc proficisci se velle dixisset. Non dissuasi, quod literas ad te habebat a suis avunculis. Quod ad eum pertinet quem mihi frater tuus *Gaucherius* simul commendabat, consului initio ut se Tononium conferret. Illic enim putabam medicum desiderari. (Nescio an iturus sit. Fuit ludi magister, nunc artem medicam profitetur.)[8]) Postea dictum est unum advenisse. *Godefridus* autem illi indicavit, *Textorem* istic quae postulavit minime impetraturum.[9]) Itaque locum fore vacuum medico. Ex adverso *Christophorus* cum *Textore* expostulabat quod ab eo nihil. Haec non congruunt. Quanquam ne id quidem intelligo quid sibi velit *Christophorus*. Misi enim quae *Textor* scripserat Matiscone.[10]) Ad ea si quid habes, curabo ut statim ad eum perferatur. Bonus vir illic conqueritur se fuisse meo consilio destitutum. At immerito. Libenter enim eum retinuissem: dissuasor autem profectionis esse nolebam, ne meae commoditati viderer magis addictus quam amici utilitati. Verum haec post illius reditum tractabimus, et facile discutietur omnis offensa.

Quod *Vireto* scripsisti, te vereri ne tibi ob literas resignatas irascerer, ego vero tibi serio irascor quia id vereris. Mene adeo duplicem esse putas? Nam semel atque iterum mandavi ut ita faceres. Nisi illorum forte intersit qui scribunt, velim tibi semper esse liberum. Me ad vos ante hyemem venturum nondum despero. Vale, frater integerrime et mihi in Domino carissime. Saluta diligenter symmystas et omnes amicos. Dominus vobis adsit perpetuo, vos tueatur, vos regat, vestris sanctis laboribus benedicat. Amen.

Ioannes Calvinus tuus.

Subito[11]) consilium ceperam tui visendi. Eram fere iam in medio itinere. Quid me domum retraxerit intelliges ex literis quas ad te mitto. Si tantum de rebus magni momenti velle se conferre dixisset, poterat ea tractatio in aliquot dies saltem differri. Sed dum maximum periculum summumque discrimen allegat, nos omnes commovit, ut putaremus esse satius statim redire. Itaque vides ut priver tuo et fratrum conspectu, quem certa spe iam vorabam. *Viretus* non minus hilaris erat quum me iturum putaret, quam vos futuros fuisse existimo si venissem, ac consilium institutumque nostrum confirmavit qua potuit cohortatione. Sed tamen non ausus est usque adeo contendere quin satius esse fateretur, pericula quorum meminit *Zerkintes* anticipare.

4) *Hic commentarius, cum eo in Eph. Phil. et Col. anno demum* 1548 *prodiit.*

5) *Cf. Prolegg. T.* VII. *p.* 26. *De industria id factum nequaquam crediderimus, potius ex oscitantia.*

6) *Hanc alteram Gallasii elucubrationem Rihelius nunquam prelo suo subiecit, nescimus qua de causa. Prodiit Genevae a. demum* 1548. (*Prolegg.* VI. *p.* 27.)

7) *Qui filii videntur fuisse I. I. Farelli pharmacopolae Genevensis, nuper ut videtur defuncti.*

8) *Haec in margine.*

9) *Videtur Textor alium sibi locum quaesiisse, Matisconem relicturus. Cf. N.* 831.

10) Matisono *B.*

11) *Hoc post-scriptum folio verso superioribus additum Bretschneideri oculos fugit. Calvinum Neocomum profectum fuisse et usque ad Lausannam pervenisse declarant etiam Senatus commentarii ad d.* 20. *Sept. Literae quarum hic mentio fit deperditae sunt. Cf. N.* 828.

827.

VIRETUS CALVINO.

Transmittit ei Sulzeri literas de rebus Bernensibus querentis. Petit ut opusculum suum sibi remittatur cum observationibus.

(Ex autographo Cod. Genev. 111ª, fol. 157.)

D. Ioanni Calvino Genevae.

S. Mitto ad te literas *Sultzeri*[1]) ex quibus intelliges quid a nobis postulet. Iam sentiunt et ipsi fructum disciplinae ecclesiasticae, quam hactenus non solum conculcare[2]) passi sunt, sed ipsi conculcarunt, et ut conculcaretur autores fuerunt. Nostro tamen officio satisfaciendum est magis quam cogitandum quid ipsi meruerint. Tu igitur consule quod consultius iudicaris. Ego meas partes agam. Vereor tamen interea ne nobis, ut fere solent, abu-

827. 1) *Hae literae, si quid videmus, agebant de statu rerum qualis fuit Bernae post obitum Er. Ritteri, Cal. Aug. defuncti. Ministris ius proponendi competebat, quo usi Sulzerus et Gerungius suam partem, scil. lutheranisantium, novo adscito collega firmare cupiebant. Senatus autem, posthabita eorum propositione, vocavit Iodocum Kilchmeierum, pastorem in oppido Küssnacht, Ritteri in asserendo Zwinglianismo fidum successorem. Hinc illae lacrymae. Cf. Hundeshagen p.* 197 *seqq. Calvinum et Viretum hic de disciplina ecclesiastica conculcata questos fuisse non est quod mireris.*

2) *sic!*

tantur in causa tam invidiosa. Sed Christi et ecclesiae ratio habenda est. Opportuna tibi offertur occasio serio eos sui officii admonendi. Sed obsistit *Sultzeri* calamitas ne ea utamur libertate quam res ipsa postulat. Non est enim afflicto augenda afflictio, sed levanda. Danda tamen opera est, ut serio manum Domini agnoscant. Ubi literas perlegeris remitte, ut fratribus communicare possim. Velim et tuas hic mitti apertas ut tuam cognoscerem sententiam. Scribe quam poteris ocyssime. Velim, ut iam dixi quum hic esses, ad me etiam remitti tractatum illum quem habes, [3]) cum notis aliquot tuis, hoc est, velim abs te admoneri eorum quae venient in mentem, quae digniora videntur diligentiore lima. De meo consilio scripsi ad *Girardum*, de quo coeperam tecum agere. Saluta uxorem et symmystas. Iacobus et nostri omnes te salutant. Vale. Lausannae 19. Septemb. 1546.

Tuus P. Viretus.

828.

CALVINUS VIRETO.

Cur nuper celerius domum reversus sit exponit. Tractatum Vireto remittit, de nonnullis addito iudicio. Literas ad Sulzerum scriptas cum eo communicat, mitigandas si videatur. De Ribitti opusculo casu neglecto excusari cupit. Commendat duos fratres nuper a fure exutos.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 294, cuius apographa exstant Ionvillaei Cod. 196, fol. 82, Turretini Cod. 108, fol. 181 et Bernense Epp. VII. p. 38.)

Fideli Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et amico integerrimo.

S. Negotium quod me retraxit nuper ex itinere [1]) non debuit quidem negligi: non tamen cognitum tanti mihi fuisset ut cursum subito reflecterem. Volitabant sinistri rumores Bernae, nostros arcanae nescio quid proditionis clam moliri cum Rege. Futilis calumnia, et quae nihil fere haberet coloris, sed tamen mature opprimi commoda aliqua ratione operae pretium erat. Poteram literis, si fuissem admonitus, sed quando aliter accidit ferendum est. [2])

Tractatum tibi remitto. Quidquid tuo iudicio demendum erit sponte occuret. Supervacuum ergo duxi locos sigillatim notare. Quae alioqui non ingrata lectu essent multis, et cognitu valde utilia, suum tamen locum aptiorem alibi invenient. In testimoniis etiam ad tuum institutum accommodandis brevitati, quoad res feret, studeas.

Sulzero scripsi ut iudicabam expedire. Si nimis illum praecise urgeo, rigorem meum temperabis clementiore stylo. Non potui tamen mihi imperare ut mitius agerem. Neque vero apparebat ratio, nisi vellem blandiri aut saltem submissius quam pro causae natura eum monere. Sed de hac re tuum esto iudicium. [3])

Apud *Ribittum* mihi deprecator sis oportet. Ipse non accusat, ego ultro culpam fateor. Dederat *Girardo* supputationem annorum mundi [4]) a se breviter collectam et eleganter digestam. Mihi valde placuerat, nisi quod uno in loco haesitabam. Tunc eram supra modum occupatus: seposui in loco tuto, sed ita ut turbatis chartis aliquamdiu non potuerit inveniri. Tacuit *Girardus* interea. Ego fateri non ausus sum quod erat. Nunc gaudeo me reperisse, sed ex quo reperi nondum *Girardum* sum alloquutus. Iam illi dixi utilem, meo iudicio, editionem fore. Itaque non differet, ut spero. *Ribitto* igitur plurimam salutem dices meo nomine et hoc totum excusabis.

En tibi duo fratres qui multum a doctrina et probitate commendatur. Alterum hic vidi ante tres annos, sed uterque *Ferronio* penitus notus est. Redditur illis praeclarum testimonium. Quia usum aliquem sui fore confidunt, ad vos eo animo proficiscuntur ut capto experimento vestrum sit iudicium de hac re. Habent quo se sustentent ad aliquot menses. Furem qui illis vestes et alia nonnulla abstulerat, curavimus retrahendum et virgis caedendum, quum ei parcerent. Nihil tamen recuperarunt quia ille praedam Lugduni cum sodalibus diviserat. Si digni sunt, quemadmodum existimo, fac sentiant se tibi fuisse et aliis commendatos. Vale, frater et amice integerrime. Dominus tibi

---

3) *Calvinum nuperrime Lausannae fuisse modo legisti N.* 826 *not. ult. De tractatu Vireti v. N.* 816, *not.* 3.

828. 1) *N.* 826, *not.* 11 *et N.* 827, *not.* 3.

2) *D.* 20. *Sept. Calvinus in senatu de his rumoribus praesens verba fecit.* M. Calvin a refferuz qui sen alloyt jusque a Neufzchastel et quant illast este a Lausanne illast entendu que Bonifface peter avoyt seme par Berne que actendu que les ligues navoient voulsu consentyr que Geneve fust allies avecque eulx que il ce vollient allie avecque le Roy de France et que lon fassoy reparer les chemyns dempuys Chambeyrier contre Geneve. Ordonne que en soyt escript le contrayre a Berne.

3) *De Calvini in Sulzerum animo vide etiam N.* 820.

4) *De tali Ribitti opusculo nihil alibi legimus. Gesnerus et Haagius tacent. Fortasse nunquam editum est.*

adsit perpetuo teque spiritu suo regat. Saluta diligenter fratres. *Iacobum* praesertim et *Corderium.*[5])

Ioannes Calvinus tuus.

829.

LE SÉNAT DE GENÈVE AU SÉNAT DE BERNE.

Communication officielle des avis récemment reçus à Genève sur les mouvements plus ou moins suspects du roi de France.

(L'original écrit de la main de Calvin est inséré dans les Registres du Conseil Vol. 41, fol. 209 à la date du 28. Sept. 1546. — Une note du secrétaire dit: *na este envoye mes ordonne le contrayre le* 28. *Sept.* 1546. — Imprimé dans l'Appendice des Lettres françaises publiées par Bonnet. T. II. p. 583.)

Magnificques etc. Nous ne vous avons point escrit par cy devant les nouvelles que nous pouvions entendre des pais voisins, et mesme du coste de France, pource que nous ne voulions pas vous troubler devant le temps de vaines suspecons ou legieres. Ce pendant toutefois nous navons pas laisse destre aux escoutes et veiller de paour destre surprins, scachant bien quil ny a pas grande asseurance en ceux qui ne sont point conioinctz avec nous en foy et religion. Mesme nous avions occasion de doubter que le Roy voulsit mener quelque practicque qui ne seroit[1]) pas a nostre profict pour plusieurs causes. Le bruict estoit quon apprestoit a Lion roues et aultre equippaige pour mener artillerie.[2]) Nous oyons de laultre coste quil se faisoit defenses par tout le Royaulme de ne servir aultre prince. Nous ne scavions pourquoy cela se faisoit, sinon que le Roy eust quelque entreprinse, laquelle il ne declairoit pas. Et combien que nous feussions advertis que telles defenses se faisoient en faveur de Messieurs les protestans, toutefois nous pensions quil se faisoit bon tenir sur ses gardes, et en estions en soulcy, attendu mesme que le Roy estoit si prochain de nostre ville, et que le bruict couroit quil devoit tirer vers Chamberic, combien que de ce voiage de Chamberic, nous estions informez du contraire, mais que plustot il pretendoit de sapprocher du coste[3]) de Langres, pour scavoir plus commodement nouvelles Dallemaigne. Mais encor craignant quil ny eut quelque dissimulation, nous estions aulcunement en doubte. Mais[4]) nous differions de vous en escrire, ne voulans point vous fascher sans propos, iusque a ce que nous en eussions plus ample certitude, ou que nous vissions ou les choses clineroient. Nous laissons a dire quil nous a este rapporte que quelque Francois sestoit vante quen brief leurs gens feroient bonne chere en nostre ville. Car vous scavez quen temps de troubles beaucoup de telz folz propos et frivoles volent par les champs. Maintenant nous louons Dieu que le Roy sest un peu eslongne, et encor plus de ce que nous entendons que si Lempereur avoit du pire, il se vouldroit ruer dessus. Car durant quil sera la empesche, il naura pas loysir de nous molester. Ce pendant nous esperons que Dieu donnant par sa bonte infinie la victoire aux nostres qui combattent pour sa cause, la fera profiter aussi a nostre bien et advantaige que nous ne serons pas si tost assaillis de ceux qui ne nous eussent pas espargne, si lEvangile eust este opprime.

830.

VIRETUS CALVINO.

Commendat ei pauperem quandam mulierem publica pecunia adiuvandam. Narrat quid cum Perrino nuper egerit contra Farellum animoso, de Calvino et ipso suspicionibus indulgente. Obiter etiam de novis nuptiis de quibus usque haeret.

(Ex autographo Cod. Genev. 111a, fol. 70. Alia recentiora exemplaria exstant Cod. 116, fol. 96, Bernae in Arch. Epp. VII. p. 727 et Simleri Vol. 61.)

---

5) *Iac. Valerium et Corderium Lausannae obvios habuisti supra, hunc inde a Nov.* 1545, *illum m. Ianuario* 1546 *munus auspicatum. — Caeterum hanc epistolam paucis post praecedentem Vireti diebus scriptam fuisse, et antequam proxime sequens eiusdem Genevam pervenerit, minime dubium est. Certe Viretus quum d.* 29. *Sept. rescriberet tractatum suum nondum acceperat.*

829. 1) servist *Bt.*

2) *Il a été plusieurs fois question des bruits sinistres qui circulaient en Suisse sur les intentions hostiles du roi de France qu'on soupçonnait vouloir profiter des troubles de plus en plus imminents en Allemagne pour tenter un coup contre Genève. Berne même s'en alarmait. Voyez N.* 750, *not.* 12. *N.* 757, *not.* 8. *Ruchat V. p.* 314. *Le* 3. *Août on donnait avis au Conseil de Genève que le roi faisait grand amas de troupes sans qu'on sache son dessein. Même avis le* 20. *Septembre, sur quoi on arrête de doubler les gardes et de donner avis aux Bernois. V. Reg. Vol.* 41, *fol.* 203. 208. *Roget,* II. 253 *ss.*

3) de ceste *Bt.*

4) et *Bt.*

Eximio Christi servo D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori vigilantissimo fratri et symmystae plurimum observando

Genevae.

S. Uxor cantoris cum hoc nuncio mihi verba fecit de quadam honesta muliere, quam cupiunt qui eam norunt abducere ex Aegypto illa in qua detinetur. Ea maritum habet, ut audio, qui se parum maritum praestat. Gravata est uno puero qui adhuc lactet. Sed quia iis non suppetit pecunia qui hanc eius curam susceperunt, me oravit uxor cantoris cum hoc nuncio ut hac de re ad te scriberem. Cupiunt enim, si iuste iudicas, iuvari eos qui eam sunt adducturi ad viaticum ex pecunia quam audierunt istic dicatam esse in usus pauperum. Audio cuidam ministro agri vestri bene notam esse mulierem. Qui tibi hac de re cum aliquot aliis fratribus sunt verba facturi. Ego quid sit ignoro. Rem totam tuae committo prudentiae. Nolui denegare quod a me postularunt, neque quidquam amplius facere volui, quia nihil mihi hac de re compertum est, nisi quod mihi paucis hic ab his narratum est. Tu causam melius intelliges ab iis qui rem melius tenent, expendesque non solum dignane sit eo auxilio quod postulant, sed an tentari ab illis debeat.

Exspectabam abs te scriptum [1]) quod ad te miseram. Committe mihi afferendum ei scholastico ex nostris qui abs te petiturus est. Is habet schedulam mea manu scriptam, et qua cognoscere poteris.

Perrinus proxima hebdomade huc venit, hac solum causa, sicut ipse dicebat, ut me conveniret. Valde offensus est literis *Farelli* [2]) et nisi fallor suspicabatur me esse in causa. Narravi rem simplicissime ut habebat, quantum me attingebat. Reliqua suppressi. Nescit literas abs te visas esse, neque expedit. Doleo vicem eius. Tu fungere erga eum pastoris officio, quod te facturum non dubito. Priores literae erant tolerabiliores: praestitisset tacuisse quam sic scribere, aut satius erat rem verbis coram agere. Nihil profectum est, nisi quod maior est indignatio ex suspicione quam concepit, illa quae scripsit *Farellus* a me aut abs te esse profecta, quamvis non dubitem quin te potius autorem suspicetur. Dominus illi adsit. Tibi tamen attendendum est ne molestia et taedio absorbeatur. Nam visus est mihi animo admodum turbato, quod sibi ita undique premi videatur, et in ea esse opinione apud eos quos habuit amicissimos. Non potui diu conferre cum eo, quia non licuit per otium et per tempus.

Sonnerius me iterum compellavit super ea vidua [3]) de qua a me aliquando audisti. Iste persistit in sententia. Velim tuam rursum audire, ut si se commoda offerat occasio, per turbas quibus hodie ecclesia agitatur eo animum appellendi certius aliquid statuere queam. Vale, salutata uxore et amicis. Lausannae 29. Septemb. 1546.

Tuus Petrus Viretus.

830. 1) *Cf. N.* 827, *et* 828 *not. ult.*
2) *N.* 822, *not.* 1 *et N.* 824, *not.* 1. *Cf. etiam N.* 791 *et* 792.

3) *De vidua quadam a Vireto ducenda mentio facta fuerat N.* 813.

831.

TEXTOR CALVINO.

Statum rei suae familiaris fuse exponit, consiliumque agitat Matiscone relicto alibi pedem figendi.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 19.)

S. Vel tuo consilio, si meministi, mihi sedulo cavendum, ne domesticorum negotiorum, quae me hactenus ut patri minus gratum latuerunt, ignarus posthac committam, ut vel ego vel liberi mei mea negligentia iacturam non levem faciant, posteaquam Domini beneficio nonnulla spes est haereditatis. Etenim tu mihi unus prope autor es, ut hac in parte quoque liberos curem. Et eo maiori curae est mihi qualequale patrimonium quo longius hinc recessi, quo propior tumulo videtur pater senio confectus, minus sibi constans, minus providus, cui praeterea fatale est iampridem nescio qua hominum labe indies gravius premi, qui et ipsi et mihi meisque strenue insidiantur ni praesto adsim, quo denique auctior mihi familia, quaestus rarior, supellex magis curta, locus et quibuscum mihi quotidie res est duriores et fallaciores. Unde non tam litigationes, quae nos paulo ante exercuerunt, quam alia negotia me remorantur: praesertim quum iudicis aequitatem iam experti simus vel nostro bono. Nempe danda fuit opera ut quae ad me attinent prius ignota, ea mihi tandem explicaret pater. Sciendum mihi duxi, qui nobis, quemadmodum quibus nos simus iure obnoxii. Studio est non in postremis ut quam primum fieri poterit solvamus aes alienum. Nec indignum visum est opes et praedia iusto aut minori pretio a patre aestimari, ne hic diutius crucier ceu corvus hians. Totum patrimonium patris iudicio plus minus valet duobus millibus coronatorum. Debentur nobis mille librae. Debemus centum circiter coronatos, ut interim omittam pensum

annuum sexaginta florenorum, quoad numerati sunt quatuordecies centum floreni, quos avunculo dederant foenori sacrificuli quidam prorsus malefici. Nuper rescivi a patre, opera sacrificuli cuiusdam cui aliquoties medicatus sum, pro merito fuisse effectum ut in testamento, quod anno superiore condidit pater, valeret iniquissima conditio, hoc est, papali ingenio dignissima, nempe ut quicunque iuraturus esset me haeredem esse in aere suo, dummodo vulgo bene audiret et adeo credendum sit, ut me habeat sibi obnoxium. Id sane sarciendum fuit cavendumque pro viribus, ne quid tale isti nebulones mihi moliantur. Certe priusquam id mihi innotuisset, alio congressu, quum audirem illum sacrificulum exsequutorem fore testamenti, protinus oravi ut alius eius loco sufficeretur: mihi enim nisi admodum invito negotium esse cum istiusmodi animalibus. Ita mihi praesagiebam, ita non abs re indignabar rei inscius. Nec defuit qui pro quinquaginta coronatis asseruerit, sibi deberi centum. Sed tandem praesentibus patre, amicis et me constitit bono viro eidemque amicissimo rem aliter habere. Quod si contigisset patrem prius mori, futurum erat ut totam pecuniam exsolverem. Supersunt adhuc quaedam alia, amicorum impulsu quos hic habeo digerenda. Praeterea patrem hic operior dum redierit Rionio, [1]) quod oppidum est Avernense, ubi nunc indicti sunt dies magni quos vocant, quarto aut quinto quoque anno, ubi principi visum est, dicati publicis causis ocyus obeundis. Eo reverso mox istuc me Deo favente recipiam. Caeterum saepe lites horrere prae me fero quum eum alloquor, eum ab his deterreo, sedulo hortor ut omnia ista quae eum sollicitum habent velut stercora spernat, contra adspiret ad ea quae vere sunt bona ac aeterna.

Non desunt causae, ut vides, omnino legitimae meae cunctationis, si vobis certe et mihi ipsi molestae. Nam multa hic desidero animo magis quam corpori necessaria, quibus frui istic liceret: plura item me hic quam istic offendunt. Cura et moerore maceror, quoties, quod crebro accidit, in mentem veniunt uxor et liberi. Adde et amicos quosdam non vulgares a quibus diutius abesse nequeo citra meum damnum. Quod ad conditionem attinet a Neocomensibus oblatam, etiamsi maxime in animo esset eam accipere, ac omnino decretum illuc commigrare, tamen quum eum in me eorum affectum considero ut toties accersitum tamdiu indefessi exspectarint, ni etiamnum exspectent, pudore afficior.[2]) Verum et negotia nostra haudquaquam sinunt me hinc longius abesse, idque quo subinde recurram dum ea composuerim. Id quod fieri commode non posset me Neocomi tam procul dissito. Quare etiam non accepto ab illis responso renunciatum ipsis velim, ut me excusato alium quaerant, nec mea causa posthac ita torqueantur. At si petita ab illis venia Genevae rideor ceu inops ac de familia parum anxius, Dominus vel istic vel alibi aderit. Et ubiubi contigerit agere, non sum genu inflexurus coram simulacris. Domini est terra.

Porro prorsus sim caecus oportet si ignorem quam sis candidus, aequus, et quam amico in me animo. Nec me latuit quid de hoc negotio sentires aut adhuc sentias. Unum id displicebat quod adeo formidolosum te mihi praestabas ut non ausus sis libere palamque enunciare tuam sententiam, ne mihi venires in suspicionem eius criminis a quo tam times, nempe philautiae, hoc est, ne videreris mihi in tuam potius quam meam gratiam id factitare. Sed et mea illa querimonia huc praecipue spectabat, ne in te transfunderetur culpa, si eo esset commigrandum. Postquam hoc pacto times, mihi scilicet fidis.

Rem gratissimam fecisti quod de rebus germanicis ac nostris me feceris certiorem, adeoque de exitio *Caroli*, quod singulari Dei beneficio iuxta etiam pasquilli vaticinium iam impendet,[3]) quo nomine non desino gratias agere Deo meo. Is tueatur causam, latrones istos ab ecclesia sua procul abigat, pessumdet, confundat, disperdat. Salutem dicito amicis omnibus. Matisconi, ultimo Septemb. 1546.

B. Textor tuus.

831. 1) *Riom (Puy-de-Dôme).*
2) *Hic conferenda quae habet N. 826, not. 9.*

3) *Rumor spargebatur de quadam protestantium victoria prope Donauwoerth.* (*Roget* II. 257.)

832.

CALVINUS FARELLO.

Neocomum hoc anno vix se venturum putat. Agit praeterea de rebus Textoris, de suis ipsius elucubrationibus, cur scilicet Argentorati potissimum excudendas curet, de Perrino denique eiusque uxore.

(Ex autographo Cod. Gen. 106, fol. 173 cuius apographa exstant Turretini Cod. 111, fol. 148, Bernense Epp. VII, p. 774 et Simleri Vol. 61. — Versio anglica T. II. p. 58.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Guillielmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fratri mihi carissimo.

S. Ne vana exspectatione vos lactem, me istuc ante hyemem venturum non puto. Nam semel expertus [1]) navigationem mihi esse incommodam, non

832. 1) *Fortasse nuper iter Lausannam versus navi fecerat coelo minus fausto.*

audebo aquis me posthac committere. Itaque bona pars itineris pedibus conficienda esset: nam equi non tantum iactatio mihi est noxia, sed periculosus etiam attritus. Medicus de quo loqueris mihi ignotus est, neque satis assequor quem pharmacopoeum accuses, nisi quod *Franciscum* perstringi coniicio. *Textor*, praeterquam quod nimis duras leges praescribebat, quid nunc cogitet nescio. Nam patris litibus se implicando telam Penelopes nunquam finiendam in patria texit.[2]) Interea vides ipsum conqueri quod fuerit meo consilio destitutus. Sed haec boni viri morositas utcunque nobis est devoranda.

Quod me ad scribendum hortaris,[3]) utinam plus esset otii aliquando et valetudo robustior! Nunc tamen epistolam ad Galatas serio sum aggressus. In editione non sum liber, saltem quod ad Pauli epistolas spectat. Audisti aliquando ex me, quum Argentorati essem, *Vendelinum* iis me officiis devinxisse ut ingratitudinis me cogerer damnare nisi hoc illi praestarem.[4]) Nam in summis meis angustiis supra quadraginta aureos scutatos in rem meam impendit, nec minus semper mihi prompta fuit eius opera in curandis negotiis domesticis, quam si hominem pecunia conductum haberem. Ergo epistolas nunc illi negare non est integrum. Si quid aliud scripsero, hic potius edetur. Et tamen *Gallasius* invenire non potuit qui duo opuscula quae latina fecerat excudenda susciperet.[5]) Caeterum priusquam periculo comittam scripta mea, exemplar retinebo. Opusculum de scandalis[6]) inchoatum, quia non ex voto fluebat stylus, ad tempus intermisi, nec resumere est animus donec epistolam ad Galatas ad finem usque perduxero.

Cum *Perrino* nostro nuper sum colloquutus. Si promissis satisfaciat, non possime res habebit. *Penthesilaea*[7]) quum miram benevolentiam gestu simulet, intra parietes horrendum in modum furit. Video te ad illam scripsisse. Prima quaque occasione ipsam conveniam. Tum experiar quid tuae literae profecerint. Vale, frater et amice integerrime. Dominus tibi perpetuo adsit, te semper tueatur faustisque tuis laboribus benedicat. Scripsi ministris Bernensibus:[8]) si desideras scire quo argumento, *Viretus*, puto exemplar retinuit. Salutat te uxor mea reverenter, *Gallasius*, *Ferronius*, frater meus. Nam ex quo tuas accepi non vidi alios. Salutem plurimam fratribus et amicis totique familiae tuae. Genevae 6. Nonas Octob. 1546.

Ioannes Calvinus tuus.

De tuis literis nullus mihi sermo fuit cum *Perrino*. Nolui vulnus illud attrectare donec temporis successu paululum esset cicuratus.

Si quid novi, modo etiam certum sit, fac quaeso statim resciscamus.

---

2) *Quae omnia fusius exposita apud ipsum Textorem modo legisti.*
3) *N.* 825.
4) *Nihilominus Comm. in priorem ad Corinthios ultimum Calvini opus fuit quod ex Rihelii officina prodiit. Nam sequentes epistolae, et ipsa iam secunda ad Corr., etsi Argentoratum missa, ap. Girardum excusae sunt.*
5) *Quae et ipsa per Rihelium evulgata fuerunt. Genevenses typographi tum temporis adhuc minus cordati aut minus bene nummati fuisse videntur. Mox tamen ibi Crispini et Stephani industria Genevense prelum inclaruit.*
6) *N.* 826, *not.* 3.
7) *N.* 817, *not.* 8.
8) *De eo negotio puta quod ad N. 827 attigimus.*

833.

CALVIN A M. DE FALAIS.

La santé de Viret et ses projets de mariage. L'Apologie de M. de Falais. Affaires privées diverses.

(Copie moderne Bibl. de Genève. Vol. 194, fol. 40. — Edition d'Amst. p. 67. Edit. Bonnet I. 158. — Trad. anglaise II. 60.)

Monseigneur, comme iattendoye dheure en heure *Iacques* de son retour de Lyon, pour vous faire response par luy, ie fus esbahy laultre iour quand mon frere me dist quil estoit passe sans parler a moy. Et maintenant il fault que ie vous escrive bien en haste pour le souldain partement du porteur. Vray est que ien feus hier adverty, mais ce feust a huict heures de nuict, que ma micraine me pourmenoit si rudement, qua grand peine iouvrois la bouche. A ce matin ie pensois quil fust party iusque a ce que à lissue du sermon il ma dit quil attenderoit un quart dheure pour me faire plaisir. Parquoy ie vous prieray dexcuser la briefvete.

Quant a laffaire du personnaige dont ie vous avois requis,[1]) il ma respondu en vous merciant bien humblement de la bonne affection que luy monstrez, quil vouldroit devant toutes choses avoir communique avec la partie, craignant que par faulte dadvertissement mutuel, ils ne se trouvassent pas bien ensemble a ladvenir. Or durant ces troubles

---

833. 1) *N.* 806, *note* 4.

il lui semble que le voiage seroit mal pris, et ie suis bien de cest advis. Parquoy il y auroit dangier dune longue traisnee, qui est contre vostre intention, laquelle ie trouve bien raisonnable. Au reste il ny avoit nul empeschement quant aux maladies,[2]) mais ie trouve cela fascheux quun affaire incertain soit si long temps en suspend, combien que ie ne reprouve pas sa demande, attendu les raisons quil ma allegue, quil est necessaire que la femme quil prendra soit advertie de quelques charges domestiques quil est contraint de porter. Oultre ce que lamour requiert congnoistre precedente,[3]) et iamais les mesnages ne se portent bien, sinon quon se soit declaire privement lun a laultre, et quon ait traicte des conditions que chascun requiert en sa partie. Le mal est en la longue attente, et pourtant ie ny voy pas grand propos. Ie prye Dieu en que ce soit, quil le veuille bien adresser.

Du livre,[4]) il me semble que ie vous en ay suffisamment mande ce quil men sembloit, parquoy ie nentens pas pourquoy vous en demandez mon iugement de nouveau, nestoit pour luy monstrer. Or il sera mieux prins de luy, ce me semble, quant il vous plaira luy monstrer larticle de mes lettres, dautant que ien parle plus librement, ne congnoissant point lauteur. Toutefois sil vous semble quil y ayt a redire, quant il vous plaira men advertir, ie suivray vostre conseil.

Au reste Antoine *Maillet*[5]) mescrivit quil avoit parle a Peter *Telsen*, me mande que les douze escus qua desbourse maistre *Valerand*, vous doivent estre rendus; toutefois que ie nai que faire de men tant haster, qua ma commodite. Ie ne scay sil la fait par erreur, mais sil y avoit encore douze escus a payer, Peter *Telsen* auroit desbourse au double plus quil ne devoit. Car ie vous envoyay par mon frere douze escus, lesquels vous me mandastes avoir receus. Toutefois si Peter *Telsen* avoit failli, ie ne vouldrois que ce fust a vostre dommaige, combien que ie ne scay ou il auroit employe largent: mais de cela ce sera a moy den faire avec luy. Devant quen sonner mot, iay bien voulu en scavoir la verite. Ie vous prye doncq quil vous plaise me faire scavoir si oultre les douze escus que vous rendit mon frere, il y en est encor sorty pareille somme de vostre bourse.

Puisque la bas ils ont ainsy fait des enraigez, ie ne voy pas qui vous empesche de publier vostre apologie,[6]) et me semble fort expedient. Toutefois ien dis ce que ien pense sans preiudice. Le reste demeure en la plume, car le porteur ne ma pas donne si long terme. Ainsy, Monseigneur, apres mestre humblement recommande a vostre bonne grace et de Madamoiselle, ie supplye nostre bon Dieu de vous avoir tousiours en sa garde, vous faisant grace de tellement cheminer tousiours quil soit de plus en plus glorifie en vous. Ie luy rens graces de ce quil a commence de vous remectre au dessus, mais ie le supplye vous augmenter iournellement la force iusque a ce que vous soyez pleinement restaure. Ma femme vous presente ses humbles recommandations. De Genesve, ce 4. doctobre 1546.

Vostre serviteur, humble frere et entier amy,

Iehan Calvin.

---

2) *Durant son premier ministère à Genève* (1534), *Viret faillit périr victime d'un empoisonnement dont il ressentit les effets jusqu'à la fin de sa vie* (*Bonnet*). *Nous ignorons si l'état général de la santé de Viret doit être ramené à cette cause. Le fait est qu'il avait debilitatum corpusculum, selon l'expression de Bèze.* (*Lettre à Bullinger*, *Mars* 1557.)

3) *sic.*

4) *M. de Falais avait envoyé à Calvin un livre de théologie écrit par un certain Denis de la Roche, en lui demandant son avis sur cet ouvrage. Comme Calvin affirme en avoir déjà dit son opinion précédemment il faut que cela ait été dans la lettre que nous supposons perdue. Voyez N.* 805, *not.* 1. *N.* 852.

5) *N.* 817, *not.* 3.

6) *Voyez les Prolégomènes du T. X.* 1re *partie.*

834.

VIRETUS CALVINO.

Solitudine amplius confici nolens animum tandem ad ducendam viduam sibi commendatam applicat nisi amicus aliquid consultius afferat.

(Ex autographo passim ex madore arroso Cod. Genev. 111a, fol. 158. Alibi non exstat.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevae.

S. Scripsi nu[*per ad te*] me rursum a *Sonnerio* interpellatum de vidua illa, de qua apud te aliquando verba [*feci*].[1]) Miris eam ornat encomiis. Quum *Valerius* iturus esset Albonam,[2]) rogavi ut hac de re inquireret. Vidit viduam, cuius mores mire placent, quantum unius coenae spatio contemplari et expendere licuit. Decrevi ad diem Veneris me ad *Sonnerium* conferre, ut ipse quoque aliquid experiar. Nam tempus est ut rebus meis prospi-

---

834. 1) *N.* 830, *not.* 3.

2) *unde olim Lausannam vocatus fuerat. Albonae successorem habuit Thomam Malingrium antea Iverdunensem.* (*Ruchat.* IV. 409) *Albonae igitur vidua illa fuisse videtur.*

ciam. Sentio enim in dies maiora incommoda ex solitudine. Rogabam ut tuam mihi sententiam perscriberes, sed nescio an tibi redditae sunt literae. Nollem autem interceptas, quia quaedam continebant quae nollem aliis evulgata. Fac igitur me certiorem, redditae sint tibi nec ne. Nisi tu aliud suadeas aut afferas consultius, non habeo quod sequar potius quam *Sonnerii* consilium, si visa placuerit. Non erat admodum ad viduas propensus animus: sed quia difficile est omnia incommoda effugere, aliqua sunt subeunda. Paucis consului, quia vereor ne, si in auxilium avocem multos aut mentem multis aperiam, mihi obtrudantur in quibus laborem recusandis. Rescribe igitur primo quoque nuncio, et si quid habes rerum novarum. Arbitror autem te aliquid accepisse, quia nuncius, qui Argentina proximis diebus ad vos pervenit mihi dixit Orbae, se *Fallesii* ad te literas habere. Salutant te amici, nominatim collega meus et domestici omnes. Saluta uxorem et symmystas meo nomine. Vale 12. Octob. 1546.

Tuus P. Viretus.

[*De*] professore theologo velim, si quid aliud cogitaris, mihi abs te [*sig*]nificari.[3]) Bernates huc ad diem dominicum affuturi sunt.

3) *Cf. N.* 816, *not.* 5. *A senatu Bernensi Lausannenses qui Farellum sibi dandum petierant repulsam iam tulisse videntur.*

835.

CALVINUS FARELLO.

Farelli literae Perrino bilem movisse ipse praesens expertus est, eumque iam mitius tractari debuisse putat. Commendat chirurgum quendam.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 174. Exstant praeterea exemplaria Turretini Cod. 111, fol. 149, Bernense Epp. VII. p. 777, et Simleri Vol. 62.)

Optimo et fidelissimo Iesu Christi servo Guilhelmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fratri et symmystae carissimo.

S. Noster,[1]) quum indignationem ex tuis literis conceptam apud me dissimulasset, quia procul dubio putabat ex composito inter nos id fuisse factum, *Vireto* aperuit. A quo ego admonitus hominem conveni. Ipse multa tonitrua evomere. Et certe, ut verum fatear, non animadverteram[2]) quantum asperitatis haberent tuae literae. Nam quum summam[3]) percurrissem, compressa cera ad eum mittendas curavi ne quid suspicaretur, ac nuncio mandavi ne se a me venire diceret. Exspectabimus igitur dum eius bilis deferbuerit, aut saltem sit concocta. Mallem quidem mitius fuisse tractatum, ac poenitet me serio quod non melius observaverim id quod negligenter praeterii. Sed haec offensa, ut spero, evanescet. Si ex animo et sincere redierit cum Deo in gratiam, facile tibi simul reconciliabitur. Nondum tamen video quod optarem.

Hic chirurgus[4]) valde peritus artis suae commendationem tibi a fratre *Gaucherio* offeret, quo fit ut meo testimonio minime indigeat. Bernam proficiscitur, periculum facturus num annuum stipendium impetrare possit a senatu: quod non difficile fore confido, si verum est quod dicunt, iam petitum esse ultro chirurgum. Nam excellit hic. Vale, frater et amice integerrime. Nuper laetus nuncius nobis allatus est ex castris, sed tamen qui desiderium maius aliquid audiendi accenderet. Proinde, si quid habes, nobis impertire. Saluta familiam, *Christophorum* et omnes fratres. Dominus vos semper tueatur. Genevae 12. Octob. 1546.

Ioannes Calvinus tuus.

835. 1) *Perrinus cf.* 791 *seq.* 822. 824. 830. 832.

2) *imo probe animadverterat* (*N.* 824 *init.*) *et nunc totam culpam in Farellum reiicit cuius ἀκατασχέτῳ ζήλῳ ipse habenas laxaverat. Certe hic Perrinus, quantumvis animi impotens et regi nescius, de iis alia meritus fuerat qui eum iam nimia sua severitate in extrema quaeque detrudebant.*

3) *sic autographon. Quum Turretini exemplar et Bernense praebeat lectionem:* summa, *Simlerus ex conj. addidit:* festinatione.

4) *Neocomenses medicorum ope destituti fuisse videntur quum nuper etiam de Textore accersendo actum fuerit.*

836.

LAVATERUS BULLINGERO.

Ab Argentoratensibus ministris de fide interrogatus antequam ad coenam admitteretur, Basiliensi confessioni adhaerere se testatus est et sperat hac ratione admissum iri.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 117b, olim Scrin. O. Epp. Tom. II. fol. 184. Simler. Vol. 62.)

S. P. D. Gratissimae mihi fuerunt tuae literae, colendissime pater, ex quibus diuturni silentii cau-

sas, quo superioribus temporibus usus es, vestramque incolumitatem intellexi. Ex iisdem autem potui suspicari, te mihi indignari quod te in negotio eucharistiae consulendum putavi.[1]) Quantum ad me ipse satis potui intelligere, religionem meam mutandam non esse, nec is sum qui sine iudicio quidquid dicitur credendum putem. Non aliud postulant[2]) nisi ut Basiliensem confessionem non reiiciam, sed ea fide instructus sumam eucharistiam. Nec aperte patriae religionis mutandae mihi voluerunt esse autores. Sed negavi et pernego, Basiliensem confessionem eandem esse cum Vittenbergensi. Nam quum Basiliensem approbemus, quid sibi haec certamina vellent, quid pugna quae novissime Tigurinis cum *Luthero* intercessit? Sed mitto haec. Fidei nostrae rationem reddidimus. Decretum est a praeceptoribus nostrae scholae ut ad vos scribant, quodnam vestrum de nobis sit consilium. Utrum literas ad vos miserint ignoro. Cupio, quum illis rescribis, ne acerbius agas, ut huius scholae beneficio uti possim.[3]) Hyeme exacto his rebus finem dabit Dominus. Mutavi hospitium.[4]) D. *Zellius* singulari in te et D. *Pellicanum* benevolentia me in aedes suas recepit. Magnam tamen invidiam sustinere cogetur, sed iubet me bono esse animo: se haec minime formidare, ut qui graviora passus sit. Amo *Bucerum*, quamvis nos minime amet: sed id totum propter aliorum instigationes fieri puto. Video iam tandem implacabile inter Zwinglianos et Lutheranos, ut vocant, esse dissidium — — — — Argentinae 16. Octobris anno 1546.

Tuus ex animo

Ludovicus Lavatherus.[5])

836. 1) *Inserimus plures thesauro nostro epistolas de hoc speciali negotio, quum ad historiam rei sacramentariae in Helvetia ipsa varie definitae pertineant. Fuerant eo tempore Turicenses iuvenes nonnulli studiorum causa Argentorati, ex parte ipsi de sumenda ibi coena dubii, propter Lutheranisantium rigorem, ex parte ab his repulsi.*

2) *ministri cum Bucero faciebant. Basileensis confessio de qua hic loquitur ea est quam a.* 1536 *Bucerus et Capito cum Bullingero, Myconio et aliis ediderant pacis instrumentum proposituri.* (*Hagenbach, krit. Gesch. der ersten Basler Conf.* p. 66.)

3) *Haec omnia habebis infra suo loco.* (*Vide Ep. Argent.* 6. *Dec.*) *Cf. Pestalozzi, Bull.* p. 276.

4) *Receptus fuerat a Marbachio Lutheranisantium antesignano. Zellius tum temporis inter Argentoratenses theologos maxime a liberaliori docendi ratione conspicuus.*

5) *Rudolfi Lavateri consulis filius, postea Bullingeri gener et successor.*

837.

VIRETUS CALVINO.

Coelius Curio Lausannae valedicit. In negotio coniugii nihildum confectum, nihilominus sponsalia propediem fieri poterunt.

(Ex autographo Cod. Genev. 111[a], fol. 159 in quo charta passim deficit aqua detrita. Alibi non occurrit.)

Clarissimo D. Ioanni Calvino

Genevae.

S. Quum nuper ad te scripsi, ea quae nunc vis ad te scribi, quorum gratia [*po*]tissimum scribere institueram, mihi exciderunt. Nam casus ille *Coelii*,[1]) de quo ad te scripsi, adeo mihi animum turbavit ut reliquorum oblitus sim: quae sic habent. Tuas [*li*]teras curavi cum meis reddendas, addito tuo ad Neocomenses consilio,[2]) quod latinum [*fe*]ceram. Literae tuae mihi placuerunt. Placuerunt et piis fratribus quibus tuto potui [*com*]municare. Quam placuerint ei ad quem scribebantur, nescio. Nam ex eo tempore ne syllabam quidem ab eo accepi, quamvis ei non defuerint nuncii. In negotio coniugii [*ni*]hildum confectum est. Vidi et alloquutus sum mulierem. Mores non displicuerunt. [*Qu*]o exactius exquisivi testimonia, eo pluribus et melioribus testimoniis mihi commendata [*est*]. Statui primo quoque tempore rem totam conficere, si volet Dominus. Fortasse hac hebdomade [*fient*] sponsalia, si licet per negotia. Decrevi omnia perficere sine strepitu et motu [*quam po*]tero simplicissime. Alias hac de re et de toto statu nostro latius ad te scribam. Nunc [*plu*]ribus non licet. Vale. Lausannae 19. Octob. 1546.

Tuus P. Viretus.

837. 1) *Patet ex hoc loco Curionem hoc ipso tempore Lausanna relicta Basileam se contulisse. Sed qua de causa, non liquet, literis quibus rem Viretus Calvino exponebat deperditis. Neque Ruchatius neque Schmidtius aliquid certi habent.* (*Cf. illum* IV. 481 *hunc in ZS. für hist. Theol.* 1860 p. 596.) *Verum quum Noster de turbato suo animo dicat, facile conieceris graviora aliqua dissidia intercessisse.*

2) *Neque de hoc nobis constat.*

838.

CALVINUS VIRETO.

Literae commendatitiae.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 175. Reperies praeterea exemplaria Ionvillaei Cod. 111[a], fol. 8, Turretini Cod. 111, fol. 149 v., Bernense VII. p. 778 et Simleri Vol. 62.)

Fideli Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et amico integerrimo.

S. Pius hic frater ipse tibi quisnam sit coram exponet. Quia sibi in animo esse dicebat, dum liber est, suum studium linguae hebraicae addicere, consului ut Argentoratum se conferret. Neque enim ausus sum dissuadendo eum revocare a proposito. Istac vero transire voluit, tantum ut te inviseret. Si tecum etiam deliberet, ac putes ex re ipsius magis futurum si istic haereat, responde quod videbitur. De negotio nuptiali an aliquid sit confectum brevi scilicet audiemus. Vale, una cum *Iacobo, Corderio, Ribitto* et aliis. Dominus vos omnes tueatur ac regat semper. Amen. Genevae 19. Octob. 1546.

Vides me tuo exemplo iam chartae factum esse parciorem.

Ioannes Calvinus tuus.

839.

CALVINUS MYCONIO.

Commendat aliquem Gallum Argentoratum proficiscentem, fortasse eum ipsum de quo praecedens ad Viretum.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 111, olim Scrin. B. Epp. T. VI. P. I. p. 1433. — Simler. Vol. 62.)

Ornatissimo viro Osualdo Myconio ecclesiae Basiliensis pastori fratri et symmystae colendissimo.

S. Hic bonus vir meo consilio Argentoratum proficiscitur, quia statuit adhuc ad tempus liberum studium prosequi, priusquam munus aliquod suscipiat. Strenue in Gallia incubuit promovendo Christi regno et ea causa impiorum rabiem in se incitavit. Quo etiam nomine dignus est qui iuvetur bonorum officiis. Ego nihil illi abs te peto, nisi ut fidum aliquem comitem invenias qui tuto eum deducat. Nam inter istos armorum strepitus vereor ne iter parum sit paccatum extraneis. Fac igitur quod sine molestia poteris, ut cum honesto aliquo mercatore, aut cuiusvis ordinis probo viro salvus illuc perveniat. Si qua navis descendet et coelum tranquillum erit, consultum esset navi potius quam equo, nisi fallor, iter facere. Verum tu ex re praesenti consules quod optimum factu videbis. Vale, frater in Domino plurimum observande. Christus tibi adsit semper, te gubernet tuoque ministerio benedicat. Amen. Genevae 19. Octob. 1546. Saluta quaeso diligenter symmystas nostros meo et collegarum meorum nomine. Uxori quoque tuae plurimam salutem.

Ioannes Calvinus tuus.

840.

CALVIN A MADAME DE FALAIS.

Au sujet d'une mauvaise nouvelle à communiquer au baron. Il espère pouvoir bientôt offrir à Madame un ouvrage écrit en français.

(Copie de César de Missy sur l'original qui se trouvait entre les mains de M. Jennet à Utrecht en 1730, donnée en 1748 à la bibliothèque de Genève. Vol. 194, fol. 1 verso. Imprimé dans les Lettres françaises de Bonnet I. 161, en anglais II. 62.)

A Madamoiselle Madamoiselle de Fallès. [1])

Madamoiselle, pource que vous me mandiez par vos dernieres lettres que vous menvoiez quant et quant celles de Monsieur de Fresne, ie craignois que le porteur neust pas faict son devoir en bien gardant ce qui luy avoit este commis. Mais il ma asseure quil navoit rien receu aultre [*que*] [2]) ce quil ma baille. Par quoy ie devine quelles seront demeurees par oubly. Ie croy que lintention pourquoy vous les menvoiez, estoit affin davoir mon advis comment on pourroit en advertir Monsieur. [3]) Or puisquil faut quil en sache les nouvelles, ie ne feroys difficulte de luy en ouvrir quelque propos, quant il sera en bonne disposition, en puis luy en dire ce qui en est. Moiennant quil ne soit point mal de sa personne, il nest pas homme qui se laisse

840. 1) *Note du MS.* Respondu le 8. Novembre, receu le 5. Novembre 1546.

2) *ajouté par le copiste.*

3) *On peut conclure de ce passage combiné avec N.* 823 *note* 3, *que Mad*[e] *de Fresne était la soeur de M. de Falais. Cela se confirme encore par le N.* 853. *Cependant la table généalogique de l'éd. d'Amst. nomme le mari d'Hélène de F. Adrien de l'Isle, Sr. de Tresnoy* (*Fresnoy*?).

vaincre de tristesse, et qui ne scache faire profiter les graces que Dieu luy a donnees pour sa consolation.

Il me souvient que nagueres vous plaignant de voir [*Monsieur*][4]) iouir tout seul de mon Commentaire[5]) vous me priez de penser aussi bien a ceux qui nentendent que Francois, affin den avoir part, et me priez de mes Sermons. Or sil estoit question de les mettre en avant, iy vouldroys bien y mettre la main a bon escient, mais cela ne sera pas de ceste annee. Ce pendant si Dieu me faict la grace dachever lepistre aux Galatiens qui doibt estre en brief,[6]) iay le mole[7]) de quelque traicte lequel sera Francois comme Latin, ou il y aura quelque profict comme iespere.[8])

Apres mestre affectueusement recommande a vostre bonne grace, et vous avoir presente les humbles recommandations de ma femme, ie prieray nostre bon Dieu de vous avoir en sa saulve garde, se servant de vous de plus en plus a lavancement de son regne. De Genefve ce 19. doctobre.

Vostre serviteur et humble frere,

Iehan Calvin.

841.

CALVIN A M. DE FALAIS.

Félicitation au sujet de sa convalescence. Nouvelles d'Allemagne.

(Orig. autographe. Bibl. de Genève. Vol. 194, fol. 34. — Imprimé dans l'éd. d'Amsterd. p. 65 et dans les Lettres fr. I. 168. Trad. anglaise II. 63.)

A Monseigneur Monsieur de Fallez.

Monseigneur, ie croy que vous avez receu mes dernieres lettres, par lesquelles vous aurez entendu que les vostres mavoient este rendues par *Alexandre,* [1]) mais sur le tard. Ie remercie nostre bon Dieu affectueusement, des nouvelles que Madamoiselle ma mande de vostre convalescence. Iespere au plaisir de celluy qui a si bien commence, quau prinstemps vous serez si dispos, quon ne vous scaura tenir de vous esgaier, pour recompenser les faultes du temps passe. Nous attendrons de cela et de tout le reste, ce quil luy plaira par sa bonte infinie nous envoier, ayant bonne esperance que la raige qua iecte sur vous la court de Malignes sen ira bien tost en fumee.[2])

Ie croy quil sera tantost temps de sonner a la retraicte pour tous les deux camps.[3]) Ie prye Dieu de conduire si bien tout que la departie soit a ladvantaige de son honeur. Ie suis plus ioieux quil face la guerre a ce malheureux tirant de sa propre main quaultrement. Car si nous faisions quelque chose dimportance, ie craindrois tousiours la queue en la presumption. Iamais nous navons entendu questoit devenu cest ecervelle le Conte de *Beurre,*[4]) sil est passe avec son armee, ou sil a este repoulse. Quoy quil en soit, *non in multitudine, neque in brachio.*

Maistre Valerand retourne,[5]) vous scaurez mieulx de tout lestat de voz affaires. Toutefois ie ny voy aultre moien, si non de faire surceance de vostre coste, iusque a ce que Dieu face ouverture meilleure. Vous scaurez qui est ce porteur et a quelle intention il sen va par de la. Pource que ie trouvoye sa deliberation bonne, ie ne len ay pas voulu destourner.

Sur ce, Monseigneur, apres mestre humblement recommande a vostre bonne grace, ie pryerai nostre bon Dieu davoir tousiours sa main estendue pour vous conduire par sa grace. De Genefve, ce 19. doctobre 1546.[6])

Vostre serviteur, humble frere et entier amy,

Iehan Calvin.

Ma femme aussi supplye destre tousiours humblement recommandee a vostre bonne grace.

---

4) *ajouté par le copiste.*
5) *Le Commentaire sur la premiere Épître aux Corinthiens dédié à M. de Falais.* (*N.* 753.)
6) *C'est-à-dire bientôt. M. Bonnet a lu que le commentaire sur l'ép. aux Galates* doibt estre brief (summary).
7) le moule.
8) *Nous ignorons à quoi il fait ici allusion.*
841. 1) *Pierre.*

2) La confiscation des biens de M. de Falais avait été prononcée par la cour de Malines. Cet arrêt était soumis à la confirmation de l'empereur (*Bonnet*).
3) *Calvin paraît avoir encore ignoré la mauvaise tournure que les affaires prirent vers la mi-septembre, par suite des fautes et du manque de résolution des princes protestants.*
4) *Maximilien d'Egmont, comte de Buren, beau-père de Guill. d'Orange venait des Pays-Bas avec dix mille hommes d'infanterie et sept mille chevaux pour renforcer l'armée de l'empereur, avec lequel il fit sa jonction le* 17. *Septemb.* (*Sleid.* II. 517.)
5) *d'Anvers à Strasbourg.* (*N.* 823.)
6) *En marge:* Receu le 5. d'Octobre 1546, respondu le 8 ensuivant. (*La faute se corrige facilement par la note qui accompagne la lettre précédente.*)

842.

SULZERUS CALVINO.

Tristissima ex Germania nunciantur. Bernae dissidia. Studiosi ex Argentorato revocati.

(Ex apographo satis recenti Bibl. Paris. Coll. Dupuy Vol. 102, fol. 79.)

Viro praestantissimo D. Io. Calvino symmystae et fratri suo observandissimo.

S. In afflictissimo statu versamur nos,[1]) et varia tentatione probamur et exercemur. Vix tamen tot monitis veternum excutimus, et opus Domini certe quam par sit tepidius obimus plerique. In Germania periculis plena sunt omnia, et hostis tentaturus est extrema successu vel mediocri invitatus. Interea συμπαθεία membrorum nulla, ut quorum luxationem pridem effecit Satanas, τῆς διχονοίας pater. Deseruntur enim nostri undiquaque, ut constat, et perfidia insigni impetitur a consanguineo[2]) Elector *Saxo*, qui praeter Gotham et Vitebergam totam ditionem amisit. Profectus ergo ad generum *Philippus* Lantgravius a D. *Bucero* scribitur, si qua possit ratione ad sanam mentem eum revocare. Sed frustra, vereor, tot pollicitationibus a *Caesare* tantaque spe praedae impulsum monebit. Subsequitur Elector ipse cum reliquo exercitu, sed nimis longis ambagibus, quum recta per Franciam proficiscendi fuerit negata copia, eo quod Rotenburgum et Dinckelspihel oppida interposita a Caesare obtineantur. *Palatinus* ad eum iam pro pace impetranda profectus est, qui si nihil effecerit, ut coniicimus, paulo post certum est gravissimis motibus concussum iri Germaniam aut turpi deditione ad *Imperatoris* vota inclinaturos esse multos, quando etiam non pauci, qui evangelium habere videri volunt, putent concilium admittendum cum reliquis nationibus esse. Est mentium consternatio. Miles igitur novus iam conscribitur in Hegoia et marchionatu Badensi per Brisgoiam, ad novam nimirum expeditionem simul ac ver ingruerit. Nobis orandus est pro pace Dominus, idque eo magis quod indies gravioribus motibus ecclesia nostra etiam convellitur, nec spes pacis est ni miraculo subveniatur ex alto. Horribiliter enim propositum suum collega[3]) urget, et nec interpellatione amica neque patientia silentioque ad aequanimitatem civilem saltem reduci potest. Habet enim quibus nitatur. Sed de his posthac fusius, mi frater. Vale in Christo Iesu et nos ama. Bernae 20. Octobris anno 1546. Salvum te tuosque iubet dominus *Z* . . . . .[4])

T. Sulcerus.

Studiosi alumni reipublicae ex Argentorato revocati sunt[5]) cum ingenti *Bucero*, nostro bonorumque omnium dolore, et sunt (arbitror) Tigurum transmittendi.

---

842. 1) *Kilchmeieri adventu* (*N.* 827) *vires Lutheranisantium Bernae attritae fuerunt. Cf. Hundeshagen p.* 198.
2) *Mauritio, ad quem devicto Io. Friderico dignitas electoralis transiit.*
3) *Kilchmeierus, v. supra.*
4) *nomen dubium* (*Zerkintes?*)
5) *Bernates igitur magis* ἀποτόμως *quam Turicenses* (*N.* 836) *Argentoratensium studio Helvetios iuvenes nova confessione obligandi finem imposuerunt.*

843.

FARELLUS CALVINO.

Ad nuperas eius literas respondens plura attingit quae ibi tractabantur, de medico Neocomum misso, de Caesaris per Germaniam progressibus, de commentario in Galatas et Gerardi officina, de Perrino et ministris Bernensibus caett.

(Ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium. Epp. Farelli fascic. III. N. 19.)

Christi servo quam doctissimo ac summa cura gregem Christi pascenti Ioanni Calvino fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Adventus tuus, dum tam diu differtur, non parum nos angit.[1]) Faxit Christus ut tam sanus evadas, quod tibi liceat ad nos evolare sine aliqua istius ecclesiae iactura nulloque dispendio. De medico[2]) qui meos lusit, is erat qui cum nepotibus in navi erat tecum, quique venerat cum nepote ex sorore a nostratibus mihi et aliis commendatus. Sed noster *Flanolius* cum chirurgo, qui meas ad *Perrinum* reddidit, non minus perfide egit. *Franciscum* non puto in causa fuisse, etsi dum speramus eum officinam accepturum non parum incommodavit. Verum devoranda haec cum aliis. Fratres,[3]) ubi res suas hic curare deberent, non sine magno omnium nostrum dolore absunt et ad nos qualesquales mittunt. Quid illis faciendum nescio. Vereor ne

---

843. 1) *Cf. N.* 832 *init.*
2) *N.* 835, *not.* 4. *In utraque etiam de Perrino dictum est, deque Francisco.*
3) *Claudius et Gaucherius. Tertium Io. Iacobum, pharmacopolam, habuisti supra* 826, *not.* 7.

propter fratrem defunctum mihi sint gravia ferenda. Sed aderit Dominus.

Quod petis ut aliquid, sed certum, ad te scribam, Imperator Neoburgum occupavit[4]) et, ut aiunt, quandam alteram civitatem, sed ea ratione aiunt actum, ut a suis castris abduceretur ac magis esset interceptus, ne commeatus in eius exercitum conferri posset, ut fame laboraret, sicut peste afflictatur. Mira fertur lenitate usus, vel potius astu Neoburgi: milites qui illic erant in praesidio, cum rebus suis abire passus est, liberum fecit civibus audire evangelium. Ad nostros venerunt comites duo et non parum potens aliquis. In militibus illorum feruntur esse bombardarii 6000. Praefectus noster, quum rogetur ut promissis stet in pastore designando vice monachi defuncti, disseminare facit, pugnatum fuisse et Caesarem victorem evasisse. Aiunt literas curasse Friburgi, nescio an magi opera.[5]) Tu ex his collige quid verum sit. Consul *Vatevillanus* de Neoburgo ac duobus comitibus retulit alia ex aliis.

Gaudeo te in Galathis laborare: adsit tibi semper Christus, ut absolvas quae tuae inspirat menti. Credebam *Gerardum* iam ita evectum, ut possit prela plura habere in iugi labore. At, ut video, patitur quod plures Basilienses. Mirum quod foedatas ab *Hectore* chartas impresserit legentium damno et, quantum coniicio, non sine preli et laborum iactura. Hic ego in vobis plus censurae poscerem, ut non tam frigidae nugae in medium prodirent. Audio te provinciam in alterum reiecisse et eum pessime functum suo munere cui hoc mandasti. Queruntur non pauci quibus dolet tam male cohaerentia emitti. Tuus liber de scandalis non omittat offendicula quae ex malis et ineptis proveniunt scriptoribus. *Perrinum* et reliquos ita reddat Christus in te affectos ut debent.[6]) Mirum est, quum aliud non quaerant pii pastores quam omnium salutem, quod tam male affectam plebem experiantur. Sed supra miraculum est inveniri aliquos qui peccatoribus non prorsus reluctentur, quum in Christum peccatur exp . . . .[7]) non insurrexerit. Christus Dominus, qui per viduam supra modum elatam et parum sui memorem tam benigne in summo discrimine astitit, reducat eam in salutis viam.[8])

4) *Vergente Septembre* (*Sleid.* II. 536 *ss.*). *Ineunte Octobre Donauwoerth, Dillingen, Laugingen, scil. Danubium occupaturus.*

5) *Quasi iste praefectus non certiora habere potuisset ex Germania quam simplex aliquis concionator.*

6) *Quem tamen ipse, quantum in se erat, a Calvino abalienaverat nuper. Vide supra.*

7) *Charta deficit.*

8) *Haec vidua illa ipsa esse videtur de qua N.* 817, *not.* 7. *Verum ad quodnam discrimen et auxilium* (*sibi olim?*) *praestitum alludat nobis non constat.*

Dolebat mihi Arctopolitanos,[9]) quum verbis multa de disciplina iactarent, tam misere in ecclesiis constituendis eam evertere: sed magis mihi dolet eos graviora pati in ecclesiarum vastationem. Gratissimum mihi esset videre quae scripsisti. Utinam sapere tandem illis detur et vera sui abnegatione quae Christi sunt tantum quaerere. Vale bene cum tua coniuge et puella *Iudith*, fratre suaque et soceri familia. Collegas salutato, modo *Gallasium* ne praetereas cum *Coppo*. Te nostri salutant. Neocomi 20. Octobris 1546.

Commendo tuis precibus ecclesias, praecipue eam cui nunc studemus pastorem dare pro mortuo lupo. Venenum suum praefectus evomit,[10]) non iam ut olim dissimulat. Utinam semper apertus fuisset hostis et non tam perniciose amicum simulasset. At longior sum, et me decima vocat ad quietem cras egressurum. Boni omnia consule.

Tuus totus Farellus.

Vellem eos qui principum nomine preces et sacras afferunt scripturas alio nomine quam pasquilli emittere: nam et scripturae autoritas elevatur et non satis reverenter Deus invocatur. Seria sunt magis divina serioque magis tractanda quam ut ludenti pasquillo vel per iocum dicenda veniant.

844.

CALVINUS VIRETO.

Ex proximis amici non ea omnia rescivit quae cupiebat. Coelii negotium tale est ut ne ipse se immisceat omnino consultissimum sit.

(Autographon aetatem non tulit. Inserviit fortassis editioni Bezae quae hanc epistolam expressam exhibet Genev. p. 368, Laus. p. 202, Hanov. p. 226, Chouet p. 505, Amst. p. 230 sed non integram. Authenticum textum restituimus ex apographo Ionvillaei Cod. Genev. 111ª, fol. 8 v. quod solum exstat, omissa tamen pro more inscriptione.)

S. Satis coniicio quantopere nunc angeris.[1]) Sed quid facias? Necesse est istos abire in locum

9) *Bernenses Sulzerum, Gerungium, Tho. Grynaeum, qui nuper senatui fortius resistere debuissent, scil. ex mente Nostrorum.*

10) *Vide supra. Lupus defunctus idem est qui modo monachus dicebatur, sed certiora apud Kirchhoferum quidem non reperimus.*

844. 1) angaris *edd. Difficile est dictu de quonam negotio hic loquatur. In ultima Vireti, ut infra in hac ipsa de Curionis excessu obscurius quidem dicitur.*

suum, utcunque totus mundus conspiret, non ad retinendos tantum ipsos, sed etiam altius provehendos. De literis quas *Sulzero* [2]) scripseram, nihil te respondisse miror. Nondum scio an ad eum fuerint perlatae. Mandaveram enim ut, si tibi displicerent, supprimeres. Exspectabam simul ut de coniugali negotio aliquid certi renunciares. [3]) Fac ut aliquid brevi de utroque resciscam. *Michael* aromatarius celeriter istuc se profecturum mihi dixit *Coelii* causa. Uno verbo respondi, tam malas causas nunquam bene tuendas suscipi, tractari saepius infeliciter, exitum semper esse perniciosum, etiam dum obtinetur quod quaesitum fuerat. Permisi tamen ut affinis sui causa aliquid experiretur. Consulo ut medium te geras, neque te admisceas ullo modo. Nam et *Varrotio* [4]) denunciavi, si malam causam esse sciret, ne sciens ac volens pugnaret adversus Deum. Sine *Comitem* [5]) et similes satagere. Tantum eatenus te interpone ut appareat te nihil aliud optare quam ut recte habeant omnia. Vale, frater et amice integerrime. Dominus tibi propitius sit semper, ac tuas lacrymas vertat in gaudium. Genevae 24. Octob. 1546.

Ioannes Calvinus tuus.

Quas [6]) istis literas inclusi receperam ante mensem. Sed quum reposuissem tuto loco, semper oblitus sum hactenus quoties erat nuncius ad manum. Tu postquam legeris reddes huic nuncio ut Argentoratum perferat. Nam *Farello* ostendi non adeo necessarium est, nisi ita nuncii commoditas tulerit.

845.

CALVIN A M. DE FALAIS.

Différentes affaires privées.

(Orig. autographe. Bibl. de Genève. Vol. 194, fol. 42. — Imprimé dans l'éd. d'Amst. p. 74, dans celle de Bonnet I. 165.)

A Monseigneur Monsieur de Fallez.

Monseigneur, ie nay rien pour le present a vous mander, sinon que le sieur *Maldonade* [1]) ma monstre vos lettres, pour avoir conseil de moy de ce quil devoit faire. Ie nay pas este dadvis quil se mist en chemin par ce temps, sinon quil y eut nouvelles plus pressantes. Quant vous aurez les le double de ses lettres, ie croy que vous les trouverez si amples quil ne sera mestier de longue consultation. Toutefois quant il vous plairoit commander a quelquun de sen enquerir, encor y auroit il plus dasseurance. Mais ie lay adverty quil sera expedient de supprimer les noms, de paour que les marchans pour gratifier nanticipent a le signifier a ceux qui en deveroient respondre. Et cela sera ayse, en proposant le faict, sans alleguer ne ville ne personnes. Si vous trouvez quil doive marcher, incontinent il se mectera en chemin. Pour le nepveu il ne me sembloit pas, les choses estans disposees comme elles sont, que sa presence fust la fort requise, iusque a tant quil vous plaise luy faire scavoir comme il en ira. Et aussi vous aviez adiouste aux lettres un mot de vostre main qui le rendoit suspens pour lattente des bonnes nouvelles.

Quant a lhomme dont vous touchez, ien ay mande ce que ien scavoye a Antoine *Maillet.* [2]) Ie noserois passer oultre cela, pource que ie ne lay pas tant congneu que ien puisse asseurer dadvantaige. De son parentaige, nostre frere *Sainct Andre* vous en a mande ce quil en scavoit, comme il ma dict. Et aussi vous avez eu loysir dy prendre garde, depuis quil est par dela. Ie lestime de bonne sorte. Mais ie craindrois tant davoir este occasion de vous mal adresser, que ie fais difficulte de madvancer beaucoup en cest endroict.

Sur ce, Monseigneur, apres mestre humblement recommande a vostre bonne grace, et de Madamoiselle, ie supplieray nostre bon Dieu de vous avoir tousiours eu sa saincte protection, continuant de se glorifier en vous, et vous benissant en toutes choses. Ma femme vous presente aussi a tous deux ses humbles recommandations. De Genefve, ce 24. doctobre 1546.

Vostre humble serviteur et frere,

Iehan Calvin.

Monseigneur, vous me pardonnerez que ces lettres demeurarent sur ma table, quand ie feiz mon pacquet dernier. Le messaiger les pensoit avoir, et ie feuz bien esbahy quant ie les trouvay. Ce 28. [3])

---

2) *Nomen tacet B. substituta litera,* N. *Cf. N.* 827. *Sulzeri ep. N.* 842 *nondum reddita fuisse videtur.*
3) *De quo nuper saepius N.* 834. 836.
4) *An illi ad quem N.* 442?
5) *Beatum, olim ministrum Lausannensem.*
6) *Haec absunt ab edd.*
845. 1) *N.* 674. 709. *Il s'agit probablement d'un voyage à faire aux Pays-Bas pour affaires.*

2) *N.* 817, *note* 3.
3) *En marge:* Receu le 9. de Nov. 1546.

846.

THAMERUS BULLINGERO.

Luthero sacramentario valedicit.

(Breve tantum excerpimus ἀποσπασμάτιον quod ad illustrandam laboriosam controversiam sacramentariam facere potest. Integra Thameri epistola exstat in Archiv. Turic. olim Scrin. B. Epp. T. VII. part. I. nunc Plut. VI. Vol. 113, fol. 2081. Bullingerus eam cum Myconio communicavit d. d. 8. Dec. 1546 quae epistola exstat ibid. T. XXX. nunc Plut. VI. Vol. 129, fol. 157. Utraque apud Simler. Vol. 62.)

— — — — — — — — — — — — — — — —

Fui ante triennium acerrimus *Lutheri* propugnator, non possum negare, tibique et aliis paulo iniquior: sed laus Deo, nunc illud negotium melius intelligo. Si *Lutheri* sententia de sacramento obtinuerit, ut corpus Christi naturale ibi sumeretur, tum ex novo testamento fieret vetus. Quia agnus Dei fuit naturale et substantiale corpus et sanguis: quem abolevit Christus et ipsam veritatem, id est, non signum redemptionis, sed ipsam redemptionem impertit — — — — — — — Vale. Datae raptim in castris prope Gengen 28. Octobris anno etc. XLVI.

Theobaldus Thamerus [1]) tuus totus.

847.

CALVINUS VIRETO.

Literae commendatitiae.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 176. — Vide praeterea Cod. 111ᵃ, fol. 8 Ionv., Cod. 111, fol. 149 v. Turr., Bern. Epp. VII. p. 779 et Simler. Vol. 62.)

Fidelissimo Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto fratri et symmystae carissimo.

S. Hic pius adulescens commendatus erat *Macrino.* [1]) Quum nullam hic conditionem inveniret, istuc voluit proficisci. Denunciavi, nihilo plus spei esse apud vos quam hic. Quia tamen perstabat in suo consilio, literas quas enixe flagitabat nolui negare. Ingenue tamen aperui quid scripturus essem. Mihi placet, dignusque bonorum favore et officiis videtur. Atque utinam mihi ratio eius iuvandi oblata foret. Verum simul expendo quid possis, nec humanum est te commendationibus gravare quae secum praeiudicii aliquid ferant. Itaque nihil tibi impono. Vale, frater et amice integerrime. Dominus te conservet perpetuo. Amen. Fratribus plurimam salutem. Uxor mea te salutat. Iterum atque iterum vale. Tertio Calend. Novemb. [2]) 1546.

Ioannes Calvinus tuus.

848.

FARELLUS CALVINO.

Dolet ipsum quod Perrinum ad meliora reducere non potuerit. Etiam Neocomi nihil fere se posse queritur. Belli germanici progressus.

(Ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium Epp. Farelli fasc. III. N. 20.)

Christi servo pastori vigilantissimo ecclesiae Genevensis Io. Calvino fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Expediebat me rescire prius malesani capitis [1]) motus et affectus, quam misere post acceptas literas nostras fuerint commoti. Quamvis est quod indigne feram, istum neque sui neque mei, imo neque Christi, rationem aliam [2]) habere. Tamen subvereor eum per quem dedisti oleum camino addidisse. Nam parum fidus videtur. Ego, si quid otii nunc haberem, adniterer hominem sanare. Saltem, ut verum est, me tuo non scripsisse hortatu sed *Vireti*, ut non graveris invidia, isti palam facerem. Dolet mihi non parum quod aliter non successerit. Paulus multos quam gravissime perstrinxit, et quamvis tam contrarios haberet falsos ministros, nihilo minus tamen extorsit quod optabat: ego miser unum non potui ad meliora vocare, ubi te habeo coniunctissimum et caeteros tecum. Christus nobis adsit benignus, et istius ac aliorum corda tangat. Sed quid effecero apud istum, quum ne apud fratres quidem aliquid possim? Vident furias Antichristi, et satis norunt quam sit infensus ipsis: praeterea tamdiu ab ecclesiastico coetu, verbi auditione, mensa Domini abesse suisque non adesse sustinent. Mirum

---

846. 1) *Concionator aulicus Philippi Hassiae Landgravii et prof. Marburgensis. Cf. Neander, Th. Thamer, der Repräsentant und Vorgänger moderner Geistesrichtung. B. 1842. Pestalozzi, Bull. p. 461.*
847. 1) *scil. Laurentio Magnifico nisi fallimur.*
2) *Non vero 3. Nov. ut habet S.*
848. 1) *Perrini. Cf. N. 830. 832. 835 etc.*
2) aliquam?

si in saxa versi non fuerint, omnemque tum divinum tum humanum sensum exuerint. Ad ravim usque vociferatus nihil proficio, ut taceam quid tu egeris ut eos revocares.

Optas referre certi aliquid de bello quod Germani nostri, praeter id quod ipsorum fert natura tempus et locus, imo ratio omnis, cunctando gerere voluerunt,[3]) passi ratione hac hostem vires consilia et quid non capere ut se tueatur et alios perdat. Tot capita raro aliquid efficiunt feliciter quod cadat. Sed non est quod hoc aut illud causemur: peccata tantum haec ac multo graviora poscunt. Veniam necesse est ut petamus vere resipiscentes. Siquidem in castris pereunt multi, absumuntur ultra pestem gladio non pauci. Hostis sese munit: undique comportat in castra quidquid ex aedibus vicinis potest, ut iniuriae coeli minus habeat suos expositos. Ferunt Palatinum, Moguntinum, Trevirensem cum Gallo contendisse, cum hoste, de pace, et repulsos fuisse. *Albretus* Brunsvicensis, qui laesus fuerat,[4]) obiit. Quod queritur *Bucerus* et *Rochius*[5]) tuus nunc paratur, ni fallor. Verum tardius: tamen sero praestat quam nunquam. Deus successum det nec intueatur tot Achanos, sed ut olim ob decem quinque illis civitatibus erat parciturus, ita nunc non ob decem, sed unum, qui innumeris myriadibus praestat quique pro omnibus poenas luit, omnibus sit propitius, et causam tueatur tam sanctam, non exponat rursus Christum suum ridendum omnibus, verbum suum contumeliis afficiendum, sed nomini suo det gloriam, tam sublimem magnificiat[6]) servatorem, faxitque ut verbum suum omnibus sit in pretio, servetur, colatur et [*ame*]tur.[7]) Gallia sese vult primogenitam scorti Babylonis testari, matremque ebrietate superare contendit in sang[*uine*] inn[*ocentium*.[8]) *Videat*] Dominus et iudicet, num sibi locus nec suo verbo esse uspiam debeat, sed soli Satanae ac mendaciis mortiferis. O miserum solum, tam perverse Christum et quae Christi sunt respuens ac persequens, tam amans Antichristi et omnis iniquitatis! At non feret impune. Christus suos servet. Vale cum tua coniuge ac tuis omnibus collegis, ne praeteream *Gallasium*, *Coppum*, *Abelum*. *Thomas* te salutat, qui mihi has dedit valde doctas literas ad te remittendas. Salutat te collega. Neocomi 6. Novembris 1546.

Farellus tuus totus.

Miseram ad *Viretum* exemplar literarum *Buceri*,[9]) sed non meminit se accepisse, neque respondit quum exemplar tuarum ad Arctopolitanos pastores peterem. Quum unum mihi esset exemplar, ad te volui mittere duabus scriptum manibus. Id boni consules. *Sulzerus* non respondit an acceperit. Forte viliores sumus, quam responso digni sumus,[10]) aut graviora tenent.

---

3) *Rectissime hic iudicat de protestantium fatali in hoc bello gerendo negligentia et timiditate. Erat quidem Schertlinus dux exercitus, sed ipse multum impeditus et retardatus variis principum et consiliariorum opinionibus.*
4) *In praelio prope Noerdlingam facto.* (*Sleid.* II. 540.)
5) *Franc. Balduinus.*
6) *sic.*
7) *Haec et sequentia ex coniectura restituimus.*
8) *D. 4. Octobr. quatuordecim cives Meldenses combusti fuerunt.* (*Hist. eccl.* I. 49.)
9) *deperditarum.*
10) *sic.*

849.

SULZERUS CALVINO.

Sibi et amicis ex adventu novi collegae omnia adversa.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 102.)

Vireto pietate et doctrina clarissimo D. Ioanni Calvino symmystae in Domino observandissimo suo.

S. In magna perturbatione versamur et premimur,[1]) in qua solatio nobis est non solum conscientiae bonitas sed fratrum eorumque cordatiorum omnium consensus. Nam quod tu, *Viretus* caeterique consilium dedistis, quanquam serius esset allatum, tamen magna ex parte iam praemeditatum nobis fuerat et in toto negotio praestitum. Sed eventu parum prospero, quod collega[2]) receptus conditionem oblatam susceperit, et primo statim ingressu nostra studia non suggillare solum sed aperte proque publica concione ingenii cum acerbitate[3]) incessere ausus sit, electionis potestatem non solum communem ministris et magistratibus statuens, quod nos volebamus, sed totum etiam ad curiam transferens,[4]) nisi pro affectibus praesidum ministri a pastoribus designentur. Factionis item nomine non subobscure nos notavit, cum quibus tamen amicitiam concordiamque stipulatus erat. Eam concionem sic video gratam senatui exstitisse, ut idem mox Thomam

---

849. 1) *Quum scil. Zwinglianismus Bernae denuo praevaluerit. Cf. N.* 842, *not.* 1. *N.* 843, *not.* 9.
2) *Iodocus Kilchmeierus, Ritteri successor, Turicensium amicus, postmodum etiam Calvini et Vireti adversarius* (*Hundesh. p.* 199).
3) Iodocum ferocem et praefractum reddit inscitia. (*Calvinus Vireto* 19. *Nov.* 1547.)
4) *a qua ipse vocatus fuerat renitentibus ministris.*

Grynaeum [5]) virum optimum innocentissimumque officio privarit citra meritum, inque locum eius nobis insciis alium asciverit, [6]) ab hoc longo certe intervallo et disciplinae usu et doctrinae dexteritate distantem. Haec auspicia sunt huiusce vocationis. Et quia prospicio turbas easque perniciosas daturam, gravi iugique tentatione ad migrandum impellor, [7]) necdum id satis ex conscientia firmiter statuere possum et dubius animi pendeo. Te precor ut consilio nos iuves, per Christum et huiusce ecclesiae incolumitatem. Haec cursim et brevibus. Vale in Domino cum tuis. Bernae 10. Novembr. anno 1546.

T. Sulcerus.

850.

CALVINUS VIRETO.

Horribilem narrat fabulam de homine a Satana arrepto ita ut vestigia eius reperiri non potuerint, quam tamen Genevensium vulgus satis suspectam habuisse queritur. Subiicit alia minoris momenti.

(Exemplar Cod. Genev. 106, fol. 177, neque autographon est neque integrum. Describimus alterum Ionvillaei ex Cod. 111 [a], fol. 8, collatis Turretini Cod. 111, fol. 150, Bern. Epp. VII., p. 788 et Simler. Vol. 62. Edidit Henry Tom. I. App. p. 65. Variantes nonnisi potiores apponimus.

S. Putabam me nescio cui mandasse ut quam a me historiam tibi scribi postulas ore narraret. Quia tamen melius rem scire cupis, paucis accipe. Quum frater noster *Raymondus* [1]) aliquid se de horrendo impii hominis exitu rescisse dixisset, digna res visa de qua quaereret magistratus. Iussu itaque fratrum senatum adii. Ostendi quantopere interesset eousque inquiri dum rem ad liquidum haberent [2]) compertam: fieri enim aliter non posse quin rumor statim longe spargeretur. Si fabula esset, debere publica autoritate refelli. Si verum esse invenirent quod ferebatur, non esse oblivione sepeliendum, tale Dei iudicium: me iam videre permultos qui iocose eluderent. [3]) Sed admonui, nullum unquam exstitisse tam apertum miraculum quod Satan non tentaret obscurare. Ne tunc quidem agnitam fuisse Dei manum, quum Dathan Coreh et Abyron absorpti essent. Fuit satis longa oratio. Decretum ut in rem praesentem iretur. [4]) Adfuerunt quatuor Syndici et maior pars senatus, praefectus urbis cum suo consessu. Adfuimus etiam nos. Erat in agro tugurium, ubi uxor illi et liberi quatuor peste obierant. Fuerat tota vita scelestus et nequam, assiduus in cauponis, ebriosus, rixator, multum blasphemiis deditus, denique unus ex contemptoribus Dei non obscuris. Quum reprehenderent eum vicini quia rarius in concionibus appareret, dicere solitum fuisse accepimus: Quid? an ego *Calvino* me locavi ut audiam loquentem? Admonitus de turpi vita a *Ferronio* nullum resipiscentiae signum dederat. Paulo antequam in morbum incideret, quia uxorem flagitiose deseruerat, *Raymondus* eum obiurgavit ut par erat. Contagione morbi abusus est ad maledicendi licentiam. Morbo, post liberos amissos, ipse quoque fuit correptus. Iamque defectus erat viribus ut manum vix tolleret, quum subita phrenitis [5]) eum nocte invasit. Exsiliit igitur e lecto. Mater et mulier quae ministrabat retinuerunt. Diabolos tantum crepabat. Se desperatum esse, diabolis debitam praedam. Quum admoneretur ut Deum oraret, neque hoc profuturum respondit, quia iam diabolis esset adiudicatus, neque Deum maiori sibi curae esse quam calcei laceri vilissimam partem. Haec fuisse eius verba tam mater quam ancilla testata est. Post ortum solis, circiter septimam, eo in lectum reposito sedebat mater ad ostiolum. Ipse arreptitii instar se foras supra eius caput proripuit, Ambae quum retinere eum vellent, evolavit procul tanto impetu, ut ferri, non currere, ipsum appareret. Est in ea parte agri qua erupit sepes viva et spissa. Locum nobis notarunt. Si utrinque planum esset solum, nemo tamen est tam robustus qui altum [6]) possit superare, quin relinquat vestigia. Verum ab altera parte alta est crepido. Sub crepidine via est lapidosa inaequalis, utpote qua aestivi torrentes decurrunt. E regione, lato spatio interposito, crepido alteri similis, quae sepem etiam habet densam et spinosam. Quum neque transsiliendae propinquae sepis ulla esset ratio quin membra omnia collideret, in ad-

---

5) *Simonis ex fratre nepotem, I. I. Grynaei celeberrimi Basiliensis ecclesiae antistitis patrem* (*Ruchat* V. 302) *qui a.* 1588 *in locum Rhellicani suffectus fuerat, quum Lutheranizantes Bernae primas tenerent. Hundeshagenius p.* 200 *eum mense Ianuario* 1547 *dimissum dicit, ex h. l. corrigendus.*

6) *Eberhardum a Rumelang, Zwinglianum.*

7) *Senatus eo usque progressus est, ut plures eiusdem partis in vincula coniiceret. Sulzerus tamen demum m. Maio* 1548 *munere abdicatus et eiectus est.*

850. 1) *R. Chauvet in Commentariis senatus iam d.* 17. *Martii huius anni inter ministros Genevenses nominatur. Fallitur ergo Archinardus qui demum a.* 1549 *vocatum significat.*

2) haberet *T. B. S. H.*

3) illuderent *S.*

4) iretur *om.* 106 *H.*

5) phrenesis *S.*

6) *Sic* 106. *Caeteri omnes:* saltum, *quod H. emendandum censet in:* saltu.

versam vero partem nullus pateret ascensus, in conspectu mulierum asportatus instar turbinis fuit in ulteriores vites. Locum procul indicabant digito ubi ex oculis evanuerat. Pileus sub illo loco ad ripam Rhodani repertus. Missi navicularii ad cadaver investigandum frustra laborarunt. Et ex loco illo non potuit ad Rhodanum pervenire quin praeceps ferretur. In re tam perspicua erant tamen adhuc ex praecipuis qui impudenter tergiversarentur. Ego alta voce exclamavi: Si diabolos esse aliquos creditis, hic palam cernitis diaboli efficaciam. Qui Deo fidem non habent, digni sunt qui caecutiant in aperta luce. Perendie, quum esset dies dominicus, ex fratrum sententia pro concione rem tractavi,[7]) invectusque sum in eos acriter qui rem convictam pro fabula haberent aut se habere fingerent. Quin etiam eo progressus sum ut testater, me ardentibus votis mortem plus vicies eo biduo optasse, quod viderem frontes tam ferreas in ridendis[8]) Dei iudicis. Nam tunc apertius quam alias unquam retecta fuerat nostrorum impietas. Pauci tantum nobis assentiebantur verbo: nescio an unus ex corde crediderit.

Adiunxi duo alia non aeque illustria, sed tamen non indigna memoratu, quae contigerant. Unus, quum inter concionem diei dominici in apothecam vinariam cauponae ad hauriendum vinum descenderet, casu in suum gladium e vagina elapsum incubuit et moribundus est elatus. Alter, quum proximo Septembri, quo die administrata erat sacra coena, ebrius ad scortum per fenestram obrepere clam tentaret, horrendo casu ossa sibi multis partibus confregit. Tandem conclusi: donec cum totis domibus inferi vos absorbeant, Deo manum suam exserenti fidem non habebitis. Multis animadverti non placere nostrum studium, quia non libenter a suo veterno expergefiant. Vix enim credas quam multorum conscientiae sopitae sint, quae supra coelos erectae videntur. Maior pars timebat urbis dedecus, pauci etiam doctrinae. Stulte omnino. Quid enim nobis magis gloriosum hac tam illustri Dei ultione adversus doctrinae nostrae contemptores? Et quid habent papistae quo insultent Genevensibus, si quam profitentur religionem Deus ita asserit a contemptu? Caeterum, ut dicebam, hic locus dignus est quem exquisitis iudicii sui exemplis Deus prae aliis illustret. Non multa dixi, longius tamen iam fui quam volebam.[9])

Est apud me pius frater ac doctus, qui in animo habebat Argentoratum proficisci illicque biennium proficiendo transigere, deinde huc reverti ut operam ecclesiae navaret. Habet enim fratrem mediocriter divitem, qui sumptus triennii promiserat. Verum is tandem fefellit. Ita bonus vir destitutus circumspectabat quidnam agendum sibi foret. Ego, quia testimonium habebat, optimum ab omnibus bonis, et mihi etiam notus erat, eum excepi, et gratuitum victum obtuli donec inveniretur conditio. Ne mihi esset oneri commendationem ad vos petebat. Sed monui utendum esse opportunitate. Te igitur etiam atque etiam rogo ut, si multitudine scholasticorum vos exonerari contigerit, mihi significes. Dignus enim est cuius habeatur ratio. Nisi utilem Christo ministrum fore confiderem, non laborarem eius causa. Quanquam ecclesiae non minus quam homini consulo. Te quoque nunquam poenitebit nos iuvisse. Fratres *Farelli* hic sunt. De ipso quod bene coeptum est, Deus feliciter absolvat. In altero tantum hoc timeo ne sit nimium imperiosus, potestatem nactus in pueros.[10]) Sed vestrum erit moderari. Neocomi in eligendo successore[11]) cavendum erit ne fratres nimium sint morosi. Quantum potui olfacere, non aequissime fert *Thomas*,[12]) tam alienos a se fuisse animos. Tu periculis prudenter occurre. Vale cum fratribus et amicis, quos salutabis meo nomine. Collegae mei te et illos salutant. Uxor mea etiam. Dominus vos conservet ac spiritu suo regat. Amen. Genevae 14. Novemb. 1546.

Ioannes Calvinus tuus.

7) rem tractavi, *om.* 106.
8) videndis 106 *H.*
9) *Hic subsistit Cod.* 106.

851.

BULLINGERUS THAMERO.

Lutheri sententiam de coena Domini diiudicat.

(Ex autographo Archiv. Turic. olim Scrin. C. Epp. T. I nunc plut. VI., vol. 117a, fol. 351. Ap. Simler. Vol. 62.)

D. *Lutherum*[1]) beatae memoriae virum celebrem amavi semper et amo adhuc vel mortuum in Domino. Agnosco enim Dominum praeclara nobis per illum contulisse beneficia, ob quae vir ille laudem meretur ab omnibus maximam. Nunquam tamen probare potui immodicam et nimis crassam eius de coena Domini Iesu definitionem,

10) *Cf. N.* 826, *not.* 7. *N.* 843, *not.* 3.
11) *N.* 843, *not.* 10.
12) *De la Planche, Neocomensis minister, nisi fallimur, qui fortasse designari cupiebat.*
851. 1) *Vide omnino N.* 846.

quam in brevem propositionem, non ita pridem ante mortem suam, contra Lovanienses rabulas redegit, nimis acerbe in libello nupero, in parva inquam confessione sua contra nos edita cui respondimus, ursit, et in magna sua confessione fuse explicuit. Contendit ipsum naturale corpus Domini, ita ut natum est de virgine, integrum adesse et edi in coena mystica, ita tamen ut panis maneat panis et non convertatur in corpus Domini, nihilominus tamen vere et substantialiter adsit et corporaliter manducetur, non modo ore fidei, sed ore etiam corporis. Ita enim et Iudam contendit edisse ipsissimum Domini Iesu corpus, quem tamen fide caruisse constat. Nihil haec distant a papisticis abominationibus, mi *Tamere*, excepto uno transsubstantiationis vocabulo. Caeterum *Luthero*, quamvis magno in aliis viro, hac in re tam non possum accedere, quam non possum ferre papisticam sententiam de reali et corporali praesentia et manducatione, libera tamen a loco, qualitate et quantitate. Ita enim loquuntur isti: manducari et adesse verum Domini corpus, sed miraculo quodam, non qualitative, non quantitative, et non tanquam in loco. Quod perinde est ac si quis dicat, ignem alicubi ardere, sed non lucere, non calefacere. Ita vero proprietates eidem rei uno momento addunt et adimunt, ut eadem, inquam, res simul et semel sit quod esse debet et tamen non sit quod esse debet. Quin ut scriptura sibi non repugnet, ut absurda plurima excludantur, ut corporis veritatem non adimamus Christo Domino, denique ut miracula praeter necessitatem non confingamus ipsi extra et contra scripturam, et ut sacramentis tribuamus quod ipsorum est, spiritui sancto ut fidei quod ipsorum proprium est, melius (nostra quidem sententia), rectius, simplicius et satis esse videtur, si sentiamus et dicamus, sicuti scriptura quoque loquitur, ipsum corpus Domini verum et sanguinem eius verum edi et bibi (Ioann. 6), sed fide et spiritu, etiam extra et ante coenam, quoties homo audito verbo salutis credit et sese Christo coniungit: coenam autem esse memoriam, testamentum (Luc. 22, Rom. 4), testimonium et obsignationem traditi pro nobis corporis et effusi sanguinis, peractae salutis et vitae nobis in morte Christi per fidem exhibitae atque receptae, ita ut fide participantes coena obsignationem accipiant eius rei quod redempti morte Domini salvi iam et unum cum Christo facti sint (1 Cor. 10), qui est cibus vitae, et vitae quidem sensitivae non imaginativae, praesentis non absentis. Nam fides non est res vacua inanis et vana. Sentiunt intra se fideles vim et viventem in ipsis Dominum: imo ita plene et superabundanter fruuntur Domino et omnibus bonis eius, ut nihil amplius exoptare et desiderare, possint, saturi iam et perfecti in Christo per omnia, nisi quod magno cordis iubilo aliquot in anno vicibus salutaria mysteria celebrantes exhibitam salutem reparant atque renovant, sicut ipse disposuit Dominus, et quod semper postulant ut, quod iam fide et spe possident, suo tempore, quando videlicet Deo visum fuerit eos hinc ad se transferre, plenissime conferat in Christo vitam aeternam. Ita porro non erit necesse imaginari corpus Domini miraculose coelo descendere et sese contra veri corporis proprietatem per omnia diffundere, pani sese vel adiungere commiscereque, vel in panem converti, aut sublata panis substantia se continere sub speciebus panis. Manet in sua substantia et veritate Dominus, ideoque manet in coelo Dominus, qui etiam in coelo est filius hominis. Manet in sua substantia panis. Praeterea homines manemus in terra: corde autem, admonente ministro et dicente: Sursum corda! ascendimus, evehente nos spiritu, et fide in coelum, ubi Christo toto, Deo videlicet et homine, participamus, participationemque dudum fide coeptam adeoque perceptam continuamus et renovamus, ut ille iam pergat vivere in nobis et nos in ipso.

Caeterum nihil hic tuae pietati praescribo quod credas aut recipias. Recipe quod putaris veritati scripturarum esse consentaneum. Haec recito et recitando paucis perstringo ut videas quare *Luthero* hactenus accedere non potuimus et quid de coena Domini sentiamus, non inane utique et profanum quoddam commentantes signum aut symbolum, sed divinum plane, quod est mysterium nostrae redemptionis, gratiae exhibitae nobis a Domino testimonium, visibile verbum, et receptae salutis in spe signaculum concordiaeque et christiani foederis symbolum — — — — — Tiguri 14. Novemb. anno 1546.

Bullingerus totus ex animo tuus.

852.

CALVIN A M. DE FALAIS.

Du livre de Denis de la Roche. Du mariage de Viret. De l'Apologie. De la santé du baron. De la guerre d'Allemagne. De ses écrits sur la cène. Affaires privées diverses.

(Orig. autographe. Bibl. de Genève. Vol. 194, fol. 44. — Éd. d'Amst. p. 77. Bonnet I. 167. Trad. angl. II. 65.)

A Monseigneur Monsieur de Fallez.

Monseigneur, combien que iattendois vos lettres de iour en iour, ie nay voulu toutefois laisser aller

ce porteur sans vous escrire, pour donner response a vos dernieres. Ie commenceray par larticle du livret que menvoiastes.[1]) Ayant leu ma response, et le iugement que ien avoye, vous me nommastes lauteur; et pource quil est un peu adonne a son sens, vous me priez de vous en mander mon advis, affin de luy en dire a son retour ce quen auriez trouve. Vos paroles sont: „Lauteur est Denis de la Roche, lequel ma prye le vous envoier secretement. Parquoy ne scay comment devray user pour ladmonester, car ie crains quil se doubtera quil vient de vous, dautant quil est un petit de grant cueur, et tient quelque fois volontiers son opinion. Pource que vous le congnoissez de plus long temps que moy, escrivez men vostre advis affin qua son retour ie puisse luy dire le iugement que ien ay trouve, quant il le me demandera.

Sur cela ie me suis excuse, ne scachant comment y proceder, veu quen brief ie vous avoye declaire ce que ien sentoye. Si vous demandiez plus longue deduction, que ie ne la pouvois si bien faire que de recente memoire. Et de faict iay bien oublie une partie de ce que vous en ay escrit. Voila qui me faisoit doubter de vostre intention, pource quil me sembloit que demandiez derechef ce que iavoye desia faict. Et encor nentens ie point pourquoy vous en vouliez avoir nouvelle declaration de moy, sinon que la premiere ne vous contentat point. Or a grant poine pourrois ie deschiffrer par le menu les choses qui me sont eschappees. Car ie nay retenu quune idee confuse de largument general, et quelques poinctz par cy par la.

Quant au mariage dont ie vous avoye requis,[2]) ie vous prye, Monseigneur, croire ce que ie vous en diray: car ie vous en compteray la pure verite sans dissimulation aulcune. La raison qui mesmeut de vous en escrire fust, quon luy adressoit icy party qui ne luy convenoit pas. Mais pour laffection vehemente daulcuns qui sen mesloient, nous estions en poine de le refuser. Ainsi pour rompre ce coup, ieusse desire quil sen fust trouve un par dela: car il y eust eu moins denvie et de ialousie quant il leust prins de loing, comme desia nous avions bien experimente les murmures quen faisoient aulcuns, quant nous ne suivions point leur cordelle. Au reste, ie vous asseure quil ne pretendoit pas ailleurs par insinuation oblique. Mais sans penser ny a celle dont vous me respondistes de vostre grace, ny a nulle aultre, ie mestois advise de vous recommander lhomme en tel cas. Or vous scavez que les premieres lettres demeurerent long temps en chemin devant que nous eussions de voz nouvelles: qui me fust cause de redoubler, mesme a linstance de lhomme, combien que ie nentendois pas bonnement pourquoy. Car ce pendant, a ce que iay apperceu depuis, on luy parloit dailleurs. Toutefois ayant receu de voz nouvelles, ie communicquay avec luy, et la conclusion fust telle que vous ay mande, sans user de civilite feincte, ny de tergiversation. Depuis iay sceu que le propos dune vefve continuoit, combien que de ceste heure ie ne scay comment il en va. Et tant sen fault que ie men soye mesle, que scachant en ceste ville une vefve daussi bonnes conditions que ie vouldrois souhaitter pour moy, quant Dieu mauroit afflige iusque la que de mavoir destitue de ma compaignie, et quil me fauldroit remarier: considerant les propos qui se menoient de laultre coste, ie ne me suis pas voulu ingerer[3]) de la mectre en avant. Et toutefois ie ne doubtois pas que ce ne fust son profict singulier. Mais plus que ie mestois acquitte doffice damy, il me suffisoit de le recommander a Dieu, et ce pendant laisser leaue aller son cours. Voila comment ie vous ay remercie sans hypocrisie, vous remonstrant les empeschemens que iavoye icy. Et ne pense point quil y eust fiction en lhomme pour lequel ie parlois: qui plus est, ien oseroye quasi bien asseurer. Mais en peu dheures propos changent. Voiant la disposition presente, ie ne luy ay rien voulu communicquer du contenu de vostre lettre. Ie nuseray pas de longues excuses envers vous; et aussi il y a un bien que la chose na este esventee. Parquoy selon vostre prudence vous pourrez bien prendre le tout comme si iammais il nen avoit este mention. Ce pendant vostre bon vouloir, ne sera point ensepvely envers moy, ny envers lhomme a qui le cas attouche principallement. Car ie vous asseure quil le recongneut a bon escient, et scay quil la imprime au cueur, encor que nul effect ne sen soit ensuivy.

Quant a largent qui a este desbourse a loccasion de nostre enfant,[4]) sans que vous en soiez plus importune, Antoine *Maillet* y mectera fin. Puis, au plaisir de Dieu, ie feray mon devoir, vous merciant bien affectueusement de ce quil vous plaist avoir patience iusque a ce que la conclusion en soit faicte.

Puis ce lapologie nest point encor sortie, il est bien expedient davoir les nouvelles que Maistre *Valerand* pourra apporter. Et de faict outre la circumstance survenue en vostre cas particulier, la declaration qua faict lhomme en general contre toute la cause, merite bien que le style soit change et

---

852. 1) *N.* 833, *not.* 4.
2) *N.* 806.

3) *Mais dès le commencement il n'avait fait autre chose* (*N.* 794 *suiv.*).
4) *S'agit-il de ce beau-fils dont il a été parlé N.* 635 *et* 690?
5) *sic. M. Bonnet corrige:* puis que.

quil y ait des additions entrelacees. Et puisque Dieu a permis que vous aiez tant attendu, la fin quil y donnera vous enseignera encor plus certainement.

Combien que iaye bien ouy parler dun homme estant prins a Berne pour empoisonneur et boutefeu, neantmoins iay si peu dadvertissemens de ce lieu la que ie nen ay rien entendu que du bruict commun. Parquoy ie navoye garde de vous en rien mander. Sil est ainsi quon vous a rapporte, ie congnois quil est bon mestier que ma vie soit en plus grande recommandation a Dieu qua noz voisins.

Combien que vostre debilite soit longue, toutefois cest beaucoup que vous ailliez tousiours petit a petit en amendant. Et quant ie regarde a la maladie, iay plus grande occasion de men contenter. Ce pendant nous ne laisserons point de pryer Dieu quil luy plaise de vous confermer du tout, luy rendant graces de ce quil vous a retire du bort du sepulchre. Au reste iespere a lapparence quil nous donne, quil se veult encor un bon coup servir de vous en sante, comme il sen est servi en maladie. Car estans abattus tout platz au lict, il sen fault beaucoup que nous luy soions inutiles, si nous rendons tesmoignage de nostre obeissance envers luy en nous remectant a son bon plaisir; si nous donnons approbation de nostre foy resistant aux tentations; si nous faisons valoir les consolations quil nous donne pour surmonter les fascheries de la chair. Cela est aux maladies et principallement longues, ou est requise un[6]) plus singuliere patience, mais sur tout en la mort. Neantmoins, comme iay dict, ie me confie en ce bon Dieu que vous ayant exerce par maladie, vouldra encor employer vostre sante a quelque bonne chose. Ce pendant nous avons a le pryer quil nous soustienne en ferme couraige, ne permectant point que nous defaillions pour la longue attente.

Combien que la retraicte du renard[7]) soit doubteuse, ce nest pas neantmoins peu de chose quau lieu de parvenir ou il pretendoit, qui eust este son grant advantaige, il est alle en escrevice. Et a ce que nous avons entendu, il a laisse les enseignes, comme la main de Dieu le persecutoit. Or iayme tousiours mieulx que Dieu luy couppe un doibt que nous un bras. Non pas que ce ne soit loeuvre de Dieu ce quil fera par nous, mais ie crains tousiours tant ceste gloire, que loeuvre apparente de Dieu me resiouit plus. Et aussi le malheureux a plus doccasion destre confus en son cueur. Quoy quil en advienne, iay pense dire vray apres les nouvelles de son deppart, en escrivant ce qui sensuit: Ou va il? ou est il alle? que deviendra il le meschant? Pour le moins Dieu en le chassant a bien son orgueil avalle.

Il vole un bruict qui me trouble et fasche plus quil ne mestonne. Cest que *Maurice* lui vouldroit tenir compaignie a ruiner son cousin et son beau pere, et finallement a se ruiner soy mesme.[8]) Car il fauldroit bien que Sathan leust du tout possede. Nous attendrons toutefois ce quil plaira a Dieu, estants pretz de recevoir tout ce qui luy aura pleu.

Quant a ladvis que vous me demandiez, sil seroit expedient de refreschir la memoire aux ambassadeurs,[9]) devant que ieusse opportunite de vous escrire, la saison en estoit passee. Parquoy ie men teuz, non pas tant par oubly que pour ceste consideration: *ne pluvia post messem.*

Il y a bien un point que ie pense avoir oublie: cest de la complaincte quon faict, quil semble que ie veuille enclorre le corps au pain. Ie ne scay ou ils lont resve ce songe. Iammais ie ny pensay.[10]) Ie parle de ceste matiere en plusieurs traictez, mais principalement en lInstitution, au Catechisme, au Commentaire des Corinthiens, et en la Facon dadministrer la Cene. En la Supplication ien touche assez legerement. Oultre cela ien ay compose un petit livret propre. Ie croy quun lecteur de bon iugement ny trouvera point de contredict. Mais voila que cest, plusieurs ne pensent pas quon distingue entre le seigne et la verite, si on ne les separe du tout, pour faire Dieu comme un ioueur de farce, qui monstre par figure des choses vaines et faulses. Ce pendant nostre office est de recongnoistre que cela vient de lastuce de sathan, lequel ne cherche qua brouiller les esperitz, pour rendre noz labeurs inutiles. Ainsi pryons Dieu quil donne accroissement par sa grace, affin que ne travaillons en vain. Telz exemples nous y doivent inciter, et pareillement admonester, a ce que ne pensions point avoir beaucoup faict davoir escrit.

Monsieur, apres vous avoir presente les humbles recommendations tant de moy que de ma femme a vostre bonne grace, et celle de Madamoiselle, ie pryeray nostre bon Dieu quil luy plaise de vous conserver tousiours en sa saincte protection, vous fortifiant par son esprit en toute vertu, faisant de plus en plus reluire sa gloire en vous. De Genefve, ce 16. de novembre 1546.

---

6) *sic.*

7) *L'empereur n'entreprit rien de décisif à cette époque. Il avait voulu surprendre Ulm, mais sans y réussir, et perdait beaucoup de monde par les maladies.*

8) *Vers la fin d'Octobre, Maurice de Saxe, cousin de l'électeur Jean-Frédéric et gendre du landgrave de Hesse, qui avait conclu un traité secret avec l'empereur, se déclara ouvertement pour celui-ci. Il fut récompensé par la dignité électorale et la plus grande partie du territoire de son cousin.*

9) *Nous ignorons s'il est ici question d'affaires politiques, ou des intérêts privés du baron.*

10) *Cette phrase manque dans Bt. — D'où pouvait venir cette complainte?*

Ie supplye destre excuse des faultes, car ie nay peu relire la presente estant occupe dun mal de teste qui ma saisy. Nostre frere *Gallasius*[11]) se recommande aussi humblement a vous, et vous envoye un distiche quil a compose sur le renard. Nous avons grant desir davoir des nouvelles. Si la guerre ne donnoit feries aux presses, ieusse envoye a *Vendelin* les Galatiens; mais puisque les Corinthiens demeurent la au coffre, ie nay que faire de me haster.[12])

Vostre humble serviteur, frere et entier amy,[13])
Iehan Calvin.

853.

CALVIN A M. DE FALAIS.

A l'occasion de mort de sa soeur.

(Orig. autographe. Bibl. de Genève. Vol. 194, fol. 46. — Éd. d'Amst. p. 87. Éd. Bonnet I. 174. Angl. II. 70.)

A Monseigneur Monsieur de Fallez.

Monseigneur, le iour devant que *Camus* arrivat, iavoye escrit tant a vous qua daultres par un ieune cousturier picard. Mais pource que ie nestois pas certain si on vous avoit encor adverty de la mort de Madamoiselle vostre seur,[1]) ie navoye oze en faire mention. Maintenant iay este ioieulx, et ay remercie Dieu de bon cueur, voyant par les lettres de Madamoiselle, que vous aviez incontinent prins vostre resolution sur le poinct duquel ieusse faict mon principal fondement, si ie vous eusse voulu consoler. Et de faict vous avez bien occasion de recongnoistre la grace que Dieu luy a faicte, et a vous avec. Car puis que son mary est ainsi refroidy,[2]) la bonne dame eust este en une malheureuse captivite, si elle feust demeuree plus long temps au monde, et neust iamais faict que languir. De vostre coste vous neussiez pas eu le moien de luy tendre la main, ny de la soulager en ses doleurs. Ainsi iammais vous neussiez pense a elle quavec regret et fascherie. Dieu doncq a eu pitie de vous et delle, quant il y a proveu, et surtout quand il a prevenu les dangiers ausquelz elle pouvoit tomber par longue succession de temps, selon la fragilite qui est en nous. Et nous avons encore un meilleur reconfort, que nous ne serons pas long temps a nous retrouver ensemble. Ce pendant que nous penserons a nous preparer de la suivre, lheure sera tantost venue. Mais iayme beaucoup mieulx de vous congratuler, danltant que nostre seigneur vous a mis ces choses au cueur desia, que de travailler a les vous reduire en memoire. Les aultres nouvelles que ma dict *Camus* de vostre part mont aussi resiouy, en attendant que Dieu ameine a bonne issue ce quil a mis en bon train.

Monseigneur, apres mestre humblement recommande a vostre bonne grace, et vous avoir presente les humbles recommandations de ma femme, ie prieray nostre bon Dieu de vous avoir tousiours en sa saulve garde, vous fortifier de corps et desperit, affin de tousiours se servir plus amplement de vous. De Genefve, ce 20 de novembre 1546.[3])

Vostre humble serviteur et entier amy,
Iehan Calvin.

Ie vous asseure que vous serez cause de me faire desirer la venue du prinstemps plus que ie neusse faict aultrement. Nostre frere *des Gallars* se recommande aussi a vostre bonne grace bien humblement.

854.

CALVIN A MADAME DE FALAIS.

Même sujet. Il promet d'écrire en français, et proteste de son désintéressement.

(Orig. autographe. Bibl. de Genève. Vol. 194, fol. 47. — Éd. d'Amst. p. 90. Éd. Bonnet, fr. I. 176. Angl. II. 71.)

A Madamoiselle Madamoiselle de Fallez.

Madamoiselle, puisque iay sceu que Monseigneur avoit este adverty de la mort de sa seur, ie luy en ay touche un mot, scachant desia par vostre advertissement quil navoit besoing de longue consolation, puis que Dieu luy a mis au cueur sans moien des hommes ce qui luy doit servir a lalleger de sa tristesse.

Quant a ma promesse[1]) dont vous me tenez lye, ie men acquiteray, quant Dieu men donnera le moien. Mais ie me suis esbahy, pourquoy vous

---

11) *N.* 780. 782.
12) *Les deux commentaires ne parurent qu'en* 1548 *et à Genève.*
13) *Note de Falais:* Receu le 3. de decembre. Respondu verballement a Basle.
853. 1) *N.* 840, *note* 3.
2) *Il paraît avoir d'abord adhéré à la réforme.*

3) *Note:* Receu le 4. dec. 1546. Respondu verballement a Basle. *Cette note est reproduite sur la lettre suivante.*
854. 1) *d'écrire un traité en français* (*N.* 840).

me touchiez de la recompense que mon dict Seigneur a intention de me faire,[2]) comme si ie regardois a celà, et que ie neusse point aultre consideration en luy. Cest lamour et reverence que ie luy porte a bon droict en nostre Seigneur, tellement quil me faict bien mal que ie ne me puis aultrement employer envers luy et vous, pour monstrer ce qui est en mon cueur. Toutefois ie vous supplye ne vouloir mal prendre ce que ien dis. Car il ny a rien qui my ait esmeu, sinon la crainte que iavois que vous ne prinsiez point telle fiance en moy, comme ie desire. Au reste, ie nentens point dintenter complaincte qui merite response. Car il me suffit que vous naiez point eu de doubte ne souspecon qui vous ait induict a men faire mention.

Sur cela ie feray fin, apres mestre humblement recommande a vostre bonne grace. Ie prieray nostre bon Dieu de vous avoir tousiours en sa saincte protection, vous gouvernant selon sa bonne volonte, affin de glorifier son sainct nom en vous. De Genefve, ce 20 de novembre 1546.

Vostre humble serviteur et bon frere a iammais,
Iehan Calvin.

2) *Pour la dédicace de la 1re aux Corinthiens.*

855.

CALVINUS VIRETO.

Vireti nuptiis se adfuturum promittit. De vocando Saliniaco dubius haeret. Rumores ex Germania allatos refert caett.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 178. — Exstant pro more exemplaria Ionvillaei Cod. 111 a, fol. 9 v., Turretini Cod. 111, fol. 158, Bernense Epp. VII. p. 793, Simleri Vol. 62.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri carissimo.

S. Promisi *Sonerio* me benedictioni adfuturum,[1]) nisi quid forte interveniat adversi, quod nollem. Ad *Saliniacum* animus non inclinat.[2]) Scripserunt enim mihi complures Argentina, prorsus hominem esse aulicum, et cui valde placeat sua conditio. Denique si vocetur, nihil boni mihi animus praesagit, donec aliud animi sui specimen dederit. De pecunia quid aliud *Mallieto* rescriberes, nisi te primam summam a *Nicolao* recepisse, me tibi decem scutatos pollicitum, quos apud me habeo, *Martialem* illum qui tibi quatuor numerare debuit non exstare, nec te scire quid sit hominis. Eum cuius est pecunia nihil necesse est tibi esse notum, quoad literas a *Mallieto* afferat quae fidem tuam liberent. Nihil enim tibi cum quoquam negotii est qui agere tecum possit, nisi cum ipso *Mallieto*. Ita securus dormias.

Venit heri mercator Argentinensis qui narrat *Carolum* Hispanum dimissis copiis omnibus praeter quatuor Hispanorum millia in Austriam se recepisse.[3]) Nostros tenere exercitum, nisi quod praesidiis urbes sunt levatae, quia nullus ab hoste iam metus. Vale, frater et amice integerrime. Dominus tibi adsit ac benedicat in omnibus. Saluta amicos. Genevae 20. Novemb. 1546.

Ioannes Calvinus tuus.

855. 1) *Nisi omnia nos fallunt agitur hic de nuptiis Vireti proxime instantibus et quia Sonerii mentio fit hac occasione, vero simile est, eam ipsam viduam tandem delectam et ductam fuisse quam ille commendaverat* (*N.* 830 *seqq.*). *Ea tamen videtur fuisse Albonensis. Schmidtius* (*Farel u. Viret p.* 44) *secundam huius uxorem Genevensem dicit.*

2) *Fortasse cogitatum fuerat de eo in locum Curionis sufficiendo, vel Vireto pro collega adiungendo in cathedra theologica. Io. de Salignac erat theol. D., regius lector, hebr. l. professor ex Petrocoriis oriundus. Reformationem publice non profitebatur. Occurret nobis in hoc nostro Thesauro a.* 1561. (*Haag.* IX. 113.)

3) *Falsissimus fuit rumor.*

856.

SULZERUS CALVINO.

Fusius exponit in quo discrimine ipse et qui cum ipso faciunt Bernae constituti sint.

(Ex autographo Bibl. nation. Parisiensis, Collect. Dupuy, Vol. 268, fol. 32.)

Viro doctrina et pietate praestantissimo D. Ioanni Calvino symmystae et fratri in Domino observandissimo suo.

Genevae.

S. Graviter convellitur ecclesia nostra,[1]) tragoedia perniciosa studiis quorundam excitata, ut ex proximis meis partim intellexisti. In ea sic quatimur pastores, *Beatus* et ego, vix ut clavum retineamus amplius. *Grynaeum* tempestas eiecit, nihil tale exspectantem aut meritum. *Meierum* nostrum ludimagistrum mors abripuit, vere cordatum hominem, singulare et eximium organum. Nos via obliqua petimur et undiquaque urgemur et distrahimur

856. 1) *Vide omnino N.* 849 *et Hundeshagenii librum ibid. laudatum.*

Ie supplye destre excuse des faultes, car ie nay peu relire la presente estant occupe dun mal de teste qui ma saisy. Nostre frere *Gallasius* [11]) se recommande aussi humblement a vous, et vous envoye un distiche quil a compose sur le renard. Nous avons grant desir davoir des nouvelles. Si la guerre ne donnoit feries aux presses, ieusse envoye a *Vendelin* les Galatiens; mais puisque les Corinthiens demeurent la au coffre, ie nay que faire de me haster. [12])

Vostre humble serviteur, frere et entier amy, [13])
Iehan Calvin.

853.

CALVIN A M. DE FALAIS.

A l'occasion de mort de sa soeur.

(Orig. autographe. Bibl. de Genève. Vol. 194, fol. 46. — Éd. d'Amst. p. 87. Éd. Bonnet I. 174. Angl. II. 70.)

A Monseigneur Monsieur de Fallez.

Monseigneur, le iour devant que *Camus* arrivat, iavoye escrit tant a vous qua daultres par un ieune cousturier picard. Mais pource que ie nestois pas certain si on vous avoit encor adverty de la mort de Madamoiselle vostre seur, [1]) ie navoye oze en faire mention. Maintenant iay este ioieulx, et ay remercie Dieu de bon cueur, voyant par les lettres de Madamoiselle, que vous aviez incontinent prins vostre resolution sur le poinct duquel ieusse faict mon principal fondement, si ie vous eusse voulu consoler. Et de faict vous avez bien occasion de recongnoistre la grace que Dieu luy a faicte, et a vous avec. Car puis que son mary est ainsi refroidy, [2]) la bonne dame eust este en une malheureuse captivite, si elle feust demeuree plus long temps au monde, et neust iamais faict que languir. De vostre coste vous neussiez pas eu le moien de luy tendre la main, ny de la soulager en ses doleurs. Ainsi iammais vous neussiez pense a elle quavec regret et fascherie. Dieu doncq a eu pitie de vous et delle, quant il y a proveu, et surtout quand il a prevenu les dangiers ausquelz elle pouvoit tomber par longue succession de temps, selon la fragilite qui est en nous. Et nous avons encore un meilleur reconfort, que nous ne serons pas long temps a nous retrouver ensemble. Ce pendant que nous penserons a nous preparer de la suivre, lheure sera tantost venue. Mais iayme beaucoup mieulx de vous congratuler, danltant que nostre seigneur vous a mis ces choses au cueur desia, que de travailler a les vous reduire en memoire. Les aultres nouvelles que ma dict *Camus* de vostre part mont aussi resiouy, en attendant que Dieu ameine a bonne issue ce quil a mis en bon train.

Monseigneur, apres mestre humblement recommande a vostre bonne grace, et vous avoir presente les humbles recommandations de ma femme, ie prieray nostre bon Dieu de vous avoir tousiours en sa saulve garde, vous fortifier de corps et desperit, affin de tousiours se servir plus amplement de vous. De Genefve, ce 20 de novembre 1546. [3])

Vostre humble serviteur et entier amy,
Iehan Calvin.

Ie vous asseure que vous serez cause de me faire desirer la venue du prinstemps plus que ie neusse faict aultrement. Nostre frere *des Gallars* se recommande aussi a vostre bonne grace bien humblement.

854.

CALVIN A MADAME DE FALAIS.

Même sujet. Il promet d'écrire en français, et proteste de son désintéressement.

(Orig. autographe. Bibl. de Genève. Vol. 194, fol. 47. — Éd. d'Amst. p. 90. Éd. Bonnet, fr. I. 176. Angl. II. 71.)

A Madamoiselle Madamoiselle de Fallez.

Madamoiselle, puisque iay sceu que Monseigneur avoit este adverty de la mort de sa seur, ie luy en ay touche un mot, scachant desia par vostre advertissement quil navoit besoing de longue consolation, puis que Dieu luy a mis au cueur sans moien des hommes ce qui luy doit servir a lalleger de sa tristesse.

Quant a ma promesse [1]) dont vous me tenez lye, ie men acquiteray, quant Dieu men donnera le moien. Mais ie me suis esbahy, pourquoy vous

---

11) *N.* 780. 782.

12) *Les deux commentaires ne parurent qu'en* 1548 *et à Genève.*

13) *Note de Falais:* Receu le 3. de decembre. Respondu verballement a Basle.

853. 1) *N.* 840, *note* 3.

2) *Il paraît avoir d'abord adhéré à la réforme.*

3) *Note:* Receu le 4. dec. 1546. Respondu verballement a Basle. *Cette note est reproduite sur la lettre suivante.*

854. 1) *d'écrire un traité en français* (*N.* 840).

me touchiez de la recompense que mon dict Seigneur a intention de me faire,[2]) comme si ie regardois a cela, et que ie neusse point aultre consideration en luy. Cest lamour et reverence que ie luy porte a bon droict en nostre Seigneur, tellement quil me faict bien mal que ie ne me puis aultrement employer envers luy et vous, pour monstrer ce qui est en mon cueur. Toutefois ie vous supplye ne vouloir mal prendre ce que ien dis. Car il ny a rien qui my ait esmeu, sinon la crainte que iavois que vous ne prinsiez point telle fiance en moy, comme ie desire. Au reste, ie nentens point dintenter complaincte qui merite response. Car il me suffit que vous naiez point eu de doubte ne souspecon qui vous ait induict a men faire mention.

Sur cela ie feray fin, apres mestre humblement recommande a vostre bonne grace. Ie prieray nostre bon Dieu de vous avoir tousiours en sa saincte protection, vous gouvernant selon sa bonne volonte, affin de glorifier son sainct nom en vous. De Genefve, ce 20 de novembre 1546.

Vostre humble serviteur et bon frere a iammais,
Iehan Calvin.

855.

CALVINUS VIRETO.

Vireti nuptiis se adfuturum promittit. De vocando Saliniaco dubius haeret. Rumores ex Germania allatos refert caeti.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 178. — Exstant pro more exemplaria Ionvillaei Cod. 111 a, fol. 9 v., Turretini Cod. 111, fol. 153, Bernense Epp. VII. p. 793, Simleri Vol. 62.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri carissimo.

S. Promisi *Sonerio* me benedictioni adfuturum,[1]) nisi quid forte interveniat adversi, quod nollem. Ad *Saliniacum* animus non inclinat.[2]) Scripserunt enim mihi complures Argentina, prorsus hominem esse aulicum, et cui valde placeat sua conditio. Denique si vocetur, nihil boni mihi animus praesagit, donec aliud animi sui specimen dederit. De pecunia quid aliud *Mallieto* rescriberes, nisi te primam summam a *Nicolao* recepisse, me tibi decem scutatos pollicitum, quos apud me habeo, *Martialem* illum qui tibi quatuor numerare debuit non exstare, nec te scire quid sit hominis. Eum cuius est pecunia nihil necesse est tibi esse notum, quoad literas a *Mallieto* afferat quae fidem tuam liberent. Nihil enim tibi cum quoquam negotii est qui agere tecum possit, nisi cum ipso *Mallieto*. Ita securus dormias.

Venit heri mercator Argentinensis qui narrat *Carolum* Hispanum dimissis copiis omnibus praeter quatuor Hispanorum millia in Austriam se recepisse.[3]) Nostros tenere exercitum, nisi quod praesidiis urbes sunt levatae, quia nullus ab hoste iam metus. Vale, frater et amice integerrime. Dominus tibi adsit ac benedicat in omnibus. Saluta amicos. Genevae 20. Novemb. 1546.

Ioannes Calvinus tuus.

856.

SULZERUS CALVINO.

Fusius exponit in quo discrimine ipse et qui cum ipso faciunt Bernae constituti sint.

(Ex autographo Bibl. nation. Parisiensis, Collect. Dupuy, Vol. 268, fol. 32.)

Viro doctrina et pietate praestantissimo D. Ioanni Calvino symmystae et fratri in Domino observandissimo suo.

Genevae.

S. Graviter convellitur ecclesia nostra,[1]) tragoedia perniciosa studiis quorundam excitata, ut ex proximis meis partim intellexisti. In ea sic quatimur pastores, *Beatus* et ego, vix ut clavum retineamus amplius. *Grynaeum* tempestas eiecit, nihil tale exspectantem aut meritum. *Meierum* nostrum ludimagistrum mors abripuit, vere cordatum hominem, singulare et eximium organum. Nos via obliqua petimur et undiquaque urgemur et distrahimur

---

2) *Pour la dédicace de la 1re aux Corinthiens.*

855. 1) *Nisi omnia nos fallunt agitur hic de nuptiis Vireti proxime instantibus et quia Sonerii mentio fit hac occasione, vero simile est, eam ipsam viduam tandem delectam et ductam fuisse quam ille commendaverat* (*N.* 830 *seqq.*). *Ea tamen videtur fuisse Albonensis. Schmidtius* (*Farel u. Viret p.* 44) *secundam huius uxorem Genevensem dicit.*

2) *Fortasse cogitatum fuerat de eo in locum Curionis sufficiendo, vel Vireto pro collega adiungendo in cathedra theologica. Io. de Salignac erat theol. D., regius lector, hebr. l. professor ex Petrocoriis oriundus. Reformationem publice non profitebatur. Occurret nobis in hoc nostro Thesauro a.* 1561. (*Haag.* IX. 113.)

3) *Falsissimus fuit rumor.*

856. 1) *Vide omnino N.* 849 *et Hundeshagenii librum ibid. laudatum.*

cogitationibus et consiliis. Desertionem enim officii suadet periculum praesens, inquietudo citra spem pacis perpetua, hoc nobis iuncto collega, quem hoc morari minus et scandala et ruinam ecclesiae certum est, quo minus iudicii frontisque habet. Monuimus post acerbissimas conciones ex officio fraterne hominem ne tam procaciter traduceret innocentes, doctrinamque anteactam sugillaret, suspicionibus vulneraret animos impleretque: tum, si quid in nobis professioneque desideraret, coram fratrum coetu aut etiam seorsim amice exponeret. Ad haec ille paucis strictimque sic respondit: Se huc non sua sponte, sed vocatum per magistratum venisse: si quid in moribus aut doctrina desideremus, ad senatus referamus tribunal: ibi enim se et responsurum et iudicium subiturum: per caetera ad disputandum contra nos se non intromissurum, quum sit sibi aliisque in habita disputatione Bernensi[2]) abunde satisfactum, cuius placita probet, amplectatur et profiteri constituat. Nos contra multa amice inculcando, per Christum ecclesiamque rogando, multo fecimus mitiorem. Quin et de iniuria quiritari hominem audio, quod pacis officiique admonere senem, quod requirere in ipso aliquid ausi fuerimus. Intelligis ergo, mi frater, αὐθάδειαν plus quam Erasmicam. Interea nimis intensa senatus indignatio. Post *Grynaeum* mox in discipulos desaeviit,[3]) quod disputationis autoritatem inter se disputando in dubium, ceu non authentica, vocassent, quidam etiam ex ipsis cantionem contra fanaticos compositam forte cecinissent. Id vero ceu ingens scelus ad diacosios delatum est. Iuvenes tredecim, cordati et ad unguem facti, in carcerem publicum ad 24 horas cum scholae summa iniuria coniecti, cum laude vero dimissus omnium turbarum autor, cum duobus adstipulatoribus, spei deploratissimae nebulo. Sed ne quid obmittatur, decretum conditur, ut primum nos, *Beatus* (inquam) et ego, dein omnes reliqui totius ditionis ministri ad disputationis subscriptionem adigantur, detractantes[4]) id facere ministerio destituantur. De sublato item iureiurando per piae memoriae D. *Consaenum* magnae querelae etc. Via igitur mihi quidem aperta sit semel abunde ampla ad excutiendum molestum et periculosum onus, et suadet discessum occasio. Sed contra miserae dissipataeque ecclesiae commiseratione tangor, et gregis adhuc reliqui et bene sani gemitus querelae et preces viscera nostra commovent: tum superventurae mox cladis acerbissimae exsultationisque apud quosdam impiae contemplatio terret animos et dissuadet animum, ne stationem occupet lupus, et omnis deinceps rerum in melius constituendarum spes facultasque praecidatur. Inter sacrum ergo ex saxum versamur premimurque anxii, et consilium tuum et symmystarum imploramus, sed citum et maturum, ne festinatione praeoccupemur, neve vel in conscientiam vel in ecclesiam indignum quidquam admittamus. Neque enim satis providere possumus quid in hac subscriptionis postulatione statuendum sit.[5]) Nam si decem tantum conclusionibus staturos nos profitemur, et nihil contra facturos, videtur non intolerabilis conditio, et sic aliis, qui recens hactenus ad ministerium admissi sunt, faciendi autores existimus. Verum si citra exceptionem omnibus a nostra parte allatis inter disputandum subscribi velint, in metu sumus ne in conscientiam delinquamus. Multa enim a *Zwinglio* tamen, et *Oecolampadio*, et a *Buzero*, et nimis violenter dicta, quaedam etiam nostro iudicio interpretatione (ut fit) detorta sunt. Cuius generis illud est quod *Zuinglius* nullam admittit nostri cum Christo communionem, nisi quae sit mentis nostra cum spiritu ipsius: nostrae vero carnisque communicationem palam aversatur et tollit. Tum quod panegyrim tantum coenam statuit praeterpropter, de nudis symbolis maximeque absentibus carne et sanguine Christi naeniam, quae scis ut immodica libertate illic obtrudatur. Quae nos quum non possumus docendo profiteri, subscribendo approbare qui possumus? Sic autem nostri videntur induruisse animis, nullam ut videantur quamlibet iustam de libertate prophetiae monitionem vel candidam in hisce rebus sacris interpretationem admissuri. Quare id a te cum caeteris potissimum contendimus, uti conscientia quid incolumi possit a nobis praestari doceas. Scis negotium ecclesiae hic geri, cuius (ne salvi simus) incolumitati fortunas valetudinem et studia libenter posthabemus. Rursum sic timemus Dominum, sic veritatem verbumque veneremur, ut id quamlibet ardenti ecclesiae patriaeque amori praeferamus. Sed vale cum tuis omnibus. Scripsi Bernae 25. Novemb. anno 1546. De synodo nobis spes erat aliqua, sed praecisa est nobis quod fratres decani, quum huc venerint, coram cognoscent.

T. Sulcerus.

---

2) *Anni* 1528.

3) *Grynaei scil. et Sulseri. Hi nempe d.* 22. *Nov. coram Consule Wattevilio suam fidem circa articulum de coena profiteri coacti sunt; ex quibus tres tantum sic responderunt ut istis satisfacerent.* (*Hundesh. p.* 200.)

4) *sic. — Quod hic de subscriptione legitur declarabunt Ruchat* V. 302 *et Hundesh. p.* 199. *Iam ante Ritteri obitum decretum fuerat ut singuli ministri et magistri totius reipublicae, etiam gallicae partis, iurisiurandi loco decem thesibus disp. Bernensis a.* 1528 *et canonibus synodi a.* 1532 *subscriberent.*

5) *Autores supra laudati referunt ipsum Sulserum cum legatis senatus m. Maio insequenti subscriptionem illam ex decreto superiorum proposuisse, imo imposuisse. Vides hunc talem virum Nostro non immerito suspectum fuisse* (*N.* 820).

857.

BALDUINUS CALVINO.

Iudicium fert de statu rerum publicarum usque in discrimine positarum, sed aliqua ex parte spem non infelicis eventus facientium. Nonnulla retractat loca ex Commentario in ep. ad Corinthios, item dubium movet de loco Matthaei. Amicorum Parisiensium nomina et facta recenset.

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 49.)

Clarissimo viro D. Carolo Passelio legato et secretario regio

Venetiis. [1])

S. Leges romanae ferunt eum qui loquitur ἀσαφῶς, modo non loquatur ἀσήμως. Feres itaque, mi pater, aequo animo concisam nostram balbutiem: nam παῤῥησίαν aliae nobis leges adimunt. Omnes boni vehementer gaudent ac mirantur Epiphanem [2]) unius veluti Popilii virga circumscriptum rursus trepidasse, et tandem panico terrore perculsum ignominiose fugere. Nec minus mirantur gaudentque iterum adversus Maximinum [3]) non modo armatos esse Armenios, [4]) sed et effusam Pandorae pyxidem. Sed quoniam vetus est illud: ὁ φεύγων πάλιν μαχήσεται, prudenter in hibernis comitiis circumspiciant in posterum, ne quid respublica detrimenti capiat. Ergo ne securi desinant oratores Graeciae fulminare philippicis et olynthiacis concionibus, tuque adsis inter primos, o fortissime vindex libertatis. Quamvis enim procul absis, propius tamen (quae tua est singularis prudentia) artes et insidias Macedonis agnoscis. Ne quo igitur fortassis frigore contractus remittatur impetus heroum aut fatigati torpescant animi, et excitandi sunt et urgendi novis stimulis prudentum consiliorum. Scis enim alioqui facile omnia posse

In peius ruere ac retro sublapsa referri
Non aliter quam qui adverso vix flumine lembum
Remigiis subigit, si brachia forte remisit,
Atque illum in praeceps prono rapit alveus amni. [5])

Ursinos [6]) interea vestros in excubiis plurimum gaudemus. Hunc syncretismum exhorret Philippus. Exhorruit olim sacram cohortem Thebanorum συναποθνησκόντων: quanto magis nunc perhorresceret sacrosanctum foedus si in unum coirent quotquot in eadem navi sunt. Romanis olim et barbaris omnibus in expeditione Marcomannica terrori fuit nostrorum illa legio κεραυνοβόλος. Quis nunc fulmineas, si eodem simul impetu facerent impressionem, cohortes sustineat? Quid Iuliano supererit, quam ut rursus sparso cruentis manibus sanguine in coelum evomat illam suam blasphemiam: Vicisti, o Galilaee!? Quid sit mentis ignavis claudicantibus, non intelligo. Annon intelligunt Sertorium singulos sensim pilos vellere, ut totam citius caudam revellat? Annon iam agnoscunt suum stuporem, qui non agnoverint initio vulpinos ingressus Alcimi et Nicanoris? Vicit olim astu suo Iulianus Rhenanos populos: quid victor deinde fecerit, nunc animus meminisse horret luctuque refugit. [7]) Sed fortassis icti tandem sapient Phryges, et periculis movebuntur ad fidelem συμμαχίαν. Hoc si Dominus dederit, videbis, mi pater, laeta omnia, et longe plura quam tuus olim longaevus Nehemias, qui vidit suam cum templo restitutam civitatem, hostes profligatos, restitutam suam Graeciae tranquillitatem, liberatam intestino bello Peloponnesum, expulsos Athenis tyrannos, Thebanam rempublicam coniunctis studiis Epaminondae et Pelopidae propugnatam, Siciliam a tyrannide Dionysii vindicatam, servatum virtute Camilli capitolium etc. etc.

Quod de Neptuniis [8]) patribus scribis, agnosco imperium pelagi saevumque tridentem. [9]) Scis poetas narrare Iovem dudum consumpsisse sua trisulca fulmina, riderique Salmoneum, Plutonem quoque longo iam latratu fatigasse trifaucem suum Cerberum. Non igitur oportuit otiosam esse tricuspidem Neptuni, praesertim Aeolo furente. Caeterum illud me consolatur, quod Plinius scribat [10]) thynnos a gubernaculis navium non separari, ne tridente quidem in eos saepius iacto territos. Mirarer tam dentatas nunc esse feras Neptunias, sed idem refert [11]) olim e mari in Gaditana litora emissam belluam centum et viginti dentibus horrendae magnitudinis armatam. Annon igitur merito canemus aliquando: Nisi Dominus fuisset in nobis etc. [12]) Hic mihi ex Aeneide occurrit Achaemenidis historia. Sed valeant poetarum fabulae.

Interea, quod iubes, sulcis arari dorsum cum

---

857. 1) *Tali inscriptione nemo sane hodie sibi fucum fieri patietur.*
2) *Franciscum Regem.*
3) *Carolum Imperatorem.*
4) *Turcas. Cf. tamen Ep. Buceri* 8. *Ianuar.* 1547, *not.* 9. *Imo Imperator m. Octobre* 1545 *inducias in sesquiannum fecerat ut hac ex parte in Germania liberius progredi posset. Caeterum omnia haec nomina, ut et Philippi Macedonis typice sumenda esse patet, et Macedonem eundem esse ac Maximinum et Iulianum patet.*
5) *Virg. Georg.* I. 200 *seqq. Qui tamen versus in autographo non distinguuntur.*
6) *Bernenses, quorum vigilantia iam antea* (*N.* 750, *not.* 12) *laudata fuerat.*

7) *Et hic flosculus ex Virgilio. Aen.* II. 13.
8) *Tridentinis. Minime hic loquitur de scripto publico, sed de epistola quadam deperdita.*
9) *Aeneid.* I. 138.
10) *H. N.* IX. 20.
11) *Ibid. cap.* 4.
12) *Ps.* 124.

psalte [13]) non recusamus, praesertim quum id nostris vetus sit ac leve, inquit Eusebius. Sed optamus illud quoque compleri: Dominus concidit funes. Nos in singulos dies exspectamus eventum rei: meminimus hunc esse illum mensem qui olim temporibus Epiphanis et Asmoneorum maximas inclinationes viderit in utramque partem, si exitus initiis consentiant. Sed nihil dico: differendus in ultimum actum hic plausus.

Tuam de nostra in Pauli locum coniectura sententiam intellexisse mihi satis est, habeoque magnas ex animo gratias. Fateor et agnosco non temere inveniri αὐτός pro ἐκεῖνος, caeterum particulam δὲ frequenter legi pro copulativa καί. Et Paulus in eadem ad Corinthios epistola cap. 12 utraque voce utitur ἀδιαφόρως. Diem autem simpliciter dictum esse extremum illum diem Domini, legimus Hebr. 10 (25), ubi et iudicii et ignis fit mentio. Sed lubenter cedimus tuo responso, quod certe nobis oraculi loco est, non tam propter gravem scribentis autoritatem quam affulgentis veritatis lucem. [14]) Virum illum doctum et ingeniosum, qui te ex aula invisit et de eodem contulit loco, opinor fuisse *Ioachimum*, nec dubito quin tibi laudarit autorem suum, virum certe in hisce literis versatum religiose ac diligenter. Is plurimum te salutat tibique vehementer cupit innotescere, ut quascunque collegit animadversiones tuo iudicio aliquando verecunde subiiciat. Scit enim non esse graviorem censuram, praesertim in paulinis literis, quarum tam fidus sis interpres ut autor fuisse videaris. Nunc ut posteriorem ad Corinthios vehementius desideremus prior est in causa. Et quis desiderio sit modus aut pudor [15]) donec omnes eadem explanaveris methodo. Agedum igitur, mi pater, si alia quaedam politica negotia quibus distraheris in alium reiicere potes, succenturietur ὁ συνεργὸς *Salignius*. [16]) O magnae spes altera Romae. Equidem optarim tibi altum illud otium quod exposcunt magna quae meditaris opera. Sed si pater ille coelestis velit interpretem, non minus quam olim autorem ipsum, cum multis occupationibus luctari, quo illustrior sit vis spiritus ὃς ἐνεργεῖ, non possum non revereri consilium Domini.

Nunc si molestum non est rursus audire λεπτολογήματα curiosi interpellatoris, qui te suis ineptiolis familiariter obtundat, peto Matth. 14 (3) num potius legendum sit: propter Herodiadem uxorem Herodis fratris sui? Nam haec Herodias vere uxor fuit Herodis, qui Herodis maioris filius fuit ex Mariamne, frater consanguineus Herodis tetrarchae Galilaeae. At Philippus tetrarcha Trachonitidis Herodis quoque maioris filius ex Cleopatra, uxorem habuit Salomen filiam illius Herodis Mariamnei et ipsius Herodiadis, nisi me fallit Iosephus aut mea certe memoria. Res fortassis non est magni momenti, sed tamen ad historiae fidem pertinet, et ego hisce diebus in quadam de nuptiis disceptatione non potui hanc meam suspicionem dissimulare. Erat autem magna contentio de gradibus cognationis et affinitatis, et nos tuebamur leges romanas, quas nec dissoluta licentia nec severitate superstitiosa peccasse dicebamus, sed eum constanter tenuisse modum qui nec pudorem naturalis honestatis turpiter prostitueret, nec libertatem in republica necessariam temere interturbaret atque everteret. Contra autem eos accusabamus qui quum totam graduum rationem confuderunt novis suis decretis, tum vero terminos illos primum a Mose deinde a prudentibus Romanis sapienter fixos inconsiderate moverunt, eoque tandem reciderunt ut et permissa probiberent et permitterent prohibita.

Tuam de iis qui baptisantur pro mortuis novam sententiam nuper apud me quidam exagitabat, quod iactaret nullam esse apud veteres eius antiquitatis memoriam. Contra dicebam morem fuisse antiquissimum et multis etiam post apostolos annis durasse, ut iamiam morituri et animam agentes baptisarentur etiam in lecto, unde et clinici dicebantur. Tertullianus nescio quid ex suorum temporum moribus refert, ἀλλ' οὐδὲν ὑγιές. Incidi postea in Epiphanium qui tuam illam interpretationem manifeste probat. Haec ad te refero ne quid videar eo inconsulto agere a quo totus pendere volo.

Porro quid hic agatur non scribo. Ediderunt ieiunam quandam declamationem profani rhetoris (quem nosti) adversus *Felinum*. [17]) Vellem illi tecum res esset, quo magis semel castigaretur et acrius retunderetur gloriosa vanitas huius Thrasonis gnathonici: alioqui garrire non desinent horum nugatorum meritoriae linguae, quanquam insano latratu raucescant et rumpantur potius hylactes et molossi, quam iis compescendis aliquid temporis depereat bonis viris.

Venio ad amicos. Illi te plurimum salutant, sed nihil scribunt quia frigore congelascit atramentum. Interdum subvereor, ut ingenue loquar, ne tandem in fumum evanescant ignes *Capnii*, neve caligine obducantur *Asterisci*. *Burgundus* [18]) cum

13) *Ps.* 129, 3 *seq.*
14) *Haec vix ad alium locum referri posse videntur quam ad* 1. *Cor.* 3, 13, *de quo Balduinus Calvinum adierit. Quanquam non omnia concinunt.*
15) *Horatianum.*
16) *An ille de quo N.* 855, *not.* 2, *non liquet.*
17) *Bucerum. De quanam declamatione dicat nobis non constat An Latomi?*
18) *N.* 808. — *In Picardia etiam cives illi quaerendi a quibus literas ad Calvinum mittendas exspectare se dicit, scil. Noviodunenses.*

uxore agit in Picardia et lenta quadam adhuc febre affligitur, et constringitur aliis vinculis quae non facile potest dissolvere. Tuorum civium ad te literas exspecto quas mittam. Interim quid nunc agant, aut quid eos remoretur, nescio. Illud scio, cum magnis difficultatibus eum luctari qui sese his tricis evolvere contendit. Quid tu vero? inquies. Luctor et ego, mi pater, sed eo alacrius quod sit spes citius eluctandi, et iam finem laborum fere videam. Quod si me tandem Dominus optatis coetibus, inserat, sublimi feriam sidera vertice.[19]) Interim curabo ne rupes aut convulsa labascat, aut emollita languescat. Tu vero, obsecro, priusquam fatiscentem videris fractam ne iudices. Nosti solidam illam petram quae nostra basis est. Mandata tua ad *Robertum*[20]) quam diligenter curarim, iam opinor sensisti, nec recusavi culpam cessationis mihi ascribi: adeo confidens est nostra de tua erga nos benevolentia et humanitate fiducia.

Habes epistolam tumultuarie consutam. Sed hos centones interpretaberis esse cuiusdam ingenuae simplicitatis et eius qua me vis uti familiaritatis. Dominus te cum tuis omnibus tueatur. Vale. Ex aula 4. Calend. Decemb.[21])

Tuus Rochius.

Regis negotia tibi curae esse non dubito. Ille tuas literas exspectat, ut quid Venetiis agatur intelligat.[22])

---

19) *Horat.*
20) *Stephanum?*
21) *Anno* 1546 *scriptam esse ex mentione recens editae primae ad Corinthios et exspectatae secundae efficies.*
22) *Ex his cave colligas Calvinum iam tum Regi Navarrae commercio epistolico iunctum fuisse. Regis nomen, ut et Venetiarum ex ficta epistolae inscriptione explicandum.*

858.

CALVINUS VIRETO.

Status negotiationum cum rege Galliae. Rationes datae et acceptae pecuniae computantur. Sulzeri et Bernensium res deploratae.

(Sequitur in omnibus codicibus praecedentem ad Viretum: C. 106, fol. 179 aut., C. 111 a, fol. 9 v., C. 111, fol. 158, Bern. p. 795 et Simler. — Anglice exstat in ed. Edinb. II. 72.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et amico integerrimo.

S. Binae mihi exiguo intervallo *Buceri* literae redditae fuerunt.[1]) Utrasque ad te mitto, tametsi nihil fere contineant quod non aliunde iam resciveris. Quod tamen ad Regem spectat, puto aliquid brevi confectum iri ut pecunia nostros iuvet. Quod unum ab eo quaeritur. Ut autem *Carolum* distrahat alio bello, ipsius maxime interest.[2])

Mandavi Petro *Textori*[3]) ut tibi sedecim coronatos numeraret. Nam quum decem apud me haberem dum veni ad nuptias,[4]) nunquam in mentem venit. Sed vide maiorem ἀβλεψίαν. Quum in scrinio seorsum positos reperissem, aliquamdiu suspensus haesi quasi nunquam eos vidissem. Supervenit *Raymondus* qui in memoriam revocavit, eos se mihi iussu Antonii *Mallieti* dedisse. Ergo hanc summam superiori adiunges. In sex aliis vereor ne peccaverim. Fieri enim potest ut sint fratris mei. Nam quum Aureliensis quidam doctor illi deberet undecim, curavit a filio *Brunonis* solvi. Receperat nuper quinque. Tu igitur eos retine donec ex *Sanctandraea* certius intellexero tibine an fratri reddi debuerint.

Nuper scripsit *Sulzerus* ventum esse ad extrema. Opem nostram implorat. Deliberavi cum fratribus. Quum in rebus perplexis adeo et prope deploratis nulla se ratio offerret, Neodunum me contuli. Intellexi longe gravius fuisse ab illis peccatum quam literae contineant. Causam, meo iudicio, non omnino bonam tuentur. Actionem omnes vident esse praeposteram. Et tamen, quum videamus omnia pessumire, qua conscientia silebimus? Rogavi *Nicolaum,*[5]) an literis quidquam putaret nos profecturos. Trepide, nec sine difficultate, ut scriberemus assensus est. Si quis nuncius se mature offeret, tuam quoque sententiam significes velim. Deinde cogita annon tempus sit instandi de synodo impetranda. Vale, frater et amice integerrime, una cum uxore, quam nostro omnium nomine diligenter salutabis, et Iacobum et reliquos. Genevae, 3. Decemb. 1546.

Ioannes Calvinus tuus.

Quum has recipies spero apud te fore fratrem nostrum Petrum *Perellum*[6]) Cruciati ministrum. Vide ut eum instruas optimis consiliis, et quando in consistorio agetur causa D. Nicolao *Wattevillensi* eum commenda.

---

858. 1) *Quae agebant de rebus bellicis, ut videtur.*
2) *Ad haec negotia tractanda Io. Sturmius m. Augusto et Octobre in Galliam missus fuerat. Rex tamen conditiones tales proponebat quibus principes accedere non poterant. Videsis documentum quod huic ep. subiicimus.*
3) *Medici cognatus is fuisse videtur.*
4) *N.* 855.
5) *Wattevillensem, Io. Iacobi consulis filium. Bonnetus potius de Zerkinte cogitandum putat.*
6) *Nescimus an hic idem sit ac Petrus Perreault, Burgundus, nobili loco natus, qui cum familia sua Genevam se contulit et in agro Vadensi suum diem obiit.*

psalte [13]) non recusamus, praesertim quum id nostris vetus sit ac leve, inquit Eusebius. Sed optamus illud quoque compleri: Dominus concidit funes. Nos in singulos dies exspectamus eventum rei: meminimus hunc esse illum mensem qui olim temporibus Epiphanis et Asmoneorum maximas inclinationes viderit in utramque partem, si exitus initiis consentiant. Sed nihil dico: differendus in ultimum actum hic plausus.

Tuam de nostra in Pauli locum coniectura sententiam intellexisse mihi satis est, habeoque magnas ex animo gratias. Fateor et agnosco non temere inveniri *αὐτὸς* pro *ἐκεῖνος*, caeterum particulam *δὲ* frequenter legi pro copulativa *καί*. Et Paulus in eadem ad Corinthios epistola cap. 12 utraque voce utitur *ἀδιαφόρως*. Diem autem simpliciter dictum esse extremum illum diem Domini, legimus Hebr. 10 (25), ubi et iudicii et ignis fit mentio. Sed lubenter cedimus tuo responso, quod certe nobis oraculi loco est, non tam propter gravem scribentis autoritatem quam affulgentis veritatis lucem. [14]) Virum illum doctum et ingeniosum, qui te ex aula invisit et de eodem contulit loco, opinor fuisse *Ioachimum*, nec dubito quin tibi laudarit autorem suum, virum certe in hisce literis versatum religiose ac diligenter. Is plurimum te salutat tibique vehementer cupit innotescere, ut quascunque collegit animadversiones tuo iudicio aliquando verecunde subiiciat. Scit enim non esse graviorem censuram, praesertim in paulinis literis, quarum tam fidus sis interpres ut autor fuisse videaris. Nunc ut posteriorem ad Corinthios vehementius desideremus prior est in causa. Et quis desiderio sit modus aut pudor [15]) donec omnes eadem explanaveris methodo. Agedum igitur, mi pater, si alia quaedam politica negotia quibus distraheris in alium reiicere potes, succenturietur *ὁ συνεργὸς Salignius.* [16]) O magnae spes altera Romae. Equidem optarim tibi altum illud otium quod exposcunt magna quae meditaris opera. Sed si pater ille coelestis velit interpretem, non minus quam olim autorem ipsum, cum multis occupationibus luctari, quo illustrior sit vis spiritus *ὃς ἐνεργεῖ*, non possum non revereri consilium Domini.

Nunc si molestum non est rursus audire *λεπτολογήματα* curiosi interpellatoris, qui te suis ineptiolis familiariter obtundat, peto Matth. 14 (3) num potius legendum sit: propter Herodiadem uxorem Herodis fratris sui? Nam haec Herodias vere uxor fuit Herodis, qui Herodis maioris filius fuit ex Mariamne, frater consanguineus Herodis tetrarchae Galilaeae. At Philippus tetrarcha Trachonitidis Herodis quoque maioris filius ex Cleopatra, uxorem habuit Salomen filiam illius Herodis Mariamnei et ipsius Herodiadis, nisi me fallit Iosephus aut mea certe memoria. Res fortassis non est magni momenti, sed tamen ad historiae fidem pertinet, et ego hisce diebus in quadam de nuptiis disceptatione non potui hanc meam suspicionem dissimulare. Erat autem magna contentio de gradibus cognationis et affinitatis, et nos tuebamur leges romanas, quas nec dissoluta licentia nec severitate superstitiosa peccasse dicebamus, sed eum constanter tenuisse modum qui nec pudorem naturalis honestatis turpiter prostitueret, nec libertatem in republica necessariam temere interturbaret atque everteret. Contra autem eos accusabamus qui quum totam graduum rationem confuderunt novis suis decretis, tum vero terminos illos primum a Mose deinde a prudentibus Romanis sapienter fixos inconsiderate moverunt, eoque tandem reciderunt ut et permissa prohiberent et permitterent prohibita.

Tuam de iis qui baptisantur pro mortuis novam sententiam nuper apud me quidam exagitabat, quod iactaret nullam esse apud veteres eius antiquitatis memoriam. Contra dicebam morem fuisse antiquissimum et multis etiam post apostolos annis durasse, ut iamiam morituri et animam agentes baptisarentur etiam in lecto, unde et clinici dicebantur. Tertullianus nescio quid ex suorum temporum moribus refert, *ἀλλ' οὐδὲν ὑγιές*. Incidi postea in Epiphanium qui tuam illam interpretationem manifeste probat. Haec ad te refero ne quid videar eo inconsulto agere a quo totus pendere volo.

Porro quid hic agatur non scribo. Ediderunt ieiunam quandam declamationem profani rhetoris (quem nosti) adversus *Felinum.* [17]) Vellem illi tecum res esset, quo magis semel castigaretur et acrius retunderetur gloriosa vanitas huius Thrasonis gnathonici: alioqui garrire non desinent horum nugatorum meritoriae linguae, quanquam insano latratu raucescant et rumpantur potius hylactes et molossi, quam iis compescendis aliquid temporis depereat bonis viris.

Venio ad amicos. Illi te plurimum salutant, sed nihil scribunt quia frigore congelascit atramentum. Interdum subvereor, ut ingenue loquar, ne tandem in fumum evanescant ignes *Capnii*, neve caligine obducantur *Asterisci*. *Burgundus* [18]) cum

13) *Ps.* 129, 3 *seq.*
14) *Haec vix ad alium locum referri posse videntur quam ad* 1. *Cor.* 3, 13, *de quo Balduinus Calvinum adierit. Quanquam non omnia concinunt.*
15) *Horatianum.*
16) *An ille de quo N.* 855, *not.* 2, *non liquet.*

17) *Bucerum. De quanam declamatione dicat nobis non constat. An Latomi?*
18) *N.* 808. — *In Picardia etiam cives illi quaerendi a quibus literas ad Calvinum mittendas exspectare se dicit, scil. Noviodunenses.*

uxore agit in Picardia et lenta quadam adhuc febre affictatur, et constringitur aliis vinculis quae non facile potest dissolvere. Tuorum civium ad te literas exspecto quas mittam. Interim quid nunc agant, aut quid eos remoretur, nescio. Illud scio, cum magnis difficultatibus eum luctari qui sese his tricis evolvere contendit. Quid tu vero? inquies. Luctor et ego, mi pater, sed eo alacrius quod sit spes citius eluctandi, et iam finem laborum fere videam. Quod si me tandem Dominus optatis coetibus, inserat, sublimi feriam sidera vertice.[19]) Interim curabo ne rupes aut convulsa labascat, aut emollita languescat. Tu vero, obsecro, priusquam fatiscentem videris fractam ne iudices. Nosti solidam illam petram quae nostra basis est. Mandata tua ad *Robertum*[20]) quam diligenter curarim, iam opinor sensisti, nec recusavi culpam cessationis mihi ascribi: adeo confidens est nostra de tua erga nos benevolentia et humanitate fiducia.

Habes epistolam tumultuarie consutam. Sed hos centones interpretaberis esse cuiusdam ingenuae simplicitatis et eius qua me vis uti familiaritatis. Dominus te cum tuis omnibus tueatur. Vale. Ex aula 4. Calend. Decemb.[21])

Tuus Rochius.

Regis negotia tibi curae esse non dubito. Ille tuas literas exspectat, ut quid Venetiis agatur intelligat.[22])

---

19) *Horat.*
20) *Stephanum?*
21) *Anno* 1546 *scriptam esse ex mentione recens editae primae ad Corinthios et exspectatae secundae effigies.*
22) *Ex his cave colligas Calvinum iam tum Regi Navarrae commercio epistolico iunctum fuisse. Regis nomen, ut et Venetiarum ex ficta epistolae inscriptione explicandum.*

858.

CALVINUS VIRETO.

Status negotiationum cum rege Galliae. Rationes datae et acceptae pecuniae computantur. Sulzeri et Bernensium res deploratae.

(Sequitur in omnibus codicibus praecedentem ad Viretum: C. 106, fol. 179 aut., C. 111[a], fol. 9 v., C. 111, fol. 158, Bern. p. 795 et Simler. — Anglice exstat in ed. Edinb. II. 72.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et amico integerrimo.

S. Binae mihi exiguo intervallo *Buceri* literae redditae fuerunt.[1]) Utrasque ad te mitto, tametsi nihil fere contineant quod non aliunde iam resciveris. Quod tamen ad Regem spectat, puto aliquid brevi confectum iri ut pecunia nostros iuvet. Quod unum ab eo quaeritur. Ut autem *Carolum* distrahat alio bello, ipsius maxime interest.[2])

Mandavi Petro *Textori*[3]) ut tibi sedecim coronatos numeraret. Nam quum decem apud me haberem dum veni ad nuptias,[4]) nunquam in mentem venit. Sed vide maiorem ἀβλεψίαν. Quum in scrinio seorsum positos reperissem, aliquamdiu suspensus haesi quasi nunquam eos vidissem. Supervenit *Raymondus* qui in memoriam revocavit, eos se mihi iussu Antonii *Mallieti* dedisse. Ergo hanc summam superiori adiunges. In sex aliis vereor ne peccaverim. Fieri enim potest ut sint fratris mei. Nam quum Aureliensis quidam doctor illi deberet undecim, curavit a filio *Brunonis* solvi. Receperat nuper quinque. Tu igitur eos retine donec ex *Sanctandraea* certius intellexero tibine an fratri reddi debuerint.

Nuper scripsit *Sulzerus* ventum esse ad extrema. Opem nostram implorat. Deliberavi cum fratribus. Quum in rebus perplexis adeo et prope deploratis nulla se ratio offerret, Neodunum me contuli. Intellexi longe gravius fuisse ab illis peccatum quam literae contineant. Causam, meo iudicio, non omnino bonam tuentur. Actionem omnes vident esse praeposteram. Et tamen, quum videamus omnia pessumire, qua conscientia silebimus? Rogavi *Nicolaum*,[5]) an literis quidquam putaret nos profecturos. Trepide, nec sine difficultate, ut scriberemus assensus est. Si quis nuncius se mature offeret, tuam quoque sententiam significes velim. Deinde cogita annon tempus sit instandi de synodo impetranda. Vale, frater et amice integerrime, una cum uxore, quam nostro omnium nomine diligenter salutabis, et Iacobum et reliquos. Genevae, 3. Decemb. 1546.

Ioannes Calvinus tuus.

Quum has recipies spero apud te fore fratrem nostrum Petrum *Perellum*[6]) Cruciati ministrum. Vide ut eum instruas optimis consiliis, et quando in consistorio agetur causa D. Nicolao *Wattevillensi* eum commenda.

---

858. 1) *Quae agebant de rebus bellicis, ut videtur.*
2) *Ad haec negotia tractanda Io. Sturmius m. Augusto et Octobre in Galliam missus fuerat. Rex tamen conditiones tales proponebat quibus principes accedere non poterant. Videsis documentum quod huic ep. subiicimus.*
3) *Medici cognatus is fuisse videtur.*
4) *N.* 855.
5) *Wattevillensem, Io. Iacobi consulis filium. Bonnetus potius de Zerkinte cogitandum putat.*
6) *Nescimus an hic idem sit ac Petrus Perreault, Burgundus, nobili loco natus, qui cum familia sua Genevam se contulit et in agro Vadensi suum diem obiit.*

psalte [13]) non recusamus, praesertim quum id nostris vetus sit ac leve, inquit Eusebius. Sed optamus illud quoque compleri: Dominus concidit funes. Nos in singulos dies exspectamus eventum rei: meminimus hunc esse illum mensem qui olim temporibus Epiphanis et Asmoneorum maximas inclinationes viderit in utramque partem, si exitus initiis consentiant. Sed nihil dico: differendus in ultimum actum hic plausus.

Tuam de nostra in Pauli locum coniectura sententiam intellexisse mihi satis est, habeoque magnas ex animo gratias. Fateor et agnosco non temere inveniri *αὐτὸς* pro *ἐκεῖνος*, caeterum particulam *δὲ* frequenter legi pro copulativa *καί*. Et Paulus in eadem ad Corinthios epistola cap. 12 utraque voce utitur *ἀδιαφόρως*. Diem autem simpliciter dictum esse extremum illum diem Domini, legimus Hebr. 10 (25), ubi et iudicii et ignis fit mentio. Sed lubenter cedimus tuo responso, quod certe nobis oraculi loco est, non tam propter gravem scribentis autoritatem quam affulgentis veritatis lucem. [14]) Virum illum doctum et ingeniosum, qui te ex aula invisit et de eodem contulit loco, opinor fuisse *Ioachimum*, nec dubito quin tibi laudarit autorem suum, virum certe in hisce literis versatum religiose ac diligenter. Is plurimum te salutat tibique vehementer cupit innotescere, ut quascunque collegit animadversiones tuo iudicio aliquando verecunde subiiciat. Scit enim non esse graviorem censuram, praesertim in paulinis literis, quarum tam fidus sis interpres ut autor fuisse videaris. Nunc ut posteriorem ad Corinthios vehementius desideremus prior est in causa. Et quis desiderio sit modus aut pudor [15]) donec omnes eadem explanaveris methodo. Agedum igitur, mi pater, si alia quaedam politica negotia quibus distraheris in alium reiicere potes, succenturietur *ὁ συνεργὸς Salignius*. [16]) O magnae spes altera Romae. Equidem optarim tibi altum illud otium quod exposcunt magna quae meditaris opera. Sed si pater ille coelestis velit interpretem, non minus quam olim autorem ipsum, cum multis occupationibus luctari, quo illustrior sit vis spiritus *ὃς ἐνεργεῖ*, non possum non revereri consilium Domini.

Nunc si molestum non est rursus audire *λεπτολογήματα* curiosi interpellatoris, qui te suis ineptiolis familiariter obtundat, peto Matth. 14 (3) num potius legendum sit: propter Herodiadem uxorem Herodis fratris sui? Nam haec Herodias vere uxor fuit Herodis, qui Herodis maioris filius fuit ex Mariamne, frater consanguineus Herodis tetrarchae Galilaeae. At Philippus tetrarcha Trachonitidis Herodis quoque maioris filius ex Cleopatra, uxorem habuit Salomen filiam illius Herodis Mariamnei et ipsius Herodiadis, nisi me fallit Iosephus aut mea certe memoria. Res fortassis non est magni momenti, sed tamen ad historiae fidem pertinet, et ego hisce diebus in quadam de nuptiis disceptatione non potui hanc meam suspicionem dissimulare. Erat autem magna contentio de gradibus cognationis et affinitatis, et nos tuebamur leges romanas, quas nec dissoluta licentia nec severitate superstitiosa peccasse dicebamus, sed eum constanter tenuisse modum qui nec pudorem naturalis honestatis turpiter prostitueret, nec libertatem in republica necessariam temere interturbaret atque everteret. Contra autem eos accusabamus qui quum totam graduum rationem confuderunt novis suis decretis, tum vero terminos illos primum a Mose deinde a prudentibus Romanis sapienter fixos inconsiderate moverunt, eoque tandem reciderunt ut et permissa prohiberent et permitterent prohibita.

Tuam de iis qui baptisantur pro mortuis novam sententiam nuper apud me quidam exagitabat, quod iactaret nullam esse apud veteres eius antiquitatis memoriam. Contra dicebam morem fuisse antiquissimum et multis etiam post apostolos annis durasse, ut iamiam morituri et animam agentes baptisarentur etiam in lecto, unde et clinici dicebantur. Tertullianus nescio quid ex suorum temporum moribus refert, *ἀλλ' οὐδὲν ὑγιές*. Incidi postea in Epiphanium qui tuam illam interpretationem manifeste probat. Haec ad te refero ne quid videar eo inconsulto agere a quo totus pendere volo.

Porro quid hic agatur non scribo. Ediderunt ieiunam quandam declamationem profani rhetoris (quem nosti) adversus *Felinum*. [17]) Vellem illi tecum res esset, quo magis semel castigaretur et acrius retunderetur gloriosa vanitas huius Thrasonis gnathonici: alioqui garrire non desinent horum nugatorum meritoriae linguae, quanquam insano latratu raucescant et rumpantur potius hylactes et molossi, quam iis compescendis aliquid temporis depereat bonis viris.

Venio ad amicos. Illi te plurimum salutant, sed nihil scribunt quia frigore congelascit atramentum. Interdum subvereor, ut ingenue loquar, ne tandem in fumum evanescant ignes *Capnii*, neve caligine obducantur *Asterisci*. *Burgundus* [18]) cum

---

13) *Ps.* 129, 3 *seq.*

14) *Haec vix ad alium locum referri posse videntur quam ad* 1. *Cor.* 3, 13, *de quo Balduinus Calvinum adierit. Quanquam non omnia concinunt.*

15) *Horatianum.*

16) *An ille de quo N.* 855, *not.* 2, *non liquet.*

17) *Bucerum. De quanam declamatione dicat nobis non constat An Latomi?*

18) *N.* 808. — *In Picardia etiam cives illi quaerendi a quibus literas ad Calvinum mittendas exspectare se dicit, scil. Noviodunenses.*

uxore agit in Picardia et lenta quadam adhuc febre affligitur, et constringitur aliis vinculis quae non facile potest dissolvere. Tuorum civium ad te literas exspecto quas mittam. Interim quid nunc agant, aut quid eos remoretur, nescio. Illud scio, cum magnis difficultatibus eum luctari qui sese his tricis evolvere contendit. Quid tu vero? inquies. Luctor et ego, mi pater, sed eo alacrius quod sit spes citius eluctandi, et iam finem laborum fere videam. Quod si me tandem Dominus optatis coetibus, inserat, sublimi feriam sidera vertice.[19]) Interim curabo ne rupes aut convulsa labascat, aut emollita languescat. Tu vero, obsecro, priusquam fatiscentem videris fractam ne iudices. Nosti solidam illam petram quae nostra basis est. Mandata tua ad *Robertum*[20]) quam diligenter curarim, iam opinor sensisti, nec recusavi culpam cessationis mihi ascribi: adeo confidens est nostra de tua erga nos benevolentia et humanitate fiducia.

Habes epistolam tumultuarie consutam. Sed hos centones interpretaberis esse cuiusdam ingenuae simplicitatis et eius qua me vis uti familiaritatis. Dominus te cum tuis omnibus tueatur. Vale. Ex aula 4. Calend. Decemb.[21])

Tuus Rochius.

Regis negotia tibi curae esse non dubito. Ille tuas literas exspectat, ut quid Venetiis agatur intelligat.[22])

858.

CALVINUS VIRETO.

Status negotiationum cum rege Galliae. Rationes datae et acceptae pecuniae computantur. Sulzeri et Bernensium res deploratae.

(Sequitur in omnibus codicibus praecedentem ad Viretum: C. 106, fol. 179 aut., C. 111 a, fol. 9 v., C. 111, fol. 158, Bern. p. 795 et Simler. — Anglice exstat in ed. Edinb. II. 72.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et amico integerrimo.

S. Binae mihi exiguo intervallo *Buceri* literae redditae fuerunt.[1]) Utrasque ad te mitto, tametsi nihil fere contineant quod non aliunde iam resciveris. Quod tamen ad Regem spectat, puto aliquid brevi confectum iri ut pecunia nostros iuvet. Quod unum ab eo quaeritur. Ut autem *Carolum* distrahat alio bello, ipsius maxime interest.[2])

Mandavi Petro *Textori*[3]) ut tibi sedecim coronatos numeraret. Nam quum decem apud me haberem dum veni ad nuptias,[4]) nunquam in mentem venit. Sed vide maiorem ἀβλεψίαν. Quum in scrinio seorsum positos reperissem, aliquamdiu suspensus haesi quasi nunquam eos vidissem. Supervenit *Raymondus* qui in memoriam revocavit, eos se mihi iussu Antonii *Mallieti* dedisse. Ergo hanc summam superiori adiunges. In sex aliis vereor ne peccaverim. Fieri enim potest ut sint fratris mei. Nam quum Aureliensis quidam doctor illi deberet undecim, curavit a filio *Brunonis* solvi. Receperat nuper quinque. Tu igitur eos retine donec ex *Sanctandraea* certius intellexero tibine an fratri reddi debuerint.

Nuper scripsit *Sulzerus* ventum esse ad extrema. Opem nostram implorat. Deliberavi cum fratribus. Quum in rebus perplexis adeo et prope deploratis nulla se ratio offerret, Neodunum me contuli. Intellexi longe gravius fuisse ab illis peccatum quam literae contineant. Causam, meo iudicio, non omnino bonam tuentur. Actionem omnes vident esse praeposteram. Et tamen, quum videamus omnia pessumire, qua conscientia silebimus? Rogavi *Nicolaum*,[5]) an literis quidquam putaret nos profecturos. Trepide, nec sine difficultate, ut scriberemus assensus est. Si quis nuncius se mature offeret, tuam quoque sententiam significes velim. Deinde cogita annon tempus sit instandi de synodo impetranda. Vale, frater et amice integerrime, una cum uxore, quam nostro omnium nomine diligenter salutabis, et Iacobum et reliquos. Genevae, 3. Decemb. 1546.

Ioannes Calvinus tuus.

Quum has recipies spero apud te fore fratrem nostrum Petrum *Perellum*[6]) Cruciati ministrum. Vide ut eum instruas optimis consiliis, et quando in consistorio agetur causa D. Nicolao *Wattevillensi* eum commenda.

---

19) *Horat.*
20) *Stephanum?*
21) *Anno 1546 scriptam esse ex mentione recens editae primae ad Corinthios et exspectatae secundae efficies.*
22) *Ex his cave colligas Calvinum iam tum Regi Navarrae commercio epistolico iunctum fuisse. Regis nomen, ut et Venetiarum ex ficta epistolae inscriptione explicandum.*

858. 1) *Quae agebant de rebus bellicis, ut videtur.*
2) *Ad haec negotia tractanda Io. Sturmius m. Augusto et Octobre in Galliam missus fuerat. Rex tamen conditiones tales proponebat quibus principes accedere non poterant. Videsis documentum quod huic ep. subiicimus.*
3) *Medici cognatus is fuisse videtur.*
4) *N. 855.*
5) *Wattevillensem, Io. Iacobi consulis filium. Bonnetus potius de Zerkinte cogitandum putat.*
6) *Nescimus an hic idem sit ac Petrus Perreault, Burgundus, nobili loco natus, qui cum familia sua Genevam se contulit et in agro Vadensi suum diem obiit.*

859.

STRASBOURG AU ROI DE FRANCE.

Mémoire rédigé en vue d'une demande de subsides, à adresser au Roi très-chrétien, dans la prévision d'une attaque de la part de l'Empereur.

(Copie aux Archives de S. Thomas de Strasbourg, Pièces diverses relatives à l'hist. de la réformation Vol. V. N. 23 avec cette suscription: 1546. *Vergriff wie die Koen. Mt. in Franckreich wegen einer statt Strassburg vmb hilff in euentum zuersuchen wann die von Kay. Mt. vberzogen vnnd belägert werden wolte.*) 1)

Puis que par malheur jl est advenu que le Empereur a naguerez assoubiecti une partie des villez franchez de Lallemaigne haulte et que le Duc de Wirtemberg sest aussi rappaise avecques luy Auquel ledit Empereur y a accorde et octroye une composition de paix, et maintenant prent son chemain tout droict a Ulme, faisant du tout conte de vouloir assieger la ville Dauguste, laquelle jusques a ceste heure a tousiours tenu bon, Et ne sest anchorez accordee ny repacifiquee avecques luy.

Dont si daventure jl advenoit que jcelle ville Dauguste y seroit ou par force ou autrement reduicte en obeissance et soubiection dudit Empereur, que ce seroit une chose seure et ung poinct tout arreste que Lempereur incontinent apres ce vouldra marcher avant, et nous venir visiter a nostre pays Daulxare, 2) pour y mettre le siege devant la ville de Strasbourg, la ou par subtilz moyens et finessez jl ne laisseroit de tacher de lassoubiectir si possible luy seroit.

Car jl est assez notoire et manifeste que a telle ville de Strasbourg Lempereur y a este longuement fort envieux et jusques a ceste heure luy porte grande haine, non pas seullement pour ce que elle sest conioincte et alliee avec les estatz, mais aussi pour ce que tousiours ceste ville jl a eu en soubson et suspition grande, que en touttez sez entreprinsez de guerre contre le Roy treschristien pieca exerceez et aussi en tout aultre temps, quant elle de ce faire en a peu avoir loccasion et la commodite, elle aye plus que nul aultre estat Dallemaigne audit Roy treschristien monstree faveur et faicte dez tourz que a bons voysins sappartienent et conviennent.

Oultre ce que jcelle ville de Strasbourg si comme bien situee prochaine et du tout confine dez limitez de France et de Lorraine, estant aussi une place assez forte et munie, ne luy seroit pas mal propice et seante, principallement si par ladvenir daventure jl auroit jntention de faire quelque mouvement nouveau a lancontre de la Couronne de France.

Or combien que ladite ville de Strasbourg y soit forte et munie assez, Neantmoins elle est au circuit large et ample assez, dont pour la garnison dicelle sans poinct de faulte jl est requis grand nombre de genz et consequement mult grand argent pour lez payer et souldoyer ordinairement, lequel si longuement fournir elle ne debvroit, ce luy seroit chose bien difficile et fort griefve, Car en argent content sans poynct de faulte elle sest ung peu degarnie et denuee a cause dez grandez et horriblez dispenz que pieca luy a fallu faire et amployer, tant ez guerrez de Braunschweig que pour les defensions de la germanie encontre le Turcq et aussi a cause des toustz jnfiniz des grandz Battemenz et fortifications de ladite ville, Et nommement pour layde et defension avec quelle cest Este passe elle en a aux Conioinctz et alliez secourue et soubvenue.

Adonque puis que la Couronne de France, comme est de croire, ny a pas peu de jnterest que ceste ville de Strasbourg ne soit du tout foullee ny alla subiection et servitude perpetuelle de Lempereur redigee, mais que elle y puisse plus tost vivre en bonne paix et tranquillite et quant et quant retenir sez droictz et privilegez anciens, a celle fin que doresenavant elle y puisse seurement conserver et entretenir jcelluy son bon vouloir et voisinaige que tousiours par cy devant a ladite Couronne de France elle a portee et souvent monstree, Pourtant supplient treshumblement au Roy treschristien que son bon plaisir y soit avecquez secours et ayde hastive de leur voullier subvenir, en faisant caution et seurete suffisante, sans aucun jnterest, leur praister gracieusement pour quelque temps la somme de septante ou quattre vingts mille escuz dor en la forme et maniere que sensuyt.

Que veu que ladite ville de Strasbourg a jusques icy tousiours este en grande doubte et y est anchorez, que Lempereur y pourroit legierement quelque jour que luy plairoit avecques son armee et puissance venir devant ladite ville, et aussi mettre le camp et siege devant jcelle, ou pour le moins envoyer audit pays Daulxarre quelques chevaulx et hommez darmez pour mieulx y empecher et divertir les gens de guerre, et aussi les vivrez qui pourroient venir a eulx dont leur necessite requiert totallement et a bonne heure de se pourvoir des souldarz et dez genz de guerre, A celle fin quilz ne soient sans y songer ny penser par guerre jmportunez et molestez, Et finablement par faulte de

859. 1) *Comme cette pièce curieuse peut servir de commentaire à un passage de la lettre précédente nous avons pensé qu'elle ne serait pas déplacée dans ce recueil. Elle peint à merveille les rapports politiques entre les différents états de l'empire et avec l'étranger.*

2) *sic.* (*d'Alsace.*)

genz darmez, Lequelz ce faisant ne pourroient recouvrir nullement, jlz ne soient a la haste totallement gourmandez. Affin donquez que pour payer et entretenir lesdits gendarmez jlz ne souffrent aulcune faulte dargent content, bon seroit que ladite ville allhors auroit pouvoir pour le payement de jcellez genz de guerre de ces quattre vingt mille escuz, employer et dispendre quelque bonne somme dargent pourveu que jcelle somme ne monteroit plus hault que a dix mille escuz. Et au cas quelle en despenderoit de plus, elle en seroit tenue de le debourcer de son argent propre, Avecques ce pact et condition que ce que a chascung moys elle en despendera moins ou justement jusques alladite somme de dix mille escuz, Soffrant toutteffoys ladite ville audit Roy Trescristien ou a sez Commissairez a ce deputez par les Registres et escriptz du change de rendre conte juste et raisonable, elle ne soit nullement tenue ou obligee de faire Restitution de ce audit Roy Trescristien.

Aussi tout ce quilz nemployeront au payement desditz souldarz comme dessus est dict, jlz en serons audit Roy Trescristien ou a sez successeurs apres la fin de la guerre dedans le terme dung an, de payer et de restituer entierement sans contradiction aulcune, totallement tenuz et obligez.

860.

MINISTRI ARGENTORATENSES TURICENSIBUS.

Quid cum iuvenibus Turicensibus Argentorati studiis operam navantibus de coena et fidei professione egerint, exponunt et vindicant.

(Duo exstant exemplaria in Archivis Turicensibus, alterum authenticum cum subscriptionibus autographis Plut. VI. Vol. 105, olim Scrin. B. Vol. I. fol. 379, alterum a Myconio descriptum ibid. Vol. 177, olim 47, fol. 169. — Simlerus habet Vol. 62.)

Clarissimis viris D. Henrico Bullingero Conrado Pellicano Theodoro Bibliandro ac caeteris pastoribus ecclesiae Tigurinae nostris in Domino symmystis et fratribus venerandis et carissimis Tiguri.

Gratiam et pacem in Domino, colendi et carissimi viri. Dominus quidem passus est quasdam incidere quaestiones, de quibus non dedit hactenus nobis utrinque idem videre, tamen dedit ut utrinque credamus et doceamus divinas scripturas solas esse in religionis doctrina sequendas, omnia ecclesiae vetera symbola esse tenenda et praedicanda, et in vera vivaque fide Domini nostri Iesu Christi salutem omnium hominum ponendam, et hunc quoque agnoscendum adesse suis, et esse efficacem ad augendam salutem suorum, quum in nomine eius congregati sacramenta ipsius legitime administrant atque percipiunt, ita ut in confessione Basiliensi confessi estis. His itaque de causis existimavimus merito communionem Christi esse colendam vobiscum, atque ideo amice semper de vobis sensimus et loquuti sumus, nostrisque, quum eos aliquando ad vos misimus, ut idem facerent diligenter commisimus, pergratumque habuimus, quod et vestros misistis ad nos: quos qua potuimus humanitate et caritate complexi sumus et tractavimus. Interim id, quod de quorundam locorum scripturarum interpretatione, de certis ecclesiis et ministris, non idem sit utrisque iudicium, Domino commendavimus, precantes ut et de his eandem et suam nobis sententiam inspiret.

Quum vero tres adolescentes, duo vestrates, Ludovicus *Lavaterus* [1]) et Iacobus *Gesnerus*, et unus Schaffhusianus, essent commissi fidei symmystae et fratris nostri D. Ioannis *Marpachii*, habuit certe hic illos instar filiorum, instituit ad pietatem, adiuvitque studia illorum quoad potuit, nec unquam eos disputatione de eucharistia vel alia scrupulosiore disceptatione perturbavit. Verum quum illi mensa Domini hic nunquam communicarent, quod caeteri illius convictores merito subinde faciebant, et tempus iam paschae proxime praeteritum adpetisset, quo totam scholam ad s. Domini communionem instituere et exhortari solemus, existimavit *Marpachius* sui esse muneris, et ut pastoris illorum, et ut domestici moderatoris, ut hortaretur eos ad communicandum mensa Domini cum caeteris suis contubernalibus ac tota Christi ecclesia. Id ergo fecit admonuitque eos ut fide simplici instituti et verborum Domini communicarent, nec se constituerent iudices controversiae quae hac de re agitatur, aut etiam de modo scrupulosius inquirerent quo Christo communicamus: grave esse, eum qui velit unus esse cum caeteris fidelibus panis, unum corpus, detrectare cum his uno etiam Domini pane participare. Ista paterna admonitione ad eos facta Schafhusianus communicavit, vestri duo non communicarunt. Tulit id D. *Marpachius* et dissimulavit. Quum autem Dn. D. *Gessnerus* venisset ad nos in nundinis nostris, contulimus cum illo de hac re et ostendimus quam simplici et generali confessione de praesentia et efficacia Domini in sacra coena simus contenti, atque nihil ab adolescentibus istis petamus

---

860. 1) *N*. 836.

quam ut fide confessionis vestrae Basiliensis nobiscum communicarent: quam etiam res mali exempli esset si isti in scholastica et domestica consuetudine nobiscum degentes ecclesiae nostrae communionem aspernarentur. Recipiebat ille se acturum cum adolescentibus et rem etiam ad vos delaturum: sperare se hoc offendiculum facile posse submoveri. Iterum dissimulata res est usque ad id tempus quum Dominus nobis praesens tam horribile bellum excitaret. Ibi institutae sunt supplicationes graviores et habitae mensae Domini communiones instituto Domini et apostolorum veterisque ecclesiae exemplo frequentiores. Iterum vestri duo et cum his Schafhusianus, qui tamen tempore paschae communicarat, soli et domesticis D. *Marbachii* non communicarunt. Quum itaque et Schafhusianus adparebat abstractus esse a nostra communione, spargerentur etiam quaedam voces quae ad exemplum rapiebantur contemnendi ecclesiam nostram et eius ministeria, quae Domino certe ita studemus praestare ut illa confidimus ei nos posse adprobare in die iudicii eius (non, proh dolor, quod attinet ad studium et religionem administrandi, sed tamen quod ad ipsa ministeria in se attinet), coepit gravari hac de re conscientia D. *Marbachii*. Videbat enim obesse disciplinae, tum ecclesiasticae tum domesticae, ista tam manifesta multis convictorum suorum in religione diversitas, tum etiam quae hinc sequebatur disciplinae et observantiae erga praeceptores suos, quae bonos discipulos decet, quaedam labefactatio. Quia autem vobis et ipse cupiebat in Domino gratum facere, noluit a domo sua adolescentes ablegare, sed detulit rem omnem ad nos. Vocavimus igitur eos ad nos et paterne admonuimus de ecclesiae communione, et quam grave sit se ab hac subducere: neminem enim se ab ulla ecclesia posse sacramentorum communione alienare sine eius ecclesiae condemnatione et excommunicatione. Hoc nos non mereri, nec putare eos id iudicii de nobis facere. Nos nihil amplius [2]) petere quam ut communicarent nobiscum in fide confessionis Basiliensis, aut huius paulinae: Panis quem frangimus est communicatio corporis Domini, calix quo gratias agimus est communicatio sanguinis eius. Quae acutius disputarentur, [3]), vel de praesentia Domini in coena vel de certis locorum quorundam interpretationibus, ac etiam de ecclesiis et ministris ecclesiarum in hac re dissentientibus, haec eos debere Domino committere. Legem quoque scholae nostrae esse ut qui eius uti beneficio velit uti debere et ecclesiae: [4]) christianam enim scholam nos instituisse, quae nihil quam quaedam iuventutis christianae et literariae ecclesia esset. Nos denique pridem audivisse, Tiguri nec in civium quidem societate tolerari, aut saltem in ordine senatorio, qui mensa Domini nunquam communicarent et prae se ferrent, id se facere ideo quod iudicarent coenam Domini apud vos non recte administrari. Haec et alia monuimus hos vestrates adolescentes cum summa lenitate, idque unum maxime urgebamus, quum non dubitaremus eos velle Christi esse, ne nos communione Christi damnarent, in quam essemus ac ipso Domino adsumpti. Quumque institutionem ecclesiarum suarum allegarent, respondimus, nos non dubitare, vos confessioni Basiliensi non contradicere, nec statuere in sancta coena nihil percipi quam absentis omnino Christi symbola, panem et vinum. Dimisimus itaque eos a nobis hortati eos ut vellent invocato spiritu Christi rem secum deliberare, et perpendere quam non leve sit Christi cummunionem cuiquam negare, qui quae Christi sunt omnia credat et sectari studeat. Si essent male instituti et vacui timore Domini adolescentes, nos eorum a mensa Domini abstinentiam minus morari: imo si id de eis nobis et ecclesiae constaret, nos ipsos, etiamsi vellent, ad Domini mensam non esse admissuros. Quum autem haberemus eos ut pie et sancte institutos probeque moratos adolescentes, ac ab illis ad nos ecclesiis missos quae nihil prius ipsis quam progressionem in pietate optarent, nobis necessario religionem esse, si hoc eorum peccatum negatae nobis communionis, quod multo gravius esset quam ipsi existimarent, dissimularemus. Porro tertio post hanc illis factam admonitionem die defertur ad nos, eos questos esse, nos eiectionem e schola esse ei minatos nisi communicarent. Vocavi itaque illos ad me rursus, ego *Bucerus*, qui nomine fratrum ipsos in communi admonitione praecipue adpellaveram, cum eorum hospite D. *Marpachio*, et interrogavi num tale aliquid de nobis quererentur. Negabant se id queri, sed ex eo quod dixissemus, legem scholae nostrae esse ut qui eius uti vellet beneficio deberet et ecclesiae uti, et quod Tiguri non toleretur civis qui non communicaret mensa Domini, se metuisse ne forsan, si pergerent abstinere a mensa Domini apud nos, schola eiicerentur. Respondimus, nos nihil ita praecipitare: monuisse eos et usos argumentis quibus sperassemus eos posse ad id permoveri, quod non dubitemus esse praeceptum Domini et interesse salutis ipsorum, et iussisse ut rem omnem secum expenderent, nec quidquam addidisse de eo quid facturi essemus, si nostris ipsi monitis non acquiescerent. Non debere itaque ipsos verba nostra alio interpretari quam essent ad eos a nobis facta. Debere ipsos animo tranquillo pietati et literis incumbere. Nos autem, quum animadvertissemus eos autoritate pastorum suorum quos domi habeant detineri, statuisse ad vos scribere et vobis exponere et quid ab

2) amplius *om. Myc.*
3) disputantur *Myc.*
4) *Neuter codex hic interpungit.*

ipsis peteremus et quibus de causis: beneque nos sperare et vos vestram interposituros esse autoritatem ne ipsi nos a communione Christi, quod ad ipsos adtineret, negata communione mensae eius pergerent excludere, et quidquid scripturi essemus, id ipsis, priusquam literas ad vos mitteremus, velle legendum exhibere, ut et ipsi quid videretur ad vos perscriberent. Ita dimisimus eos, daturi huiusmodi ad vos literas quum opportunus occurrisset tabellarius. Interim autem ipsi per se de mutando hospitio cogitarunt, et Schafhusianus inscio hospite et praeceptore suo libros et reculas suas compegit, nactusque institorem qui satisfaceret pro eo hospiti suo, nihilque tale exspectantem post horam accedit eundem, et hospitem et pastorem et praeceptorem suum, cuius certe fideli et paterna cura atque institutione fuerat non sine suo commodo usus, nec quidquam dicit amplius quam: Domine praeceptor vale, ego abeo. D. *Marbachius* perturbatus, et iure, de ista adolescentis ingratitudine et inhumanitate, coepit eum officii sui leniter et ut pium praeceptorem decet admonere, ac deinde in pace dimisit.

Haec quum ita acciderint et habeant, ut commemoravimus, visum est vobis ea omnia simplici et fideli narratione exponere, quos non dubitamus optare ut et vestris in omnibus officium faciant, et schola atque ecclesia nostra quam altissima fruatur tranquillitate, et rogare vos in Domino ut, quum vestros huc indubie ut ad scholam christianam mittatis, autores ipsis sitis ne communicare nobiscum sacramentis in Domino detrectent, quum nihil ab illis prorsus quam vestram confessionem Basiliensem requiramus, imo paulinam tantum illam quam commemoravimus. Ignorant adolescentes quantum sit peccatum, iis qui Christi sunt, ac etiam praeceptoribus suis Christi communionem negare. Deinde quid talia pariant exempla, praesertim quum aliqua praecipua iactentur autoritate, ipsi facile agnoscitis. Tempora sunt alioqui plus nimio adflicta, et furit ubique Satanas, quomodo nos distrahat quos in se Dominus coniunxit. Interim malignus ille suos cogit horrendum in modum. Quae non dubitamus nos accepisse a Domino, ea profitemur, et sine cuiusquam sugillatione. Erga eos, per quos nobis Dominus sua amplissima dona est impertitus, studemus esse grati, sed absque cuiusquam contemptu. Unumquemque suo loco et numero in ecclesia Dei habere cupimus. Christi libertatem, et ut quisque doceat et agat pro sua fide, sicut omnibus libenter concedimus, ita concedi quoque nobis iure petimus, dum nos intra regulam verbi Dei continemus. Debent enim esse omnino sancta, tamen libera, in ecclesia iudicia simul et candida. Sic et vos animatos esse confidimus. Ergo, ut nos hactenus in fratrum vestrorum numero habuistis et adhuc habetis, sic oramus propter communem Christum ut illis, quos nobis erudiendos et instituendos indubie et in pietate mittitis, idem suadeatis. Optamus vos in Domino feliciter agere et recte valere, nosque responso optato in praesentibus ecclesiarum afflictionibus recreare. Datum Argent. vj. Decemb. M. D. XLVI.

C. Hedio D.[5])
Petrus Martyr theologiae professor.
Mart. Bucerus.
Vestri in Domino fratres.

861.

CALVIN A M. DE FALAIS.

Nouvelles des mouvements militaires en Suisse et réflexions sur la marche des évènements en Allemagne.

(Orig. autographe. Bibl. de Genève. Vol. 194, fol. 48. — Éd. d'Amst. p. 92. Éd. Bonnet I. 177. Éd. angl. II. 74.)

A Monseigneur Monsieur de Fallez.

Monseigneur, ie nay rien a vous escrire pour le present, sinon que nous attendons ce qui se fera par les Souisses.[1]) Tout est appreste a Berne comme pour sortir du iour au lendemain, capitaine, son conseil, officiers, souldars, esleuz et nommez, second mandement envoye quilz se tiennent prestz a marcher, artillerie equippee. Leur armee est de dix mille homme. Ie croy quilz neussent pas tant differe sans un empeschement qui les tient comme liez par le pied. Car il y a environ un an que tous les cantons firent un accord, que nul ne sortit du pais pour faire guerre, sans le consentement des aultres. Maintenant on craint que les papistes ne feussent solicitez denvahir les pais desproveuz de gens, soubz couleur de la promesse rompue. Que si le roy de France eust entrelasse un mot, ce fust

---

5) *Hic finis exemplaris Myconii charta abscissa. Subscriptio Zellii nulla adest, qui Lavaterum in domum suam receperat. Vide etiam infra Ep. Lavateri* 28. *Febr* 1547.

861. 1) *Des rassemblements de troupes italiennes et espagnoles en Franche-Comté, pays soumis à l'Empereur, ayant inspiré à Berne des craintes pour la sécurité du pays de Vaud, Pierre de Graffenried préfet d'Yverdon reçut ordre d'occuper les frontières du côté du Jura. Charles-Quint fit demander des explications par son ambassadeur Mouchet; les Bernois répondirent par des protestations pacifiques, mais mobilisèrent en même temps un corps de* 10,000 *hommes pour parer à toute éventualité (Ruchat* V. 296*).*

faict, desia longtemps a. Cest quil eust demande les papistes a son service, a quoy les nostres eussent facilement accorde. Ainsi les uns eussent parle allemant a Charles, les aultres italien ou picard.

Ie crains bien quil ny ait faulte de bonne conduicte, tant en cela quen daultres choses. Ainsi nous sommes daultant plus admonestez de pryer Dieu quil luy plaise supplier par sa bonte infinie a tant de deffaultz. Vray est quil est facil aux ignorans de follement iuger. Mais tant y a que chascun sesbahit quon demeure si long temps a r....er[2]) sans faire effort. Car il semble que Dieu tende la main [*pour nous*] dire: entrez. Et en laissant escouler le temps on donne vigueur a celluy qui est a demy desespere. Prions doncq, et puis quil plaist a Dieu desprouver nostre patience en desirant mieulx, contentons nous de ce quil nous envoye, ne nous lassant pour rien de le servir.

On a murmure ces iours de quelque appoinctement. Il fauldroit de merveilleux massons pour le bastir. Mais ie crains que les nostres ou aulcuns pour le moins ne se laissent abbreuver dentrer en propos. Ce qui sera pour remectre du tout lennemy non seulement en possession de sa tyrannie passee, mais de celle ou il a tousiours adspire. Mais pource que ie suis asseure que cela ne se fera point que Dieu ne soit du tout courrouce contre nous, iespere quil previendra un tel danger. Car ie ne doubte pas quil ne regarde plus tost son oeuvre en nous que noz vices et povretez, pour nous traicter en sa pitie.

Sur ce, Monseigneur, apres mestre humblement recommande a vostre bonne grace et de Madamoiselle, vous avoir aussi presente les recommandations de ma femme et de noz voisins, ie prye a ce bon Dieu de vous tenir tousiours en sa protection, et vous faire sentir de plus en plus la ioye de son assistence. De Genefve, ce 8 de decembre.

Vostre serviteur et humble frere et entier amy a iammais,

Iehan Calvin.

862.

BUCERUS BULLINGERO ET BIBLIANDRO.

Privatim iis commendat quae communibus omnium ministrorum literis collegio Turicensium in negotio iuvenum studiosorum et coenae dominicae modo exposita fuere.

(Initium tantum describimus longioris epistolae ex autographo Vol. 117d, Plut. VI. Arch. Turic. fol. 451, olim Scrin. C. Epp. T. IV. — Simler. 62.)

Summa pietate et eruditione viris D. Henrico Bullingero et Theodoro Bibliandro suis in Domino symmystis et fratribus colendis et carissimis.

S. D. Quae in communibus literis[1]) ad vos scripsimus, rogo per Dominum, valeant apud vos id quod debent ex verbo Dei et lege caritatis christianae. Dum enim nos continemus in simplici confessione verborum Domini, et diserte excludimus omnem illorum interpretationem, qua aliquid detrahatur vel humanae naturae in Christo vel gloriae coelesti, et cupimus colere cum omnibus in confessione Basiliensi perseverantibus christianam communionem, non arbitror nunc esse apud vos qui nos nolint in Domino ut fratres complecti. Et si quid velint durius agere, confido vestra vos autoritate illorum rigori esse moderaturos, ne occasio detur aliis hoc afflictissimo ecclesiae tempore item duriuscule exigere quae illi sentiunt, ac etiam sentire se arbitrantur ex verbo Dei. Rogo, dignemini nobis respondere, et quae nos in Domino consolentur, non dolorem dolori adiiciant. — — — — — — Argentorati 8. Decembris 1546.

M. Bucerus vester.

863.

CALVINUS VIRETO.

De Sulzeri et Bernensium rebus quid dicendum, quid agendum sit adhuc dubius haeret.

(Cod. Genev. 106. fol. 180, autogr. Cod. 111a, fol. 10 Ionv., Cod. 111, fol. 159 Turr. Bern. Epp. VII. p. 797. Simler. Vol. 62.)

Eximio Christi Domini nostri servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae fido pastori fratri carissimo.

S. Tune aequus es, qui a me rogatus ut consilium dares numquid Bernam scribendum nobis esset, nihil respondes, mecum interea deliberas quidnam tibi agendum putem?[1]) Cur non mihi prior

---

2) *Mot arraché par le sceau.*

862. 1) *N.* 860.
863. 1) *Cf. N.* 858 *ubi et de pecunia cuius infra fit mentio.*

adimis scrupulum ad quem haereo? Tametsi enim tentanda omnia videntur potius quam ut nobis cessantibus omnia pessum eant, nihil tamen temporibus adeo dubiis, apud homines tam suspiciosos, addo etiam fastidiosos, movere audeo. Quod ad vos spectat synodum modis omnibus urgere convenit.[2]) Sed festinatione opus est. Stulte vero *Sulzerus*, qui nos adeo stultos putat, ut quidquid hactenus peccarunt nostro silentio probemus. Egone de *Henricho*,[3]) *Macrino*, *Champerello* rogatus aut in *Sulzeri* gratiam fingam mihi factum placere aut tanquam in mala causa obmutescam? Equidem nolim eos etiam suis peccatis nunc gravari. Sed consideret quid nobis liceat. Decem coronatos prima quaque occasione mittam. Postea comperi me in sex reliquis fuisse hallucinatum. Erant enim fratres mei. Duo isti Lausannam proficiscuntur, ut senem Biturigem qui apud vos habitat secum huc usque adducant. Si quid erit difficultatis, tu hominem persuadeas ne recuset ad nos venire. Vale, frater integerrime. Dominus te conservet semper, una cum uxore, quam mihi diligenter salutabis, et omnes fratres. De *Coelii* discessu audieram.[4]) Non tamen audebam credere donec certior per te sum factus. Genevae 14. Decemb. 1546.

Ioannes Calvinus tuus.

864.

CALVINUS VIRETO.

Commendat ei Gallum quendam Lausannae recipiendum et cum puella ex iisdem finibus advecta matrimonio iungendum.

(Praecedenti subiecta reperitur in omnibus modo laudatis codicibus: Gen. 106, fol. 181 aut., 111ᵃ, fol. 10, 111, fol. 159 v., Bern. p. 798 et Simler. 62.)

Fidelissimo Christi servo D. Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et amico carissimo.

S. *Franciscus* hic noster,[1]) antequam Tigurum et inde Argentoratum etiam concederet, vixerat hic apud nos circiter duos menses. Eo tempore mediocrem ingenii eius gustum ceperam, ut maxime cuperem hominem hic manere. Argentinensi ecclesiae ita se probavit ut quotquot illinc venerunt honestissimo testimonio eum ornarint. Nisi me valde fallit iudicium, experieris hominem doctum et prudentem absque ostentatione, et quod pluris facere debemus, probum et nullius fuci, et ad ecclesiae aedificationem animo compositum et aliqua peritia instructum. Quod ad puellam attinet de cuius agitur coniugio, scriptae mihi fuerunt literae ex Picardia quae testantur, ab eo et nonnullis aliis magno periculo summaque difficultate ereptam ex labyrintho venisse, imo a suis liberatoribus adductam fuisse in aedes nobilis et primarii cuiusdam viri et illic caste habitam. Scribit inter alios regius praefectus urbis nostrae,[2]) homo cordatus et qui ex animo Christum spirat. Illic nulla matrimonii fit mentio. Unde coniicio, nihildum fuisse tunc inter eos actum. Quod illis certe laudi ducendum est. Nam scis esse rarum exemplum. In caeteris et rem gestam et hominem mihi magnopere suo et piorum nomine commendat. Ego itaque tibi et fratribus commendatum esse cupio. In coniugio nihil video impedimenti. Itaque rogatum te velim ut honestae puellae consulas, quandoquidem coniugium fore aptum utrique confido. Vale, frater integerrime. Saluta fratres omnes diligenter meo nomine, uxorem quoque et familiam. Uxor mea ambos plurimum salutat. Genevae 17. Decemb. 1546.

Ioannes Calvinus tuus.

865.

BUCERUS BLAURERO.

Pertinet ad Bernensem controversiam inter Zwinglianos et Lutheranizantes.

(Ex autographo Archiv. Thoman. Argent. — Simler. Vol. 62.)

Fidelissimo Domini ministro Ambrosio Blaurero pastori ecclesiae Constantiensis domino et symmystae colendo et carissimo.

Aliquid huius nos rursus molimur, et spero rem aliquo posse perduci, quanquam impedimur

---

2) *Hic consulendus Hundesh. p.* 202 *sq.*

3) *De la Mare. Hic die* 15. *Aprilis dimissus fuerat, Maigret iam* 23. *Martii, Champerellus anno superiore abdicatus ex autoritate Bernensium ap. Gaienses ministerio fungebatur. Etiam Maigret novam conditionem in ditione Bernensium nactus fuerat. Qui omnes Calvino infensi ab eo quoque male audiebant. (Galiffe, Ameaux p.* 52 *sq. Reg. du Conseil passim.)*

4) *N.* 837.

864. 1) *Quum hunc nostrum dicat, patet Gallum fuisse atque ut videtur Picardum. Argentorati olim et Turici studiis operam dederat, fortassis etiam ecclesiae aliquo modo se utilem praestiterat. Nunc quaerit conditionem apud Lausannenses.*

2) *Eundem praefectum Noviodunensem, Calvini amicum, obvium habuisti supra N.* 808.

etiam per nostros quosdam. Si dederit Dominus successum tibi rationem nostram perscribemus. Sed vide ut cribrandos nos Satanae Dominus hoc calamitosissimo tempore permisit. Ii qui Bernae vere non superstitionem de eucharistia, sed dignam aestimationem sacri ministerii et Christi disciplinam fugiunt, ope Tigurinorum effecerunt ut sit *Sulzero* et *Beato*[1]) collega ex agro Tigurino adiunctus, homo, ut audio, senex sed praedurus.[2]) Is aspernata omni humanitate et fraternitate collegarum rem in concionibus eo perduxit et exasperavit, quod senatus exigit a studiosis et ministris iuratam comprobationem disputationis ipsorum, in qua profecto permulta bona opus habent limatione, ut dicta ex disputationis calore et tempore, quo apud me certe plus fidentiae in his rebus quam sanctae scientiae fuit. Quid iam hoc est, nostra canonicis aequare scriptis, et adigere homines ut iurent in verba tantum hominum, quidquid ex nobis faciamus. Confessionem saxonicam quum nos reciperemus, diserte testati sumus, nos eam recipere tantum quod ad capita ipsa christianae doctrinae attinet, et his salvis libertatem retinuimus nobis et verborum et caerimoniarum. Nunc ita saevitur hoc loco. Si potes moderari per Tigurinos huic perturbationi, rem facies persanctam et necessariam. *Sultzerum* enim si abiiciat Berna certe Christum abiiciet, quod quo pertineat nosti. — — — — — — — — — — — — —
Argentorati 17. Dec. 1546.

Tuus ex animo.

866.

SEVENUS [1]) CALVINO.

Adolescentem quendam Argentoratensem Genevensi disciplinae tradendum ei commendat, dataque occasione novissima ex Germania refert.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 175.)

Optimo atque eruditissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis primo gubernatori suo domino et amico singulari.

S. P. Quoniam videmus interdum fieri ut loci mutatio iuvet ad castigationem ingeniorum, ideo putamus nos utiliter facturos esse si hunc adolescentem a nobis amandaremus. Ut autem non quovis mitteremus, sed in eum locum qui et praeceptione et exemplis talem aetatem emendare possit, elegimus vestram urbem quam sciebamus et tua institutione et severiori disciplina florentem, et in qua te patrem et patronum et severum magistrum esset habiturus. Quapropter te etiam atque [*etiam*] rogo ut in hoc adolescente tuam operam nobis des, et invenias aliquem istic cum quo hunc commutare possimus, ut hic noster alatur apud vos, et linguam gallicam discat, et vester nostris sumptibus proficiat in literis Argentinae. Sin autem hoc fieri non potest in hoc tempore, rogamus quod proximum est, ut collocetur apud aliquem virum bonum cuius metuat disciplinam, donec commutationem inveneris. Quantum aequum est, tantum ei suppeditabimus. Honesto quidem loco natus tamen non habet summas facultates, quae fortuna ei cum pluribus est communis. Tamen quidquid promiseris ipsius nomine curabimus bona fide et in tempore. Reliqua cognosces ex literis D. Theobaldi *Nigri*[2]) qui istic hactenus etiam filium habuit.

Nova quae hic sunt eiusmodi sunt ut neminem virum bonum et amantem libertatis summopere delectare possint. *Caesar* aut iam est in ducatu Wirtembergensi,[3]) aut valde propinquus: neminem habet obviam qui resistat. Nam elector Saxoniae robur exercitus secum abduxit contra *Mauritium* qui per summam perfidiam fere iam dominus est totius Saxoniae. Wittenbergam hic dicitur obsidere.[4]) O felicem *Lutherum* qui ista non viderit. Nos hic iustas copias non habemus. Vicini vestri omnes sedent: hoc imitatur rex Galliae quem movet imitatio Phrygum. Ut nihil videmus in summis periculis! ut miseri, ut caeci sumus! Ista proh ruina plures feriet gentes quam nos in hoc tempore providemus. Sed, mi *Calvine*, tu haec melius ex ista specula prospicies quam nos qui descendimus in arenam. Bene vale, et per hunc tabellarium ad me de omnibus rebus copiose. Argentinae 22. Decemb.[5])

Tuae prudentiae studiosissimus
Ger. Sevenus.

Salutabis meo nomine uxorem et fratrem officiosissime. Quidam vir, magnus me rogavit ut curem sibi duo biblia impressa a Neufchasteau in maxima forma[6]) in albis. Siquidem potes adiuva. Nolo in ea re parcius esse sed bene solvere.

---

865. 1) *Gerungio.*
2) *Iodocus Kilchmeier.*
866. 1) *De Seveno v. N.* 406, *not.* 6.
2) *N.* 759, *not.* 2.
3) *Hoc ipso mense cum exercitu Rotenburgum et Ulmam pervenit, et foederatas civitates suevicas bello impares in fidem recepit. Dux Ulricus fuga sibi consuluit (Sleid.* II. 560 *seqq Ranke* IV. 352 *ss.)*
4) *Quae tamen demum post captum electorem et cladem Mühlbergensem se hosti tradidit* 21. *Mai.* 1547. *(Sleid.* III. 19.*)*
5) *Annum sistunt res publice gestae quarum modo mentio facta est.*
6) *Nempe Olivetani gallica a.* 1535 *impressa.*

867.

FARELLUS CALVINO.

Rumores varii ex Germania sparguntur sed nimis sinistri quam quibus fides habeatur. Inter Solodorenses et Neocomenses gravis orta lis de pago Crescentino.

(Ex bibliotheca pastorum Neocomensium, Epp. Farelli fasc. III. N. 21.)

D. Ioanni Calvino.
Genevae. [1])

S. Ego nihil prorsus accepi de Germania totis aliquot mensibus. Iacobus ille *Linchamp* bibliopola, [2]) quum a te et *Vireto* redirem, in via mihi occurrit ac dixit, quosdam qui Tigurum petierant literas ad me habere et ad alios, partim a *Bucero* partim ab aliis. Sed nihil vidi neque audivi praeterea. Transivit hac demum *Iacobus* idem Argentoratum petens, verum me non est alloquutus. Rumores incerti sparguntur, Caesarem sese communire ac roborare, et nihil non efficere pro nutu: Germaniam totam calamitati quam maxime proximam. Ut illud non facile credo, ita hoc supra modum formido: nam non pauci praeteriere anni quibus per servum suum *Luterum* Dominus orbi gravia minatus est, ob evangelii contemptum et reiectionem potissimum, et quamvis Germania, nisi propitius faveat et avertat Dominus, dura sit passura, non tamen sine magno Caesaris malo. Contendit varie idem Helveticos scindere et inter se committere, ac pridem id factum fuisset nisi per nostros Christus cicurasset ferocientes.

Si bene memini tecum egi de pago Crescentino, [3]) cui foedus est civitatis cum Solodorensibus. Praefectus *Barbarinum* pago praefecerat. Insolenter valde actum fuit cum praefecto bis, sed insolentius cum *Barbarino* tertio. Res eo pervenerat ut qui laeserant, non sine consilio forte eorum qui videbantur laesi, tantum apud suos effecerunt ut iusto bello decertandum contenderent. Involvisset paene omnes bellum. Sed Dominus continuit Neocomenses ne quid tentarent armis et Arctopolitani sua autoritate fregerint conatus deteriores, ut iure non armis componatur dissidium. Hic sese mirum et supra quam dici potest benignum praestat Dominus: respuentibus obtrudit evangelium et nolentes intrare cogit. Saltare cogitur is qui nihil minus in animo habet. Sunt haec Domini opera. Cuperémus rescire ut causa *Francisci* [4]) habeat. De eo queritur collega quod literas non reddiderit *Wattevillano*, quibus multa in rem huius ecclesiae petebantur. Etsi consul sponte agat quam studiosissime, tamen literae non fuissent inutiles, verum contulissent non parum. Debebat *Franciscus* maiori fide cum tam amico et tam bene merito agere. Intellexisti quale fecerit iusiurandum . . . . . . [5]) supra disputatione. Faxit Christus ut omnes, etiam non iurati, officium faciamus et purissime scripturas sequamur. Quod dicebam *Barbarinum* male exceptum fuisse, id contigit die conceptionis. Particeps fuit iniuriarum et ictuum bonus *Fatonus*, qui eo missus fuerat ut literas acciperet: verum pro literis retulit alia, sed quum valetudinarius sit, nescitur an ex laesione aliquid ei accesserit vel decesserit. Aget praefectus cum Solodorensibus, vel ii potius cum praefecto, die Lunae 10. Ianuarii. Si praefectus fecerit officium, bene habebit. Sin promissis non steterit, Bernam cum nostris repetet. Bona sumus spe. Precare Dominum ut auxilio nobis sit. Qui reluctantur modis omnibus secum contendunt omnia involvere. Dici non potest quid Satan moliatur per pagulum. Dominus increpet tam malum hostem. Vale cum tuis omnibus, coniuge, *Gallasio*, *Abello*, *Coppo* et caeteris. Collega te salutat, et fratres mei. Neocomi 23. Decembris 1546.

Farellus tuus totus.

867. 1) *Inscriptionem manus coaeva addidit.*
2) *Lugdunensis puta.*
3) *Crissier, s. Cressier vicus erat prope Landeronum inter utrumque lacum situs. Pontificiis sacris constanter addicti incolae, quum iis evangelicum ministrum obtrudere vellent Bernenses adiuvante praefecto Neocomensi Georgio de Prangins, Solodurensium auxilium expetierunt, qui milite misso illos conatus irritos fecerunt.* (*Ruchat* V. 283.)
4) *Idem esse videtur de quo N.* 864.
5) *Vocabulum sigillo coopertum. Iusiurandum illud dicit quod Bernenses exigebant. De quo iam supra et Ruchat p.* 303.

868.

FARELLUS CALVINO.

Praeter alia agit de Corderio et Erasmo Neocomo avocatis deque novo ministro adsciscendo.

(Ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium, Epp. Farelli fasc. III. N. 22.)

Eximio pastori gregis Christi Ioanni Calvino doctissimo fratri et symmystae quam carissimo
Genevae.

S. Facis cum *Vireto* quod nostra damnas (et

merito) consilia.[1]) Sed quid faciant simpliciores fratres quibus negotium non adeo meum est? quum ego, quem scis semper pro gloria Domini cupivisse *Vireto* morem gerere et Lausannam ornare, toties tamen impeditus fuerim deceptus, ac crediderim *Viretum* non aegre laturum si *Valerium* peteremus, et in hoc ipsum laboraturum. Ita res proponebatur, quod statu huius ecclesiae cognito tandem eo pervenisset. Ego multa ferens maioribus involvor, sinens quosdam efferri supra modum. Quum ego feram feruntur alii. De *Erasmo*[2]) quid dicam nescio: hic est supra modum necessarius. Sed ut actum est cum *Corderio*, et deterius cum hoc agetur. Sed existimo moram non tam diuturnam fore. Hic, quum iudicio sit acriori, et nostrum aliqui, per ea quae ipsi contigerunt *Corderio* edocti, vitabunt technas veteratorias, quarum hic est insignis officina. Christus artificum animos convertat. Hic tibi abunde referre poterit ut hic agatur: nam ex iis quae secum acta fuerunt, quis non videat nequissimam in totum regnare iniquitatem. Spero Christum legiones eiusmodi daemonum brevi eiecturum. Non enim puto unum et alterum esse spiritum malum, sed innumeros, qui tamen se, si verba audias, in lucis angelos se transfigurant. Christus, qui ecclesiae Monbelgardensis misertus est, hanc intuebitur et benigne sanabit. Restitutus fuit *Tussanus*, ut audio, et obtenta fuit reformatio. *Stephanus* qui hoc sentiebat, addebat Caesarem petiisse auxilium gallicum contra protestantes, sed Regem noluisse. Credo te certiora istic habere. Collega mihi nondum adiunctus fuit: nos quatuor proposuimus, ut omnino omnium obturaremus ora. Speramus nos audituros in quem inclinent. At plura nunc non licet. Vale cum tua coniuge, fratre et *Nicolao*. *Coppum* iube salvere et *Gallasium* et utriusque uxores. *Abelum* et omnes [*fratres*][3]) et pios senatores. Neocomi 27. Decembris 1546.

Farellus tuus totus.

Adiuva nos tuis et ecclesiae precibus. Vide cui literas tuas des, nam resignatae nobis redditae.

---

868. 1) *Loqui videtur simul de sua ipsius vocatione Lausannensi, et de Valerii Neocomensi. De utraque saepius supra.*
2) *Cornerio ludimagistro quem ineunte hoc anno Genevenses vocatum usque ad* 1550 *secum habuerunt.*
3) *Charta deficit.*

869.

CALVIN A UNE DAME.[1])

Conseils relatifs au parti à prendre en vue des dangers qui menacent les personnes pieuses en France et invitation à se rendre à Genève.

(Autographe de la bibliothèque de Genève Vol. 107, fol. 6. Copie française Vol. 111, fol. 135 et Arch. de Berne, Epp. VII. 800. — Une traduction latine se trouve à Genève Vol. 109, fol. 21 et à Berne l. c. VII. 779. — Simler a copié les deux textes, l'original Vol. 61, la traduction Vol. 62. Le texte français se trouve dans les Lettres fr. de Bonnet I. 180, dans la Chronique de Crottet N. 17 et chez Ruchat V. 529. Une traduction anglaise dans l'éd. d'Edinb. II. 76.)

Madamoiselle, combien que iaye occasion de louer Dieu du bon zele et de la constance quil vous donne, selon que iay entendu par le porteur, toutefois pensant que mon exhortation ne vous seroit point superflue, entre tant de diverses tentations et combatz, ie nay pas voulu faillir a vous escrire par luy quelque mot, et sur tout pour vous ayder a vous resouldre de la deliberation qui vous est encor aulcunement doubteuse. Cest de vous retirer par deca, pour servir a Dieu en repos de conscience. Sil vous estoit possible de vous en acquiter ou vous estes, ie nauroye garde de vous donner conseil den bouger. Mais ie scay en quelle captivite vous estes detenue. Quant Dieu aussi vous auroit donne vertu et constance de vous preparer a la mort, et ne fleschir pour nulle crainte des dangiers ou vous estes, il ny auroit rien meilleur que duser de ceste grace. Mais si vous sentez que linfirmite de vostre chair surmonte et vous empesche de faire vostre devoir, puis quil ne se peult faire que vostre conscience ne soit en trouble et torment continuel, il ne reste sinon de chercher remede convenable. Car ce nest pas une petite perplexite, voire mesme anguoisse, de nous sentir coulpables en une chose si grande. Voire, et que le mal continue tellement que nous ne facions point de fin a offenser Dieu. Combien que plusieurs se flattent en cest

---

869. 1) *L'original ne porte pas de suscription. Une note marginale dit:* De 46. Ie pense que cette lettre soit à Madame Budé. *La lettre ne contient rien qui puisse directement confirmer ou infirmer cette conjecture. La lettre est adressée à une dame âgée, protestante, de condition, et qui a une fille et des fils professant les mêmes convictions religieuses. Cela se concilierait avec ce qu'on sait de la famille Budé. Il est vrai que Made de Budé avait deux filles dont l'une était mariée à Jean Anjorrant président du parlement de Paris. La mère Roberte, fille de Roger Le Lyeur seigneur de Boisbernard et de Malesmains, était depuis* 1540 *veuve du célèbre helléniste Guill. Budé, et mourut à Genève le* 15. *Avril* 1550. *Voyez du reste les notes du N.* 793.

endroict, se faisant a croire que cest une faulte legiere que de se polluer aux superstitions qui sont repugnantes a la parole de Dieu, et deroguent a son honeur, iestime que lhoneur de celluy auquel nous devons tout, vous est si precieux, que ce vous est un regret importable dy contrevenir tous les iours comme vous y estes contraincte. Ainsi ie ne doubte pas que nayez une singuliere affection de sortir de telle paovrete, et ce pendant que vous y estes, que ne soiez en merveilleuse solicitude et tristesse. Considerez maintenant si ce nest pas une malheureuse condition dy languir sans fin. Ie scay bien que plusieurs nous obiectent, que nous ne sommes pas icy anges non plus, et que nous offensons Dieu comme on faict la: ce qui est vray. Mais comme dict le proverbe: mal sur mal nest pas sante. Parquoy si nous defaillons par trop en daultres sortes, quel mestier est il daugmenter nostre condamnation, en adioustant au reste ce peche qui est tant grief? assavoir de ne donner point gloire au filz de Dieu, qui sest aneanty pour nostre salut? Au reste quant vous avez bien tasche par dissimulation a vous exempter des perilz ou vous estes, encore nest ce rien faict: car les iniques espient de pres, et ne les pourriez iamais contenter quen renonceant Dieu du tout. Parquoy vous nestes en repos du corps, non plus que de lame. Et apres avoir decline de Dieu pour complaire au monde, vous navez rien profite,[2]) sinon de languir comme en transe. Vous me demanderez si estant venue icy, vous aurez repos asseure pour tousiours. Ie confesse que non. Car pendant que nous sommes en ce monde, il nous convient estre comme oiseaux sur la branche. Il plaist ainsi a Dieu, et nous est bon. Mais puis que cest anglet vous est donne auquel vous puissiez achever le reste de vostre vie en le servant, sil luy plaist, ou bien profiter de plus en plus et vous confermer en sa parole, affin que vous soiez plus preste a soustenir les persecutions quant il luy plaira, ce nest pas raison de le refuser. Nous avons tousiours a regarder de nostre point cause de nostre malheur, et le chercher a nostre escient, et faulte daccepter les bons moiens que Dieu nous presente. Ie scay que cest une chose dure que de laisser le pais de sa naissance, principalement a femme ancienne comme vous, et destat. Mais nous devons repoulser telles difficultes par meilleur consideration: cest que nous preferions a nostre pais toute region ou Dieu est purement adore: que nous ne desirions meilleur repos de nostre viellesse, que dhabiter en son eglise ou il repose et faict sa residence: que nous aymions mieulx destre contemptibles en lieu ou son nom soit glorifie par nous, que destre honorables devant les hommes en le fraudant de lhoneur qui luy appartient.

Touchant les doubtes qui vous peulvent venir en lesprit, il seroit trop long de respondre a tous. Mais que vous aiez tousiours ce poinct resolu, quil nous fault remectre beaucoup de solicitudes a la providence de Dieu, esperant quil proverra aux choses ou il ne nous apparoit nulle issue. Et de faict, il ny a que doubter que si nous le cherchons, nous le trouverons. Cestadire quil sera avec nous pour guider noz pas, et avoir le soing de noz affaires, pour y donner bon ordre. Vray est que nous ne laisserons pas destre subiectz a plusieurs fascheries et molestes: mais prions le questant fortifiez par sa parole, nous ayons dequoy les surmonter. Et toutefois vous avez beaucoup daydes qui vous ostent lexcuse quont plusieurs aultres. Quant il plaira a Dieu vous conduire, vous ne viendrez pas si desnuee de biens, quil ny ait pour vous sustenter. Au lieu que beaucoup de paoures gens nont que charge sans provision. Combien y a il de femmes Chrestiennes qui sont tenues comme captifves par leurs enfans? Or nostre seigneur vous a faict cest advantaiges, que vous aiez des enfans qui non seulement se presentent a vous delivrez de captivite, mais aussi vous y exhortent. Vous avez la liberte que plusieurs souhaittent, de laquelle vous devez user, pour vous employer tant plus franchement au service de Dieu. Entre les aultres empeschemens quil semble que vous aiez, il y auroit vostre fille pour ce quelle est a marier. Mais tant sen fault que ie la compte pour empeschement, quelle vous doit plustot servir desperon pour vous inciter dadvantaige. Ientens que vous laimez non pas seulement de lamour commun quont les meres, mais dune affection singuliere. Or ie vous prye de bien considerer lequel luy vauldra mieulx destre la lyee en mariage pour demeurer en servitude perpetuelle, ou destre par vous conduicte en lieu ou il luy soit libre de vivre chrestiennement avec son mary. Car il vous fault avoir ceste esperance que Dieu luy adressera party honneste, qui vous sera en consolation comme a elle.[3]) Il y a une chose dont il est bon que vous soiez advertie affin que rien ne vous estonne[4]) comme nouveau et non preveu. Cest que Sathan vous suscitera beaucoup de troubles pour renserver ou retarder vostre saincte entreprise. Mais quant vous aurez prins vostre con-

2) *Ici s'arrête la copie du texte latin chez Simler.*

3) *Marguerite Budé épousa, en* 1550, *Guillaume de Trie, seigneur de Varennes, gentilhomme du Lyonnais, réfugié à Genève pour cause de religion. C'est par erreur que M. Bonnet l'appelle Catherine, ce qui était le nom de sa soeur mariée à Paris. Le nom de M. de Trie figure dans le procès de Servet* (*Galiffe, not. gén.* IV. 380). *Opp.* VIII. 835.

4) esmeuve *Bt.*

clusion arrestee, il ne vous sera pas difficile de surmonter tout. Ce pendant usez de lopportunite, ce pendant quelle vous est offerte. Car comme en une chose saincte, il nous convient conclurre en brief, sans consulter[5]) ne varier long temps, aussi est il necessaire dexecuter tantost ce que nous aurons conclud, craignant, selon la fragilite qui est en nous, de nous refroidir de nostre bon propos.

Pour faire fin, scachant que toutes exhortations seroient vaines et inutiles de moy, sinon que Dieu leur donnat vertu, les faisant entrer en vostre coeur, ie le supplieray de vous instruire de vraye prudence pour iuger ce qui vous sera expedient de faire, de vous donner constance ferme pour obeir a sa volonte, de vous tendre la main et se montrer vostre conducteur, de vous faire grace[6]) quen vous reposant sur luy vous sentiez en tout et partout son assistance. Ce 20.

Vostre serviteur et humble frere,

Charles dEspeville.

870.

SPINA CALVINO.

In memoriam ei revocat primum cum eo congressum, et nimium suum eum denuo invisendi desiderium multis attestatur.

(Ex autographo Cod. Goth. 404, fol. 760. Edidit Liebe p. 73 sed mendose.)

A Monsieur Maistre Charles despeville.

Iam dudum id habebam in animo, amantissime frater, ut aliquam tecum familiaritatem inirem, quumque summa diligentia rationem quaererem qua id commode fieret ut diuturni desiderii mei exspectatio expleretur, a multis de te percontabar, qui magno consensu summa cum tua laude magnaque erga te suae benevolentiae significatione eas praeclaras virtutes commemorabant, quas in te Dominus liberaliter contulit, et sollicite exerces ad ornandam eius ecclesiam: nemini te ingenio eruditione prudentia secundum esse, denique obvium et expositum omnibus quos ullo[1]) christianae religionis amore teneri perspexisses. Quum haec atque huiusmodi multa non minus iucunde audirem quam narrarentur, me ipsum confirmabam de spe concepta, facile futurum ut me in amicitiam tuam reciperes. Restabat occasio, quam diu et anxie supplicibus votis a Domino efflagitavi,[2]) qui occulto consilio spem meam per longos annos varie agitavit. Nunquam tamen destiti orare, donec tandem victus[3]) partim benignitate sua quam nemini claudere potest, partim precibus, me audivit, et negotiis quibusdam implicuit quae me in Italiam vocaverunt. Quo sine longa deliberatione profectionem statim paravi. Ardebam enim desiderio tum spectandae regionis quae olim orbem terrarum domuit, tum concilii[4]) in quo putabam locum esse vobis omnibus, et integrum, ut suam quisque sententiam libere proferret. Qua in re multum me opinio mea fefellit. Hac de causa confectis negotiis nostris, rati nihil esse in Italia quod nos illic diutius retinere ac remorari deberet, de reditu nobis cogitandum esse duximus. Hic mentem meam sociis aperui, me videlicet[5]) omnino animum induxisse ut vos inviserem, nec iam[6]) videndi tui desiderium quo urebar me ferre posse. Factum est ita ut istac iter nostrum[7]) institueremus, et, quod iam pridem optabam, vultus tui spectaculo oculos meos tenueris, quamdiu id pati potuit sociorum meorum tum mihi acerbissima et multo omnium molestissima consuetudo. Multum autem abfuit ut eos satiares.[8]) Tu sane colloquio tuo, licet perbrevi, amorem in te meum occulta quadam vi, quam in sermone et verbis tuis mihi perspicere videbar, ita auxisti ut nihil iam accedere possit. Angit me in horas desiderium tui, quod mihi quum postremum vale diceres reliquisti. Nec spero quiescere animo, antequam Dominus me tibi perpetua familiaritate coniunxerit. Utinam id brevi fiat. Interea oro te ut ad me scribas et (quod facile potes) de rebus omnibus edoceas quae ad salutem meam aut officium pertinere noveris: praeterea ut nobis in solennibus ecclesiarum vestrarum precibus auxilium Dei imploretis, ad excutiendum ex animis nostris illum torporem quo ab ea constantia et magnetudine animi revocamur, quae est necessaria ad sinceram verbi eius praedicationem: ut postremo nos amore et sensu carnis nostrae prorsus exutos sic tantum et[9]) ecclesiam cogitare donet. Oramus tu omnes etiam atque etiam ut coeptam sacrarum epistolarum enarrationem persequaris, qua

5) conseiller *Bt.*
6) ceste grace *Bt.*
870. 1) uno *L.*
2) efflagitabam *L.*
3) victus *om. L.*
4) consilii *L.*
5) vere *L.*
6) tantum *L.*
7) novum *L.*
8) eo satiarer *L.*
9) ut *L.*

nihil unquam ecclesiis hoc in genere utilius erit. Dominus Iesus Christus te fidelissimum servum suum et ecclesiae hac tempestate necessarium salvum et incolumem diutissime servet. Bene vale in Christo.

Tuus ad omnia

Ioannes a Spina subscripsit. [10])

Si quas literas ad [*me*] mittere velis eas dato Marcelino [11]) de Beringen [12]) bibliopolae Germano cui id negotium Lugduni dedi ut ad me quidquid scriberes perferendum curaret. Is moratur Lugduni sub insigni fidei. [13])

10) Ioh. St. Spina *L.*
11) Martino *L.*
12) *nomen dubium. Posset esse:* de Rhingen.

13) *Autorem huius epistolae Ioannem de l'Espine eundem fuisse atque illum cuius infra plures leges sub nomine Acanthii scriptas nulli dubitamus. Neque nos movet Besae et aliorum assertio qui eum demum a.* 1561 *libere evangelium professum esse ait, quod annon cum nostra hac epistola conciliari queat penes te iudicium esto. Quod ad tempus eius natale attinet omnino ad a.* 1546 *referendam putamus, primum quod dicit enarrationem epistolarum sacrarum a Calvino coeptam esse, scilicet, edito commentario in primam ad Corinthios* (*N.* 753), *non autem in Romanos* (*N.* 191) *iam olim vulgato, tum vero maxime quod dicit se in Italiam profectum spectandi concilii causa ubi sperabat evangelicis locum datum libere sententiam suam proferendi. Quis, quaeso, post a.* 1546 *tale aliquid sperare potuit?*

MDXLVII.

871.

BUCERUS [1]) FARELLO.

Miserum statum Germaniae a Caesare magna ex parte iam subactae deflet et ignaviam principum et civitatum foedere smalcaldico iunctorum castigat.

(Autographon exstat in Bibliotheca pastorum Neocomensium, Epp. divers. N. 7. Ibidem reperies aliud exemplar alia manu descriptum, cui adiecta est Ep. Farelli N. 876. Illud prius hodie lacerum ex apographo passim refici potest. Hoc vero textum multifariam corruptum exhibet. Videtur Farellus alterum exemplar ab amanuense minus docto descriptum Calvino destinasse.)

Viro religiosissimo D. Wilhelmo Farelo fratri suo in Christo carissimo. [2])

S. d. et perpetuam Domini benedictionem in annum ingredientem et omne aevum, venerande et carissime frater. Quo pertineat querimonia tua de doctoribus gallicis ignoro. [3]) Caetera ad Bernatium concionatores refero. Dominus respiciat ecclesias suas. Sunt sparsim ministri qui vim sacri ministerii [4]) intelligunt et restitutam cupiunt: sed hi sunt tam pauci, et sic impediuntur a collegis, partim plane fucis, partim nondum doctis et corroboratis satis ad hanc functionem, ut nihil aut perparum valeant efficere in concinnanda et restituenda ecclesiae communione et disciplina. Poenas itaque damus hypocriseos ignaviae et teporis nostri. Socii [foederis] [5]) religionis iuramento sese constrinxerant, ne quis sine aliis pacem cum communibus hostibus faceret. Iam oppida cuncta superioris Germaniae, praeter Augustam et nostram rempublicam [6]) (nescimus an etiam Constantia et Lindovia subsistant) Imperatoris se permiserunt clementiae, idque simpliciter sine ulla exceptione libertatis et religionis. Et clementia tamen eis permissa est conditione obedientiae et multae praegrandis. Ulmam ferunt dare bis centena M., Halam 50: quantum solvat Francofordia, ignoramus adhuc. [7]) Oppida foederata iam dedita sunt 13. Recepta sunt etiam ex neutralibus faventibus evangelio quaedam [cum ditione] ducis *Othonis Henrici* et comitum ab Oetingen. [Dux] *Wirtenpergensis* [8]) voluit componere, verum quum Impe[rator] munitiones sibi dedi omnes postularet, impositis illis praesidiis ditionem omnem Imperatori reliquit, quae nunc miserum in modum affligitur a milite et fertur Imperator eam velle addicere nepoti suo iuniori *Ferdinando.* Vacillat et *Cattus* propter infirmitatem civitatum saxonicarum. *Elector* partem ditionis suae recepit, partem *Mauritius* adhuc tenet. Nullibi ea vis spiritus apparet rem populi Dei restituendi quae in iis scriptura servis Domini memorat quos servatores populi Dei vocat, nec uspiam apparet populi illa ad Dominum

---

871. 1) *Nomen Buceri epistolae non additum, verum huic potissimum tribuendam nulli dubitamus.*

2) *Inscriptio abest ab autographo.*

3) *De quibusnam Farellus questus fuerit non liquet, sed potius de suis et Calvini antagonistis helveticis cogitarimus quam de Argentoratensibus. Etiam ex sequentibus apparet eum pro more oblique et obscurius de variorum studiis et conatibus scripsisse.*

4) vim fieri ministerio *Apogr.*

5) *Abscissum in autographo sicut infra saepius.* — Foederis, *Smalcaldici scil.*

6) *Augusta Vindelicorum a. d. IV. Cal. Febr.* 1547 *se Imperatori dedidit, Argentoratum demum m. Martio. Scriptorem epistolae Argentoratensem fuisse non est quod dubites. Lindovia iam Ianuario submissa, Constantia postremo loco.*

7) Ulmenses Caesar multat centum millibus aureorum tormentis duodecim et decem signa peditum illis imponit . . . Francofurtenses legatis ad Caesarem missis in gratiam recipiuntur depensis aureorum millibus octoginta (*Sleid.* II. 563 *seq.*).

8) Wittembergensis *Apogr.* — *Ulricus dux* 300,000 *flor. solvere iussus est et tria castella praesidiis caesarianis concedere* (*Sleid.* II. 568. 584. *Ranke* IV. 361).

solida conversio, nusquam habentur tales supplicationes quales scriptura describit. Nec quum multi quidem instructi essent et milite et aliis ad militiam necessariis, pugnam cum aliquo periculo nostri aggredi ausi sunt, ut nunc non instructi et multis modis fracti fortiter faciant, pro exemplis veterum servatorum populi Dei, nullis adhuc signis quae in ipsis appareant exspectandum videtur. Omni igitur brachio carnis destitutae ecclesiae ad brachium confugiant Domini, quod deesse eis non poterit, siquidem illud veris animis implorent. Imperator in receptis in gratiam oppidis religionem non mutavit adhuc et videtur (forsan propter principes quos ex nostris habuit socios) velle primum in comitiis de religione agere. Interea et tunc poterit Dominus erigere spiritum suorum, ut fortius agant confitendo Dominum et regnum eius flagitando quam egerunt armati pugnando. Et habet Deus cor regis in manu sua. Denique gravius Domini flagellum impendet, Turcae irruptio terra et mari.[9] Ea forsan etiam ad Dominum mu[ltos] respicere faciet. Pro nostra hac ecclesia et republica diligenter orate. Sunt quidem sa[tis] fidentes hic multorum animi, sed non[dum] viso hoste, et nulla non perniciosa [fidentia] est quae non pure fiducia Domini Ch[risti] constet. Habet Dominus suos non paucos veros cultores et adoratores sui in hac ecclesia. Horum precibus si reliquorum velit condonare ἀταξίαν καὶ ἀσέβειαν, castigationem exspecto paternam. Tamen mirabor si non et nos de calice praesentis afflictionis sit large potaturus, quod certe omnium nostrum ingratitudo multiplex et torpor praegravis probe commeruit. Ego tamen gratia Domini subinde magnas sentio[10]) consolationes, Dominum nos clementer castigaturum et reg[num suum] apud nos mira aliqua ratione tamen c[onservaturum]. Ipse faciat quod bonum iudicaverit in oculis suis, et sit nobis propitius. Quod erit in aeternum.

Fratrem[11]) dehortatus sum a repetendo periculo, sed sequitur ille suum consilium. Dominus servet eum. Forsan Dominus vult illi benignius et liberis eius prospicere. 8ª Ianuarii.

---

9) *Falsus fuit rumor.*
10) spero *Apogr.*
11) *Farelli? — Haec absunt ab apographo.*

872.

MINISTRI TURICENSES ARGENTORATENSIBUS.

Respondent ad eorum literas nuper scriptas de iuvenibus Turicensibus qui Argentorati coenae participare religioni habebant.

(Ex autographo Archiv. Turic. olim Epp. T. I. Scrin. C. nunc Plut. VI. vol. 117ª, fol. 363. Inscriptionis ipsa forma docet hoc exemplar non illud fuisse quod lecturis autor destinabat, sed vel primum epistolae conceptum quem dicimus sive minutam, vel apographon in proprium usum factum. Simler. vol. 63.)

[Martino Bucero et scholarchis Argentoratensibus.] [1])

S. D. Redditae sunt nobis literae vestrae,[2]) fratres in Domino colendi atque dilecti, ad quas propter negotia nostra serius respondemus. Exposuistis in iis copiose quid actum sit cum iuvenibus nostris Ludevicho *Lavatero* et Iacobo *Gessnero*: praecipue vero postulatis ut ipsis simus autores ne communicare vobiscum sacramentis in Domino detrectent, quum nihil ab illis prorsus quam confessionem nostram Basiliensem[3]) requiratis, imo paulinam tantum illam: Panis quem frangimus etc. De iuvenibus ita habete, fratres. Non aluntur hi ecclesiae stipendio sed sumptibus parentum, qui his, dum peregre proficiscerentur, in mandatis dederunt ut eam fidem fideique professionem, qua tunc instructi et confirmati abibant, redeuntes reportarent, aut ut redeuntes et aliam fidem profitentes alias quoque sibi aedes et alios parentes quaererent. Ac nos quoque illos ipsos valedicentes nobis pro officio nostro tanquam pastores et praeceptores adhortati sumus, ut in ea fide, quam didicerunt a primis annis in ecclesia nostra, quam denique Deo inspirante sancti parentes ipsis instillarunt, perseverent, et quoniam communicatione sacramentorum palam profitemur fidem nostram, admonuimus illos diligenter ne cum illis communicent quibus non eandem nobiscum in dogmatibus et sacramentis doctrinam et fidem esse intelligant. Iam quia illi hucusque vobiscum communicare detrectarunt, facile colligimus illos intelligere, non eandem esse doctrinam de coena Domini quam Tiguri didicerunt et hauserunt a parentibus et a nobis doctoribus suis et quam Argentorati audiunt praedicari. Proinde, ut can-

---

872. 1) *Sic habet exemplar Turicense, sed alio titulo ornatum fuisse illud quod Argentoratum missum fuit non est quod moneamus.* — De hac ep. cf. Pappum et Sturmium, Schelhorniumque, adde Sculteti epp. (VI. 378) ad Breitingerum 24. Oct. 1622 (*Simler*).
2) *N.* 860.
3) *anno* 1536 *d.* 26. *Martii editam* (*Ruchat* IV. 59).

dide agamus et simpliciter, non possumus illis autores esse ut istud modo faciant, quod ne facerent parentes ipsorum autores, et nos quoque suasores fuimus.

Qui[4]) sacramentis vobiscum communicant ipsa communicatione profitentur, se eandem vobiscum habere de sacramentis fidem. Atqui iuvenes nostri non eandem vobiscum fidem habent: cur ergo opere profiterentur foris quod intus in animo non sentiunt? Aut cur nos iuberemus illos contra animi sententiam et propriam conscientiam facere? Habent isti iustae aetatis annos, utuntur ratione sana, intelligunt quid utrobique doceatur publice.

Caeterum nihil ab illis requiritur quam confessio paulina: Panis quem frangimus nonne est etc. Verum audite, fratres, non de verbis Pauli, sed de sensu verborum Pauli est nobis controversia. Et fidelis sacramentorum perceptio requirit veritatem et ingenuam eandemque confessionem, simulationem repellit. Non idem est D. *Bucero* et nobis de eo Pauli loco iudicium, non eadem sententia: imo conveniret nobis egregie cum *Bucero*, si ipse a semetipso non dissentiret. Ita enim de eo loco et de sensu verborum Pauli sentimus sicut expositum est primum quidem in disputatione Bernensi, cui ille subscripsit, deinde in enarrationibus Evang. D. *Buceri*, postremo et in Arbogasto eiusdem. Id vero doctrinae genus quum ille mutarit, et D. *Luthero* beatae memoriae diversum sentienti accesserit ante annos aliquot, ideoque a se ipso discesserit, diversum ab ipsis sentimus, sed non diverum a S. Paulo. De qua re in praesenti copiosius disputare nolumus. Abunde satis de ea re responsum esse arbitramur D. *Luthero*, qui quid de coena Domini in finem usque tenuerit mordicus, quid denique de nobis senserit, etiam post responsionem nostram, paulo antequam e vivis excederet, hisce verbis contra Lovanienses scripto publico testatus est: xv. „In eucharistia, sacramento venerabili et adorabili, est et exhibetur et sumitur vere et re ipsa corpus et sanguis Christi, tam a dignis quam indignis.“ Id vero libris ante diu editis scripsit se didicisse ex verbis apostoli 1. Cor. 10. Idem mox propositione 27: Haereticos serio censemus, ait, et alienos ab ecclesia Dei esse Zwinglianos et omnes sacramentarios, qui negant corpus et sanguinem Christi ore carnali sumi in venerabili eucharistia. Haec ille qui praedicatur orthodoxus et catholicus esse ecclesiae doctor. Nobis vero vos ipsi quoque imprecamini in hac vestra ad nos scripta epistola, ut Dominus de locis controversis de ecclesiis certis et ministris earundem, eandem vobiscum et suam quidem sententiam inspiret. Quod quidem aliter intelligere non possumus, quam quod nos non suam, id est dominicam, sed alienam et diversam quoque a vestra teneamus sententiam. Neque enim de aliis locis nobis controversia est, quam de loco Pauli 1. Cor. 10, de verbis Domini: Hoc est corpus meum. Utcunque ergo obiiciantur nobis verba Pauli, utcunque dicatur a nostris, non aliam requiri confessionem quam paulinis illis verbis comprehensam, manifestissimum tamen est, quum non idem utriusque sit verborum sensus, neque eandem esse confessionem. Quomodo itaque nostratibus autores esse possumus sub fide verborum Pauli vobiscum communicandi, quum verba Pauli *Bucerus* suo more, nos vero aliter intelligamus? Interim non licet in celebratione sacramentorum, quod mysteria et professionem fidei attinet, quidquam vel simulare vel dissimulare: ut iam non commemoremus, eos qui *Luthero* subscripserunt nos non posse pro membris Christi agnoscere, aut, si agnoscunt, *Lutheri* iudicium hac in re refutare, adeoque et sibi ipsis repugnare.

De confessione Basiliensi ita habet negotium, fratres. Coierunt Basileae in synodum ecclesiae helveticae, missis legatis ex senatoribus et ministris: institutum erat confessionem fidei conscribere, quam exhiberemus rationem fidei a nobis poscentibus. Eius rei gratia iubentibus senatoribus consederant ministri, et iamiam bona parte confessionem absolverant, quum felicis memoriae D. *Capito et* D. *Bucerus* interveniunt, cursum nostrum interrumpunt, de concordia cum *Luthero* et suis magnam spem faciunt, sed et verba quaedam in causa coenae suggerunt, quae D. *Lutherum* minus offendere posse dicebant, ideoque quaedam nostra expungere, sua illa ascribere inserereque suadebant: de quibus, quum amplius quam per integrum diem altercatum esset, convenit tandem, ut sub spe concordiae uteremur a D. *Bucero* suggestis vocibus, ita tamen ut illis minime astricti ipsas libere et diserte pro ratione religionis et receptae doctrinae nostrae interpretari liceret. Non enim hoc agi asseverebat *Bucerus*, ut nos a disputatis Bernae et iam dudum recepta sententia de coena ad Lutheranismum abstraheremur, sed ut per omnia in illis nostris perseverantes tantummodo et in causa concordiae illis uteremur, utpote magis idoneis ad illiciendum mentes adversariorum alioqui exasperatissimas. Modo tantum hoc agi ut animi reconcilientur: quod ubi factum fuerit, spem esse Lutheranos rectius de doctrina nostra iudicaturos. Haec ita peracta esse novit D. *Bucerus*. Testantur et acta comitiorum. Caeterum quum voces illae sub spe concordiae a nobis admissae sint, spes autem illa fefellerit, pror-

4) *Loco horum verborum:* Qui sacramentis .... conscientiam facere, *Bullingerus haec scripserat, postea deleta:* Certe apostolus Paulus: probet se ipsum homo, inquit, et sic de pane edat et de poculo bibat. Probant se isti et illam fidem non inveniunt intra se quam Argentinae requiri a coenantibus audiunt.

sus abierunt haud dubie et illae voces in spongiam, aut certe nobis usurpatae in ecclesiis nostris doctrinae fraudi non erunt. Nam apud eos haud dubie erit ius interpretandi, qui ab initio illas voces non aliter receperunt quam ut pro ratione receptae doctrinae in ecclesiis helveticis explicarentur. Frustra itaque obiicitur nobis Basiliensis confessio, nisi simul et ea concedatur expositio, quae doctrinae ab initio reformationis et hucusque in ecclesiis nostris retentae sit per omnia conformis. Nam si quis pergeret suum aut alienum huic confessioni indere sensum, neutiquam reciperetur a nobis. Itaque communicare sub fide confessionis Basiliensis aliud non erit, quam sub ea fide communicare quam professi sumus in ultima ad *Lutheri* convicia responsione. Ea vero quum minime congruat cum ea fide quae de coena Domini secundum *Lutheri* placita traditur, communicare certe cum Lutheranis nostri non possunt, nisi libeat aliud in animo credere et aliud foris celebratione sacramentorum profiteri. Id quod ut faciant nostris autores esse non possumus.

Hac autem abstentione nostra neque vos, fratres, neque ecclesiam vestram contemnimus, neque unquam iudicavimus ad ecclesiae nostrae contemptum pertinere, si qui hospites nobiscum non communicarunt. Nec quenquam ex hospitibus unquam compulimus contra conscientiam et fidei suae professionem communicare nobiscum, sua sponte vero accedentem nullum unquam repulimus. Permittite itaque, rogamus, iuvenibus nostris, ut sua fide apud vos tranquille fruantur, et ne adigantur facere quod cum ipsorum conscientia et fide pugnat. Placet enim alioqui nobis schola vestra, placet disciplina, et amamus vos atque vestros, cupimusque nostros vobiscum versari ad tempus. Id quod non tantum de duobus illis nostris dictum volumus intelligi, sed de caeteris quoque quos Deo volente posthac missuri sumus.

Caeterum si putaveritis hanc nostram postulationem tendere ad insignem ecclesiae vestrae offensionem aut labefactationem, non tantum nullos porro mittemus, sed et illos duos, qui iam apud vos agunt, non gravabuntur revocare parentes ipsorum. Aliter agere non possumus, fratres: scimus enim cui credidimus, neque de sententia nostra, purgata utique et simplici, quidquam, Deo nos confirmante dubitamus. Scimus quanta nos integritate uti oporteat coram Deo et ecclesia eius, praesertim in fidei professione: unde pro virili nostra operam damus, ne quid hic scientes peccemus contra Dominum. Oramus vestram humanitatem ut haec nostra, non amaris profecta animis, aequis mentibus accipiatis, et hactenus pacem habeatis nobiscum, donec Dominus dederit videre quinam simplicius et purgatius docendi genus hac in causa sequantur.

Quod autem primo factum oportuerat postremo loco facimus. Agimus vestrae humanitati gratias maximas pro fide, diligentia et cura nostris impensa. Dominus liberalissimus omnium bonorum remunerator rependat vobis praemia amplissima. Nos quoque pollicemur vobis omnem nostram fidem et diligentiam, si quando in similibus aut aliis negotiis gratificari vobis possumus, operaque nostra indigueritis. Gravia sane et afflictissima, ut vere scribitis, sunt tempora: sed graviora merentur peccata nostra. In hoc ergo simus fratres ut ecclesiae nostrae fidei commissae ad perpetuam et christianam revocentur poenitentiam. Non repellet Dominus plebem suam, utcunque flagellet acriter. Oportet enim aurum igni probari, oportet nos cribrari, oportet nos confiteri nomen Domini vel in tormentis. Offeramus itaque nos et nostra omnia Domino. Oremus iugiter ne usquam ille nobis desit sine quo nihil possumus. Vincet tandem veritas, etiam devictis in hoc saeculo veritatis confessoribus. Nam appropinquat Domini iudicium. Agite ergo viriliter contra Antichristum et valete in Christo, fratres et Domini honorandi et dilecti. Tiguri x. Ianuarii 1547.

873.

KILCHMEIERUS BULLINGERO.

Exponit controversiam inter Arburgensem pastorem et Zofingenses ortam de re sacramentaria, eiusque et collegarum in ea componenda curam et auxilium sollicitat.

(Ex autographo Archiv. Turic. olim Epp. T. XXXI. nunc Plut. VI. Vol. 153, fol. 415. — Simler. Vol. 63.)

Minem lieben Erwirdigen heren vnd Bruder M. Heinrich Bullinger.

Zürich.

Salutem et pacem. Magna necessitate compulsi D. Eberardus a *Rumlang*,[1]) Nicolaus *Artopeus*, Ioannes *Textorius*[2]) et ego ad te, *Bibliandrum*, *Gualtherum*, *Pellicanum*, quatuor ad quatuor scribimus. Et ne prolixioribus verbis a solitis studiis utrinque suspendamur, caput illud esto. Oborta est inter D. *Petrum* Arburgensem[3]) ac duos Zoffingensis

873. 1) *Tho. Grynaei nuper dimissi successor in munere scholastico.*

2) *Weber.*

3) *Petrus Schnyder V. D. M. apud Arburgenses iam a.* 1523 *quum esset Kilchherr in Pfäffikon disputationi Turicensi interfuerat. Exstat eius ep. ad Bullingerum d. d.* 21. *Ian.* 1547 *quam describere supersedemus.*

ecclesiae episcopos acris quaedam contentio de ministerio ecclesiae atque eucharistiae negotio. Quae ita pedetentim progressa atque aucta, ut palam tandem eruperit. Pugnantes enim in platea oppidi Zoffing. duo adversus unum *Petrum* quibusdam risum, quibusdam vero, pro animorum diversitate ut solet fieri, bilem moverunt. *Petrus* pugnando longe modestior est repertus. Evasit enim illaesus, neque in aliquo ab oppidi Zoffing. moderatoribus velut reus pugnae multatus est. Ad hoc in eucharistiae causa sic egit ac docuit, ut nunc dixerit Christum in coena praesentem, nunc vero minime. In quo calumniatoribus suis recte quidem sensisse at parum ecclesiae satisfecisse videtur, propterea quod mentem suam non liquido exposuerit: praesentem quidem maiestate divina, absentem vero corpore assumpto. Quam tamen differentiam in aliis suis sermonibus luculenter adposuisse abunde satis testantur tum ecclesiae Arburg. sincera in pastorem dilectio quumque[4]) mutua ecclesiae tranquillitas sanctaque concordia. Contra vero Zoffingenses sic certarunt ut ab oppidanis iure publico sint puniti, suisque concionibus ecclesiam non parum turbantes quosdam a sacrae mensae participatione suspenderint ac penitus dimoverint. Nam de ministerio ecclesiae plura imo nimia effutientes sero frigide ac tarde sic concluserunt, fructum Dei non ministri esse, neque ministerii: ut se de ambiendo dominio, non tam apud nos quam suos parochianos suspectos fecerint. Praeterea in negotio eucharistiae adeo obscure atque ambigue docent, ut plures exstent qui magis esse Lutheranos intelligant quam christianos. Voculam *warlich* multis exponunt, pariter et *geystlich*, cuius expositionem certe minime indigerent, nisi nebulas offundere clamque *Lutherum* introducere niterentur.

Sed quid factum nunc tibi expando. Novissime omne negotium per proconsulem Arburgensem ad magnificum Bernensium magistratum delatum est, ut illic rebus pro utraque parte diligenter discussis et examinatis certamini aliquando summa manus imponeretur. Magistratus vero universum negotium ad D. *Eberardum*, *Nicolaum*, *Textorem* et me, exclusis *Sultzero* et *Beato* illo nostro, transtulit. Quod quum nobis satis arduum visum est, posseque facile non tam finiri quam novis forte contentionibus et sutelis ansam praebere, constituimus inter nos et huius causae laborumque te *Bibliandrum*, *Rudolfum*, *Pellicanum*, in Domino confratres nostros, participes facere, per misericordiam Dei, ac Domini nostri Iesu Christi sanguinem ecclesiaeque salutem obsecrantes, ut nervos nobiscum extendatis rem ita componere ut veritas ab omnibus strenue vindicata appareat, sicque vicisse, ut in posterum ardor talia audendi in aliis exstinguatur, etsi nostra sententia vel declaratio universis Christianis sit manifestanda, tamen huius oporteat nos neque pudere neque poenitere. De quo minime dubitamus, si quinque talenta vestra a Domino accepta in foenus Domini et ecclesiae Dei salutem nobiscum conferre dignaremini. In negotio isto properandum est, et omnia summo silentio peragenda. Ignoramus enim ne gratum fuerit, quod nobis amandatum, externo auxilio perficere. Estque a vobis tabellio sic excipiendus et relegandus, ne quidquam horum quae modo inter nos versantur intelligat. Speramus, fratres, hoc negotio viriliter et semel pro dignitate composito reliqua, quibus ecclesiae apud nos impetuntur, facillime in ordinem redigenda. Veritas enim subinde magis sese porrigit ac vindicat. Laus sit Deo. Valete in Domino semper, qui, ut nos in communem usum ministros posuit ecclesiae suae sanctae, ita et pro gloria Domini et salute ecclesiarum eius nobiscum qui Bernae pugnamus arma vestra adponere haud gravemini. Iterum valete. Materiam contentionis distinximus in certa capita, quo brevius ac luculentius appareat quid et quomodo ad unumquodque commodum responderi possit et debeat. Reliquas literas tuis annexas tuum erit expendere et unicuique quod suum est reddere.[5]) Bernae xj. Ianuarii 1547.

Iodocus Kilchmeierus
tuus ad aras usque.

4) *Cave boni viri stylum vel nobis vel typographo tribuas. Caetera fere his consona.*

5) *Responderunt Turicenses paucis diebus interiectis N.* 875.

874.

CALVIN A NAEGELI.[1])

Lettre de recommandation en faveur de deux Français. Plainte au sujet des menées de ses adversaires dans les pays de Vaud et de Gex.

(Minute autographe sans adresse de la Bibl. de Genève Vol. 106, fol. 182. Copie de Turretin Vol. 111, fol. 162, aux Archives de Berne, Epp. VII. 806, de Simler Vol. 63. — Lettres fr. publiées par Bonnet I. 185. Trad. anglaise II. 80.)

874. 1) *Iean François, le plus illustre membre de la famille patricienne des Nägeli. Il commandait l'armée bernoise qui conquit le pays de Vaud sur le duc de Savoie, et était avoyer de la république à l'époque où Calvin lui écrivit cette lettre.*

[A monsr. Neguelin Ladvoyer.[2])]

Monseigneur, pource que le present porteur[3]) ma apporte si bon tesmognage de Lion et aussi que de ma part ie lay congneu de bon scavoir et de bon zele, tellement que ie ne doubte pas quil ne soit propre a servir a leglise de Dieu, cela ma contrainct de le vous recommander. Ioingt aussi que ie me confie que ladresse que ie luy donne envers vous luy servira, attendu la bonne affection que vous me portez. Ie vous prye doncq humblement quil vous plaise lavoir pour recommande: a ce que par vostre moien il ait louverture pour faire service cy apres a nostre seigneur Iesus, dont vous ayez occasion de vous resiouir. Car sans telle esperance ie seroye bien marry den sonner mot. Au reste, Monsieur, si Dieu me donnoit lopportunite de parler a vous ie deschargerois volentiers mon cueur des scandales qui nous pressent par deca pour le maulvais gouvernement daulcuns qui sont ministres de la parole de Dieu en voz terres,[4]) et en toute leur vie ne donnent sinon occasion de blasphemer le nom de Dieu. Iay telle persuasion de vous que congnoissant les paovretez dont chascun est abbreuve par deca vous auriez aussi bonne affection dy proveoir comme iay grant regret et tristesse den ouir[5]) parler. Ie croy toutesfois que vous en orrez parler en conseil, pource quun paovre frere qui va pardela nomme Maistre Francois *Maurice*[6]) vous donnera occasion dy penser. Ie ne touche point dadvantaige aux maladies sinon que ie desireroye bien quil pleust a Dieu vous mectre au cueur dy donner bon remede. Et pource que ie scay quen vostre particulier vous estes affectionne comme il appartient, ie vous supplye, en tant que ie dois avoir leglise de Dieu en recommandation, quil vous plaise tendre la main a ceux qui sont en peine pour sestre fidelement porte au service de Dieu et de vous. Surquoy, Monsieur, apres mestre humblement recommande a vostre bonne grace ie prye nostre bon Dieu de vous maintenir en sa garde, vous conduisant tousiours par son esperit en lobeissance de sa volente. De Lausanne[5]) ce xij. de Ianvier 1547.

Vostre humble serviteur
Iehan Calvin.

2) *Ajouté par une autre main qui paraît être celle de Viret.*
3) *Une note marginale le nomme* Philippe Buisonnier de Bresse, *personnage autrement inconnu.*
4) *M. Bonnet voit ici une allusion aux démêlés que Calvin a eus avec Zébédée et d'autres. Mais c'est là une affaire bien postérieure au commencement de l'année 1547. Nous croyons plutôt qu'il a eu en vue Champereau, de la Mare, Mégret, renvoyés de Genève et accueillis par le gouvernement bernois.*
5) voyr *Bt.*
6) *Ce pourrait bien être la personne mentionnée sous le simple nom de François N.* 864 *et* 867.

5) *Il résulte des Actes du Consistoire que Calvin était absent le* 13. *La mission qu'il reçut le* 23. *d'aller à Berne et à Bâle pour informations politiques ne peut pas être utilisée pour expliquer sa présence à Lausanne. Devant aller alors à Berne même, il n'aurait pas eu besoin d'écrire à l'avoyer.*

875.

MINISTRI TURICENSES BERNENSIBUS.

Respondent ad quaestionem ab iis de ministerio et sacra coena propositam.

(Exstat per amanuensem Hottingeri descripta in MSS. Bibl. civicae Turicensis olim Epp. Vol. I. nunc F. 36, p. 455. — Simlerus V. 63 dicit se cum Bullingeri autographo contulisse, quod tamen non vidimus.)

Praestantissimis et fidelissimis viris D. Iudoco Kilchmeyero, D. Eberhardo a Rumlang, Nicolao Artopoeo et Ioanni Textorio Bernensis ecclesiae ministris fratris carissimis dominis nostris in primis observandis.

G. et P. a Deo per Christum Iesum unicum Dominum et servatorem nostrum. Legimus literas vestras, fratres in Domino honorandi et dilectissimi, legimus praeterea compilatam et male sarctam Zovingensis ecclesiae ministrorum confessionem. Intelleximus a nobis postulari ut demonstremus quae videantur nobis posita vel parum sincere vel parum circumspecte. Id quod facile a nobis impetratis, tametsi singuli difficilibus impliciti simus negotiis. Festinavimus item quantum potuimus. Nam 16. ad vesperam obtulit tabellio literas, quum imminens nox non permitteret conventum. Postridie vero, id est hodie 17. Ian. septima matutina convenimus nos quinque et contulimus, quanquam non sine nausea. Non quod vobis inservire molestum fuerit sed quod male compositas lexes[1]) legere et relegere fuerit molestissimum. Id de nobis habete persuasissimum vobis certissimumque, quod quemadmodum toti sumus vestri, ita nihil denegabimus vobis quod fuerit nostrum. Ante omnia vero consulimus, ne cuilibet permittatis liberum condendi confessiones fidei, neque ita vos faciles praebeatis

875. 1) *Hoc vocabulum utrum graecum sit an spurium tibi diiudicandum permittimus.*

uti cuilibet suam examinetis excutiatisve confessionem. Nam ut hoc nullo iure cuiquam debetis, ita res fuerit operis immensi et nullius emolumenti: imo dissidii erit materia ditissima. Ut iam non dicamus facile esse verba invenire ancipitia, quae pio sensu recepi possint, interim aliter quoque interpretari[2]) ac adduci pro confirmatione pravae sententiae. Quamdiu res scriptis confessionibus agetur, nullus erit contendendi finis. Abrogaremus itaque confessiones partibus, quaestionibus indagaremus veritatem. Est autem res huiusmodi ut possit paucis expediri clare et dici et intelligi. Si approbaveritis illis confessiones, singuli habebunt unde glorientur et restaurent pugnam. Aequissimo ergo iure illis dicere potestis: quia confessiones quaedam obscura, quaedam incircumspecta, quaedam insincera habent, nolumus ut illae sint canones nostri. Scriptura erit canon. Disputatio ex scripturis petita erit declaratio.

Et primum agemus de ministerio, deinde de coena. De ministerio et ministris sic pronunciat scriptura: solum Deum per spiritum dare fidem, augere, confirmare fidem, breviter omnem virtutem salvificam esse Christi: ministrum tantum annunciare verbum externum, offerre aut administrare symbolum, non rem significatam. Testimonia: Iohan. VI. Nemo venit ad me nisi pater meus traxerit eum. Iohannes Baptista dicit: Ego vox clamans in deserto, ego baptizo aqua, ille baptizabit spiritu sancto. Ideo Paulus appellat se praeconem 2. Tim. I, et 1. Cor. III.: Nihil est qui rigat aut qui plantat, sed qui dat incrementum Deus. Huc pertinent preces quibus postulamus ut semen verbi Dei disseminatum in corda adolescat et fructificet per spiritum sanctum. Proinde sicubi dicuntur ministri convertere, illuminare, aut similia, planum est loquutiones esse [*improprias*].[3]) Nequit enim sibi repugnare scriptura. Solus enim Deus illuminat, solus remittit peccatum, solus convertit. Haec scilicet absolute et simpliciter proponeremus partibus: interrogaremus an sic credant et doceant. Si aiunt, urgebitis illos ut sincere doceant, ut involucra verborum et decipulas loquutionum devitent, clarissime sese exponant, ut nobis ministris nihil, omnis gloria Christo et verbo cedat.

Iam vero paucis perstringemus quae displicent et sinuose, imo insidiose posita videantur in confessione illorum de ministerio et ministris.

A. Ministri dicuntur instrumenta per quae Deus fidem conferat. Sacramenta dicuntur instrumenta per quae infunditur gratia. Imo per ministros et sacramenta perficiuntur fideles. Id quod Thomisticum et scholasticum esse nostis. Ministri et sacramenta nihil conferunt, sed annunciant. Deus confert omnia. Utitur Deus nostro ministerio, sed huic non est alligatus. Quid quod nostro ministerio perfectionem tribuere est contradicere Paulo dicenti: Adeo stulti estis ut quum spiritu coeperitis carne consumamini?[4]) nisi ministerium nostrum non sit carnale et externum.

B. Quid opus humilibus ministris illa loquutione: Deus regit ecclesiam visibiliter per ministros? Papae vicariatum ambienti congruentior esset. Deus regit suam ecclesiam, et regit verbo et spiritu. Ipse rex est, pastor et rector: nos sumus servi, nihil prorsus usurpantes nobis dominii. At aliquid cedit nobis, si regit in nobis, id est, si nos illi sumus per quos regit. Gloria haec debetur spiritui et verbo. *Denen leuten ist neysz was mehr angelegen denn sy herus sagen: jener hats villycht herus gesagt der geschriben, der geistlich gwalt synodorum gange hinauf bis an himmel. Mann wil das ministerium vergülden dasz die ministri ouch gleissind vnnd nit so dunkel vnnd vnachtbar in der welt seyend*, quum tamen dixerit Dominus nos in mundo futuros obscuros. Possemus his splendorem quaerentibus illud Pauli obiicere: Nos stulti propter Christum, vos prudentes per Christum: nos imbecilles, vos autem validi: nos contempti, vos autem clari etc. 1 Cor. 4. Verum cedit illa claritas ad fidem ministris faciendam. Orietur[5]) verbum suis virtutibus: id demum inducet ecclesiam ad credendum verbo. *Weder*[6]*) sol man vns oder dem Wort glauben?*

C. Quod testimonia attinet quibus volunt approbare suam illam sententiam, videntur pleraque a suo nativo sensu detorta. Ioann. 15: Fructum afferatis. Quis autem paravit fructum? Nonne is qui incrementum dedit? Consulatur principium 15. Cap. ubi dicitur quod palmites sint ministri. Pater agricola est: is putat palmites ut fructum ferant. En pater is est per quem paratur fructus, ministri tantum desecant aut demetunt et apportant. Ioann. 4 et Matth. 9 cap. Matth. 10: Non vos estis loquentes sed spiritus patris vestri. Spiritui ergo debetur gloria, non loquentibus. Imo loquitur spiritus. Pessime alias scripsit qui obscuram hanc confessionem scripsit, adeo ut saepe haeserimus nec potuerimus legere. At iuxta istorum sententiam optime scripsit 1. Cor. 4: dispersores ministeriorum Dei.[7]) Recte sane dispersores! Verum haec ioco dicimus in re seria. Quid autem haec ad Mercurium? Dispensatores describit Dominus Matth. 24, Luc. 12. Mysterium evangelium est ut claret ex

2) *sic.*
3) *Vocabulum Simlerus in autographo non legi asserit.*

4) *sic! Cf. Gal.* 3, 3.
5) Ornetur?
6) *sic.*
7) *Vix credibile est in authentico sic scriptum fuisse pro:* dispensatores mysteriorum.

epistola ad Ephesios. Locum Pauli 2. Cor. 3 perpetuo urget *Bucerus*, qui in autoritate, ut vocat, ministrorum reparanda nimius esse videtur. Quem et isti imitantur simiae catum. Vocat Paulus spiritus ministros evangelii praedicatores. Nam spiritum opponit literae. Quid per literam intelligat, claret ex Pauli consequentibus. Non autem dicit Paulus nos dare aut administrare spiritum, id quod solius Dei est. Quod idem apostolus 1. Thess. 2 appellavit praedicatum a se evangelium verbum Dei, et revera verbum Dei, nihil ad Bachum. Transfert hoc omnem respectum et gloriam a ministris ad verbum. Idem apostolus appellat evangelium potentiam Dei ad salutem omni credenti. Nam evangelium est praedicatio de Christo brachio Dei, cui qui credit salvatur. Quid hoc ministris concedit? Rom. 10: Fides ex auditu, auditus per verbum Dei, et missi praedicant. Ergo ad mittentem et verbum redit omnis gloria. Inspiciatur diligenter locus Pauli Gal. 3 cap. et faciet pro nobis contra illos qui rei externae tribuunt perfectionem.

D. De disputatione et verbis e disputatione citatis nihil dicimus. Novimus enim in ea sic exercitatos esse vos, ut nostra admonitione nullo modo opus habeatis. Ita nihil disserimus de verbis adductis ex rituali libello. Breviter videntur abuti testimoniis ex utrisque adductis. Verum novit hic prudentia vestra quibus sit opus.

Quemadmodum vero iudicavimus agendum in negotio ministerii, ita putamus agendum esse vobis in negotio coenae: non ut illi vobis praescribant et ad approbationem aut confutationem adigant vel inducant, sed ut id praescriptionis loco sit quod loquutus est Dominus, quodque in disputatione declaratum est. Articulos seu propositio IV. satis est aperta. Proponatur ea istis, requiratur ab eis quid credant et doceant. Cessent perplexe loqui, lubricis et inconsistentibus uti verbis. In controversiis enim utendum est verbis in propria significatione positis. Omittenda sunt verba de quibus controversum, et quae rapi possunt in sensum contrarium. Agatur autem de his capitibus: primo de veritate corporis Christi, deinde de praesentia corporis Christi, hinc de manducatione corporis Christi, postremo de fine coenae Domini.

Christus adsumpsit veram et nobis consubstantialem carnem, in qua passus est et sepultus. In ea resurrexit. Clarificatio naturam et proprietatem non absorpsit, sed abstulit infirmitatem. Veritas corporis remansit. Id quod multis argumentis, resurrectione corporum nostrorum maxime, astrui potest. Vera ergo caro et vere humanum corpus sublatum est in coelos. In coelis veritatem retinet. Nam venturus est iudicare etc. Iam si interrogetur, an illud corpus quod verum est sit in coena, simpliciter hoc negare iubet orthodoxa et catholica fides. Si illi addant: vere adest, sed non corporaliter, quantitave, localiter, qualitative, iubemus ut a verborum monstris abstineant, et oculos simplicibus perstringere desinant. Praestigiis verborum utuntur. Annon exploderetur a nobis omnibus qui diceret ignem aut lumen vere ardere alicubi sed non lucere et calefacere? Et isti dicunt corpus vere adesse et addunt mox quae adimunt veritatem. Quin ergo expungant vocabulum: vere. Dicant simpliciter et sincere quomodo Christus, non caro Christi, adesse possit, divinitate, maiestate, potentia, operatione, virtute, vita etc. Caeterum manducare corpus Christi non est aliud quam credere. Iam si adversarii ad ravim usque aliud blaterent, veritas dicit Ioann. 6, edere aliud non esse quam credere. Edit ergo qui credit. Atque hic diligenter curandum ne misceant manducationem spiritualem et sacramentalem, sed distincte loquantur, nec permittatur eis paralogizandi facultas. Spiritualis manducatio fidei est, sacramentalis externa adiuncto signo. Porro finis coenae pluribus ostenditur a Domino: Fiat in memoriam, fiat ad gratulationem, ut agamus gratias, fiat ad externam confoederationem (Luc. 22. 1. Cor. 10 et 11). Quod illi affingunt alium finem, in remissionem peccatorum, ex se fingunt. Remissio peccatorum sanguinis est Christi et fidei. Si discipuli in coena in remissionem peccatorum edebant, quid opus postridie effundere sanguinem? Intelligebant ergo fundendum sanguinem in remissionem fidelium et porro celebrandam memoriam. Non intelligebant ex sumpta coena esse remissionem.

A. Considerate vero obiter quam male sibi cohaereant quae isti homines proferunt: Corpus et sanguis adsunt in coena, sed spiritualiter. Sed explicant se spiritualiter, non quod conversum sit corpus in spiritum. Bene. Si ergo non conversum est in spiritum, corpus manet. Non itaque adest. Quid opus disputare de praesentia corporis veri in ecclesia, quum ipse Dominus Ioh. 14. 15. 16. 17 tam diligenter docuerit, se non corpore sed spiritu affuturum ecclesiae?[8]) An vera fides, quae sola iustificat, purificat, servat, requirit reditum corporis et corporalem manducationem ad salutem? Mox dicunt: Vere adest, sed non corporaliter. Quid ergo est vere? Annon hactenus vere usurparunt pro corporaliter? Omnino. Quid igitur ducimus contentionis funem? Quid crimen criminibus nectimus verbis contentiosis iniectis? Fidelium est pacifice loqui et pacem quaerere. Sed ita volunt praevenire ne quis putet accedendum ad coenam ficta fide. Scilicet: quis docet ficta fide accedendum? Quum fidelis audit fidem, intelligit fidem veram, vivam, efficacem. Et si vere adest Dominus non corpora-

8) Aut quis malus daemon iussit et docuit nos disputare de praesentia corporis veri etc. (*Simler. in marg.*)

liter, adest vere suis credentibus, etiam dum non celebrant coenam. Fides enim est efficax. Frigidissimae sunt expositiones illorum, adeo ut nos pigeat illis diutius inhaerere. Calumnia vero mera est dum nescio quae adducunt de somniante et edente in somnis, esuriente vero dum vigilat. Dominus dicit se esse cibum. Ergo qui credit cibatur vere sensibiliter, non imaginarie: verum ita ut solet percipere fides. Reliqua omnia huiusmodi sunt ut non indigeant nostra excussione.

L. Quid vero hic adducuntur Messaliani, Euchitae? Tribuebant hi omnia suis precibus, unde nomen invenerunt, appellati precatores. Putabant supervacanea esse sacramenta, quod sufficeret imbutum esse spiritu. Nos scimus absolvi nos spiritu Dei, sed nihilominus requiri sacramenta a fidelibus non excludente summa necessitate. Ita baptizati sunt Eunuchus et Cornelius. Celebrarunt coenam apostoli qui acceperunt spiritus primitias. Oportet enim nos implere omnem iustitiam.

N. Recipiunt hic sese tandem in portum unde sese tueantur, et cuius praesidio et munimento a se omnem erroris aut peccati suspicionem repellant. Non erravimus, quia omnia nostra innituntur spirituali manducationi. Ea fundata est Ioh. 6 et in disputatione. Videmus ergo ut istos homines Philonicea turbet.

O. Quae multis de exhibitione garriunt et similia proferunt, alibi a nobis sunt confutata. Simpliciter minister exhibet symbolum, rem non exhibet. Exhibentur res a solo Deo, recipiuntur aut percipiuntur spiritualiter per fidem.

Haec autem in summa festinatione paucis ad vestra respondere voluimus, ita nostrum vobis officium praestantes. Scimus autem vos ita esse instructos ut hisce nostris non indigeatis. Conscripsimus tamen haec quia ita voluistis. Este perpetuo fortes et constantes in Domino. Huius consilium et auxilium indefessis precibus postulate. Non deerit is et vobis et ecclesiae vestrae quam sanguine suo redemit. Orabimus et nos pro vestra incolumitate. Gratia Domini nostri Iesu Christi sit vobiscum. Oramus autem ut vestrum aliquis diligenter perscribat quomodo finitum aut compositum sit negotium controversum, et ut epistolam hanc vel rescriptum huius epistolae remittatis. Nam prae temporis angustia rescribere, imo aegre sic scribere licuit. Valete. Salvi sint omnes fratres et fideles Christi discipuli. 17. Ian. anno 1547 hora 2 pomeridiana. Tiguri.

Vestri in Domino fratres
Heinrycus Buehlerus
Rodolphus Gualtherus
Conradus Pellicanus
Theodorus Bibliander
Heinrycus Bullingerus.

876.

FARELLUS CALVINO.

Varia attingit negotia tam ecclesiastica quam politica, illa ad Neocomenses et Vadenses, haec ad Gallos et Germanos spectantia.

(Per amanuensem scripta exstat in Bibl. past. Neocomensium in calce epistolae N. 871.)

Christi servo Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis et doctissimo et viligantissimo.
Genevae.

S. En tibi fidem et constantiam misellarum urbium [1]) quas moderantur avari negotiatores. Nimirum si loculos habentes, quum multum surripuerint, aliud exspectare non licuit quam ut demum Christum venderent. Quod si nostris hominibus eadem occurrerent, quam vereor ne longe turpius agerent, etsi egerunt illi quam turpissime. Quam sese debent pii omnes ad preces accingere et ardentius veniam petere erratorum quae sunt innumera, et auxilium implorare divinum in tot et tantis discriminibus. Non est lenis hostis Satanas, non sunt exiguae Antichristi vires. Quid pares esse possumus nisi ex alto succurratur? Quam vellem te et tui similes nos saepius invisere [2]) et crebris hortatibus ad meliora instigare. Nam frigent omnia nisi aliunde accendantur. Mortui qui mortuum sibi delegerunt, quam proponent vitam gregi concredito perditissimi? O fautores et educatores eiusmodi pestium, quam grave vos manet iudicium! Saluta pios omnes, coniugem cum *Gallasio*, *Coppo* et *Abello* et reliquis fratribus. Salvum optat et Michael *Mulotius*. Vale. Neocomi festinantissime 24. Ianuarii 1547.

Farellus tuus totus.

Rescivisti ex *Vireto*, ut arbitror, ut fuerit exceptus *Zebedaeus* [3]) cum collega [4]) misso a classe, ubi *Balbus* [5]) cum Poliarensi reluctatum venerant non missi a classe, sed tantum ubi contulissent cum uno et altero. Simpliciores fratres quum nollent

---

876. 1) *Cum hac ipsa epistola mittebat literas Buceri N.* 871.

2) *Hoc ipso die Calvinus a senatu missus Bernam et Basileam proficiscebatur, fortassis etiam hac occasione Neocomum petiturus, quo tamen non pervenit* (*Cf. N.* 878).

3) *Lausannam vocatus ad suscipiendam professionem theologicam.*

4) *Io. Le Comte qui ab a.* 1537 *Iverduni minister erat.* (*Crottet. hist. d'Iverdon. p.* 283.)

5) *Io. Le Bègue minister in Rances postea in Champvent* (*Mém. de Pierrefleur* 298). *Uterque locus prope Iverdunum. Etiam Poliarensis minister alicubi in vicinia quaerendus.*

dare *Calesum*,[6]) moti affectibus plus tribuerunt iniquis et inordinate agentibus quam recte pergentibus. Quam vereor ne *Ricardus* alius longe tandem appareat quam crediderim. Dies omnia revelabit. Si *Zebedaeus* classem reliquerit priusquam prospectum fuerit ecclesiae suae, quam vereor classis illius ruinam. Vides iam ut sunt dissipatae viciniae tibi, quam misere formetur plebs ad pietatem. Iam video quid mortuus[7]) potuerit suo foetore, quam omnes corruperit. Sed nunc quid non faciet in gradu quem tenet. Arbitror *Nicolaum* partes suas obiisse, quod me rapit in magnam admirationem, tantum tribui iam cognito. Sed quid ambitio non facit quantumvis indignum, modo serviat alta appetentibus. At deiiciet Christus demissus tam contrarios modestiae evangelicae.

De foedere gallico, cui ferunt anglicum adiungendum, forte non te latet. Faxit Christus ne quid aegyptiacum sit, ruinam magis accelerans quam opem ferens. Novit Dominus quid facere decreverit et suos ut sit castigaturus. Spes mea deiici non potest, quin mirabiliter nobis astet Deus: nec valeo aliud cogitare quam sacrilegia et apertam disciplinae reiectionem, in quam tam multi contra Christum coniurarunt, non secus hac in parte armati in Christum, imo magis, quam in apertissimum hostem, datura poenas gravissimas, ut taceam, non peccata, sed flagitia tam vulgaria quae iram Dei accendant. Sed Deus Deus noster est: non obliviscetur nostri. In Crescentino negotio[8]) mire luditur praefectus. Ita egit ut in *Guisanum* videatur reiecisse causam. Scribit ille in votis habere ut exstirpetur religio quam vocat titulis Sorbonicis, aitque praefectum id referre, ac iubet ut rasum det qui doceat Deum sanctos ac sanctas in remedium animarum, et missam una: petit praefectus ut quod egit ratum sit. Ita luditur. In aliis agitur utcunque. Ora Dominum pro nobis. Iterum vale.

Haec addidi quum praeter spem nuncius differret abitionem quam putabam repentinam valde. 25. Ianuarii.

877.

DRYANDER BULLINGERO.

Calvinum Turici commorantem non vidisse dolet.

(Excerptum ex Cod. Archiv. Turic. VI. 156, fol. 40. Edidit integram Ed. Boehmer in diario Zeitschrift für hist. Theol. 1870. III. p. 406.)

Clarissimo viro D. Henrico Bullingero ecclesiae Tigurinae pastori vigilantissimo.

S. D. Si scivissem de adventu D. *Calvini*, venissem ad vos cum *Bernardino*, quia eum mirifice videre cupio. Salutabis eum meis verbis accuratissime, ad quem sine mora venirem si permitteret *Sailerus*.[1]) Sed cogor hic manere donec pepererit uxor.[2]) Etsi enim peramica est inter nos communicatio, et suavitate ac benevolentia uxoris feminae prudentissimae tractatus sum aliquanto deliciosius quam homini studioso conveniret, tamen hoc mihi iniurato crede, *Bullingere* doctissime, multo me libentius apud vos aut in nostris sedibus Basileae versari. Salutat te *Sailerus* cum uxore. — — — Sangalli die 6. Februarii 1547.

Tuus Franciscus Dryander.

878.

CALVINUS FARELLO.

Ex itinere per Helvetiam redux certiorem facit de iis quae Basileae Turici et Bernae vidit et audivit tam firmi quam fracti animi propter res in Germania gestas.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 183. — Coll. Cod. 111, fol. 163, Bern. Epp. VII. 808, et Simleri Vol. 63. — Versio anglica T. II. p. 81.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Guillelmo Farello Neocomensis ecclesiae fido pastori fratri carissimo.

S. Prius ad nos reversus fuerit *Textor*[1]) quam pervenient ad te meae literae. Quod istac iter non fecerim rediens ab Helvetiis,[2]) haec fuit causa quod receperam fratribus ad eum diem me adfuturum: qui elapsus fuisset nisi valde properassem. Quod ad praesentes turbas spectat, Basiliensium aut mirus stupor, aut mira simulatio, quanquam aliquid

---

6) *Georgius Grivat, cognomine Calleys, Orbanus minister Gransonii, postea Aventici.* (*Pierrefl.* 262.)
7) *An ille de quo N.* 843, *not.* 10.
8) *N.* 867, *not.* 3.

877. 1) *minister Sangallensis.*
2) *Saileri puta.*
878. 1) *Quem Matiscone relicto Neocomi pro tempore agentem sciebat.*
2) *Iam die* 10. *Februarii in senatu relationem fecit itineris* (*Reg. du Conseil*).

moliebantur, sed frigide, et mihi studia non placebant. Tiguri magnum fervorem animadverti. De Constantiensibus non secus laborabant ac de se ipsis.[3]) Detulerant illis omnia sua. Et tamen misera civitas nihilo minus quam destituta auxiliis omnibus vacillabat. Si ad hunc usque diem stetit, nihil in posterum esse periculi existimo. Tu si quid habes fac nos certiores. Argentinensium legatos in aula *Caroli* visos fuisse fremebant quidam. Mihi non est probabile.[4]) Tigurinis facile mox persuasum fuit: in quibus tamen hoc vehementer placuit, quod omnium discordiarum obliti nihil quam de communi salute cogitabant, parati se impendere non Argentorato minus quam Constantiae. Vix credas quam foedis conditionibus transegerint quaecunque se dediderunt urbes, sed omnium turpissimus *Wirtebergensis.*[5]) Haec scilicet tyrannorum merces. Bernates in suis tuendis occupatos animadverti, ut minus vicinum incendium sentirent. Sunt autem de ecclesiis[6]) permulta *μυστηκώτερα*[7]) quae literis committi nequeunt. Itaque si huc te conferres, faceres operae pretium. Verum cito: quia nunc habeo quaedam in manibus quae brevi remittere necesse erit.[8]) Ea cupio tibi communicata. Et tu agnosces non frustra id me cupiisse. Vale, mi frater, una cum tota familia, cui plurimam salutem meo et uxoris meae nomine dices. Fratres etiam omnes saluta diligenter. Genevae 20. Februarii.[9])

879.

CALVINUS VIRETO.

Per occasionem paucis eum salutat et numos Claudio mittit.

(Quinque vidimus huius epistolii exemplaria: autoris Cod. Gen. 106, fol. 184, Ionvillaei Cod. 196, fol. 81 v., Turretini Cod. 111, fol. 163, Bernense Epp. VII. 810 et Simleri Vol. 63.)

Fideli Christi servo D. Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori et amico carissimo.

Lausannae.

S. In praesentia nihil est quod scribam. Nam si quid est, audies ab istis nostris amicis. Nuper Basilea rediens *Claudio* dixi decem scutatos apud me esse quos illi *Renatus* quidam Picto attulerat. Eos nunc mitto per *Rosetum.* Vale. Dominus tibi adsit ac tuae familiae. Saluta uxorem et omnes amicos. 25. Febr.[1])

Ioannes Calvinus tuus.

880.

CALVINUS BULLINGERO.

Sententiam suam ei aperit de libro quodam quem ille sibi nuper examinandum tradiderat, et singula satis argute persequitur neque ubivis suaviter.

(Autographon exstat in bibl. civica Turicensi MSS. F. 80 olim Epp. T. 45 p. 338. Exemplar recentius descriptum ibidem F. 58 olim T. 23, p. 709. Simler. Vol. 63.)

Eximio viro D. Henricho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori vigilantissimo fratri et symmystae colendissimo.

Gratia tibi et pax a Deo patre nostro et Domino Iesu Christo, frater in Domino plurimum colende.

Librum tuum[1]) simul atque domum sum reversus legi. Silentium quod a me stipulatus es bona fide praestabo usque ad extremum. Ne dubita. Iudicium quod hic subiiciam cupio tibi probatum iri. Cuperem enim mirum in modum aliquando penitus inter nos convenire. Sin minus, rogo ut meam libertatem boni consulas, si hoc facerem iniussu tuo. Quia tamen non dubito quin persuasum habeas me tibi amicum esse, tuae humanitatis foret, in bonam partem accipere quod a sincero animo profectum scires. Nunc vero, quum huc non alio quam tibi obsequendi studio adductus fuerim, confido meum officium tibi potius gratum fore quam

---

3) *Urbs haec omni ex parte ditioni Helvetiorum finitima imo confinis, appropinquante Caesare in summo discrimine posita erat et ipsi Turicenses sibi timebant.* (*Pestalozzi, Bull.* 289.)

4) *Imo revera Iac. Sturmius et Matth. Pfarrer Ulmam ad Caesarem se contulerant de pace tractaturi. Qui satis benigne excepti sunt quia Franciscus rex misso legato Mendosa Argentoratensibus auxilium suum promiserat* (*Sleid.* II. 580).

5) *N.* 871.

6) *Fortassis alludit ad Bernenses Zwinglianismo indies apertius faventes et gallicorum ministrorum inde nascentia discrimina.*

7) *sic.*

8) *Cf. N.* 880.

9) *Farellus ipse adscripsit annum.* 1547.

879. 1) *Ex Turretini coniectura non improbabili de eodem illo itinere loquitur ex quo praecedens reducem sistebat. Claudius Rosetus ἀρχιγραμματεύς reipublicae. Quisnam vero prior iste Claudius, quis Renatus fuerit, et an Picto gentilitium pro Pictaviensi, nos nescire fatebimur.*

880. 1) *Titulus fuit:* Absoluta de Christi Domini et catholicae eius ecclesiae sacramentis tractatio. 1546. 8. *Cf. Pestal. Bull. p.* 375.

ut offensionis sit causa. Breviter autem singula capita perstrinxi, quia supervacuum esse ducebam longis rationibus tecum agere. Quare nolim existimes, me praecise, tanquam censorio stylo, tecum agere, sed potius familiaritati tribuas quod digito contentus [*sum*] tibi indicare quid desiderem. Non disputo tecum longius, sed tantum moneo ut pro tua prudentia rem ipse tuo iudicio expendas.

1. In primo capite vitium hoc animadverti quod divisiones signorum, varias quidem illas sed tamen rite consentientes, quasi inter se contrarias opponis.

2. Capite secundo non placet quod verbum sacramenti facis militare. Fateor certe baptismum et sacram coenam aliquid habere quod sacramentis militaribus respondeat. Sed tu etymologiam quaeris quam autores primi huius vocabuli respexerint. Ego autem video, statim ab ecclesiae primordio Latinos sacramenta nuncupasse quae Graecis essent *μυστήρια*. Nam et vetus interpres in hac significatione saepius usus est, tam in veteri quam in novo testamento. Et aliis scriptoribus vix alia vox est magis usitata. Proinde extra controversiam pono sacramenta olim dicta fuisse quasi mysteria.

3. Capite tertio locum Pauli: Omnia illis contigerunt in figuris, alio transfers quam ferat mens apostoli.

4. Capite quinto verum est aliquo sensu quod dicis, nusquam Deum promittere se corporaliter affuturum cum signis. Optarim tamen dici paulo clarius. Nam certe Dominus, quum scalae insideret, exhibuit se videndum patri nostro Iacob sub figura corporali. Et eius generis exempla passim exstant.

Quod extemplo addis de symbolicis loquutionibus, mallem in suum locum differri: ne bis in idem.

Argumentum quo illic uteris nullum apud me pondus habet. Negas haec Domini verba: Facito in mei memoriam, permittere ut realem eorum praesentiam statuamus quorum meminisse debemus. Eadem accipio pro vera. Quid enim aliud res quam veritas? Dico memoriam rei praesentis in coena esse. Atqui memoria est rerum absentium. Neque id pugnat. Abest enim Christus a coena quoad oculos, quoad omnes corporis sensus, quoad locum. Nam in coelo est eius corpus. Coena peragitur in terris. Longa distantia. Sed adest piis animis per spiritus sui virtutem, quia non impedit Christi distantia, quominus suos mirabiliter pascat. Eiusdem est rationis locus ille Pauli: Celebrate mortem Domini donec veniat. Neque enim descendit ad nos Christus e coelo, neque oculis cernitur, sed fide tantum nobis adest. Itaque non pugnat spiritualis eius coniunctio nobiscum et extremus adventus. Nec quidquam obstat quominus essentialiter, hoc est, ipsemet revera Christus exhibeatur nobis, et tamen venturus exspectetur usque ad diem resurrectionis, quia in coelo manet.

Aliquanto post, ubi reprehendis eos qui coeli nomine non locum sed conditionem intelligunt, tametsi in re ipsa tibi assentior, velim tamen cum illis mitius agi.

Circa finem capitis hoc tibi non concedent omnes, quod Dominus dixerit carnem suam corporaliter manducatam non prodesse, nisi corporaliter exponas: corporali modo. Sed hoc tibi in causa quam tractas nihil suffragatur. Neque enim carnalem manducationem asserunt multi qui tamen realem asserunt.

Capite sexto, quod verbum benedictionis pro consecratione usquam accipi negas, in eo abs te dissentio. Nam quum scribit Paulus: Calix benedictionis cui benedicimus, haec syntaxis gratiarum actioni non congruit. Et certe sanctificantur symbola quum destinantur in proprium usum secundum Christi institutionem. Quod tu quoque fateris.

Eodem capite nimis, meo iudicio, vim externi verbi elevas. Quanquam argumentum quod explicas non improbo. Tantum in extenuatione mihi videris nimius.

Capite octavo mihi non penitus satisfacit definitio unionis, quam ponis, signi cum re signata. In exceptionibus, quae crassas opiniones et quidquid est superstitionis excludant, libenter tibi subscribam. Verum simul plenius demonstrari cupiam qualiter verax sit Deus praestando quod figurat. Id quum intendis facere analogiam proponis unionis loco. Atqui longe plus est. Nempe veritas et complementum analogiae. Quemadmodum in baptismo analogia est purgationis inter Christi sanguinem et aquam, mortificationis rursum et novitatis vitae inter mortem ac resurrectionem Christi et extemporalem submersionem. Unio est rei figuratae complementum: quo fit ne signum sit inane, quia Dominus quod signo repraesentat simul efficit, impletque in nobis spiritus sui virtute.

In coena analogia est quam describis inter panem ac corpus Christi, inter sanguinem et vinum. Unio est spiritualis nostra cum Christo coniunctio, qua fit ut vere ipso animae nostrae pascantur. Haec ratio est cur tua definitio mihi nimis sit ieiuna. Verum hoc totum ab exhibitione pendet, de qua mox videbimus.

In eodem capite nonnihil me offendit quod *μετωνυμίαν* quae in sacramentis est simpliciter comparas profanis imaginibus. Neque vero nego quin aliqua sit similitudo. Verum simul addenda erat diversitas et gradus notandi. Ubi enim spiritus in imagine Caesaris, qui ipsam quodammodo vivificet, quo efficax sit in cordibus nostris? Scio multos bonos viros abhorruisse a *Zwinglii* doctrina, quod toties occurreret ista comparatio absque correc-

tione. Inde enim colligebant fieri ex coena theatricum spectaculum. Atque in his etiam est *Philippus*.

Capite decimo, ubi de gratiae nomine disputas, addenda esset metonymica significatio, quod ad dona gratuita transfertur, quia effectus sunt gratiae.

Paulo post non placet etiam quod tam rigidus es in exponendo verbo conferendi. Scis cavendum semper esse, ne merito queratur adversarius per calumniam detortum, quod saniore aut magis tolerabili sensu dixerat. Porro qui docent, sacramenta conferre gratiam, non hoc sane intelligunt, dare iustitiam aut aliquid simile, sed nobis administrare Dei gratias. Atque hoc sensu accipitur a Fabio quum dicit: aves ore suo conferre cibum pullis. Locum ergo mitigari vellem, ne reprehendendi ardore arripuisse videaris quod erat minus odiosum. Imo quid est in hac sententia absurdi, sacramenta nobis adiumenta esse ad percipiendam Dei gratiam? Excipies, hoc esse minus quam conferre. Concedo. Sed gratiam spiritus adiunges, qui est anima sacramentorum: tunc prorsus illud verum erit, sacramentis conferri gratiam. At loquutio est durior. Ergo aut satis sit ab ea abstinere, aut sana interpretatione molliatur.

Capite eodem causam non reperio ut locum Bonaventurae tantopere exagites. Carentes, inquis, Dei gratia inconsulte remittit ad sacramenta. Qui sic? Quum haec nobis adminicula ordinaverit Deus, quibus ad ipsum dirigamur? At Deus gloriam suam non transfert ad elementa. Fateor. Sed hoccine est transferri Dei gloriam ad creaturas, quum tanquam organis utitur ad distribuendam suam gratiam? Ergo sol ne illuminet terram, ergo ne panis alat. Rursum excipis: Deus ad se vocat non ablegat nos ad sacramenta. Quasi vero sacramenta nos retineant in se ipsis, ac non potius ad Christum manu ducant. In hoc sacrilegi sunt papistae, quia ex sacramentis impedimenta faciunt ne recta ad Christum veniant piae animae, ut ex unico illo fonte hauriant quidquid est boni.

In fine capitis ita concludis demum: Quisquis in Christum credit, iustificatus est fide sua priusquam sacramentis communicet: ergo constat non conferri gratiam per sacramenta. Apud me autem valet contrarium argumentum: Quia fide iustificamur, ideo per sacramenta conferri nobis gratiam, quia fidei exercitia sunt, quae eatenus cumulant nos donis spiritualibus, adeoque participes Christi faciunt, quatenus fidem nostram promovent. Ex sene, inquies, aut per se? Nequaquam. Sed quatenus serviunt fidei, et per ea spiritus Christi efficaciter agit in electis, sine quo mortua est res ac inutilis sacramentum.

In capite undecimo valde miratus sum rerum exhibitionem non modo negari abs te, sed acriter etiam vexari. Vocem ipsam Thomistis fers acceptam. Sed ubi, quaeso, erit Dei veritas sublata exhibitione? Christus panem et vinum porrigendo corpus et sanguinem suum mihi promittit. Signum accipio. Rem mihi simul dari negas. Nonne id lusorium est? Nam exhibere in hoc loco nihil aliud mihi est quam fruendum dare. Id in sacramentum negabis competere quia proprium Dei est. De eo minime pugnabo tecum, quia nihil plus tribuo sacramento, quam ut sit Dei organum, et quidem nullius efficaciae nisi quam a spiritu Dei mutuatur. Sed dicis: Non continent in se Dei gratiam sacramenta, ergo non exhibent. Non valet haec consequentia. Quanquam tibi non concedo sacramentis non contineri Dei gratiam quoad dispensationem, quum ita loquor non significo inclusam esse, sed quemadmodum dicere solemus, Christum in evangelio contineri. Nam certe Christus per evangelium nobis exhibetur, aut falsum erit illud Pauli: venisse Corinthios in eius communionem per evangelium. Hoc modo nulla oculis meis caligo offusa est, quominus perspicue distinguam quae confundi non debent.

Desideras tamen scripturae locos quibus id probetur. Respondeo, si tuas admittimus solutiones, nihil ex scripturis probatum iri. Nam dum Paulus mundari ecclesiam dicit lavacro aquae in verbo vitae, allegas symbolicam esse loquutionem. Inde colligis, aquam igitur esse signum. Utrumque libenter tibi concedo, utrumque etiam tecum profiteor. Sed nondum es expeditus quemadmodum putas. Inane enim erit et fallax symbolum, nisi purgationis quam figurat verum sit pignus, vera obsignatio, quorum utrumque exhibitionem requirit.

Similis est aliorum ratio. Proinde, ut sim brevior, aliis exemplis praeteritis unum illud sumam: Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur. Panem esse signum contendis. Idem sentimus. Exhibitionem negas. Ego contra assero. In figura nodum putas explicari. Non admitto. Signum enim a Deo vacuum non proficiscitur. Neque vero tantum panis figurat Christi corpus fuisse semel pro me immolatum, sed mihi hodie in cibum dari quo vescar. Religiose enim expendi debent haec verba: Accipite, edite. Unde etiam Paulus vocat κοινωνίαν. Nec me latet ut torqueatur etiam hoc verbum. Sed argutias nihil moror. Vera certe repraesentatio coenae non erit, nisi participes Christi fiamus, in quo exhibitio est rei figuratae.

Venio ad alios locos qui non sunt de baptismo nec coena. Spiritum sanctum negas fuisse cum flatu, quum in apostolos sufflavit Christus. Cur ita? Quia non circumscribitur, inquis. At circumscriptionem ne papistae quidem asserunt. Et tamen eorum argutias reiicio ac damno. Ego, qui spiritum coniungo cum flatu, non imaginor coniunctionem loci,

sed tantum qua constet signo sua veritas. Hoc est, ne putemus inanem fuisse ac nihili gestum, sed quo Christus repraesentabat ob oculos quod intus agebat arcana virtute. Atque hoc statuo discrimen inter signa divinitus et humanitus instituta. Homo enim multa signa comminisci poterit quae decenter aliquid figurent, sed sine re. Solus est Deus qui efficit spiritu suo quod symbolo figurat. Similiter columba erat spiritus. Quod tu ita negas ut videaris mihi fateri. Dicis enim testimonium esse praesentiae. Et quid ultra postulo? Nam quod diserte caves ne quis putet substantialiter columbam fuisse spiritum, in eo me adstipulatorem habes. Mihi satis est quod spiritus sanctus praesentiae suae symbolum in columba exhibendo se praesentem exhibuit. Alterum enim sine altero esse nequit. Alia quae addis parum ad rem faciunt.

De impositione manuum friget illa responsio, privilegium quoddam fuisse singulare in gloriam exorientis evangelii. Quin etiam hoc antistrophon in te retorqueo. Si in sacramentis temporalibus fuit rei exhibitio, quo tempore legitimus usus adhuc durabat, in signis ergo perpetuis esse perpetuam rei exhibitionem. Quod alligatum fuisse spiritum manuum impositioni negas, tibi omnes concedent, quibuscum habes hoc capite certamen. Nam et signum potuit interdum esse sine re. Et Deo liberum fuit gratiam quibus vellet non intercedente signo impertiri.

Quod de tempore moves controversiam, quia non eodem semper momento res cum signo appareat, infirmum est. Nam exhibitionem tibi esse concedo quae diverso fiat tempore. Ut renovatio vitae, quam Deus exhibet in baptismo, non sistitur illic ad manum, quasi sub aqua sit inclusa, sed gradatim proficiscitur a Deo.

Quod allegas, solum Deum esse autorem omnium quae adscribimus sacramentis, perinde valet ac si diceres: Solus Deus illuminat, solus Deus dat sapientiam, ergo lex Dei nihil horum confert. Quid enim Deo abrogamus aut derogamus quum ipsum tradimus agere per sua instrumenta, et quidem solum? Adde quod non est validius argumentum quo te convincam, quam illud ipsum quo effugere conaris. Signa enim excludis, quia per fidem coelestium donorum fiamus participes, ego autem e converso: Si per fidem, igitur etiam per sacramenta. Fides enim ex verbo et sacramentis. Qua de re iterum dicturus sum.

Sed adducis, sanctos plerumque rerum ante fuisse compotes quam sacramentis participarent. Quis negat? Sed interea dicesne ita plenos fuisse ut nihil ex sacramentis accederet? Eunuchus, inquis, credebat toto corde, ergo ex Deo natus erat, Deum habebat in se manentem, vivebat in Deo, transierat a morte in vitam. Hactenus tibi assentior. Sed quum infers, baptismum non exhibuisse illi quod prius habebat, in eo falleris quod illi tribuis harum rerum plenitudinem, quas dico uberius ab ipso perceptas adminiculo baptismi. Nam ita certe credebat ex toto corde ut fidei eius multum adhuc deesset. Sincera enim fides esse potest quae tamen erit duntaxat inchoata. Nihilo plus te iuvat Cornelii exemplum. Vides me non tergiversari in istis solutionibus. Quare vide ne argumentis nitaris quae doctrinam quam impugnas nihil laedant.

Nihilo etiam solidius est quod de coena ratiocinaris: Vetamur accedere ad coenam, nisi prius habito examine. Qui se probat fidem habet. Ergo antequam accedat quis ad coenam, insitus est Christo. Quare non exhibetur Christus in coena. Hoc quidem verum esset, si totum Christum possideret qui ad coenam se comparat. Sed quorsum usus coenae est nisi ut Christo plenius fruamur? ut crescat in nobis? ut uberius hauriamus ex eius spiritu?

Sed hoc quoque ipsum, quod vehementius miror, repudias, plenius exhiberi quod ex parte fuerat datum. Nec tibi quidquam in eo patrocinatur apostolus quum docet, iustificatum fuisse Abraham in praeputio, ita ut circumcisio nihil addiderit ad illius iustitiam. Opus certe circumcisionis nihil addidit, sed eliciam ex Pauli verbis, Abrahamo tanto plenius exhibitam fuisse Dei gratiam, quanto maiores in fide progressus fecit. Subiicit enim, circumcisionem vice sigilli fuisse. Quorsum? ad obsignandam scilicet iustitiam fidei. Si obsignat circumcisio Abrahae suam iustitiam, fidem ergo illi auget ac confirmat. Unde colligo etiam facere ut plenius sua iustitia fruatur. Nempe pro fidei suae modo. Neque tamen ideo fingimus, per signa plenius iustificari hominem. Nam de causa iustificationis hic non disputatur, sed de exhibitione quae fit piis conscientiis. Eam verbo et sacramentis fieri contendimus. Tu nihil affers quod repugnet.

Neque vero aliud sentimus quam sacramenta esse instrumenta, quod te non fugit. Nam id nominatim impugnas quod solum Deum dicimus proprie exhibere, sed per signa et per suos ministros. Ac ne simplici quidem reprehensione contentus aliquanto acerbius in nos inveheris quam tuae modestiae congruebat. Forte in mentem tibi non venit, sinistris istis suspicionibus, quarum invidia doctrinam nostram gravas, me perstringere. Sed quid tum? Huc tamen spectat tua oratio idque sibi vult, ut quicunque docuerit quod me conscientia docere cogit notam huius infamiae subeat, quasi tyrannidem affectet in animas.

Quum ad scripturam nos revocas, hoc, meo iudicio, proficis ut perspiciant omnes, scripturis esse traditum quod vis a nobis falso et periculose asseri. Ministros scriptura testatur regenerare homines, corda ad Deum convertere, remittere peccata. Ut

centies revolvas tales locos, nulla tamen invenietur magis dextra aut commoda interpretatio: Deum, cuius hoc totum proprium est, agere per suos ministros tanquam per organa. Cur enim ecclesia mater omnium piorum nuncupatur, nisi quia eius ministerio Deus nos regenerat? Cur minister patrem se ecclesiae cui praeest vocare audet, nisi quia eius opera utitur Deus? An suspectus affectatae tyrannidis erit nobis Paulus quia praedicat, Timotheo collatam fuisse gratiam per impositionem manuum suarum? Hic certe non transfert ad se Paulus quod Deo eripuerit. Nam Deum facit doni autorem, se duntaxat ministrum.

Quod nuper dicebam ministris Bernensis ecclesiae nunc apud te repeto, spiritum bifariam loqui de ministris. Nunc enim considerat quid per se valeant, ac tunc spoliat ipsos omni virtute. Unde illud: Qui plantat nihil est etc. Minister igitur seorsum a Deo erit nihil. Nunc vero efficaciam suam coniungit ipsorum ministerio, atque ita ornat eos praeclaris elogiis, quibus tamen superbire non debet quispiam ac si aliquid esset. Utrumque enucleate exprimitur tertio capite secundae ad Corinthios, ubi magnifice suum apostolatum effert Paulus, quia non separat se a spiritu Dei, sed potius (quemadmodum alibi loquitur) praedicat Dei potentiam in se et sua praedicatione efficacem. Quanquam, ubi omnia dixisti, huc tandem recidis ut nobis quoque subscribas. Haec verba tua sunt: Utitur Deus Petri opera in convertendo Cornelio, ut Petri opus Dei etiam opus sit. Ita Petrus est cooperarius. Quod de conversione tu fateris, ego ad alia omnia extendo. Quid ergo frustra litigamus? Postquam convenit solum Deum et inchoare et perficere salutem nostram, sed per homines, habeo quod volebam: tua verba idem continent ac sonant quod in nobis impugnas.

Quod obiicis de pharisaica operum fiducia, si recipimus sacramentis exhiberi gratiam, adversus nos locum non habet. Neque enim proprie loquendo sacramenta hominum opera censeri debent. Ego, quum ad coenam accedo, nihil affero de meo, sed Christo me offero pascendum. Ita hic nullum opus in rationem veniet, quia de sola gratiae Dei dispensatione agitur.

Quod superius attigi necesse est hic quoque repetere. Saepius enim ad illum paralogismum relaberis. Si Deus insinuat se cordibus nostris et exhibet per spiritum et fidem, non igitur per sacramenta. Sed unde, quaeso, fides? Nonne ex auditu fidei? Unde spiritus? Nonne ex praedicatione evangelii? Utrumque enim testatur Paulus. Scis enim hoc posterius exstare ad Galatas, illud sumptum esse ex decimo ad Romanos. Verbi autem et sacramentorum eadem in hac parte ratio. Verbum enim fidei insculptum est sacramentis. Proinde adeo non pugnat, Deum per sacramenta facere quod facit per fidem, ut alterum potius sequatur ex altero. Loquimur enim de ordinaria ecclesiae gubernatione. Quod ad spiritum pertinet, nihilo absurdius est Deum agere per sacramenta quod per spiritum agit, quam spiritum vocari sigillum haereditatis nostrae, et idem nomen tribui sacramentis. Da veniam: haec hallucinationis causa est quod non reputas, quae subalternantur non esse contraria. Quo in ordine sunt labor manuum et Dei benedictio, etiam quoad vitam corporalem. Nunc si quis neget labore manuum pasci hominem quia pascatur Dei benedictione, nonne facilis erit responsio, probe convenire inter se haec duo, modo Dei benedictio primas teneat, imo penes ipsam maneat in solidum tota virtus, labor manuum causa instrumentalis censeatur. Quoties ergo spiritus mentionem facies, hoc tibi responsum sit, non obstare quidquid illi scriptura vindicat quominus sacramenta sint eius organa, mortua tamen et inutilia, nisi quatenus ea vivificat.

Tu quidem multum in eo sudas ne videaris facere inania, sed admoneo te multis non satisfacturum quorum tu iudicium non contemnis.

Eodem capite circa finem, quum ratiocinaris nullam fore Christi communicationem ante sacramenta, si per sacramenta nobis exhibetur, mala est consequentia: neque enim se nobis totum primo die Christus communicat. Nam si Christus habitat in cordibus nostris per fidem, pro fidei augmentis crescit etiam eius communicatio. Sacramenta autem scalae sunt quibus fides promovetur.

Negas Christum porrigendo panem iussisse ut corpus suum edamus. Ego autem hunc Christi verbis sensum existimo subesse. Panem quem vocat corpus suum edere nos iubet. Nonne histrionica erit actio nisi corpus edamus? At tropus est in loquutione. Fateor: sed ita ut interior veritas a signo visibili non destruatur, sed potius signum visibile rei quam figurat verum sit testimonium. Atque haec analogia est, ut vescatur Christi carne anima, sicuti corpus pane.

Habes quae in libro tuo correcta cupiam, ut sine exceptione probetur. Non commemoro quae laudanda sunt. Memini enim quas mihi partes iniunxeris, ut tibi notarem quae minus placerent. Quae igitur et erudite tractata sunt, et apposite adducta, et suo ordine rite digesta, et eleganter ornateque exposita, mecum laudabo, atque etiam apud alios quum opus fuerit. Apud te volui praestare quod rogaveras. Nunc quia amici officio defunctus sum, et tibi obsequendo et libere te monendo, restat ut meam libertatem tum obsequendi studio tum simplicitati adscribens eam boni consulas. Quod te facturum confido.

Bernae reperi quod non putabas, ego autem minime volebam, divinabam tamen: si haec divinatio

vocanda est ubi res propemodum est comperta. Itaque consilio tuo non fuit locus. Quod alioqui sequutus essem, etsi displicebat. Eiusmodi enim vulnera, mihi crede, tegendo non sanantur. Si rogas, quidnam igitur fecerim? Nihil. Tantum atroces utrinque querimonias audire coactus sum. [2]) Porro ut convenirent impetrare non potui. En pax illa de qua certior fueras factus per amicos. Dominus ecclesiam illam respiciat, quae tamdiu pastorum dissidiis laceratur miserum in modum.

Vale, frater in Christo carissime et mihi honorande, atque in huius epistolae argumento subinde tibi occurrat illud Augustini: Quod in sacramentis geritur per homines quidem geri, sed divinitus, in terra, sed humanitus. Salutabis reverenter meo et totius collegii nostri nomine symmystas tuos, D. *Pellicanum*, D. *Theodorum*, D. *Gualtherum*, D. *Ioannem* [3]) et reliquos. Dominus vos omnes regat suo spiritu et vestris laboribus benedicat. Amen. Genevae 25. Februar. 1547.

Ioannes Calvinus tuus.

881.

CALVIN A M. DE FALAIS.

Il a loué une maison à Genève voisine de la sienne, qu'il espère être à la convenance du baron. Renseignements sur M. de Paré qui recherche en mariage une de ses parentes.

(Original autogr. de la bibl. de Genève Vol. 194, fol. 49. Imprimé dans l'éd. d'Amst. p. 95, dans les Lettres fr. de Bonnet I. 187 et en anglais II. 83.)

A Monseigneur Monsieur de Fallez.

Monseigneur, aiant receu voz lettres par le sieur *de la Riviere*, [1]) ie craignois que les aultres dont vous faisiez la mention, feussent perdues. Depuis elles mont este apportees. Pour response ie remercie Dieu de ce quil vous a augmente vostre ioye et contentement. [2]) Iay escrit briefvement aux trois compaignes tout ensemble, pour les saluer a leur bien venue. Ie ne scay si Dieu nous fera ce bien quelque iour, quelles nayent plus besoing de mes lettres. Si non, ie leur seray une aultre fois un petit plus liberal en papier.

Pour vostre personne, suivant la charge que vous maviez donnee, [3]) iay regarde depuis mon retour ou il y auroit logis commode. Quant a celluy de *Cleberge*, vous seriez trop loing des voisins que vous cherchez. [4]) Combien que de long temps ien avoye eu envye pour moy mesme, affin de my desrober quant ie cherche davoir loysir. Et mavoit on promis de men donner response; mais rien nest venu. Si ie lavoye entre mes mains, comme lon men avoit donne esperance, vous scavez quil sera a vostre commandement. Aupres de nous ie nen ay peu trouver ayant iardin, qui vous fust plus propre que une que ie vous ay louee. [5]) Non pas que le logis me contente: mais il me la fallu faire par faulte daultre. Vous aurez au devant moien iardin, et court assez spacieuse. Derriere aultre iardin encor. Une grant salle daussi belle veue que vous en scauriez souhaitter pour leste. Les chambres nont pas si plaisant regard, que ie vouldroye bien. Mais quant vous serez arrive, possible quon trouvera moien dy donner ordre. Excepte la salle, on pouvoit trouver maisons de meilleure estoffe et mieulx basties pour la commodite. Mais le iardin ny eust pas este, et ie voy que cest un membre que vous desirez principallement. Quoy quil en soit elle est louee a douze escus. Quant vous la verrez, si vous dictes que cest trop, iauray mon excuse preste, que ie ne suis pas tel mesnager que pour bien espargner ma bourse non plus que celle des aultres. Ie me suis haste den faire marche a cause du iardin seulement. Si le temps vous targoit par de la, il me semble que la saison vous sera aussi propre dicy a un mois que plus tard, moyennant que lair fust gracieux selon que la saison le doit porter. Pour la conduite, [6]) combien

2) *Ergo quum nuper Bernae fuerit utriusque partis in alteram criminationes exceperat, Sulzeri et Gerungii in Kilchmeierum et Rumlangium et horum in illos. Unde simul patet eos in unum non convenisse ut hospiti tam eminenti debitum honorem in corpore, quod dicitur, redderent.*

3) *Inter Turicenses ministros N.* 875 *nullus tunc erat Ioannes. Hic ergo alius quidam civis appellatur.* (*Io. Haab senator, aut Io. R. Lavater consul?*)

881. 1) *Son vrai nom était François Perucel. Son nom reparaîtra fréquemment dans la correspondance de Calvin* (924).

2) *Probablement par l'arrivée des personnes dont il va être question.*

3) *Lors de leur récente entrevue à Bâle où le baron s'était retiré à cause de la guerre qui semblait menacer l'Alsace.*

4) Selon la tradition conservée à Genève, Calvin habitait alors la maison située au Bourg-de-Four, à l'angle formé par la rue des Chaudronniers et les bâtiments voisins de l'hôpital (*Bonnet*). — Ican Kleberger, surnommé le bon Allemand, ami d'Erasme, créancier de François I., aussi illustre par sa libéralité que par ses immenses richesses, également prôné par les catholiques et les protestants. (*Galiffe, Not. gén.* IV. 229. *Heyer, Notice sur J. Kleberger, dans les Mém. de la Soc. d'hist. et d'Arch. de Genève T.* IX. *livr.* 3.

5) *Probablement aux environs de l'ancienne porte S. Antoine.*

6) *le voyage de Bâle à Genève.*

que mon frere nest pas icy a ceste heure, toutefois ie mose bien porter fort pour luy quil vous y servira volontiers. Et il a faict le chemin si souvent quil y doit estre assez ruse. Ioingt aussi quil a eu affaire aux basteliers. Et ie croy quil vous souvient que mon advis seroit que vous fissiez une partie du chemin par eaue pour vous refraischir. En attendant que vous me mandiez vostre pleine resolution, nous semerons sans faire bruict et ferons tailler les treilles.

Des occasions que vous avez de vous pleindre, ie vous prye, Monseigneur, doublier beaucoup de choses pour esviter fascherie qui ne relleve point le mal et ne lamende. Sur tout quil vous plaise supporter ce qui aura este faict par zele inconsidere, car cest une faulte qui advient aux meilleurs. Mais ie croy que ce en est desia faict en une sorte ou laultre. Iespere que lissue en aura este moderee par vostre prudence.

Quant au sieur de *Paré*, [7]) si dadventure il venoit droict a vous sans passer par cy, et quau reste il apporta nouvelles pour entrer plus avant en propos, vous avez par dela Monsieur *Dalbiac*, [8]) lequel ayant eu grant privaulte avec luy, vous pourra advertir du tout mieulx que *Maldonade* nen aura trouve. Et sera bon den faire inquisition diligente. Car ie craindrois que par ses follies de ieusnesse il neust eu quelque maladie, telle quont auiourdhuy beaucoup de gens. Ie vous descouvre familierement ma crainte, aymant mieux exceder en ceste partie que de rien celler pendant quil en est temps. Vous demanderez pourquoy doncq iay tant differe. Mais les coniectures que ien ay sont venues depuis. Car cestoit le plus court den deviser de bouche, si ien eusse conceu en mon esperit aultant que maintenant. Ie le vous propose affin que vous y advisiez. Car ie ne vouldroye point avoir ceste reproche, ie ne diz pas seulement devant le monde, mais aussi devant Dieu, que la fille eust este abusee en rien par ma dissimulation. Ie scay pource que cest un mal si commun et vulgaire, que beaucoup nen font gueres de difficultes. Mais ie me doubte que vous y seriez scrupuleux comme moy.

Pour faire fin, Monsieur, apres mestre humblement recommande a vostre bonne grace et de Madamoiselle, ie supplieray nostre bon Dieu de vous maintenir en sa garde, qui est le tout de nostre vie, tant pour ce siecle que pour ladvenir. Ientens quil vous face tousiours sentir, comme il faict, que vous estes en sa conduicte. Tous ceux qui ne vous escrivent point se recommandent humblement a la bonne grace de vous et de Madamoiselle. Ce 25. febvrier 1547. [9])

Vostre serviteur et humble frere,

Iehan Calvin.

Monsieur, celluy qui vous presentera ces lettres est ambassadeur de ceste ville. Ilz sont deux qui vont par dela, ie ne scay pourquoy, cest a dire pour leurs affaires particulieres quils ont a demesler ensemble. Ie vous en ay voulu advertir, non par aultre cause sinon que ie presume que vous eussiez este marry de nen estre point adverty. Car si voz affaires portent que vous preniez conclusion de venir, cest advertissement pourra servir. Non pas quil soit besoing de grande ceremonie, comme nous en avons devise, mais seulement affin quil ne leur semble quilz ont este mesprisez, surtout si vous . . . . . . [10]) en ca. Ie parle le language du pais. Sil y avoit quelques bonnes nouvelles, iespere quilz nous en apporteront. Mais il est besoing que Dieu nous humilie de quelque coste que ce soit. Combien que iespere que nostre Antioche, [11]) qui nous presse maintenant sera serre de si pres, quil ne luy souviendra des gouttes de ses mains, ne de ses pieds; car il en aura par tout le corps. De son compagnon Sardanapalus, [12]) Dieu luy garde la pareille. Car ilz sont bien dignes de passer tous deux par une mesme mesure.

882.

VIRETUS GUALTHERO.

Gratias agit de libello contra Antichristum romanum scripto et sibi muneri misso.

(Ex autographo Bibl. civic. Turic. MSS. F. 41 olim Tom. VI. fol. 56. Simler. T. 63.)

7) *Il recherchait en mariage une parente de M. de Falais, Mlle. de Wilersy, et paraît avoir eu pour rival Val. Poullain. Voyez ciaprès N.* 885.

8) *Il s'agit peut-être d'Acace d'Albiac, Sr. du Plessis qui traduisit en vers plusieurs livres de la bible et qui de retour de la Suisse mourut martyr en Touraine. Son frère Charles, ministre à Angers, eut le même sort dans la même année* 1562 (*Crespin, Hist. eccl., Haag*).

9) *Au dos, de la main de M. de Falais:* Receu le 6 de Mars 1547. Respondu le 9 dudit mois.

10) *Mot illisible. M. Bonnet a cru reconnaître le mot:* veniez, *lequel est déjà exprimé dans l'éd. de* 1744.

11) *L'empereur Charles-Quint, qui était alors tourmenté par la goutte.*

12) *Le roi François Ier. Il mourut de la vérole le* 31. *mars, à l'âge de* 52 *ans.*

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Rodulpho Gualthero viro doctissimo ecclesiae Tigurinae pastori vigilantissimo fratri et symmystae quam carissimo

Tiguri.

S. Munus misisti ad me parum plausibile et valde horrendum, imo monstrum pro munere. Misisti Antichristum [1]) scilicet, feram ac immanem illam belluam, quae feritate et crudelitate reliquas omnes superat, qua nullum denique est monstrum sanguinis nostri et piorum omnium sitientius. Vide igitur quantum terroris et horroris incutere debuit munus tuum. Nonne potius hostis infensissimi munus a me existimari debuit, quam amici qualem te semper mihi esse persuasi? Id mihi plane de te statuendum erat, nisi monstrum illud tam horrendum bene iugulatum tuo quem a Christo accepisti gladio mihi spectandum obtulisses. Ergo bene habet quod talem ad me miseris Antichristum, qui mihi posthac tua opera iugulatus minus formidabilis futurus est. Proinde tibi duplici nomine ago gratias: primum quod publicum illum humani generis et sanctorum omnium hostem iugularis, deinde quod hominum ludibriis putre illud cadaver subsannandum et illudendum proposueris, mihique inter primos id beneficii contuleris ut abs te confossum videre licuerit. Sed mihi dolet quod audiam te tam cito experiri quod de eo scripsisti. Nam hic rumor est, tibi ob huius libelli editionem gravissimas, non solum tibi sed toti vestrae civitati, huius opera turbas esse excitatas. [2]) Sensit letale vulnus atque ideo furit tam impatienter et tam indomitum, sed frustra. Interea tamen non desinet, quamdiu vel spirare dabitur, nobis gravissimos ciere motus et gravissima accersere pericula, vel usque ad extremum foetidi et sacrilegi oris halitum. Vix omnes eius ungues poterimus effugere, sed non deglutiet vivos, quotquot vel tantillum unguibus laeserit, quos habet admodum magnos et crudeles. Quod ad argumentum attinet libri et ad rerum dispositionem et ordinem, placet. Sunt quaedam de quibus scriberem paulo copiosius, postquam meum requiris iudicium, si liceret per otium. Quamvis non sint admodum multa nec magni momenti. Unum est inter reliqua quod mihi dignius visum est cuius te admonerem, quod scribis scilicet de tribus illis cornibus quae prima Antichristus decussit. Nam nescio quomodo satis firmum erit, praesertim quod de illo Gallorum rege scripsisti, in cuius locum Pipinus suffectus est. Nam Gallorum regnum non ideo deiectum est nec alio translatum, si unus rex deiectus est et alius, isque Gallus et magni in aula nominis, ei est subrogatus. Nam illa cornua non singula unum aliquem regem, ut probe nosti, innuunt, sed tota regna et eorum successiones et successus. Nam alioqui inter romanos imperatores multi sunt deiecti et obtruncati, et alii eorum vice substituti, stetit tamen imperium. Haec obiter attingere volui, non quod damnem tuam sententiam, sed te volui huius admonitum ut rem propius expenderes et mihi tuam hac de re sententiam fusius explicares. Nam certo scio hanc meam libertatem tibi non molestam futuram. Pari enim utor, tuo rogatu, tecum iure quo te mecum uti velim. Porro quod scribis de transfundendo in linguam nostram non displicet, neque dubito quin lectio libelli multis gratissima et utilissima futura sit. Sed a multis iam mensibus omnia apud nos prela non solum languent sed penitus cessant. Scribes ad me de exitu tragoediae tibi et vestrae ecclesiae excitatae huius libelli, ut audio, causa. Deinde maturius deliberabitur de versione. Interea prela reviviscent quae emortua videntur, et plus ad vertendum suppetet. Si id ego praestare per negotia non possum, committam fido alicui interpreti et linguae gallicae peritiori quam ego, qui id felicius et facilius praestabit. Ego vero interea de interpretis fide ero sollicitus. Salutant te nostri omnes. Saluta meo nomine D. *Bullingerum*, D. *Pellicanum*, D. *Bibliandrum* et D. *Gesnerum*. Hic tabellarius aliquot diebus hic nobiscum egit, a quo plura de statu nostro, si voles, audire licebit. Nihil est novarum rerum scriptione dignum. Vale. Lausannae 1. Martii 1547.

Tuus Petrus Viretus.

882. 1) *Libri germanice a Rod. Gualtero scripti titulus est:* Der Endtchrist. Kurtze klare und einfaltige bewysung in fünff Predigen begriffen dass der Papst zu Rom der Endtchrist sye. Zürich 1546. 8. *Latina versio ad manus non est. Epistola nuncupatoria ad Landgravium data fuit d.* 8. *Aug.*

2) *Ferebantur pontificii autori insidias struxisse, a quibus miraculose per angelum monitus servatus fuerit. Habet aliquid huius rumoris Hottingerus KG.* III. 770.

883.

CALVIN A M. DE FALAIS.

De la publication et de la traduction de l'Apologie.

(Orig. autographe. Bibl. de Genève. Vol. 194, fol. 51. — Éd. d'Amst. p. 101. Éd. Bonnet I. 191. Trad. angl. II. 86.)

A Monseigneur Monsieur de Fallez a Basle pres la Cauff Houss.

Monseigneur, iavois oublie en mes dernieres lettres larticle de lapologie, et ne scay comment il

mestoit eschappe. *Sainct André*,[1]) en avoit la copie: et en cela ie nay pas este frustre de mon opinion. Mais selon lestat present, quant il seroit question de limprimer,[2]) ie ne voy point quil y auroit a changer. Dadoulcir il nest possible: de senflamber en plus grande vehemence, le temps ne le porte point, au moins pour luy donner cours. Et mesme si vous deliberez de la faire imprimer a Strasbourg, encor ne scay ie silz loseront admectre telle quelle est. *Quid enim audeat, qui tyranno se implicuit?*[3]) La[4]) il y auroit plus de liberte. Il me souvient que vous me fistes mention, incontinent apres lavoir veue, de corriger quelques poinctz, mais sans me noter ne quoy ne comment. Il vous plaira doncq par le premier men mander vostre vouloir, et ce que vous desirerez de moy. Du translateur pour la faire latine, vous en auriez la un assez elegant, sil vous sembloit bon den user.[5]) Icy il sen trouvera bien quelquun: par faulte daultre ie me substitueray. Et cela comme iespere nemportera pas grant atarge. Car moiennant quil y ait perspicuite, il suffira. Et aussi la barbarie de *Maiestas vestra*, de laquelle on sera contrainct duser, repugne a un ornement trop exquis. Toutefois si fauldra il en avoir vostre advis, en cas quil nous y fallut employer par deca. Au reste noz gens ont quelque petit de paour. Mais ie nestime pas quil y ait cause. Vous scavez que villes de frontieres sont subiectes a craindre. Et pource que nous avons *Grantvelle* pour voisin,[6]) et quon oit parler de lever gens, on se doubte. Quant a moy iay ma coniecture diverse, car ce nest pas la saison dattenter rien icy. Mais il nous fault laisser escouller beaucoup de bruictz, tout ainsi que nous ne pouvons empescher que leaue nalle aval. Quoy quil en soit ie suis bien ayse que nostre Seigneur nous reveille, pour nous recommander a luy. Comme cest le plus grant bien qui nous puisse advenir, que de nous scavoir remectre a bon escient a sa protection.

Faisant fin a la presente, Monsieur, apres mestre humblement recommande a la bonne grace de vous et de Madamoiselle, et vous avoir presente les recommandations de nos voisins, ie prieray nostre bon Dieu de vous tenir en sa saincte garde, vous conduire en tous voz pas, vous monstrer ce qui sera bon et expedient, et vous en donner bon effect et prospere. Ce 7. de mars 1547.[7])

Vous congnoistrez par les lettres de Sire *Nicolas*,[8]) comme il va de vostre argent. Il me la aussi mande. Du chois quil vous remecte, vous en ferez selon lopportunite presente.

Vostre serviteur et humble frere a iammais,

Iehan Calvin.

884.

CALVINUS VIRETO.

Hortatur eum ut Basileam ad Falesium se conferat quum ipse pro tempore domi retineatur.

(Autographon reperies in Cod. Genev. 106, fol. 186. Caetera exemplaria, Ionvillaei Cod. 111a, fol. 15, Turretini Cod. 111, fol. 165, Bernense Epp. VII. p. 819, Simleri Vol. 63.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori.

S. Me domi complures nunc causae retinent. Praecipua, quod medendum est quibusdam morbis,[1]) qui longiorem moram non ferrent. Accedit tamen haec quoque: quod nuper domum reversus non effugerem rumores, atque etiam calumnias, si eandem rursus profectionem susciperem. Itaque rogatum te velim etiam atque etiam, ut tu in locum subeas,[2]) si absque magno incommodo istinc abesse poteris. Bernae certe tibi iam dimidium iter et ultra emenso quod reliquum erit non negabitur. Utinam hoc abs te impetrari sinas: modo citra maiorem ecclesiae iacturam.

---

883. 1) *voyez la lettre du* 16. *Août* 1547.
2) *Ce qui ne se fit que l'année suivante.*
3) *La ville de Strasbourg ne s'était pas encore soumise à l'empereur, mais les conditions de l'acte de soumission ne tardèrent pas à être réglées* (21. *Mars. Sleid.* III. 3). *On comprend que dans ces circonstances les imprimeurs de cette ville devaient être sur leurs gardes.*
4) *C. à. d. à Bâle. M. Bonnet a lu:* Çà, *ce qui se rapporterait à Genève.*
5) *L'éditeur d'Amsterdam voit ici une allusion à Chasteillon; ce qui paraît aussi plausible à M. Bonnet. On sait que ce fut Baudouin qui fit la besogne.*
6) *Il ne s'agit pas de l'évêque Antoine d'Arras, comme le pense M. Bonnet, mais de son père, le ministre de l'empereur. Du moins Sleidanus* (II. 580) *dit de cette époque*: Habebat tum in consilio Caesar Atrebatensem episcopum Antonium; Granvellanus enim pater Vesontionem erat profectus. *Et c'est bien à Besançon que Calvin le signale ici.*
7) *Au dos:* Receupt le 14. de mars 1547.
8) *Le Fert.*

884. 1) *Hoc, nisi fallimur, non de ipsius Calvini valetudine intelligendum, sed de nova consistorii contra Franc. Favre actione ex qua inter consistorium ipsum et senatum hoc tempore nata lis est, quum in hoc summo collegio Fabrorum gens et Perrinus fautores haberent qui illi alteri sua iura vel denegabant vel arctioribus limitibus circumscribebant.* (*Vide Reg. du Conseil* 22. *Febr.* 10. *Mart. et Gaberel* I. 386.)
2) *Scil. itinere Basileam versus ad Falesium suscepto, ut apparet ex ep. proxime sequenti.*

De *Senarclenio* retinendo mihi erit curae, ut iubes. Et ipse ultro ad nostrum consilium propendet. Pluribus argumentis non utor ad te persuadendum, quia rem ipsam peraeque tenes. Non urgeo etiam vehementius, quia volo te ex praesenti statu aestimare quid liceat atque expediat. Vale igitur, una cum uxore et tota familia. Nostri te omnes salutant. Tu meo nomine fratribus et uxori salutem precaberis. Genevae 9. Martii 1547.

Ioannes Calvinus tuus.

Quum istac transirem debui *Corderio* numerare quinque florenos, quos illi promiseram. Sed oblitus sum, ut in re pecuniaria sum obliviosus. Tu igitur hic inclusos reperies.

885.

CALVIN A M. DE FALAIS.

Encore l'affaire du mariage et du voyage à Genève dont il a été question la dernière fois.

(Orig. autographe. Bibl. de Genève. Vol. 194, fol. 52. — Éd. d'Amst. p. 104. Éd. Bonnet I. 194. Trad. angl. II. 88.)

A Monseigneur Monsieur de Fallez.

Monseigneur, ie suis ioieux que vous avez nostre frere maistre Pierre *Viret* pour vous soullager des fascheries [1]) lesquelles vous pouvoient bien estre dures, veu que ien estois tourmente plus que ie ne dis par seulle compassion. Mais iespere que Dieu y aura remedie quant au faict. Et pour le reste il y a proveu, en vous envoiant celluy duquel vous pouvez recevoir aultant de consolation que dhomme du monde. Tellement quil ne me faict plus mal que ie naye point entreprins le voyage. Car ie ne crains plus que vous aiez faulte de moy. Ce sera aussi la cause, pourquoy ie vous feray plus briefves lettres.

Quant a lhomme ie ne scache point avoir donne signe aulcun que voz complainctes me semblassent excessives: seulement craignant quil ne vous advint quelque maladie, et aussi pensant que ce nestoit pas chose convenable a vous dentrer en contention avec un homme de sa qualite; considerant daultre part son audace, et ce qui peult sortir dune beste venimeuse, si on la presse, ie vous avoye prye de prendre le tout moderement, tant quil seroit possible. Au reste ie le congnois, et ne crains pas tant les malesgraces, que ie voulsisse que leglise de Dieu eut aulcun dommaige par ma dissimulation. Mais ie ne voy pas maintenant que iy puisse faire, et puis il ny a nulle necessite presente. Car ou il est congneu, il sest plus descrie quil ne seroit de besoing. Ou il est incogneu, on ne gaigneroit rien den parler, iusque a ce quil tasche a se insinuer. Mais encor Dieu le pourra faire saige apres lavoir chastie de tant de ses follies.

Ie viens a vostre voiage.[2]) Combien que ie ne voye nul danger au chemin, ne dembusches, ne daultre practicque, ne de violence, toutefois pour le premier ie nen ay rien asseure a personne, mais au contraire mis en doubte. Secondement, quant au temps ien ay parle comme celluy qui nen scavoit rien. Vray est que si on me demande si vous navez point intention de nous venir voir, ie ne suis pas fort obstiné a le nier aux amis, craignant quilz ne mestiment double. Et mesme quand iay loue la maison, tant celluy qui a parle a vous que aulcuns aultres, ont bien iecte incontinent leur coniecture sur vous. Ie leur ay respondu, possible que ouy, mais quil y en avoit daultres. Ainsi que ie la prenois a ladventure, ne doubtant pas toutefois davoir hoste pour y mectre. Au reste ie ne puis empescher que plusieurs ne devinent, et se persuadent, sans que ien sonne mot, que vous viendrez. Tant y a quau plaisir de Dieu il ne vous viendra nul preiudice de par moy. Iespere au plaisir de Dieu que la sepmaine prochaine Maistre Pierre *Viret* nous rapportera de vos nouvelles. Si apres avoir ouy nostre frere *Sainct André*, vous aviez quelque chose a me mander de nouveau, vous aurez messager propre en luy.

Sur quoy, Monsieur, apres mestre affectueusement recommande a vostre bonne grace et de Madamoiselle, vous avoir a tous deux presente les recommandations de ma femme et des amis, ie supplye nostre bon Dieu vous avoir touiours en sa garde, vous consoler, fortifier et parfaire en vous tout loeuvre de sa gloire et de vostre salut. Amen. De Genefve, ce 15. de mars.

Vostre humble serviteur et frere,

Iehan Calvin.

885. 1) *Allusion à Valérand Poullain, qui recherchait, malgré l'opposition de M. de Falais, la main de Mademoiselle de Wilersy, parente de ce seigneur. Voyez la lettre à Poullain qui va suivre.*

2) *à Genève.*

886.

BUCERUS CALVINO.

Laudat eum quod visitatis fratribus concordiam promovere studeat. Protestantium res ipsorum culpa in Germania indies in peius ruere, imo pessime habere queritur.

(Exstat per amanuensem Hottingeri descripta in Bibl. civica Turicensi MSS. F. 46 olim Epp. T. XI. pag. 632. Edidit Beza Gen. p. 74, Laus. p. 145, Hanov. p. 163, Chouet p. 99, Amst. p. 45. Omisit tamen versus pauciores quos Simlerus Vol. 68 ex codice desumptos solos exhibet.)

Mihi vero valde probatur, optime et colende atque carissime *Calvine*, quod fratres invisis. [1]) Nosti enim quam graviter deplorem, istud caritatis et pietatis officium, ut fratres et symmystae sese invicem inviserent, monerent, consolarentur, adeo hoc tempore nostro negligi, imo etiam a plerisque damnari. Quanto enim plus piae et salutaris consensionis et mutuae instaurationis retineri inter nos poterat, si libuisset frequentius convenire, et in Domino inter nos omnia communicare. Dominus tibi adsit, ut quod pie instituisti, sit etiam fratribus fructuosum. Multa est lentitudo vitae Christi in membris eius, magnamque ipse in illis saepe infirmitatem sustinet. Quod initio belli tam multi, et cum his etiam gens vestra, finxerunt se credere bellum hoc non esse motum religioni, prodideruntque adeo fratres et socios: et quod nunc gesto bello, ut geri potuit, a gerentibus sine auspicio Domini quisque pro se et nescio quam pacem contra iurisiurandi religionem petit et accipit, quidam etiam se hostes deinde profitentur sociorum: hinc regni Christi apud nos (quid dicam intelligis, quid dici res ipsa ferat) neglectus. Quantum putas dedisse causam quod communio Christi, et vitae ac spiritus eius mutua subministratio inter alios plane rescissa et prohibita, inter alios ignorata et neglecta, inter nullos ut oportuit excitata et agitata fuit? Modo hic peranxie laboratur, deliberando quid nos facere Dominus velit. [2]) Offerunt quidam spem pacis, quae libertatem et religionem nobis relinquat salvam, sed quam pacem desertis sociis amplecti oporteat. Socii vero in superiori Germania omnes iam defecerunt a nobis, praeter Constantiam: quanquam nunc quidam de Augusta affirmant nondum esse deditam. [3]) Horrent itaque omnes cordatiores admittere, quo vel violetur religio societatis iurata, vel circumscribatur ullo modo libertas serviendi Deo. Horrent etiam humiliationem refugere, quam infert Dominus et intulit toti prope Germaniae: dum etiam non vident iustam in populo poenitentiam. Ora Dominum ut nostris det spiritum consilii, quo id statuant quod probet ipse et salutare velit facere ecclesiae suae. Optarim cuique potestati, quam Dominus imposuerit, prolixe deferri quae oporteat, tantum ne quid detrahatur Deo. Quum antea foedere nostro vigente et multis formidabili, pax solida religioni obtineri non potuit, haud sine causa metuunt multi gravem religionis circumscriptionem subsequuturam foedere dissoluto, et tam fractis et humiliatis sociis: sed ita frangi humiliarique meruimus. Orandus igitur Dominus, ut hoc firmius ipsius nitamur brachio, quibus adeo concidit brachium carnis. In comitiis Augustanis anno 30 nullum erat foedus, et libere tum confitebantur multi, et condemnationem gravissimam fortiter excipiebant. Novit Dominus qui sunt eius. Initia multorum tetra sunt, ita aperta blasphemia et pietatis caritatisque abiuratio admiscetur: paucorum est certa fides et eo res recidit. Quum venerit filius hominis, putas inventurum fidem in terris? Hoc vero magis orandus Dominus, quo nos conservet in solida et constante confessione ac praedicatione evangelii sui, ac donet vita quoque illud exornare aliquanto quam fecimus plerique hactenus studiosius. Sed quis nostrum non quotidie ob hanc remissionem disciplinae excruciatur, quod fratres et collegae primarii adeo nullam admittunt disciplinae, non dico severitatem, necessariam tamen mediocritatem, ut in papatu factum est? ita plerique hominibus prospectum volunt, non ecclesiis: et ecclesiarum damnis avertere damna impiorum collegarum, putant humanum. Quum etiam tot malis non desint patroni, propter ecclesiam nolunt in offensionem incurrere potentum et gratiosorum hominum. O miseram [4]) ecclesiae Dei conditionem, non posse in eandem venire sententiam de sacramentis nostro ac toto adeo ministerio. Dominus miseram ecclesiam Bernensem tandem respiciat, et inter se atque no-

---

886. 1) *Alludit ad iter nuper Basileam, Turicum et Bernam susceptum, in quo sane etiam de instauranda et firmanda fraterna concordia agere poterat etsi palam alia de causa civitates illas adierat.*

2) *Argentoratenses quidem bellico apparatu satis muniti* (*Roehrich* II. 181) *tamen bello in Suevia ingravescente mense Februario Iac. Sturmium, Matth. Pfarrerum et Marc. Haagium legatos ad Caesarem miserunt:* ut Ulmam profecti quibus conditionibus omnino pacisci vellet cognoscerent (*Sleid.* II. 580). Legati domum reversi, quum a Caesare praescriptas conditiones senatus non improbaret, denuo mittuntur ut omnino transigant. Ingressi iter Caesarem Nordlingae reperiunt ex podagra male tunc affectum et 21. Martii die deprecati reconciliantur (*ibid.* III. 3). *Conditiones tolerabiles erant: civitati enim, soluta pecuniae summa et traditis tormentis bellicis, sua iura et privilegia confirmabantur; de religione expressis verbis nihil addebatur* (*Ranke* IV. 368).

3) *Dedidit se a. d. IV. Cal. Febr. Mirum hoc Bucerum ignorasse.*

4) O miseram . . . . faciat. *Haec absunt ab edd.*

biscum plane consentientem faciat.[5]) Vale in Domino Iesu cum sanctissimis collegis *Farello* et *Vireto*, quibus quae scribo opto esse communia. 16. Martii, 1547.[6])

887.

BUDAEUS CALVINO.

Fratrem suum Genevam proficiscentem Calvino commendat, tristem rerum statum in Gallia deflet, se et suos e tenebris ereptos gaudet idque Genevensibus amicis acceptum refert.

(Ex autographo Cod. Genev. 113, fol. 70.)

A Monsr. Depville a Paris.[1])

Etsi pergratum mihi esset, si fidelis nuncii occasio daretur, saepius ad vos scribere itaque rerum vestrarum certiorem fieri, tamen ita contigit ut ab eo tempore quo e Germania[2]) profectus sum nullas a me literas acceperis. Paulo autem ante profectionem meam unas ad te dedi, quibus te discessus mei certiorem faciebam. Nuper vero, quum socer fratris tui hac iter faceret,[3]) omnino in animo erat ad te scribere: sed quia tempus urgebat, et sciebam fratrem meum[4]) ad te profecturum, hucusque distuli. Putabam autem eum citius abiturum, idque cum *Balduino*. Sed *Balduini* profectionem negotia quaedam, ut intelligo, remorata sunt.[5]) Itaque frater cum *Stephano*[6]) abire constituit. Tenetur enim magno desiderio videndi te, et quae istic aguntur, ut ita fructum aliquem faciat apud vos in cognitione evangelii, qua in re tua consuetudo plurimum ei prodesse potest. Peto itaque propter caritatem ut cum ea humanitate suscipias qua me et fratrem *Ludovicum* suscepisti.

De rebus quae hic agantur[7]) ex ipso cognoscere poteris et ex *Stephano*. Quae vero agam et quid me hic detineat, ad te scriberem, nisi ex fratre posses cognoscere. Consilium meum fuit, quum adhuc illic essem, ea quae ex colloquio sermonibusque vestris didisceram[8]) quaeque videram impartiri domesticis et familiaribus, ut quibus me inprimis debitorem agnoscebam, et ita quos possem iuvante Domino lucrifacere. Qua in re multum mihi profuisse cognovi usum et consuetudinem quae mihi vobiscum fuerunt. Debemus autem Domino gratias agere qui ex tantis tenebris nos eripuit et aliquam lucem verbi sui familiae nostrae impartitus est, ita ut colloquia nostra iam ex parte sint de luce evangelii his temporibus gratia Dei oborta, de regno Christi et iustitia eius: quibus sermonibus nos consolamur in hac calamitate temporum, quibus intus et foris oppugnatur ecclesia, scientes regnum Christi et sanctorum eius aeternum fore iuxta prophetias, Deumque subiecturum omnes qui regno Christi sui adversantur. Dum autem hic in medio nationis pravae et perversae degimus magno in periculo versamur, multaque cautione nobis opus est. Deum itaque et patrem Domini per ipsum deprecamur, ut spiritum nostrum et corpus dignetur integra et immaculata conservare ab huius mundi pollutione. Qua in re petimus ut precibus vestris nos apud Dominum iuvetis, consilioque vestro fideli per literas atque exhortationes.

Frater *Ludovicus* paulo ante discessum meum ex Germania in Italiam profectus erat.[9]) Habebat in animo eam peragrare et inde rursum petere Germaniam: quo in consilio, ut ad me scripsit, adhuc permansit nec decrevit huc redire. Me quae hic detineant ex fratre cognosces.

His diebus nobilem tibi notum cognomento *Sancti Laurentii*[10]) vidi. Vir est ferventi zelo erga Dominum et spiritu, tui autem studiosissimus et amantissimus. Ex eius colloquio magnam consolationem cepi. Parat profectionem, sed Satanas hactenus ei impedimento fuit. Spero autem Dominum ei adfuturum. Dominus dirigat viam eius ad vos. Magno enim desiderio vestri tenetur et taedio horum locorum. Salutabis meo nomine uxorem tuam.

---

5) *Bucero status rerum Bernae eo magis dolebat quod ipsius diuturna et laboriosa conamina circa concordiam in doctrina sacramentaria stabiliendam iam omnino irrita fuisse videbantur.*

6) *Sic Codex. Edd. decimum octavum exhibent, fortassis ex autographo.*

887. 1) *Lapsus calami. Parisiis enim epistola scripta est.*

2) *Anno* 1546 *Argentorati versatus fuerat, cf. N.* 793 *de qua epistola hic loquitur.*

3) *Hic Nic. Le Fert negotiator et trapezita fuit, eaque de causa saepius peregrinabatur, non semper prospera fortuna usus. Quid quod malae fidei erga creditores accusabatur.* (*Cf. Galiffe, Ami Perrin p.* 96 *et Nouv. pages d'hist. p.* 45.)

4) *Ioannem puta, quum alter Ludovicus, qui hic in censum venire posset, infra nominatim inducatur.*

5) *Notandum ergo Balduinum m. Martio adhuc Lutetiae commoratum esse, ad rem familiarem curandam.*

6) *An Roberto? qui tamen eo anno de officina sua Genevam transferenda nondum cogitavit. Nam de Stephano Budaeo hic agi vix crediderimus, quippe quem a fratre altero aliter distinxisset.*

7) *Epistola haec scripta est paucis ante mortem regis Francisci diebus, quo tempore persequutiones maxime saeviebant.*

8) *sic.*

9) *N.* 793, *not.* 3.

10) *Exstat epistola Calvini ad quendam Saint-Laurent a.* 1549 *scripta.* (*Vide in fine huius anni.*)

Salutabis fratrem *Galatium* et *Copum*. Dominus servet te incolumem ecclesiae suae, et eos qui tecum sunt. Gratia Domini sit cum omnibus vobis. Parisiis decimo Cal. Aprilis. [11])

Tuus ex animo frater M. B. [12])
alias Ioannes Parrhesius.

888.

CALVINUS POLLANO.

Reprehendit eum propter puellam quam ad coniugium sollicitaverat invito Fallesio et tali ratione ut ipsa de eo quereretur. Item vindicat se ab accusatione cumulatorum opum suamque tenuitatem honestam et modestam declarat.

(Apographon exstat in Cod. Gen. 194, fol. 53 inter epistolas ad Fallesium scriptas. In tergo legitur a coaeva manu: *Copie d'une lettre escripte a Vallerand.* Etiam inscriptio adest: *A Monseigneur Monsr. de Fallaix a Basle.* Et manu amanuensis Fallesii additum: *Receu le dernier mars* 1547. Ergo cum hoc communicatam fuisse patet. Edita est in: Lettres à Jaques de Bourgogne p. 107. Anglice versa legitur Ed. Edinb. II. 90.)

S. Hodie primum literas tuas accepi, serius quam oportuit: sed interea puto aliquid *Vireti* [1]) nostri sermonibus fuisse profectum, ut animum istum mutares. Ego audito *Senarclenio* [2]) breviter respondi, mihi non parum dolere quod tam praeclara expeditione defunctus, extremo actu quidquid laudis promeritus fueras ita deformasses. Neque vero tam sum levis ut altera tantum parte audita pronunciem. Neque mihi splendor hominum oculos perstringit, sed medios homines dum audio nihil accusatorie loquentes, ita sentire apud me cogor, neque prudenter neque honeste abs te factum quod puellam ad coniugium sollicitaveris. [3]) Verum hoc etiamnum me peius habet, quod se multis falsis criminationibus et artibus obliquis queritur abs te circumventam. *Bucerum* et *Bernardinum* [4]) mihi allegas. Certe si nihil egisses nisi ex ipsorum consilio, nunquam hoc fuisses aggressus. Putasne illis probatum iri tuam causam? Scripsi prius de iuniore ad quam aspiraveras, quid ego reprehenderem. In hac tentanda videris oblitus fuisse, quid ad illam discedens scripsisses. Quanquam, etiamsi nihil aliud obstitisset, debueras omnino ab omni coniugii mentione temperare, donec quo tendebat pervenisset. At si verum est quod ipsa testatur, pessimis rationibus conciliatae fuissent nuptiae. Proinde non aliter a Domino esse coniugium, quod dicis, credam quum [5]) ostenderis eam mentiri, quum affirmat, se multis calumniis abs te fuisse praeoccupatam. Etsi fortiter negat, tibi ullam fidem se dedisse, aut quidquam pactionis inter vos intercessisse, quin semper exciperet, se omnia ex consilio D. *Fallesii* acturam. Te vero asseruisse, compertam tibi esse hominis voluntatem. Tantum eius uxorem difficilem fore, quae nobilitatis fumos adhuc suspiceret. Haec non essent Dei auspicia. Sed prohibes ne credam. Ego autem facere nequeo quin utramque partem audiam. Dum omnia perpendo, quaedam apparent quae mihi displicere fateor. Quod me admones, ut heroum interdum graves noxas esse cogitem: ego vero D. *Fallesium* aliis nominibus amo et colo quam fucosae magnitudinis qua sola plerique magnates superbiunt. Deinde nullas hactenus nisi moderatas ab eo querimonias audivi. Ego autem causam magis quam personas intuitus sum. Utinam te istis molestiis nunquam implicuisses: sed quando ita accidit, reliquum est ut te cupiam brevi expeditum, quod iam factum esse confido.

De fundo quem tot millibus emisse dicor, nae ego ineptus sim, si multa verba consumam refellendis tam crassis mendaciis. Nemo hic est, aut in tota vicinia, qui ignoret me pedem terrae nullum possidere. Quicunque autem me norunt, sciunt me nunquam habuisse pecuniam iugero emendo, nisi quum mihi numeratur quod tertio quoque mense expendam. Nondum certe perveni, qui adhuc aliena utor supellectile. Nam neque mensa super quam edimus, neque sponda super quam dormimus mea est. Unde igitur isti rumores? [6]) Nescio, nisi quod mihi improbi homines ideo maledicunt, ut notam inurant evangelio. Nunquam tamen efficient quin dives sim, quia mea tenuitate abunde sum contentus, et quum nemini sit oneri mea paupertas, quibusdam tamen est levamento. Vale, et me amico esse erga te animo tibi persuade. Utinam aliquando suppetat laetius scribendi argumentum.

---

11) *Annum* 1547 *sistunt ea quae ad priorem epistolam N.* 793 *provocant, et quae de Balduino propediem Genevam abituro dicuntur.*

12) *De Matthaeo Budaeo autore non est quod dubites.*

888. 1) *Qui nuper Basileae fuerat.*

2) *Hic ineunte mense Martio redux ex Germania et Fallesio familiariter notus, facile Calvinum de negotio Pollani certiorem facere poterat. Versio anglica pro Senarclenio Sanctandreanum exhibet. Ed. Amst.: Senandrenium.*

3) *N.* 885, *not.* 1.

4) *Ochinus a.* 1545 *vergente Augustam se contulerat, ubi italici coetus ministerio fungebatur usque dum dedita urbe magistratus eum, ne in Caesaris manus incideret, clam dimiserit. Tum primum Constantiam se recepit, deinde Basileam, mox Argentoratum, ubi iam m. Martio* 1547 *fuisse videtur* (*Trechsel* II. 209.)

5) *lege:* quin, *aut:* quam quum.

6) *Fortassis ex empta domo quae Fallesii futura erat.*

889.

CALVINUS VIRETO.

Rogat ut Genevam veniat ad pacem inter consistorium et senatum, si fieri possit, componendam, quippe quem ab utraque parte receptum iri speret ut virum gravem qui dictis regat animos et pectora mulceat.

(Autographon habes in Cod. Gen. 106, fol. 187 in quo nonnulla cancellata sunt, alia correcta, scilicet editioni accommodata quam parabat Beza. Qui eam prodire iussit Ed. Gen. p. 379, Laus. p. 146, Hanov. p. 164, Chouet p. 520, Amst. p. 237, sed mutilam. Exstat praeterea solum Ionvillaei exemplar Cod. 111ᵃ, fol. 15 v. Anglice versa integra legitur T. II. p. 92. Uncis includimus quae Beza suppressit.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et symmystae carissimo.

S. De adventu ad nos tuo ego dubius sum consilii. [*Rosetus,* [1])] quantum audio, in exponenda tibi necessitate modum excessit. Quanquam non solus ipse in hac re peccat. [Totus enim senatus sine causa tumultuatur. [2]) Non video in toto numero cui fidam. Video certe neminem illic esse cordatum. In bona et plausibili causa nihil audent.] Adeo pueri sunt omnes [3]) ut ridicula capitis concussione terreantur, dum unus homo nihili suam insaniam prodit. Ego non meam causam sed publicam tueor, quae me absente acta est. [4]) Si desistam totum consistorium ruat necesse est. Quin etiam ita se gerunt ut quotidianos in concionibus clamores extorqueant. Caeterum parum me [*Roseti*] preces movissent. Nunc frater noster [a] *S*[*ancto*]-*And*[*rea*] mihi indicavit, comicum nostrum Caesarem [5]) et quosdam eiusdem factionis diligenter sciscitatos esse annon statim venturus esses. Video igitur a multis te desiderari, ab aliis exspectari, quia te accitum norunt. [Mecum nemo ex senatu communicat fideliter, excepto uno *Michaele.* [6]) Sed ille neque valde est perspicax, neque etiam adhibetur ad interiora consilia. Ioannes *Parvus*] [7]) egregie se offert: ἀλλ' οὐδὲν ὑγιές. Praeter illos nemo est qui me adierit. *Corneum* [8]) mihi suspectum reddiderunt quaedam non leves coniecturae. Amo quidem hominem, sed non patitur fidem sibi haberi. Timidus est primum, deinde suspicax, postremo umbram istam [9]) vel larvam adorat. Qui rem cupiunt sine motu compositam, sperant te idoneum fore pacificatorem. Factio ipsa te cupit, ut tua intercessione nonnihil sublevetur. Nos te petimus et cupimus, ac ego imprimis, ut videas, iudices, agas, quidquid ex re ecclesiae esse cognoveris. Sed agnosce miserum statum. Nuper audiit *Farellus,* incommode accidisse quod ad me divertisset: quia nihil posset agi, nisi esset a me separatus. Mihi certe nihil gratius, quam si omnia feliciter hic abs te peracta essent, me ad Garamantas relegato. Sed haec tibi ratio non minus quam mihi displicebit. Eam dico quae tibi a moderatissimis, ut videri volunt, praescribitur. Ut tamen habeas quid sentiam in re perplexa: si posses hic esse proxima die Martis, [10]) et manere usque ad diem Lunae, faceres, ut videtur, operae pretium. [Sin tibi citius redeundum erit, non consulo ut frustra tantum molestiae subeas. Si rationes ecclesiae vestrae non ferent ut tam mature venias, nihil dico. Verum si tuo loco essem, scio quid essem facturus. Sed nolo meum iudicium sequaris.] Vale igitur, frater et amice carissime, una cum uxore et fratribus, quos salutabis omnes meo nomine. D. *Fallesius* ingentes tibi apud me gratias agit, ac mihi etiam, quod tibi autor profectionis fuerim. [11]) 27. Mart. 1547.

Ioannes Calvinus tuus.

889. 1) *Claudius archigrammateus reipublicae, olim syndicus. Beza suppresso nomine literam* N. *adscripsit ut et infra.*
2) *Negotium de quo hic loquitur iam supra ad N.* 884 *attigimus. Per tres menses ea causa in senatu agebatur qui consistorio ius denegabat ex propria autoritate Fr. Fabrum adulterii reum excommunicandi. Qui fuga se subeundae carceris poenae subduxerat et restitutionem suam per amicos sollicitabat.*
3) plerique *Edd.*
4) *Ipse demum* 29. *Martii senatum hac de causa adiit, sed nihil effecit. Pridie Cal. Apr. decretum est consistorio nihil iuris competere nisi:* bonne admonestation iouxte la parole de Dieu.
5) *Am. Perrinum. Ex hoc cognomine disces quo loco eum iam habuerit.*
6) *Non Rosetus Claudii filius ut schedae nostrae margini adscripsit G. Kampschulte vir clar. et desideratissimus, sed fortasse Morel qui a.* 1544 *syndicus fuerat. Rosetus enim a.* 1534 *natus tunc ne praetextatus quidem erat (Galiffe not. gén.* I. 349).
7) *Hic quoque edd. literam* N. *praebent. Cf. N.* 798 *et* 809.
8) Unum *edd. — Amblardum Corne s. Cornaz saepius supra obvium habuisti. Cf. N.* 409.
9) *Fabrum?*
10) 29. *Martii.*
11) *N.* 884.

890.

CALVINUS MYCONIO.

Commendat ei duos Gallos patria profugos.

(Ex autographo Archiv. Turic. olim Scrin. B. Epp. Tom. VI. part. I. nunc Plut. VI. Vol. 111, fol. 1436. — Simler. Vol. 63.)

Ornatissimo viro D. Osualdo Myconio Basiliensis ecclesiae fido pastori fratri et symmystae colendissimo.

Basileae.

S. His duobus piis viris commendationem dedi ad *Bucerum*. Sed quia istic quoque volebant tentare num qua sibi inveniretur apta conditio, rogarunt ut alteras ad te quoque literas adderem. Quod ego illis negare non debui. Dignos enim iudico quibus manus ab omnibus bonis porrigatur. Ne tamen iniquum tibi onus imponere videar, admonui te non multam habere facultatem eos iuvandi. Tu igitur dispicies quid possis. Senior effugit ex patria manus impiorum, quum subinde illum vexare non desinerent. Si quis angulus erit inferioris Germaniae, in quo possit ecclesiae locare suam operam, id curae erit *Bucero*, ut spero. Abs te hoc tantum peto ut agnoscat se non negligi. Alter est medicus. Virum certe honestis moribus praeditum et modestum cognovimus. Si non erit alia ratio, saltem consilium aliquod forte tibi suppetet, quod illis aut eorum alteri sit utile. Vale, eximie vir et frater in Domino plurimum colende. Saluta quaeso diligenter *Marcum*[1]) et reliquos tuos collegas, D. *Bernardinum*, D. *Oporinum*, *Dryandrum* et amicos omnes. Dominus Christus vos servet ac tueatur tuoque ministerio benedicat. Uxori tuae plurimam salutem. Genevae 4. Calend. Apriles 1547.

Ioannes Calvinus tuus.

891.

BUCERUS CALVINO.

Mittit nuncium qui deditum Imperatori Argentoratum Genevensibus significet, vel certe rem in summo discrimine positam.[1])

(Manu scripta non exstat. Habent editiones Bezanae Gen. p. 75, Laus. p. 147, Hanov. p. 165, Chouet p. 100, Amst. p. 46.)

Orate Dominum ardenter pro hac republica et ecclesia, ut discat animam suam perdere, quo servet eam. Caetera ex hoc optimo fratre. Dominus servet vos et erigat contra mala omnia. Uxor tua et domus tua tecum salveat. Idem petit et mea. Pridie Calendas Aprilis 1547.

890. 1) *Bersium.*
891. 1) *Cf. N.* 886, *not.* 2.

892.

CALVINUS VIRETO.

Quoad negotium senatum inter et consistorium res adhuc suspensae. Ideo iterum rogat ut adsit propediem. De Bernardino vocando cogitatum est sed sine effectu. De nuptiis Claudii cuiusdam.

(Autographon praebet Cod. Genev. 106, fol. 188. Ionvillaei exemplar Cod. 111[a], fol. 11, Turretini Cod. 111, fol. 164, Bernense Epp. VII. p. 820, Simlerianum Vol. 63.)

Eximio Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et symmystae carissimo.

S. Ego gravitate qua decuit retudi impetus illos[1]) a quibus tantopere metuebat *Rosetus*. Noster comicus Caesar ingenium nihilominus retinet. Nisi fallor, qui semper illi amici fuerunt, dicent hominem esse desperatum. Si privatim mihi faceret sui copiam, conarer eum ad saniorem mentem revocare. Sed minus esset difficultatis in principe adeundo. Malo tamen ipse coram videas ac iudices. Quamobrem te oratum velim ut mox a paschate nos invisas. De *Bernardino*[2]) frater noster mecum egerat. Ego ideo verba publice non feci, quod nulla est domus quam illi senatus offerat. Eum vero ad reditum invitari et nihil offerri, absurdum est. Verum quoniam ista deliberatio moram exigui temporis ferebat, malui in adventum tuum differre. Simul etiam de literis *Buceri* conferemus. Te hic proximo die Lunae[3]) futurum spero.

De *Claudii*[4]) nostri coniugio quid scriberem? Ridiculus certe est *Ferronius* qui me adiutorem fore pollicetur si tu scribas. Sed quorsum id? Iam facta erant sponsalia me nesciente. Ambiebatur ab adulescente quodam vidua. Hortatus sum ut ingenue profiteretur se alteri nupsisse. Interea et tibi et aliis persuadere volunt, me conciliatorem esse suarum nuptiarum. De quibus verbum nunquam fecerunt apud me donec confectum esset totum negotium. Ego iniquum onus a me excussi. Coniugium mihi non displicet. Circuitus istos miror. Adeoque magis offendor quod ipsa causa minime ambages requirebat. Promiseram quidem, me facturum apud te et fratres ne improbaretis si duceret uxorem, aut magis alieno essetis animo. Frustra enim hoc timebant. Nunc, quod felix ambobus faustumque

892. 1) *Vide N.* 889.
2) *N.* 888, *not.* 4. *Eo tempore non habebat ubi pedem figeret et fortasse Bucerus ipse Genevam vocandum putaverat.*
3) 11. *April. postridie paschatis.*
4) *Simlerus in margine Senarclenii nomen adscribit. Cuius coniectura minime nobis arridet, si sermonis tenorem consideramus.*

sit, statuerunt nuptias celebrare. Et hoc est melius quam rem confectam longius protrahi. Vale, optime frater et amice integerrime. Saluta diligenter fratrem nostrum *Iacobum*, *Ribittum* et reliquos meo nomine. Uxori tuae ego et uxor plurimam salutem optamus. Dominus vos conservet. Genevae 6. April. 1547.

Ioannes Calvinus tuus.

893.

VIRETUS CALVINO.

Pro tempore Lausanna relicta Genevam venire nequit. Neque opus est ut adsit quum Calvinus iam omnia optime confecerit.

(Ex autographo Cod. Genev. 111ª, fol. 160. Alibi non exstat.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori vigilantissimo fratri et symmystae carissimo.

Genevae.

S. Gaudeo felicius rem tibi successisse [1]) in compescendis ferocibus istis ingeniis, quam illi arbitrabantur qui mihi omnia faciebant tam tragica. Adest Dominus suo spiritu, atque eo potentius quo minus reformidamus vultus potentum et minus malis cedimus. Quid de comico Caesare dicam, nescio plane, nisi quod doleo vicem eius. Non opus est ut istuc proficiscar, [2]) experiundi causa quae tu ad me scribis. Videor mihi hominem videre. Dominus eius misereatur. Lubens te et ecclesiam invisissem, sed mihi nunc non est satis commodum. Sum nonnihil fractus laboribus, et tamen urgent aliunde novi labores, iique necessarii, quibus mihi hac hebdomade incumbendum est. Videbo igitur quando mihi erit commodius. Si mea vobis opera esset opus, reliqua negotia intermisissem. Sed quia haec non sunt contemnenda, nihil est autem istic quod agam, quod in aliud tempus non possit commode differri, malui profectionem in aliud tempus protrahere. Ergo boni consules si ad diem quem mihi praefixisti non me istuc sistam. Salutant te nostri omnes, praecipue vero collega et mea uxor, quae tuae quoque salutem optat. Vale. Lausannae, 10. Aprilis 1547.

Tuus Petrus Viretus.

893. 1) *Hic paulo maiora canit quam oportebat. Nequaquam consistorio concessum quod Calvinus voluerat. Decrevit senatus totam causam pace facta sepeliendam esse:* A este advise que tant le differrent que la hayenne qui pourroit estre entre les ministres et le capitaine Perrin, sa femme, et aultres de la mayson et parens dudit Favre soyt paciffie amyablement et soyent reconstituez par ensemble: toutesfois que ledit Favre soyt obeyssant a Dieu et a la iustice comment les aultres et que lon y procede au meilleur moien que fere se pourra. (*Reg. du Conseil* 29. *Mars.*)

2) *Profectus est tamen paucis post diebus. Die* 21. *April. in Senatu verba fecit.*

894.

DRYANDER CALVINO.

Sperat eum Basileam venturum ubi et Melanchthon exspectatur, si quidem in praesenti rerum statu iter suscipere queat. Tum de morte fratris sui deque variis aliorum rebus scribit, denique et nova affert ex Germania.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 66.)

Doctissimo viro D. Iohanni Calvino ministro verbi Dei in ecclesia Genevensi.

S. D. Gratae mihi fuerunt literae tuae, doctissimo *Calvine:* gratior erit tuus conspectus si ad nos veneris, ut promittis. Video te credere non posse Philippum *Melanchtonem* huc esse venturum. [1]) Ego quid futurum erit non possum affirmare, praesertim in tanta perturbatione rerum publicarum. Caeterum *Philippus* ipse binis literis idem mihi serio promisit. In postrema epistola quam ab eo accepi diserte scribit se venturum esse, etiam si per medias hostium acies erit penetrandum. Nollem eum praestare, in hac dissipatione rerum, quod promisit. Nam et Imperator est Norimbergae [2]) quo ipse erat venturus, et Argentina accepit iugum tyrannidis nihilo mitius, fortassis etiam acerbius et turpius quam caeterae civitates, utcunque palpum obtrudere populo et nescio quibus artibus dissimulare videantur. Sunt ista iudicia Dei admiranda quae humano iudicio penitus comprehendi non possent. Magnam quandam rerum mutationem hominibus ignotam videtur moliri Deus. Quidquid est exitus declarabit.

894. 1) *Et sane non sine causa id credidit. Melanchthonis filia Anna nuper mortua erat, uxor gravi morbo laborabat, d.* 24. *Aprilis electoris exercitu profligato et duce capto ipse cum familia Cal. Maiis Wittenbergam fugiens reliquit.*

2) *d.* 24. *Martii urbem intraverat.*

Grata mihi fuit tua consolatio de casu fratris acerbissimo.[3]) Ego vero non ignoro vera esse quae a te scribuntur: sed quia homines sumus et hac infirmitate carnis circumducti, non possumus, neque etiam debemus omnem sensum doloris exuere. Et tamen in dolore ipso gratulor viro fortissimo hanc constantiam in confessione veritatis, planeque statuo, non casu neque fortuito translatum esse fratrem in aeternam illam ecclesiam beatorum aevo sempiterno duraturam, ubi ornatur a summis viris hoc triumphali carmine: Hi sunt sancti qui lavantur in sanguine agni. Utinam vero haec divina incendia per omnes Hispaniae fines spargantur, ut vel hoc exemplo permotae nobiliores mentes ab ea in qua nunc vivunt impietate tandem resipiscant. De metu *Claudi*[4]) quod scribis, ut condonem aetati atque imperitiae, non sum adeo morosus, mi *Calvine*. ut haec et multo etiam graviora non possem devorare, ac animo aequo ferre, praesertim in amicis. Amo *Claudium*, et eum opto ornatum esse virtute constantiae et gravitatis. Tantum vel ipsius causa cuperem ne quid tentaret quod ipsi deterius cederet quam si prudenter et graviter quiesceret. Id tua prudentia providebitur.

De statu rerum germanicarum cognosces ab iis qui tibi has literas tradent, quorum aliquos novisti. Sequetur, ut spero, non ita multo post[5]) D. *Fallesius*, qui aliquoties a me contendit ut cum ipso venirem. Non promisi. Et si venio, tui tantum videndi causa veniam. Sed mallem te venire ad nos, ut una cum *Philippo* hic oblectaremur, si tamen ulla oblectatio esse poterit in tanta dissipatione ecclesiarum.

Dum has literas scribo nunciat mihi *Myconius* venisse in hanc urbem ducem *Christophorum*, tantum ut nunciet suo patruo *Georgio: Ferdinandum* regem esse pulsum de regno Bohemiae, atque ipsos Bohemos conspirasse adversus totam domum Austriacam. Arbitror etiam foedus initum esse inter eos et *Saxonem*, qui dicitur praeclare et animose rem gerere.[6]) Si quid aliud intellexero te admonebo. Idem ut tu facias oro. Bene vale cum tota ecclesia. Basileae 14. April. 1547.

Tuus Franciscus Dryander.

3) *Iac. Enzinas, maior natu fratrum Parisiis et Lovanii literis operam navaverat et cum iis ad sacra reformata transierat. A patre Romam ire iussus ibi complures annos remansit, usque dum ab Hispano quodam proditus flammis exstinguendus traditus fuit. Mortem eius M'Crie.* (*Ref. in Sp. p.* 189) *ad a.* 1546 *refert, quo teste nescimus.*
4) *sic. An eius de quo N.* 892?
5) *imo multo serius quam pridem voluisse videtur.*
6) *De his, minime vanis rumoribus, sed seriis discriminibus v. Ranke*, IV. 393 *ss.*

895—898.

SERVETUS CALVINO ET CALVINUS SERVETO.

(In libro contra Servetum edito Calvinus inter alia describit *Tres quaestiones* sibi ab illo propositas, ad quas paucis respondisse se dicit, et hoc ipsum responsum iam lectoribus exhibet. Cui quum Servetus *Refutationem* opposuisset, itidem eodem loco editam, alteram suam *Responsionem* subiicit. Denique Servetus novam epistolam misit, quam tamen Calvinus postea suo libro non inseruit. Iam quaestiones illas et caetera documenta quae ad easdem pertinent edidimus in Opp. Tom. VIII. p. 482 seqq., ultimam vero Serveti epistolam ibidem in Prolegomenis p. xxx. Quo vero tempore hoc commercium epistolicum locum habuerit nusquam in libro edito indicatum, atque etiam illa ultima Serveti epistola sine die et consule in suo codice venit. Exstant vero in bibliotheca Genevensi in fasciculo documentorum N. 197 a. a. signato manu coaeva, fortasse Bezae, scripta apographa duarum illarum Calvini responsionum, quarum posterior expressis verbis ad 19. April. 1547 refertur. Huius ergo hoc loco mentionem facere debuimus et ne quae arctiore vinculo inter se cohaerent propter incertam aetatem distraheremus, simul et caeteras epistolas hic recenseri posse duximus.)

899.

CALVINUS MUSCULO.

Occasione oblata nihil antiquius habet quam ut amicum in praesenti discrimine rerum de suo constanti erga eum animo certiorem faciat eique ipsius fortitudinem gratuletur.

(Autographon contulimus Zofingae in Epp. Reform. T. I. pag. 10 ex quo etiam descripserat Simler. Vol. 63. Aliud apographon exstat in Cod. Genev. 196, fol. 75. Anglica versio T. II. p. 94.)

Eximio Christi Domini nostri servo D. Wolfgango Musculo, Augustanae ecclesiae pastori fratri et symmystae colendissimo.

S. Si argumentum his literis persequi velim, quale tempus et praesens rerum conditio postulat, finem nullum fore video. Obstant etiam aliae rationes quominus hanc adeo spinosam sylvam ingrediar. Hunc tamen adulescentem, qui se mihi obtulerat, nolui prorsus vacuum a me dimittere: saltem ut tibi testarer, me in hoc calamitoso ecclesiae vestrae statu, ut amicitia nostra dignum est, semper esse tui memorem. Equidem, quum primi rumores allati essent, tu mihi inter primos occurrebas quorum periculum me cruciaret. Ac quum moeroris impotentia Tigurum usque me rapuisset,[1]) simul

899. 1) *Respicit ad iter quod m. Ianuario exeunte susceperat.*

atque in *Bernardinum* incidi,[2]) qui dimidia fere hora appulerat antequam mihi obvius fieret, salutationis rerumque omnium oblitus de meo *Musculo* sciscitari incipio.[3]) Quanquam sic de tua salute me fuisse sollicitum fateor, ut simul vehementer metuerem ne ecclesiam desereres in tanta necessitate, ut fieri solet rebus desperatis ac perditis, vel potius, tanquam a grege desertus, alio te conferres. Difficile enim est in tam densa caligine cernere quid maxime expediat. Nunc, quamlibet acris fuerit probatio, Dominum tamen et tibi et collegis spiritu prudentiae et consilii illuxisse, vestrosque animos spiritu fortitudinis sustinuisse gaudeo, quoad in rebus non optimis licet. Deo etiam gratias ago, quod rebus utcunque mitigatis aliquantulum vobis respirare datum sit, donec plane tranquilla serenitas affulgeat. Interim nos experimento discere convenit quod omnibus saeculis usitatum fuit, Deum mirabiliter, absque humanis praesidiis, ecclesiam suam servare. Freti igitur hac fiducia per quasvis difficultates perrumpere nitamur, nec unquam deficiamus animis, etiamsi nos omnia destituant. Vale, frater integerrime et mihi ex animo carissime, una cum symmystis tuis, quos omnes salutabis meo nomine peramanter. Dominus Iesus vobis adsit, vos gubernet suo spiritu, vestrisque sanctis laboribus benedicat. Domui etiam tuae plurimam ex me salutem dices. Genevae 21. Aprilis 1547.

Ioannes Calvinus tuus.

Collegae etiam mei vos omnes reverenter salutant. Si quando dabitur opportunitas facies me de rebus tuis certiorem.[4])

900.

CALVINUS MYCONIO.

Michaelem Copum commendat Basileam proficiscentem.

(Ex autographo Archiv. Turic. olim Epp. Tom. VI. Part. I. nunc Plut. VI. Vol. 111, fol. 1437. — Simler. Vol. 63.)

Ornat[*issimo viro*] D. O[*sualdo Myconio*] Basili[*ensis ecclesiae pastori*] fratri et [*symmystae*] colend[*issimo.*]

S. Hic unus est ex collegis nostris, Michael *Copus*, vir eximiae pietatis et doctrinae, sed qui plus habet reconditum quam in fronte ostendat. Qua de causa istuc profectus fuerit, tibi breviter exponet. Si commendatione opus habeat, peto abs te ut te illi humanum facilemque praebeas, imo plane amicum et fratrem praestes. Nihil est in praesentia quod scribam. De rebus nostris ex eo intelliges. Vale iterum atque iterum una cum uxore. Dominus Iesus vos regat spiritu suo ac virtute sua conservet. Genevae 25. April. 1547.

Ioannes Calvinus tuus.

901.

CALVINUS MYCONIO.

Valerandi Pollani negotium cum puella in matrimonium ducenda denuo tractat.

(Manu Calvini scripta non exstat. Ipse Cod. Gen. 106, fol. 189 exhibet apographon. Alia habet Cod. 111, fol. 166, Bern. Epp. VII. p. 822 et Simler. Vol. 64.)

Praestantissimo viro D. Osualdo Myconio Basiliensis ecclesiae pastori fidelissimo symmystae inprimis honorando.

S. Valde miratus sum quum audivi litem illam,[1]) quam nobili puellae *Wilerziacae*[2]) movit *Valerandus*, adhuc istic pendere. Nunquam enim putassem tam longis ambagibus istic locum dari. Ego quidem non ausim, neque etiam velim, de re mihi nondum satis comperta pronunciare. Sed quantum ex idoneis testibus intelligo, res non est adeo perplexa quin possit breviter expediri. Me ipsius *Valerandi* miseret, de quo antehac nonnihil boni speraveram. Ut tamen verum fatear, accidit quod timui, quum signa aliqua suae levitatis bonis ac prudentibus viris prius dedisset. Quanquam in eo decepti fuimus omnes, quod nunc perinde ac homo prostituti pudoris ludibrio se propinat, ut puellam secum infamet, quae minime digna erat talibus contumeliis. Et quid aliud proficit, nisi ut tanquam

---

2) *Qui tamen ibi non diu commoratus est, cf.* N. 888, *not.* 4.

3) *Post redditam urbem Augustam ibi remansit cum collega Io. Hallero. Hic postea in Helvetiam se contulit m. Oct.* 1547, *ille vero demum promulgato Interim d.* 26. *Iunii* 1548 (*Ruchat* VII. 14).

4) *Musculus adscripsit:* 1547. 3. Maii *quo scil. die epistolam accepit.*

901. 1) *Videtur causa forensis fuisse, secundum legum formam acta coram consistorio Basiliensi aut alio tribunali. Vide infra.*

2) *In nomine codices et ipsi scriptores epistolarum variant. Bonnet quidem formam nominis* Wilergy *praefert, Calvini manus tamen illam quae et hic occurrit. Caeterum ex ipsis epistolis rem ipsam vix accurate disces.*

cynicus aliquis rideatur.[3]) Neque haec dico ut hominem moneas, quia non dubito quin iam remedia omnia tentaveris, et vix in tanta ingenii protervia utiles fore admonitiones spero. Cupio sane ad pristinam mentem reductum. Sed expertus sum in una epistola, surdo cani fabulam, si quis illi sanum consilium suggerat. Ego placide summaque modestia eum reprehenderam.[4]) Ita rescripsit[5]) ac si plus quam atrociter a me laesus esset. In eo intemperiem suam ac male compositum mentis impetum prodidit, quod facile ignosco. Sed quod non dubitavit, quantum audio, apud clarissimum senatum vestrum gloriari, meas literas patrocinari suae causae, ea vero minime ferenda est improbitas. Et tamen ubi omnia effutivit, quid iudices retardet non video. Testes producit. Atqui nuper *Farello* scripsit, rem coram Deo actam esse, absque hominum testimonio. Longa nugarum farragine causam involvit. Quorsum id, nisi ut iudicibus oculos perstringat? Illi vero nimium sunt patientes, qui patiuntur ita sibi illudi. Sed officii tui esse existimo, puellam, quam inique vexari vides, tuo suffragio sublevare, et simul curare ut hominis parum verecundi insolentia coerceatur. Quoniam vero mea quoque privatim interest eius calumniam, quam mihi inussit, dilui, peto abs te ut iudicibus et senatui indicare velis, merum esse mendacium quod de literis meis iactat. Ego enim tam levem existimari me nolo, quod pessimae causae et illiberalis patronus exstiterim. Literas ab eo quaternas recepi de hoc negotio conviciatrices et turbidis exclamationibus plenas. A me non nisi unas habet, quibus factum eius modeste damnatur. Impudenter ergo facit qui ex nomine meo quaerit praetextum. Si quid aliud compertum fuerit, infamiam subire non recuso. Nec vero ambitione facere me putes quod de mea existimatione sum sollicitus. Quae enim erit ministerii nostri autoritas, si talis resideat in nobis suspicio? Nec mihi etiam dubium est quin aliorum nominibus abusus fuerit. Feceris ergo quod fide tua gravitateque dignum est nec ab officio pastoris alienum, si te apud iudices hominis audaciae opposueris, ut aliquando eam autoritate sua retundant. Vale, frater in Domino plurimum colende et ornatissime vir. Dominus te perpetuo regat una cum symmystis vestroque ministerio benedicat. Amicis omnibus uxorique tuae plurimam salutem. Genevae calendis Maii 1547.

Ioannes Calvinus tuus.

3) *Apographa male:* videatur.
4) *N.* 888.
5) *Omnes Pollani epistolae huc pertinentes deperditae sunt.*

902.

CALVIN A M. DE FALAIS.

Encore Poullain et son procès.

(Orig. autographe. Bibl. de Genève. Vol. 194, fol. 54. Éd. d'Amst. p. 110. Éd. Bonnet. I. 196. — Éd. angl. II. 96.)

A Monseigneur Monsieur de Fallez.

Monseigneur, iescris a *Myconius*, comme vous verrez par la copie que ie vous envoye. Il ma semble advis que cestoit assez, pource que les iuges comprendront mieulx mon intention de sa bouche. Et y aura plus de gravite, pource que la poursuite ne sera pas si vehemente de mon coste, comme si ie ne mingerois de leur escrire, comme ayant la matiere trop affectee. Ie croy que nostre frere Maistre Pierre *Viret* fera le semblable envers le sieur Bernard *Mayer*,[1]) suivant ce que ie luy en ay mande. Quant il seroit besoing, il se condamne de desloyaulte en ses lettres quil ma escrites. Car apres mavoir requis au mois de ianvier dinterceder pour luy au mariage de *Merne*,[2]) il ma mande que *Wilerzy* lavoit ayme *ante multos menses* iusque a le demander pour mary, plus tost que destre cherchee. Comment cela saccorde il? Sinon quil en voulsist avoir deux ensemble. Mais le tout est quon luy couppe la broche a toutes ses chicaneries, attendu quelles sont trop indignes daudience. Sur cela ie ne pense point que les iuges ny mectent fin bien tost.

Monsieur, apres mestre de bon cueur recommande a vostre bonne grace et de Madamoiselle, sans oublier les trois Damoiselles,[3]) ie prye nostre bon Dieu de vous avoir en sa garde, de vous confermer tousiours en patience, de vous delivrer des fascheries de cest importun, et vous amener en bonne prosperite. Ce premier de may, de Genefve.

Vostre serviteur et humble frere,

Iehan Calvin.

902. 1) *Conseiller à Bâle et frère du bourguemestre de cette ville, Jaques Meyer. Bernard avait été arbitre médiateur entre Berne et Genève dans l'affaire de S. Victor. Voyez du reste la lettre suivante.*
2) *Déjà précédemment Calvin avait reproché à Poullain de s'être engagé, ou d'avoir fait des avances à deux personnes.*
3) *Ce ne sont en aucun cas des soeurs de M. de Falais.*

903.

VIRETUS FARELLO.

Valerandi negotium aliaque ad Fallesium spectantia. Genevae animi a Calvino mirum quantum alienati. Nihilominus ipse Perrinum ei conciliavit.

(Ex autographo bibliothecae pastorum Neocomensium.)

Eximio Iesu Christi servo Guilielmo Farello fratri et symmystae plurimum observando
Neocomi.

S. Adeo obruor ut vix respirare liceat. De causa *Valerandi* [1]) nihil opus est ut tibi scribam. Ipse suis se literis satis prodit. Ex ipsis abunde intelligis quam sibi constet, et quam sit animi compos. Homo est mire varius et meo iudicio nimius conscientiae iactator. Nullos unquam vidi qui minus nossent quid esset conscientia, quique eius minorem haberent rationem, quam qui eius et iudicii divini sunt tam prodigi advocatores. Tu ex exemplari literarum *Calvini* ad *Myconium* intelliges quid de eo *Calvinus* sentiat. Scribo *Calvini* consilio ad Bernardum *Meyerum*, sicuti rogaverat *Fallesius*. Scribo et ad *Fallesium*. [2])

Ex literis *Calvini* ad me, quas ad te mitto, disces quid tibi sit *Fallesii* causa faciendum in ratione reddendarum literarum. Nihil pactus sum cum his tabellariis, quia speravi te forte nuncios istic invenire posse, quibus nullo *Fallesii* sumptu literae Basileam perferantur. Sin minus, aut tu cum his paciscere, aut, ut monet *Calvinus*, expeditum mitte nuncium. Hi facile movebuntur proposito aliquo praemio. Haec igitur res tota tibi curae erit, de qua iam satis. [3])

Veniamus Genevam. Nunquam hactenus animos magis alienatos a *Calvino* compereram, neque senatores pertinacius et diutius ab ipsius abstinere consortio et consuetudine, aliis odio distractis, aliis metu ne in delatorum venirent suspicionem. [4]) Vide quo prolapsa res est unius hominis [5]) magnitudinis sola imaginatione. Res tamen pergunt ut prius, quod ad ecclesiam attinet. Spero posthac maiorem futuram aliorum cum aliis consuetudinem. *Perrinum* convenimus, [6]) eumque in *Calvini* aedes adduximus, ubi libere hominem admonuimus. Ipse quoque vicissim libere respondit. Exitus laetus fuit. [7]) Faxit Dominus ut ex animo et constanti proposito. De socero [8]) nulla spes est. Homo non est, ne dicam Christianus. Nondum exciderunt animo tuae literae [9]) *Perrino*, quamvis id quantum potest dissimulet apud me nunc. Aliquando tibi scribendum erit, sed non prius quam te monuero et de scribendi ratione. Nunc pluribus tecum agere non possum. Salutant te collegae et uxor, cum collega tuo et tuis omnibus. Quibus velim abs te meo quoque nomine salutem adscribi. Vale, Lausannae, 4. Maii 1547.

Tuus Petrus Viretus.

Legere poteris exemplar mearum ad Bernardum *Meyerum*, et complicare omnia apposite et tuto quae Basileam mittuntur.

903. 1) *Quaecunque ad huius causam spectant satis superque in praecedentibus.*

2) *Non exstat, nec magis Calvini ad Viretum de qua mox.*

3) *Haec tam sollicite tractata ad aliud potius negotium spectare videntur quam ad illam Pollani causam, quamvis et haec Fallesium tetigerit; si quid videmus, puella illa eius affinis erat.*

4) *Vides quid ille sua in vindicanda consistorii autoritate profecerit, maxime quum primores familiae eius severitatem senserint. Certamen erat et hic inter rempublicam et ecclesiam.*

5) *Perrini ergo solius culpa erat quod Calvinum caeteri refugiebant.*

6) *Hoc circa d. 21. Apr. factum fuisse docet N.* 893, *not.* 2.

7) *Ad tempus tantum.*

8) *Francisco Favre.*

9) *N.* 830 *et* 843.

904.

DRYANDER BULLINGERO.

Pollani causam ei exponit, hominis nimirum turbulenti et stulti, nunc vero plane insani.

(Autographon exstat in Archiv. Turic. olim Scrin. B. Epp. Tom. XXXIV. nunc Plut. VI. Vol. 156, fol. 34. — Simler. Vol. 64. Inscriptio adest nulla.)

S. D. Superiorem hebdomadem consumpsi Argentinae, [1]) vocatus eo ad negotia quaedam permodesta, ne quis in hoc fatali saeculo sit angulus qui careat tristissima rerum maximarum contentione. Proinde non potui superioribus diebus ad te scribere. Alioqui satis multa sunt, quum publica tum privata, quae libenter tecum communicarem. Intus in corde sunt tristissimi dolores, foris in tota republica horribilis perturbatio. Graviores causas

904. 1) *Quo ex Basilea ubi tunc commorabatur se contulerat. Basileae enim haec epistola scripta, ut ex sequenti narratione apparet.*

coram, Deo volente, communicabo. Quod nunc me urget paucis dicam. Est in hac urbe quidam vir Belga, cui nomen est *Valerando*, homo turbulentus et fraudulentus, qui possima quadam atque impia sua causa totam nostram rempublicam perturbavit, ut notum est praecipuis viris istius et Argentinensis civitatis, *Bucero*, *Petro Martyri*, *Myconio* et consuli denique nostro.[2]) Longum esset rem universam narrare. Summa haec est: Decepit fraudulentis verbis honestissimam et nobilem puellam a patria propter religionis professionem exsulantem, omni consilio destitutam, et in periculo itineris constitutam, quam sub patrocinio[3]) D. *Fallesii* ex Belgico adducebat, cuius in aere ipse erat. Iam quaeritat undique falsa testimonia quibus laedat existimationem puellae honestissimae. In has angustias atque impias contentiones adduxit eum primum ipsius natura perversissima, deinde etiam Anglus[4]) qui apud vos est. Nam hic quum se principio huic causae misceret, non iudicio sed inconsulto affectu, fecit ex *Valerando* homine stulto plane insanum. Haec ideo dico ut, si *Valerandus* forte ad vos venerit, agnoscas naturam hominis, et scias in quibus causis versetur, quae non solum ipsi erunt damno, sed honestissimis etiam hominibus sunt dedecori. Sint quoque admoniti reliqui fratres, ne ab hoc homine decipiantur, qui et garrulus est et ingenio versatili, et prima fronte hominem non attentum possit decipere. Si tempus concederet iste tabellarius, *Myconius* tibi hominem depingeret longe aliter quam ego possum, de quo frequenter dicere solet: Si Christiani deberent esse tam turbulenti et inquieti, ut est hic homo, ego nollem unquam esse Christianus. Ad haec nollem mihi fraudi esse, neque veritati, commendationem meam quam dedi Anglo ad te. Laudavi eum a studio doctrinae. Idem adhuc sentio. Mores illius non attigi, quos video quotidie minus esse integros quam putarem, praesertim in hac causa. Uxorem fusius laudavi, quam sentio esse omni laude dignam. Sed de his rebus plus satis. Tantum te cum fratribus admonitum volui, ne decipiamini specie recti ab hominibus non bonis. Totam causam coram narrabo — — — — Bene vale cum tota ecclesia. 8. die Maii 1547.

Tuus Franciscus Dryander.

2) *Iacobo Meyero.*
3) *Hic de cognatione nihil.*
4) *Quis hic ab ipso Dryandro Turicensibus commendatus fuerit, difficile dictu foret, nisi eundem dixeris atque illum quem Myconius nominatim laudat eadem occasione in ep. N.* 911.

905.

VIRETUS CALVINO.

Agit de Sonnerio qui propter certas quasdam difficultates commutationem loci sibi quaerit.

(Ex autographo Cod. Genev. 111 a, fol. 161.)

Eximio Christi servo D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fratri et symmystae plurimum observando.

Genevae.

S. Intelliges ex *Sonnerio* fratre quae fuerit classis suae sententia de commutatione, de qua nuper, quum istic essemus, nobiscum egit.[1]) Tuum erit, si factum probas, rem totam fratribus vestri conventus explicare, et necessitates, quae urgent *Sonnerium*, sicut nuper de iis contulimus. Mallet ipse nobiscum nullis urgeri istis difficultatibus, quae ipsum et familiam et ipsius ministerium turbant. Sed postquam eo ventum est ut non possit alia ratione ex his eluctari difficultatibus, quin in graviores et ecclesiae nocentiores incidas, praestat eligere quod est tolerabilius. Dabis igitur operam ut omnia fiant in gloriam Domini. Si res conficitur, vestrum erit serio monere *Ludovicum*[2]) ut se semper praestet dignum Christi ministrum, caveatque sibi ne malorum consortio a recta via abstrahatur, atque eo diligentius quo natura propensior est ad studia illa quae minus pastoris evangelici gravitatem decent. Res nostrae habent ut solent. Cras hic habebitur classis conventus. Mitto ad te literas *Tussani* et *Buceri*.[3]) Nostri te omnes salutant et tuam uxorem, praesertim mea uxor et collega. Salutem dices meo nomine uxori et symmystis. Vale. Lausannae 10. Maii 1547.

Tuus Petrus Viretus.

906.

BUCERUS MYCONIO ET CALVINO.

Cladem Mühlbergensem nunciat, qua permissa Dominus ecclesiam non hominum sed suo ipsius brachio vindicandam esse declaravit.

905. 1) *Quae hic afferuntur, quum ex aliis epistolis illustrari nequeant, tibi extricanda permittimus. Exitum rei habebis N.* 907.
2) *Trepperellum ministrum in Céligny.*
3) *Neutra aetatem tulit.*

(Ex autographo Bibl. civic. Turic. MSS. F. 80, olim Epp. Tom. 45, fol. 125. — Simler. Vol. 64.)

Optimis et fidelissimis ministris Domini Myconio et Calvino collegis et fratribus.

Gratiam et pacem. Iam Dominus admodum manifesto signo declaravit, statuisse se ecclesias suo brachio vindicare. Traditum enim *Electorem* in manus Imperatoris iam et nostri scribunt. Quid Boemi [1]) et tres reliqui nostrorum exercitus, quidve *Landtgravius*, qui iterum se strenue instruere coeperat equite et pedite, moliantur, nec ab adversariis audimus. Dominus consoletur captos. Beati sunt qui ceciderunt in Domino. Nunc placebunt sibi qui censuerunt arma in tempore deponere. Gratia et gloria sit Domino, cuius omnia iudicia iusta sunt et qui credentibus sibi facit mori lucrum esse et gloriam suam tamen antichristis non dabit. Frater *Electoris*, uxor et liberi reliqui (nam primogenitum aiunt cecidisse) Wittempergae sunt,[2]) quae commeatu et praesidio dicitur probe esse munita. Christus pax nostra det nobis agnoscere quam in ipso habemus pacem: sic nulla nobis mundi pressura non tolerabilis, ac etiam lucrosa erit. Optime valete in Domino. Et te, *Myconi*, rogo, schedam iunctam cum exemplo literarum harum mitte quum potes ad *Sultzerum*, et saluta uxorem, collegas, *Dryandrum*, ac domum totam *Grynaei*. xj. Maii.

907.

CALVINUS VIRETO.

Quid in causa Sonnerii actum sit exponit.

(Autographon non exstat. Beza edidit Genev. p. 369, Laus. p. 147, Hanov. p. 165, Chouet p. 507, Amst. p. 231. Cuius textum contulimus cum apographo Ionvillaei in Cod. Genev. 111ᵃ, fol. 11 v.)

In causa *Sonnerii* [1]) feci quantum fides primum mea, deinde pudor etiam sinebat. Quum nemo esset fratrum cui non venirent in mentem eadem illa omnia, quae nos illi obieceramus, visum est mature occurrere. Atque ut plus autoritatis haberet mea oratio, literas etiam tuas recitavi. Clausula haec fuit: quia unum hoc remedium perspiciebam, ne frater qui hactenus strenue laborasset in vinea Domini, et virtutibus non contemnendis polleret, inutilis in posterum redderetur: mihi non displicere migrationem quam petebat. Nam ex malis compluribus, quae timerem, hoc esse minimum. Postquam ad consultationem ventum est, multorum sermonem aliquoties abrupi, ut in mitiorem sententiam quoquo modo adducerentur. Sed erant firmiores, quam ut flecti possent. Ac ne quid dissimulem, non pauca illi obfuerunt. Necessitatem constituebat in morte soceri. Contra obiiciebant fratres, scire se iam ultra annum, hunc lapidem fuisse motum a *Sonnerio*. Dicebant alii, eum non invenire aut villicos, aut redemptores, quia nimium exigeret. Omnes fere sentiebant, non remedium quaeri, sed compendium, quo se magis ac magis immergeret. Quum secundo rogare sententias instituerem, primus dixi meam (quod non soleo facere) qua nihilominus *Sonnerium* admisi. Duo tantum fuerunt, qui mihi assentirentur, *Gallasius* et *Borgoinus*.[2]) Decem in proposito suo perstiterunt. Ita passus est repulsam. Quin etiam modis omnibus resistentem me classi cogunt scribere: cum laude tamen *Sonnerii* potius, quam ulla nota. Valuit etiam non parum haec ratio: quod *Ludovicum* duabus ecclesiis, ad quas traductus fuisset, longe imparem iudicabant. In eo mihi fecit iniuriam *Sonnerius*, quod se apud nonnullos iactaverat, quasi nihil fore difficultatis pollicitus essem. Dixit enim mihi in aurem *Ferronius*, ipsum ita gloriatum fuisse, quia recepissem in me onus istud: quod esse falsum, ipse testis es. Quomodo enim fratribus ius suum ac libertatem eriperem? Sed hoc leve. Tu hominem, si ad te venerit, consolaberis. Iterum atque iterum vale, cum uxore et familia. Dominus vos conservet, ac regat spiritu suo, Amen. Saluta fratres et uxorem diligenter, *Tiliacam* et reliquos amicos. Genevae, 16. Maii 1547.

Ioannes Calvinus tuus.

908.

CALVIN A M. DE FALAIS.

Il a fait diligence pour lui trouver un homme de confiance. Affaires d'Allemagne.

---

906. 1) *Post duos menses et hi se dediderunt Caesari, Hassus item mense Iunio se submisit.*

2) *Filium Electoris in proelio cecidisse, falsus erat rumor. Wittenberga in deditionem venit et ipsa, Mauritio familiae Electoris annuum reditum quinquaginta millium florenorum promittente.*

907. 1) *Vide N. 905 ubi et Ludovici fit mentio.*

2) *Franciscus Bourgoing sieur d'Agnyon qui saepius deinceps occurrit inter ministros Genevenses.*

(Orig. autographe. Bibl. de Genève. Vol. 194, f. 55. — Éd. d'Amst. p. 112. Éd. Bonnet I. 198. Éd. angl. II. 99.)

A Monseigneur Monsieur de Fallez demeurant a Basle devant la Cauff Houss.

Monseigneur, puis que vostre commodite ne vous a permis de venir,[1]) comme nous esperions, cest assez si Dieu vous faict la grace de vous bien trouver par dela. Car iasoit que ie desirasse destre pres de vous, toutefois ie prefere ce qui vous est le meilleur. Quant a lhomme[2]) duquel vous avoit parle *Maldonad*, oultre la congnoissance que ien ay eu pendant quil a este icy, ie men suis enquis de son maistre ancien *Gallasius*, lequel ma dict quil la trouve tresloyal et serviable. Vray est quil ne lestimeroit pas suffisant pour demener grans affaires, sinon quon linstruise et quon luy donne sa lecon. Mais dexploicter ce qui luy sera commande, qua cela il ny fera faulte, mesme quil sera vigilant. Et quant au premier, ie ne len estime pas moins. Car il vault mieulx un homme modeste et pose, quun grand entrepreneur et hardy par trop. Vous y adviserez selon que vos affaires le porteront affin que le Sr. *Dalbiac*[3]) le peult faire venir, et par ce moien que vous ne demeuriez pas long temps desproveu. Au reste iespere que Dieu vous aura depesche des fascheries, ou ce brouillon[4]) vous a tenu par si longtemps. Ce faict, que vous serez aulcunement a repos touchant vostre maison.

Nous sommes encor attendans sur les nouvelles de lestat general de leglise.[5]) Si Dieu nous veult si durement affliger, que de lascher la bride a ce tyrant, qui ne demande qua tout ruiner, cest a nous destre tout preparez a souffrir. Moyennant que celluy qui nous a prins en sa charge domine *in medio inimicorum*, il nous convient avoir patience, nous consolant en lesperance de ce qui sensuit, quil confonde ses ennemis. Mais encor iespere quil proverra a ces grans troubles, supportant nostre foiblesse, et quil refrenera laudace de ceux qui triumphent devant le temps, voire contre luy.

Monsieur, apres mestre humblement recommande a vostre bonne grace et de Madamoiselle, et vous avoir presente a tous deux les recommandations de ma femme, ie prieray nostre bon Dieu de vous conduire tousiours, veiller sur vous, et vous augmenter en tous ses biens. Ie me depporte de toucher au propos que ma tenu le sieur *Maldonad*, quant a dresser une eglise par dela.[6]) Car ie ne scay quen dire, sinon que ie desirerois que tout fust bien faict. De Genefve, ce 18. de may.[7])

Vostre serviteur et humble frere,

Iehan Calvin.

908. 1) *Il était attendu dès le mois d'Avril* (*N.* 894, *not.* 5).
2) *M. de Falais paraît avoir cherché un secrétaire ou gérant.*
3) *N.* 881, *not.* 8.
4) *Val. Poullain avec ses intrigues matrimoniales.*
5) *Après la bataille de Mühlberg* (24. *Avril*) *et la captivité de l'électeur de Saxe.*
6) *Par suite de la déconfiture des protestants d'Allemagne beaucoup de réfugiés français se retirèrent de Strasbourg à Bâle. Voyez la lettre de Garnier qui suivra.*
7) *Au dos on lit:* Receu le 27. Respondu.

909.

CALVINUS DRYANDRO.

Iudicium ipsius de praesenti rerum statu quaerenti respondet, se in tanto discrimine nihil augurari nedum iudicare ausurum, unice transactis intentum serio meditandis, de caeteris et futuris ecclesiae curam Deo permittere.

(Ex autographo Archiv. S. Thomae Argentoratensis. Trad. angl. T. II. p. 97.)

Eruditissimo viro D. Francisco Dryandro amico carissimo.

S. Quod me rogas ut de praesenti rerum omnium perturbatione iudicium tibi meum perscribam, ad eam rem minime opus est literis admodum prolixis: quia in rebus tam confusis, non modo nihil iudico, sed ne inquirere quidem audeo, quis futurus sit eventus. Nam quoties id tentare coepi, tanta mihi protinus offusa est caligo, ut nihil satius esse putem quam oculos mundo clausos habere, et intentos in solum Deum. Tantum hic de me loquor. Si in ea statione me Deus collocasset, in qua sunt alii quidam, tunc mihi esset mutanda ratio. Addo quod non possum ex hoc recessu, tanquam ex specula, quae ad formandum iudicium pertinent intueri. Quod si quid ad me perfertur, id fit sero. Deinde nihil certo potest statui, quin omnia simul prius colligantur. Iam vero interiora consilia, ex quibus praecipue iudicandum erat, me latent. Quantae igitur stultitiae foret, res obscuras versando frustra me fatigare nullo profectu? Quid igitur? inquies. Visne solus inter ecclesiae ruinas securam quietem agere? Ego vero noctes ac dies anxius suspiro. Sed omnes supervacuas cogitationes, quae subinde

obrepunt, quoad possum a me repello. Nec tamen assequor quantum vellem. Est tamen hoc aliquid quod ingenio prurienti non indulgeo. In iis rebus, quae iam transactae sunt, considerandis me exerceo. Quae quotidie eveniunt adiungo prioribus. Ea cogitatio, fateor, et sperandi et timendi varia mihi argumenta suppeditat. Sed quia tot me rationes, sicuti dixi, impediunt, mature me cohibeo, ne quid temere et plus quam oporteat. Haec quidem divinatio, quam in tuis literis posuisti, nunquam nos fallet, etiamsi coelum terrae misceatur: Deo curae fore suam ecclesiam, ut in ipso mundi totius interitu servetur. Ignosces huius epistolae brevitati, quia de nuncii discessu paulo ante coenam fui admonitus. Frater mihi ante meridiem indicaverat, eum paratum esse ad iter. Non eram scripturus, si tam cito. Rediit post tertiam. Ita factum est ut minus datum fuerit temporis. Vale. Dominus te regat suo spiritu teque servet incolumem. Genevae 18. Maii 1547.

Ioannes Calvinus tuus.

910.

GARNERIUS CALVINO.

Praemissis nonnullis de ecclesia Vesaliensi, deploratum Germaniae statum depingit, maxime vero discrimen deflet in quo gallica ecclesia Argentorati versatur, cuius membra timore perculsi iam fugam parant. Quos ut Calvinus literis consoletur et firmet enixe rogat.

(Ex autographo lectu satis difficili Cod. Genev. 110, fol. 187. In tergo scriptum est: *Has legi iussu autoris qui ideo eas ad me resignatas miserat.*)

Eruditione et pietate praestanti viro domino D. Ioanni Calvino domino suo plurimum observando

Genevae.

S. P. Quod tam diu ad te scribere distuli, venerande pastor, in causa fuit non nunciorum aut tabellionum raritas, non mea segnities aut socordia, sed potius rerum omnium antiquitas. Nihil enim novarum rerum fuit apud me calamo dignum, quod literis amicorum tibi non fuerit significatum. Propterea ad tempus ipse tacui: siquidem olim, ante aliquot menses, argumentum et materia ad te scribendi sese obtulerat, quum rediisset ad nos ex ecclesia Wesaliensi [1]) frater et symmysta noster *Veranus* David, secum deferens confessionem fidei cuiusdam impii hanabaptistae, qui ibidem antea per aliquod tempus concionibus furit. Hanc quum mihi (prout amicus est) obtulisset, atque ipsam propere legissem, cuidam bono et pio fratri, quem intus et in cute nosti, et sincere pius est, transscribendam dederam ut exscripto apud me retento exemplar ad te dimitterem. At frustratus, ablatum fuit a me argumentum ad te scribendi, quandoquidem clam me exemplar ipsum per illum eundem accepisti. Factum non displicuit, sed modus. Non aegre fero per alium factum fuisse quod ipse eram facturus, ut illi eidem dixeram. Dolet tamen quod saltem non totum scripserit, ut exscriptum (quemadmodum constitueram) apud me remaneat. At forte res non est tanti ut excipi aut transscribi mereret. Itaque praerepto mihi hoc argumento, nec alio postea sese offerente, tacui et in hunc usque diem ad te scribere distuli.

Sed iam rursus sese offert alia materia scribendique occasio quae magis urget, nimirum afflictio atque desolatio totius ecclesiae nostrae in hac tanta rerum confusione. Non enim scimus in quos fines saeculorum devenimus, aut quales futuri simus. Omnia hic apud nos adeo sunt conturbata ut fortiores animo consternantur. Nam quidquid alii blaterent hoc certo certius est (et utinam non esset tam certum!) *Saxonem* captum esse. Quidam vero illum mortuum esse volunt, sed non est certum hoc. At quidquid sit, res male habet. Germania talpa caecior et glire somnolentior. Ingrata Domino Deo suo in magno discrimine versatur ignara, atque quantum externis oculis apparet (providentiam et Dei occultum iudicium relinquo) iam conclamatum est. Quis enim consurget in hostem pro salute patriae aut defensionem religionis, si illa plantula saxonica praecisa fuerit? Quum omnes alii, tam principes quam civitates liberae, iuraverint hosti pro camera imperiali, ut certum firmumque habere velint quidquid in illa decretum atque determinatum fuerit, iudica, quaeso, quales futuri simus, nisi Dominus Deus mirabili et sua occulta virtute protegat nos, liberet atque tueatur. D. *Bucerus* pridie scribebat ad me, se audivisse quosdam Gallos ex nostra ecclesia consternatos animo, alios iam abiisse, alios vero abitum moliri gladium hostis fugientes. Hortabatur ut admonerem eos paterne fortificando, consolando, ut bono animo essent, vires resumerent etc. Quod autem ille scribebat, etsi

---

910. 1) *Inde ab anno* 1545 *Vesaliae profugi recepti fuerant, maxime ex dioecesi Leodiensi. Initio quidem doctrinae anabaptisticae suspecti fuerant, sed confessioni orthodoxae iis propositae palam et sincere adhaeserunt.* (*Wolters, Ref. Gesch. v. Wesel p.* 109) *De Verano ille tacet.*

non in toto, tamen in parte verum erat, plerique adeo sibi timent ut ante periculum parent fugam. Vereor sane ne dispergatur haec nostra ecclesiola, futuraque sit vagabunda per orbem, quemadmodum ex diversis locis et règionibus congregata fuit. Tu magnis cum laboribus illam plantasti, ego vero una cum aliis non sine magnis sudoribus irrigavi. At haec omnia nil sunt nisi Dominus incrementum dederit. Ora igitur, pater mi, ut Dominus conservet, foveat, augeat atque corroboret quod plantasti et memor esto nostri in hac tanta afflictione. Rescribito, obsecro, non tam ad me quam ad hanc nostram ecclesiolam quae in magno discrimine versatur, hoc potissimum tempore: compatere afflictae ecclesiae, si membrum eius es, ut re ipsa es, praesertim ei quam cum tanto sudore plantasti. Visita atque consolare eam tuis literis. Instrue, doce, quid in hac tanta confusione rerum, in hoc tanto discrimine agendum sit, ut vel sic vegetata atque corroborata persequutionem, manum Domini et periculum, quod adhuc latet, donec patefiat praestoletur. Nondum enim usque ad sanguinem restitimus, et ecce iam bona pars parat fugam, depopulatur[2]) non parum haec nostra ecclesia, quod aegre fero. At, inquiunt illi, non est manendum cum hostibus verbi, cum his qui Christo fidem negarunt, qui pacti sunt cum hoste in fratris perniciem, praesertim quum non desint loca alia ubi evangelium pure concionatur:[3]) Dominus aperit ianuam populo suo ut egrediantur egiptum[3]) etc. Quum igitur plerique ita fracti sint fugamque moliantur in scandalum infirmorum, age, obsecro, absens literis quod ego praesens facio verbis: confirma atque corrobora eos, ut saltem exspectent donec praesens fuerit periculum.

Aliud non habeo nunc quod scribam, praeterquam quod rogatum te velim ut me in numerum famulorum tuorum ceu paratissimum et obsequentissimum famulum recipias, et quidquid oblatrent aemuli, talem (mihi crede) perpetuo comprobabis. Salutat te coetus nostrorum seniorum. Salutamus et nos omnes fratres, praecipue verbi ministros, in osculo pacis. Vale perpetuo felix. Dominus te suae ecclesiae diu incolumem servet ad laudem et gloriam filii sui Domini nostri Iesu Christi, cui est honor in saecula. Amen. Argentinae 21. Maii 1547.

Tuus tui deditissimus

Ioannes Garnerius.[4])

---

2) *sic!*
3) *sic!*
4) *Post Petrum Bruly minister apud Gallos Argentoratenses, Ian.* 1545.

911.

MYCONIUS BULLINGERO.

Dryandri epistolam ad Bullingerum de Pollano nuper scriptam illustrat.

(Ex autographo Bibl. civic. Turicensis MSS. F. 62 olim Epp. Tom. 27, fol. 394. — Simler. Vol. 64.)

D. Heinricho Bullingero doctissimo piissimoque ministro Christi fidelissimo fratri ac domino in Domino venerando suo.

Tiguri.

— — — — — — — — — — — — — — — —

De *Dryandro* velim scias virum esse multo integerrimum, sed interim quoque liberrimum in dicendo et scribendo. Scripsit quaedam de quodam[1]) profecto vere, id quod dicerem te experturum, nisi nobis quam tibi propius viveret. Habet is multa bona, quapropter ipsum diligo. Habet deinde nescio qualem astum (mihi videtur) imprudentem, propter quem vilior mihi redditur in dies. Coniecit se illa imprudenti astutia in ingens dedecus. Et coniecisset in maius, nisi christiane magis quam iuridice voluissent quidam agere contra ipsum. Quamvis, nisi recte contra eat, fieri potest ut adhuc se sit immersurus multis malis, ut velle se Basileam nunquam vidisse posset. Adversus istum si liberius scripsit ad te *Dryander*, ob hanc causam factum scias, ne blanda specie tibi posset illudere vel et per alium. Nam et *Hoppero* sic evenit: qua de re non semel apud me multa conquestus sum. Hunc enim diligo et veneror ob doctrinam et pietatem, qualem ego in vita erga me nunquam sum expertus. Proxime, dum hic erat, talem se exhibuit, uxore non tam consentiente quam impellente, ut eorum non queam oblivisci, quoad vixero. Dominus ei benedicat coniugio, et tueatur et protegat. Hoc ex animo opto et marito et uxori multo piissimae, quorum memoria apud me erit aeterna in Domino. Velim ut eis ex me et uxore multa bono dicas et *Dryandrum* de acerbitate habeas excusatum. — — — — — Basileae in die Urbani[2]) ann. 1547.

T. Os. Myconius.

---

911. 1) *scil. de Val. Pollano, vide N.* 904 *ubi etiam not.* 4.
2) *i. e.* 25. *Maii.*

912.

CALVIN A M. DE FALAIS.

Négociations avec Perrin au sujet d'une maison à acheter ou à louer. Avis au sujet de M. de Parey qui vient d'arriver à Genève.

(Orig. autographe. Bibl. de Genève. Vol. 194, fol. 56. — Éd. d'Amst. p. 115. Éd. Bonnet I. 200. Trad. angl. II. 100.)

A Monseigneur Monsieur de Fallez.

Monseigneur, iespere que le porteur des presentes sera le capitaine de nostre ville,[1]) duquel iay loue la maison. Il a volunte de se transporter par dela, affin de deviser avec vous. Il me proposoit double condition. Lune, sil vous plaist luy prester argent a certain terme, que la maison vous demeurera engaigee iusque au remboursement, sans en payer louage: et des reparations que vous en feriez pour vostre commodite, quil en portera une partie. La seconde est de vous en faire vendition. Or est il vray quil ne la qua reachept. Mais il se faict fort de vous la maintenir et guarantir en vendition pure et simple. Par ce moien, il en vouldroit avoir trois centz escus. Si vostre intention est de lachapter, vous adviserez du pris avec luy, prenant le meilleur marche que vous pourrez. Il est bien certain que se constituant guarant pour la maintenir, a grant poine la donnera il pour deux centz escus. Ce sera a vous a choisir des deux conditions, et en despescher avec luy, si vous y voiez vostre proffict. Si vous nentrez en paction avec luy, ie vous ay desia adverty que la maison ne vous seroit duisante. Par consequent il vous fauldra pourvoir ailleurs. Car vous nobtiendrez point quil la face approprier a vostre usaige, si ce nest par ce moien. Et de faict quant vostre deliberation seroit de venir sur la fin de leste, ie vous conseillerois de tascher quavant vostre venue les reparations fussent faictes, pour eviter les rompemens de teste et beaucoup dincommoditez. Ie croy que la devise que ien ay faict vous plairoit tres bien, en sorte que vostre absence nempescheroit rien, et seriez bien ayse davoir la chose faicte. Il estime peu les reparations quil y fault. Mais ie ne les prise pas moins de quarante escus. Parquoy lachept men sembleroit plus expedient: mesme si vous pouviez accorder aux deux centz ▽ et quil print sur luy ceste charge de la guarantir a perpetuite. Ie desire que vous faciez quelque chose moiennant que ce soit a vostre proffict.

Le Sr. de *Parey*[2]) arriva hier au soir, et me vint saluer environ neuf heures. Pource que cestoit bien tard, nous neusmes loysir de gueres parler ensemble, tellement que ie ne scay encore comme il va de ses affaires. Apres avoir parle au sieur *Maldonad*, ie seroye dadvis que seulement vous advertissiez la fille de la nature, sans luy declairer nul inconvenient qui luy soit advenu: car tout cela se rediroit puis apres. Seulement doncq, ie luy tiendroye ce propos: Il dort peu, il y a quelque legierete, ainsi tel dangier seroit a craindre selon quon voit sa complexion. Regardez si vous seriez patiente, quant Dieu vous auroit visitez iusque la. Cela a mon opinion suffiroit. Et selon que la verriez disposee, vous en feriez quant a ce poinct. Nous avons eu quelques nouvelles de la sentence,[3]) et luy se plaignant des iuges sen glorifie. Dieu luy veuille donner meilleur sens.

Monsieur, apres mestre humblement recommande a la bonne grace de vous et de Madamoiselle, vous avoir presente les recommandations de *Gallasius* et de ma femme, ie prieray nostre bon Dieu quil vous ait tousiours en sa garde, vous gouverne et conduise, et vous face la grace de le glorifier tousiours.

Il suffit que vous soiez adverty qui est le present porteur.[4]) Ie ne scay sil aura aultre compaignie avec luy, car il est party bien en haste, tellement que sans men avoir parle il est venu ce matin tout botte me dire a Dieu. Voila qui a este cause que ie nay pu communicquer avec *Maldonad*. Car il sen alla hier au soir coucher a Tourne. Cest aussi pourquoy ie ne vous fais nulle recommandation de luy. De Genefve, ce 26. de may.[5])

Vostre serviteur et humble frere,

Iehan Calvin.

---

912. 1) *Ami Perrin, capitaine général de Genève, se rendait à Paris pour complimenter le nouveau roi Henri II., en passant par Bâle. Par les transactions dont il est question ici on voit que la rupture entre Perrin et Calvin n'était point encore complète. Perrin devait obtenir à cette occasion la restitution du mandement de Thies et l'abolition de la traite foraine.* (*Galiffe, quelques pages d'hist. p. 6 note.*)

2) *N.* 881, *note* 7. *Il s'agit encore dans ce qui suit de ses projets de mariage avec Mlle de Wilerzy, ainsi que de l'état suspect de sa santé.*

3) *L'arrêt qui déboutait Poullain de ses prétentions N.* 904.

4) *Perrin.*

5) *Au dos:* Receu le 1r Iuing 1547. Respondu le . . Iullet par Bude 1547.

913.

CALVINUS VIRETO.

De disciplina vestium in senatu actum, nec sine fructu.

(Ex autographo Cod. Gen. 106, fol. 190 coll. Cod. 111a, f. 11 v. In caeteris apographis desideratur. Ed. Beza Gen. p. 72, Laus. p. 148, Hanov. p. 166, Chouet p. 96, Amst. p. 44, sed passim truncatam. Versio anglica II. 102 authenticum textum exprimit.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis [1]) ecclesiae pastori fratri et amico sincerissimo.

S. *Zerkintes* hic fuit. [2]) Postquam morbos exposui, [3]) remedium simul illud suggessi de quo inter nos loquuti eramus. Probabat. Sed putat difficile esse impetratu. Si tamen in tempore Bernam [4]) venerit, periculum faciet. Fatetur enim in tanta necessitate omnia esse tentanda. Ego autem vereor ne prius mittantur, qui suo more post multam ostentationem nihil agant. Ita res diu desiderata nimis cito dabitur. [5]) Verum hoc ut alia omnia Dominus viderit. De caligis dissectis [6]) fuit nobis hic nuper aliquid negotioli. Hic erat praetextus. Sed iam erumpere coeperant in maximam licentiam. Quum ducenti eorum rogatu vocati essent, omnes adfuimus: ego orationem habui quae illis momento extorsit quod certa spe devoraverant. Disserui enim de omnibus corruptelis in genere, praefatus me nihil morari illas nugas. [7]) Quia non audent palam clamitare, fremunt ac frendunt dentibus. Uno tamen experimento didicerunt, quod non putaverant, populum esse nostrum. Caesar tragicus [8]) postridie iter arripuit, ne pompae interesset, quam conventus ille ludicram et puerilem reddidit, quum speraret fore imperii cuiusdam pignus. Cum *Romonello* in gratiam redierat, ut nullo intercessore totam urbem concuteret. [9]) Nos autem [10]) illi ex insperato omnia sua consilia discussimus. Ita Deus ludit istos Thrasones. Vale, frater et amice integerrime. Dominus tibi adsit perpetuo, et sanctis tuis laboribus benedicat. Reliqua audies ex *Ribitto*. [11]) Saluta uxorem tuam meo et meae [12]) nomine. Genevae, 28. Maii 1547.

Ioannes Calvinus tuus.

914.

MÉMOIRE DES MINISTRES DE GENÈVE.

Contre les infractions à la discipline ecclésiastique que se permettaient certains ministres du bailliage de Gex.

(Copie authentique avec signatures autographes aux Archives de la Vénérable Compagnie, Vol. A. Années 1546—1553, p. 29 suiv.)

Memoire pour les freres quon envoyra au chappitre lequel se doit feire au chappitre de Gex par les commandements de Messieurs de Geneve le ieudi 9e iour le iuing. [1])

Remonstrer que ce nest pas sans cause que nous envoions la pour advertir ceulx qui sont deputez par Messrs. de Geneve etc.

Premierement dautant que nous sommes tous membres dune mesme eglise de Dieu nous devons avoir communication ensemble.

Item que le voisinage porte cela quil ny peut

---

913. 1) *Scripserat primum*: Guilelmo Farello Neocomensis.

2) *Edd.* Nuper hic fuit N. — *Nic. Zurkinden praefectus Neodunensis, postea archigrammateus Bernensis.*

3) *Edd.* expressi. — *Caeterum haec obscurius dicta. Quum de quo morbo dicat nesciamus, neque quid remedii a Bernensibus suppeditandi exspectarit assequimur.*

4) Bernam *om. Edd.*

5) elabetur *Edd.* will be granted too late (?).

6) *Haec illustrari possunt ex commentariis Senatus ad* 25. *Mai., ubi agitur de* chausses chappelees et affenestees. *Voc.* chapeler *Littré interpretatur* tailler, couper par morceaux. *In comitiis Augustanis a.* 1530 *promulgatum fuit edictum:* Ordnung vnd Reformation guter Polizey im h. röm. Reich, *ubi inter alia decretum fuit* dass die gemeinen Bürger keine gestickten, zerschnittenen oder verbrämten kleider tragen. *Turici a.* 1532 *decretum est:* es soll niemand kein zerhowen hosen machen. *Ioh. Stumpfius in Chronico ad a.* 1548 *de more a militibus ex alienis terris in Helvetiam propagato dicens inter alia etiam vestes discissas recenset. Andr. Musculus,* Vom zuluderten zucht und ehr erwegenen pluderichten hosenteuffel. *Fr. a. O.* 1556. *Cf. Spieker, And. Musculus,* 1858, *p.* 165. *Weiss, Kostümkunde* II. 605. 639.

7) *Haec obiter tantum attinguntur in actis publicis. Interdicta sunt quae vocabantur* chausses chapelees, *contradicente Perrino* (*Roget, II.* 275).

8) *Ipse Perrinus, quem alibi saepius comicum vocat. Hic ergo d. 26. Maii Parisios abiit. Vide ep. praecedentem. Maiorem lucem huic loco aliisque de Perrino agentibus afferunt quae narrat Roget l. l. p. 280 not.*

9) *Totum hoc comma abest ab edd. neque quid sibi velit dicere ausimus.*

10) autem *om. edd.*

11) *Etiam haec pauca verba suppressit B.*

12) et meae *om. edd.*

914. 1) *Le pays de Gex dépendait de Berne, et Genève n'avait rien à y voir. Cependant le voisinage immédiat de ce bailliage et surtout la présence de plusieurs ministres qui avaient dû quitter le territoire de G. pour inconduite et que Berne avait accueillis, comme Champereau, de la Mare etc., engageaient le magistrat à faire des remontrances aux autorités locales, au sujet des menées et scandales de ces Messieurs.*

avoir ne bien ne mal dun coste que lautre ne sen sente.

Mesmes que la conionction civile qui est entre les deux villes nous y donne tant plus grand accez.

Sur cela declairer que nous avons tousiours eu affection de servir a leurs eglises selon nostre pouvoir et que nous sommes aussi prests que iamais.

Ainsi quilz veullent bien prendre ce qui se faict de nous pour le soing que nous avons de leglise de Dieu et mesmes pour nous acquiter du devoir que nous avons envers eulx.

Et combien quilz ayent assez de prudence pour iuger de ce qui sera de faire, toutesfois quand il est question de lhonneur de Dieu et de ledification de son eglise que la diligence ne peut estre superflue.

Davantage quil y a pour le present necessite glus grande que nous ne vouldrions qui nous y contraigne. Cest quil y a beaucoup de scandales icy a lentour que nous voyons et ne povons dissimuler, dont il advient que la parolle de Dieu est en grand mespris: qui pis est que levangille est tout communement blaspheme.

De ces scandales que nous cognoissons bien en partie en noz consciences lesquelz en sont cause. Mais puis quilz sont icy pour y remedier que nous les prions den faire bonne inquisition: esperant quilz en trouveront plus que nous ne leur en scaurions dire.

Tant y a que nous les prions destre advisez que comme il y a eu tousiours en leglise de Dieu des ministres qui nont demande que a gaudir et nestre point tenuz en bride ne en discipline, que le semblable peut bien estre de nostre temps. Et pourtant quilz discernent entre ceulx qui ont en recommandation lhonneur de Dieu et desirent que tout aille par bon ordre, et les aultres qui demandent de vivre avec une licence desbordee, scandalisant le peuple par leur vie dissolue plus que ledifiant par leur doctrine.

Quilz advisent sur la negligence de ceulx qui ne se soucient de la charge quilz ont et ne preschent sinon par acquit, encores le moins quilz peuvent, se meslant de choses profanes plus que de leur office.

Item sur ceulx qui au lieu destre vigilantz sur le troppeau en la paroisse ou ilz sont commis ne font que trotter ca et la a leurs esbats, et au lieu de vivre paisiblement en leur mesnage seront tousiours en la taverne, depensantz plus pour leur personne quilz nont pour nourrir toute leur famille, mesmes qui y font beaucoup dinsolences.

Item a ceulx qui se desbordent en dissolutions tant de ieux que de dances, et au lieu de se maintenir en honnestete convenable en lestat de ministres tant en gestes que en habitz et en toutes contenances, ressemblent plus souldartz que ministres.

Item a ceulx qui battent et traictent mal leurs femmes et mesmes qui ne sont point sans grand suspicion de paillardise, pour le moins en ont mauvais bruict au grand preiudice de la parolle de Dieu.

Item qui nont gueres de cueur ne de zele a maintenir la reformation de levangille, a reprendre et corriger les superstitions repugnantes a icelle, et mesmes ont plus dacointance aux papistes qua ceulx qui cheminent droictement selon levangille.

Item que cest une grande honte de vituperer que les ministres se molestent par proces et se mengent les uns les autres: attendu mesmes quilz ont leur ordre entre eulz qui leur est donne par Messieurs de Geneve et que les choses qui doyvent estre demenees en congregation soient puis apres tirees en plaidoyer, comme tout ce qui concerne loffice du doyen des iurez selon que les statuz en sont faictz. Mesmes de leurs proces et plaidoyers ilz en iasent et caquettent par les tavernes, en gaudissent en sorte que toutes gens modestes en ont honte.

Que nous les prions doncques dexaminer bien toutes ces choses et les semblables ausquelles il est necessaire de remedier, et si il y a de la peur de fascherie, quilz pensent que ce nest pas peu de chose de purger leglise de Dieu de tous desordres et scandales.

Et dautant que les ministres doyvent estre exemple a tout le peuple, quil fault bien avoir esgard que la ruyne ne vienne de leur coste.

Et tout ainsi que nous les advertissons pour lamour que nous leur devons porter en nostre Seigneur et leur portons de faict, que nous sommes prestz semblablement de recevoir les advertissementz quilz nous feront sil y avoit a redire en nous.

Passe par la congregation des freres assemblee le vendredi troisiesme iour de iuing 1547.

Iehan Calvin

Abelus Poupinus	Philippe de Ecclesia
Francoys Bourgoing	Lois Cougnye
Iacques Bernard	Sainct Andrey
Lois Treppreau	Nicolas des Gallars
Malisie Peyrier [2])	M. Cop
Io. Ferronius.	N. Petit
Raymon Chauvet	Iehan Baldin.

---

2) *Matthieu Malisie ou Malesier était ministre à Bossey, Jean Périer (Poirier, Pyrerius) à Neydens.*

915.

CALVIN A M. DE FALAIS.

Recommandation de Iean Budé. Rien de certain d'Allemagne.

(Orig. autographe. Bibl. de Genève. Vol. 194, fol. 58. — Éd. d'Amst. p. 119. Éd. Bonnet I. 202. Trad. angl. II. 104.)

A Monseigneur Monsieur de Fallez.

Monseigneur, ie nay rien a vous escrire pour le present, sinon que le porteur est lun des fils de feu Monsieur *Budé*.[1]) Quant vous laurez congneu, vous le trouverez de si bonne sorte, que vous lestimerez digne destre ayme de tous ceux qui ayment Dieu, encor quil neust nulle recommandation de la memoire de son pere. Il nest pas de ceux qui font grant monstre ne parade. Et daultant est il plus prise de moy, et ie scay quaussi sera il envers vous. Son intention est daller voir Basle et Strasbourg, puis retorner sans faire long seiour par dela.[2]) Neantmoins ie luy ay conseille de se bien enquerir si les chemins seront seurs devant que passer oultre; et il ma promis de le faire. Car sans necessite il ny auroit propos de se mectre en hazart. Ie croy que devant quil arrive par dela, vous ne serez plus en deliberation quant au sieur de *Paray*. Car lallonge quil demande nest pas pour sentretenir en grande fermete. Et de faict ie coniecture que cela a este faict a cautelle par les siens, pensant quentre cy et la il changeroit de propos, attendu ce quilz congnoissent de sa complexion.[3])

Nous sommes bien esbahis de navoir nulle certitude de nouvelles. On peult appercevoir le desordre qui est en Allemaigne et la paovre conduicte. Sil y avoit un seul grain de sel, ilz auroient proveu a leurs affaires devant quilz scachent ce qui devoit estre sceu trois iours apres. Mais quoy? *Non est consilium, non est fortitudo absque domino.* Or ilz sont desproveuz de son coste.

Iespere de scavoir par le premier, que cest que vous aurez arreste avec nostre capitaine.[4])

Pour faire fin, Monsieur, apres mestre humblement recommande a vostre bonne grace et de Madamoiselle, vous avoir presente les pareilles recommandations de ma femme et des aultres, ie supplieray nostre bon Dieu de vous avoir tousiours en sa garde, vous gouverner par son esperit, vous fortifier contre tous scandales et fascheries, et semblablement toute vostre maison. Pource que ie nay loisir descrire aux Damoiselles, ie desire ce pendant destre bien affectueusement recommande a toutes trois. De Genefve, ce 4. de iuing 1547.[5])

Vostre serviteur et humble frere,

Iehan Calvin.

915. 1) *Jean Budé, sieur de Vérace. Budé fit, en 1547, un premier voyage à Genève. Il s'y établit définitivement en 1549.*
2) *C'est lui qui rapporta la réponse de M. de Falais, aux N. 912 et 918.*
3) *Voyez la dernière lettre à M. de Falais.*
4) *Au sujet de la maison.*
5) Receu le 7. de Iuing 1547. Respondu.

916.

CALVINUS VIRETO.

Neodunum profecturus, ubi Genevensium legati cum Bernensibus de negotio Gaiensi agent, Viretum rogat ut ipse ibi adsit et postea Genevam concedat.

(Autographon non exstat. Caetera consueta exemplaria adsunt, scil. Ionvillaei Cod. Genev. 111a, fol. 12, Turretini Cod. 111, fol. 168, Bernense Epp. VII. p. 825 et Simleri Vol. 64.)

Optimo et fidelissimo Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri mihi carissimo.

Statuimus, nisi quid impediat, venire Neodunum usque obviam legatis, ut antevertamus conventum Gaiensem. Illic erimus Mercurii[1]) in prandio. Mecum venient *Abel* et *Bernardus*. Omnino velim te adesse. Ubi perfuncti fuerimus nostris mandatis venies nobiscum, et simul hic tractabimus de multis rebus. Nam conventum Gaiensem agent Iovis, et quantum suspicor peragent. Curabo igitur ut Veneris adsint saltem bona pars fratrum. Male me habebit si non venias. Proderit, quantum iudicare possum. Successus quidem erit in manu Domini, sed interim officium tuum feceris. Vale, frater et amice carissime. Dominus tibi semper adsit. Fratribus omnibus plurimam salutem. Alia scriberem de statu urbis nostrae *μυστηκώτερα*[2]) nisi sperarem te venturum, imo nisi plane essem persuasus. Iterum vale, usque ad triduum. 6. Iunii 1547.

Ioannes Calvinus tuus.

916. 1) *d. 8. Iunii. De rebus Gaiensibus v. N. 914.*
2) *sic. Vireti praesentiam Genevae non inutilem fore sperabat. Ibi enim res indies magis in ancipiti positae, et primo quoque tempore ad publicum aliquem tumultum devenire videbantur.*

917.

GARNERIUS CALVINO.

Recentissimi rumores de bello germanico. Conditiones foederis Argentoratenses inter et Caesarem icti.

(Ex autographo Cod. Gothani 405, fol. 98.)

Generoso viro pietateque illustrissimo D. Ioanni Calvino domino suo semper colendo
Genevae.

S. P. Literis meis superioribus [1]) plane de totius nostrae congregationis statu te certiorem feci, in Christo reverende pater, obsecrans ut memor esses illius, tam in tuis apud Dominum precibus quam scriptis, eam monendo, consolando, instaurando, quam olim magnis cum sudoribus Christo Domino genuisti: apud quam etiam plurimum valet tua autoritas. Id autem haud dubio facturus es, quum propter nos tum propter Christum Iesum, pro quo legatione fungeris, nec denegabis labascenti ecclesiae quod nascenti olim ultro dedisti. Quid aliud scribam non habeo, praeterquam quod hodie audivi a D. Ioanne *Sturmio*, Braginos [2]) videlicet magnam victoriam superioribus hisce diebus contra Caesarem obtinuisse, civitates etiam Germaniae inferioris una cum aliquibus principibus magnum exercitum contra Caesarem collegisse, cum quo illi obviam veniunt in nomine Domini. Idque a D. *Bucero* et D. doctore *Petro Martyre* hodie in publica lectione confirmatum est. Quo fit ut cognoscamus Deum tunc maxime adesse quum omnia desperata collapsaque videntur. Sed haec omnia didices [3]) literis D. *Buceri*. Quare istis nostris finem imponam, si primum tibi narravero conditiones foederis quibus pacti sunt Argentinenses nostri cum Caesare. Exemplar igitur sic habet:

Quid cum subordinatis civitatis Argentinae nomine et ratione eiusdem civitatis actum sit.

Primo procidere debet ad pedes et flexis genibus fateri Romanam Caesaream Maiestatem, eorum gratiosissimum dominum, se graviter offendisse et Maiestati suae occasionem indignationis contra se dedisse, proinde Maiestatem suam ut ignoscat rogare, ut recipiat eos in gratiam.

Porro omnino resignare ac renunciare debent omni confoederationi contra Caesaream suam Maiestatem habitae, et praesertim Smaschfaldiensi [4]) et promittere atque polliceri nullam in posterum huiusmodi ratione vel praetextu cum ullis mortalibus se unquam ituros, nisi Caesarea Maiestas nominatim in ea excepta et reservata fuerit. Ad hoc Maiestati Caesareae se obedientes futuros et morigeros, ut bene decet subditos liberae imperialis civitatis erga eorum Caesarem.

Debent etiam obedientiam praestare iudicio camerae imperialis, quam sua Maiestas in sacro imperio eriget, et deponere portionem eorum pro sustentatione ipsius camerae, una cum aliis statibus.

Item omnes actiones aut conventiones, et quidquid dissidii causam praebere posset, quod vel propter susceptum bellum aut aliquam aliam rationem ortum sit inter Argentinenses et alios status, quodque inter se componere non potuerint, per suam Maiestatem decidetur et terminabitur, aut secundum iura camerae imperialis definietur, et quidquid decisum et definitum fuerit, promittent se inviolabiliter observaturos. Nec placet Maiestati suae ut deinceps quisquam cuiusvis status huiusmodi actionis aut controversiae praetextu ullo modo contra eos aut eorum subditos vel eorum bona agat. Imo placet Maiestatem suam illis gratiosissimam exhibere et eis favere quantum possibile est, vultque ut amice componantur quaecunque dissidia ex hoc bello suscepto orta esse possent, aut contra eos in posterum quis intentare vellet, atque iudicio camerae imperialis, quam sua Maiestas in sacro imperio erigere statuit, committetur decisio huiusmodi controversiarum, sublatis in hoc solo casu omnibus privilegiis et ordinationibus, quae in contrarium allegari possent. In aliis autem causis ordinaria via procedetur, reservato loco debito cuilibet causae.

Promittunt etiam se Caesareae et Regiae Maiestatis inimicos, aut eos qui sunt illorum factionis, neque nunc quamdiu hoc bellum durabit, nec in posterum ullatenus laturos.

Item se inhibituros omnibus et subditis eorum, ne Caesareae et Regiae Maiestatis inimicis serviant, in Germania aut alibi, et aliis id praesumentibus transitum non permissuros, et si qui eorum cives aut subditi hoc commiserint, se bona fide modo convenienti punituros.

Praeterea recipiunt iuramento, se Caesareae Maiestati, ut decet liberam civitatem sacri imperii, futuros fideles atque fautores, omneque id facturos

917. 1) *N.* 910.

2) *Nomen dubium, sed sine dubio a Gallo isto geographiae germanicae ignaro corruptum. Si quid videmus audivit de victoria quam Christophorus Oldenburgensis et Albertus Mansfeldensis de Erico Brunsvicensi reportarunt d.* 23. *Maii in Koepelsberg prope Drakenborgium ad Visurgim. Quibus civitates Magdeburgum, Hammonia, Brema et Brunsviga pecuniam ad conducendum exercitum necessariam suppeditarant.* (*Sleid.* III. 22. *Ranke* IV. 419 *seqq.*)

3) *sic.*

4) *sic.*

quod ipsi tanquam libera civitas imperii secundum eorum privilegia ab antiquo facere tenentur.

Insuper promittunt atque pollicentur omnia quae his articulis sunt comprehensa firmiter observaturos, et contra ea nihil ulla via aut modo tentaturos.

His omnibus observatis sua Maiestas se illis pacatum praebet, cum oblivione omnium quae in eum fuerunt iniuriarum, ipsosque cives ac subditos una cum magistratu, et etiam illos qui pertinent ad eos, quique consentiunt in hanc deditionem vel contra eam non agunt, in gratiam recipit inque Maiestatis suae tutelam ac protectionem, ac permittit ut suis fruantur bonis, privilegiis, libertate, iuribus, et etiam omnibus consuetudinibus ab antiquo ab eis receptis, seque nullo modo eos deturbaturam, imo singularem protectricem eorum futuram, nec gravaturam se eos aliqua speciali pactione.

Ad haec Maiestas sua quam primum recipit se praecepturam ut omnia aresta et bona Argentinensia, quaecunque sunt in suae Maiestatis potestate, restituantur et relaxentur, absque ulla dilatione aut contradictione. Et pro commemoratione notabilis expensae quam sua Maiestas hoc bello impendit, praesertim ratione ipsorum Argentinensium, qui Maiestatis suae inimicos iuvabunt, relinquit sua Maiestas Argentinensium arbitrio portionem pecuniarum, in recompensationem ingentis pecuniae quam sua Maiestas impendit: cum hoc ut post sex menses ab hac compositione numeratos Maiestati suae praesentent duodecim bombardas, et nominatim sex esse debent, ut Germani vocant, Schlangas murifractrices, et reliquae sex erunt campestria iaculamenta, et ad quamlibet bombardarum centum addent globos et pulverem dimidii ponderis globorum.

Hae igitur sunt conditiones quibus Argentinenses pacti sunt cum hoste. Quales autem sint, tolerabiles scilicet aut intolerabiles, iustae vel iniquae, non est meum iudicare. Ipsi viderint. Interim haec ad te scribo, quo facilius iudices et cognoscas quales futuri simus, nisi Dominus Deus sua misericordia et benignitate nos servet. Tu interim vale perpetuo felix. Dominus te suae ecclesiae diu incolumem servet ad laudem et gloriam nominis sui per Iesum Christum, cui est gloria in aeternum. Amen. Argentinae 16. Iunii 1547.

Parce, obsecro, stilo et calamo, quoniam vix per otium scribere licuit, et quoniam ista calamo digna hoc potissimo[5]) tempore iudicavi prout valui transscribere conatus sum.

Tui deditissimus
Ioannes Garnerius.

5) *sic. Et tu parces huius stilo et calamo.*

918.

CALVIN A M. DE FALAIS.

Lettre d'occasion. Nouvelles de l'Apologie et d'un certain Iacques qui devait sténographier les sermons de Calvin.

(Orig. autographe. Bibl. de Genève. Vol. 194, fol. 59. — Éd. d'Amst. p. 121. Éd. Bonnet I. 204.)

A Monseigneur Monsieur de Fallez
a Basle.

Monseigneur, combien que ie neusse pas grant chose a vous escrire, toutefois craignant que vous ne trouvissiez estrange que ce porteur vint par dela sans mes lettres, ie nay voulu faillir a vous escrire quelque mot. Ie ne scay pas bonnement pourquoy le dit porteur a entreprins ce voyage. Ie croy que aussi ne faict il guere mieulx. A grant poine estoit il arrive quil prenoit conseil de retourner sans avoir esprouve ne bien ne mal. Depuis il a change souvent de propos. Somme: ie nay veu aultre constance eu luy, sinon quil ne trouvoit icy rien a son gre. En escrivant, il ma souvenu que iavoye matiere a laquelle ie navoye point pense. Cest que le sieur *Maldonad* ma parle de *Iacques*,[1]) assavoir sil pourroit reciter mes sermons. Selon que ien ay veu, il recueille bien quelques sentences. Mais la substance ny est pas si entiere, comme ie desirerois. Combien quil se pourra faire que par succession de temps il y adviendra mieulx. Ainsi en attendant sil acquera plus grande agilite par lusaige, encor vauldroit il mieulx davoir ce quil faict, que rien. Et aussi le temps en pourra donner quelquun plus propre.

A ce que ie puis coniecturer des lettres escrites a nostre frere *Sainct André*, ie crains que toutes les miennes ne vous ayent point este baillees. Toutefois ie nen pensoye avoir commis qua messaiger seur. De lapologie iavoye remis la conclusion a vostre venue. Mais elle se translatera en latin, pour estre preste quand vous la vouldrez. Si est ce que si le nom de la ville ny estoit requis, quelle simprimeroit icy mieulx que par dela, cest a dire en plus beaux characteres, en meilleur papier, et plus correctement. Regardez seulement si vous desirez que le nom de la ville soit exprime. Car sans cela ie vous asseure bien du reste.[2])

918. 1) *Personnage inconnu, qui paraît avoir été recommandé à C. pour sténographier ses sermons. Ce n'est que plus tard que le magistrat organisa ce service. Plus bas, au 16. Août nous rencontrerons un Iacques Dallichant qui pourrait bien être le même.*

2) *Pour les détails bibliographiques voyez les Prolégomènes de la première partie du T. X.*

Monsieur, apres mestre humblement recommande a vostre bonne grace, et de Madamoiselle, ie prieray nostre bon Dieu de vous tenir tousiours en sa garde, vous donner matiere de vous resiouir en luy au millieu des fascheries de ce monde, et vous augmenter en toutes ses benedictions. De Genefve, ce 16 de Iuing 1547.[3])

Vostre serviteur et humble frere,

Iehan Calvin.

919.

CALVIN A BUDÉ.[1])

Pieuses exhortations pour l'affermir dans ses convictions religieuses.

(Minute originale. Bibl. de Genève MS. 107, fol. 18. Copies ibid. 111, fol. 154, à Berne, Archives, Epp. VII., p. 826. Simler Vol. 64. — Imprimée dans les Lettres franç. de Bonnet I. 206, comp. Ruchat V. 531. Trad. angl. II. 105.)

Monsieur, encor que ie vous soie incognu de face, si ne laisseray ie pourtant de vous escripre privement, esperant que mes lettres seront bien venues vers vous, tant pour la faveur du maistre auquel ie sers, que pour largument quelles contiendront. Et aussi que ceux qui mont induict a ce faire, ont assez de credit envers vous, comme ie croy, pour me y donner acces. Iay entendu la droicte affection que nostre Seigneur vous a donnee, de quoy nous avons tous a le louer. Car combien que vous ayez la beaucoup de tentations de ce monde, pour vous retenir et amuser, toutesfois vous ne laissez point de gemir de la captivite malheureuse ou vous estes, desirant den sortir. Et de faict vostre bon zele sest desja declaire en partie, en ce quau lieu dempescher la compaignie qui deslogeoit,[2]) vous lavez confermee en son bon propos, et au lieu de la retarder, avez tasche de ladvancer, ne regrettant aultre chose sinon que vous ne pouviez suivre quant et quant. Or maintenant, pource que Sathan a beaucoup de moyens de nous faire refroidir en bien, et que nostre nature y est assez prompte, il vous fault attizer le feu que dieu par son esprit a cydevant allume en vostre coeur, iusque a ce que le bon desir vienne a son effect. Cest que vous quictiez toutes choses comme pernitieuses, lesquelles vous separent de celuy auquel gist tout nostre bien, et avec lequel si nous ne sommes conjoinctz, nous sommes privez de vie et de salut. Ce pendant nous nentendons pas de condampner tous ceux qui vivent par dela, comme si le royaulme de dieu estoit enclos entre noz montagnes, lequel nous scavons estre estendu par tout. Mais cest raison, quelque part que nous soyons, que dieu soit honore par nous, et ne sommes nullement a excuser, quant nous polluons la terre quil a sanctifiee a nostre usage. Si nous sommes en lieu ou il ne nous soit permis de nous acquicter de nostre debvoir, et que la crainte de mort nous meine a mal faire, nous devons en cognoissant le vice de nostre infirmite chercher le remede: cest de nous retirer de telle servitude. Puis que nostre seigneur vous a ouvert les yeulx pour vous faire veoir quel mal cest de vous polluer en superstitions, il ne vous reste sinon den sortir. Cest de vous en abstenir estant la ou bien plustost quicter le pais que pour lamour de la vie presente oublier celle qui durera sans fin.[3]) Encore avez vous moins dexcuse quung aultre, attendu le lieu que vous tenez, car le compte sera double, si au lieu de monstrer le chemin, comme vous y estes tenu, vous donnez occasion a ceux qui vous regardent de sen divertir.

Quant aux aultres difficultez qui sont en vostre estat, ie men raporte a votre experience. Oultreplus vous avez a penser que si la bonne dame[4]) craingnoit a bon droict dachever la le reste de sa vie, vous avez a craindre de y languir beaucoup plus longuement, selon le cours ordinaire. Vray est quil ny a point de lendemain pour nous asseurer. Cest ce qui vous doibt tant plus haster de laultre coste, de peur que vous ne soiez surprins. Parquoy en toutes sortes dieu vous sollicite. Quoy quil en soit ie vous prie, Monsieur, de ne laisser pas amortir la grace que dieu a mise en vous. Sil vous a donne des biens en ce monde, gardez quau lieu de luy en faire hommage, vous ne soiez empesche de le servir. Ie laisse a dire quil vous a donne une ayde que tous nont pas. Cest que vous avez une Sara[5]) qui sera preste de vous suivre ou

---

3) Receu le 27. Iuing 1547. Respondu par Budee le . . de Iullet 1547. *Du reste la lettre de Calvin est bien du* 16. *et non du* 6, *comme on lit dans l'édition Bonnet par suite d'une faute d'impression.*

919. 1) *Comme Calvin se dit inconnu à son correspondant, il ne saurait être question de l'un des trois frères Budé qui avaient déjà été à Genève, Matthieu, Louis et Jean* (*N.* 869. 887. 915). *Nous songerons de préférence à François qui ne s'établit à Genève qu'en* 1554. (*Galiffe, Notices gén.* III. 85.)

2) *Ses frères, sans doute, qui avaient déjà fait les premières démarches pour émigrer.*

3) *Cette phrase manque dans les éditions de M. Bt.*

4) *Mad. Budé la mère.*

5) *La femme de François s'appelait Marguerite, dite Perrine la puinée, et était fille de No. Ioachim de Morel, seigneur et viguier de Sales en Angoumois* (*Galiffe, l. c.*).

ce bon pere celeste vous appellera, tellement quil ne tiendra qua vous que vous ne suiviez lexemple de nostre pere Abraham. Il est vray que vous ne trouverez lieu en terre ou vous soiez a seurete, comme de faict ce nest pas raison que nostre foy soit exempte de ses exercices.[6]) Mais puisque nous sommes au temps de combat, il ny a rien meilleur que de nous retirer a lenseigne, ou nous prenions courage de batailler constamment iusqua la mort. Cest ung avantage qui nest pas a mespriser, quant dieu nous donne loisir de nous confermer, afin que la preparation nous serve en temps et en lieu. Car ce nous doibt bien estre assez, quant il nous arme de sa vertu pour estre victorieux devant que nous esprouver. Mais pource que les commencemens en sont difficiles, et la poursuitte encore plus, il ny a rien meilleur que de prier dieu quil vous tende la main et vous donne courage pour surmonter tous obstacles. De quoy aussi nous le supplirons avec vous, et quil luy plaise de se monstrer vostre protecteur iusques a la fin, vous maintenant non-seulement contre les iniques, mais aussi contre Sathan leur chef. Apres mestre humblement recommande a vostre bonne grace et de Madamoiselle vostre femme[7]).... 19 iuing 1547.

920.

ZERKINTES CALVINO.

Tristia ex Germania; expugnata Wittenberga iam proximus ardet Ucalegon; Helvetii deliberant, trepidant, et usque cunctantur.

(Ex autographo Cod. Gothani 405, fol. 6.)

A Monsieur Iehan Calvin ministre de Iesu Christ a Geneve mon honnore seigneur et grand amys.

Quando nihil faustum ac prosperum est quod ad te scribam, *Calvine* venerande, malo tamen etiam aerumnas et calamitates nostras commemorare quam officium ad te scribendi negligere. Obdurescemus forte ac callum ducemus continua miseriarum, in quas nos Dominus non immerito coniecit, recordatione. Venit nuncius hodie Berna ad me cum literis a senatu non huius quod dicam argumenti, sed narravit mihi nuncius (quod te latere nolui, sciens cuius fidei committam) captum esse detinerique Bernae tabellarium quendam, literas e castris *Caesaris* ad omnes nostros nobiles fere habentem, fascemque esse ingentem epistolarum, verum praeter senatum scire neminem quid contineant. Caeterum tabellarium istum narrare, captum esse adhuc *Electorem*, expugnatam tandem Wittenbergam ingenti victoris strage, maxima praesidii clade ac paene internecione.[1]) Ex civibus oppidanis et militibus superesse paucissimos, si sint aliqui: vix infantes evasisse crudeles impii hostis manus. Nunc iniquissimas leges pacis *Electori* praescribere *Caesarem*. Tigurini scripsere Bernam, *Caesarem* ante menses aliquot auxilia et subsidia a Mulhusensibus et Rotwilanis flagitasse: quia vero obtinere quod postulabat nequiverit, aperte iam literis et nunciis minari suum ad ipsos adventum non fore tolerabilem rebellibus. Huius rei causa comitia Helvetiorum habentur Thermis Badensibus, quorum exitum exspecto, sed vereor ne sint futura valde turbulenta. Quae enim potest consiliorum esse concordia inter eos qui Dominum non adhibent consultorem. O stultos et insanos nos, si amplius timemus mortem votis omnibus a Domino flagitandam, ut nos his malis subducat quibus obruimur. Nisi forte putamus defectiones clarissimarum urbium Germaniae, profligationes sanctissimae doctrinae et vitae, virorum captivitatem, clarissimi principis ruinam et conculcationem gloriae Christi Iesu inter mortales, ecclesiarum omnium recte institutarum eversionem, nihil ad nos pertinere. Ego hoc vulnere confodior, qui gladio hostili perire mallem quam ista intueri. Caeterum quando nec mortis nec vitae arbitrium nostrae vel optionis vel potestatis est, procidamus coram Domino, flectamus genua cordis nostri Altissimo, ut robore fidei et patientiae imbecillitatem nostram fulciat, ad contemptum crudelis victoriae impii et scelerati hostis. Vale in Domino, cui me per tuas preces commendatum cupio. Naeoduni 20. Iunii 1547.

Nicolaus Zerchintes
tui observantissimus.

Si quid tu novi habes, fac sciam: cupio enim luctui et moerori habenas laxare, et quoniam manus mihi ipsi inferre religione, hostibus miseram vitam in pugna offerre ipsorum adhuc absentia prohibeor, faciam tamen quod possum: dolore et anxietate miserum spiritum si non exhaurire potero confestim, paulatim tentabo consumere. Vale iterum.

Aliena fide haec ad te scribo, sed animus praesagit vera esse.

---

6) *Les copies et les éditions mettent:* ces alarmes.

7) *Simler a écrit:* fille, *sans doute à cause de son titre de Damoiselle, qui de son temps n'avait plus l'ancienne signification.*

920. 1) *Dedidit se urbs Imperatori d. 23. Maii, non vero vi capta est, et quae hic iste refert de civium internecione ex vanis rumoribus collegerat.*

921.

CALVINUS VIRETO.

Novas turbas tam in consistorio quam in senatu ex petulantia uxoris Perrini ortas pluribus describit, earumque occasione famosae mox causae Iacobi Grueti exordium factum. Addit varia de Sonnerio locum mutare cupiente, de novissimis in Germania rebus gestis, de nepote Farelli.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 192 praeter quod exstat exemplar Ionvillaei in Cod. 111a, fol. 12. — Edita est a Beza, sed non integra ed. Genev. 378, Laus. p. 149, Hanov. p. 167, Chouet p. 518, Amst. p. 236. Gallice versa legitur in edit. Colon. p. 85, anglice in edit. Edinb. II. 108.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et amico integerrimo.

S. Nunc serio nobis certandum est. Vocata rursus ad consistorium fuerat uxor comici Caesaris ob suam petulantiam.[1] Illic ne asperiore quidem verbo lacessita plus veneni evomuit quam unquam antea. Primum negavit, si quid deliquisset, nostri fori esse cognitionem. Deinde conquesta est sibi gravem ignominiae notam inuri, quod in eum locum venire cogeretur, quo nonnisi sceleratos et maleficos accersi fas esset. Quum ex assessoribus unus cohibere intemperiem vellet, in eum furorem convertit. Hic quum se *Abel*[2]) interponeret, ac diceret mirari se quod initio professa esset adeo se verecundam aut elinguem quae respondere pluribus non posset, quum par futura esset quam plurimis maledicendo, tota vero rabies efferbuit. Imo[3]) vero, inquit, tu conviciator, qui patri meo nequiter conviciatus es. *Va, gros pouacre,*[4]) *tu as menty meschamment.* Nisi vi extrusa esset, fere nos obruisset suis fulminibus. Senatus decrevit ut in carcerem arctiorem includeretur. Elapsa est opera matronae illius quae malas omnes causas suscipere in suum patrocinium solet. Alter ex filiis se comitem fugitivae adiungit.[5]) Quum non procul a porta urbis forte in *Abelem* incidisset, novi insultus, et quidem proterviores.[6]) *Abel* nihil: quemadmodum et in consistorio moderatissime se gesserat. Postridie[7]) reperitur charta in suggestu qua mortem nobis minantur, nisi sileamus. Exemplar ad te mitto.[8]) Senatus tanta audacia perculsus iubet severe de conspiratione inquiri. Negotium paucis mandat. Quia multorum suspicio in *Gruetum*[9]) cadebat, statim arripitur. Alia tamen erat manus. Sed dum eius chartas revolvunt, multa reperiunt non minus capitalia: libellus supplex[10]) quem offerre populo statuerat in comitiis, ubi disputabat, nihil esse legibus vindicandum nisi quod rempublicam laederet. Ita enim Venetos facere gubernandi peritissimos. Periculum vero esse ne, dum haec urbs unius hominis melancholici cerebro obtemperat, excitata seditione perdat mille cives. Repertae sunt etiam literae, partim ad Andream *Philippum*, partim ad alios scriptae. Quibusdam me nominabat. Alias involverat figuris, quae tamen crassum artificium adeo sapiunt ut digitis attingere liceat quidquid te-

---

921. 1) *Uxor Perrini absente marito denuo a consistorio citata fuerat a. d. 23. Iunii quia in domo Mich. Voisin cum aliis pluribus saltationibus interfuerat. Plura praebent Commentarii Consistorii et Senatus, Ruchat* V. 317. *Gaberel* I. 387. *Roget*, II. 284 *s.*

2) *Poupinus qui iam anno superiore iurgio cum eadem disceptaverat in consistorio.*

3) *Haec verba cum gallicis absunt ab edd.*

4) pouacre (*podagre*), *sale, vilain* (*Littré*), *groin de porc* (*Roget*). *Anglus*: swine-herd.

5) *Contulit se in praedium suum Pregny in finibus Bernensium situm ubi iam erat pater eius Fr. Favre.*

6) *Bonivard, Advis et devis p.* 72 *et post eum Gaberel p.* 384 *rem aliter narrant, sc. Franciscam equo vectam urbe egressam esse et sic Abelem obvium factum concitato equo protrusisse. Haec tamen tacente Calvino minus certa videntur.*

7) *d.* 27. *Iunii. Ruchat l. l.* 318. *Galiffe, not. gén.* III. 259. — *Henry* II. 439 *hic nonnulla refert vero non consentanea. Roget* 28 *Iun. indicat.*

8) *Huc pertinet post-scriptum hoc:* Gros panfar, te et tes compaignons gaigneriaz mioulx de voz quiesyr. Si voz noz fadez enfuma y ny a persona qui voz garda quon ne voz mecte en lioua que pouy voz mouldiraz lhoure que iamais voz sallietez de la moynery. Est meshouy prou blasma. Quin diablo est ou cin que cestou fottu prestres reniaz noz viennent icy mettre en ruina: apres quon a prou endura on se revenge. Gardez voz quil ne voz en prenna comme a Monsieur Verle de Fribourg. Noz ne volins pa tant de mestres. Nota bin mon dire. — *En tibi bellum specimen vernaculae linguae sabaudicae, in quo tamen nonnulla leguntur quae extricanda sagacioribus relinquimus. Idem eloquentiae femineae documentum transscripsit etiam Turretinus Cod* 111, *fol.* 56 *qui tamen nostram epistolam non habet et hoc postscriptum ad ep. N.* 354 *refert, quasi nimirum verba contineret quibus quis in itinere ipsum Calvinum durius exceperit. In actis causae Grueti N.* 14 *idem libellus authenticus exstat, sed innumeris locis variatam exhibens scripturam. Nos Calvini lectiones sequuti sumus, non quasi magis authenticas, sed ne desiderentur, quum illas alias habeas apud Galiffe* III. 258 *et Henry* II. 441. *Gallice verterunt Gaberel p.* 391, *Ruchat* V. 318. *De Petro Wernly canonico Friburgensi a.* 1532 *inter primos motus reformationis Genevae vulnerato v. Ruchat* III. 174. *Roget, les Suisses et Genève* II. 19. (*Panfar, ventrosum dicit Poupinum.*)

9) *Iac. Gruet, Humberti Gruet notarii publici filius, civis Genevensis: quem cave confundas cum Claudio Gruet canonico.* (*Bonnet Lettres fr.* I. 212.) *Cf. Galiffe, l. l.* III. 262. *Alia de eo habet Henry* II. 440 *ex eodem autore: scil. eum braccas dissectas* (*N.* 913, *not.* 6), *quibus uti Bernensibus suetum, importasse.*

10) *Hoc documentum cum pluribus aliis, ex quibus pauciora tantum nostra faciemus, asservatur in Archivis Genevensibus, inter causarum capitalium acta. Caeterum vide infra.*

gere voluit. Paginae etiam duae compositae latina lingua, ubi ridetur tota scriptura, laceratur Christus, immortalitas animae vocatur somnium et fabula, denique tota religio convellitur.[11]) Non puto esse illum autorem, sed quia est eius manus causam dicere cogetur. Quanquam fieri potest ut ipse ab aliis audita in commentarium sua Minerva redegerit. Sunt enim mutilae sententiae refertae barbarismis et soloecismis.[12])

Iacoba[13]), cuius sororem habet *Gallasius*, an capta sit nescio. Est quidem a Senatu decretum. De *Vendelio*[14]) pendet adhuc sententia: tametsi non procul abest a periculo. Is erat rerum status quum scriberem. Nosti parum cordatos nobis esse syndicos.[15]) Alioqui senatus egregie est ad causam animatus. De *Sonnerio* mihi responderunt fratres nihil se de priore suo decreto mutare.[16]) Ego enim taxatus quia ut illi parcerem supersederam a scribendo. Quidam mentionem iniecit ministri Coppetini[17]) qui locum etiam mutare vellet. Si quid est, consulo ut tentet.

Quod de illis duabus victoriis continebant literae *Buceri* certissimum est. Nam hac transiit amicus quidam[18]) meus, cui res penitus comperta erat. De tertia etiam victoria nuncium fuisse allatum ex duobus locis, priusquam Argentina moveret, mihi indicavit, quanquam non audebat pro certo asserere.[19]) Praeterea mihi retulit, quum *Landgravius* fide accepta Lipsiam venisset, re infecta ac desperata reversum esse ac nunc colligere novum militem.[20]) In literis *Buceri* falso *Henrichi* nomen positum erat. Nam hunc adhuc vinctum aut saltem bene inclusum tenet *Landgravius.*[21]) Sed *Bucerus* de *Ericho* loquebatur, qui eandem nobiscum doctrinam profitetur, et tamen in turbanda ecclesia suam operam tyranno locat.

Utinam[22]) induci senatus vester posset ut in petendo foedere occuparet priores partes. Vult enim Pharao rogari, et putat maiestate sua fore indignum si minores ambiat. Sed hoc et alia viderint quorum res agitur. Nihil certe cupio nisi quod vobis commodum iudico et utile.[23])

Vale,[24]) frater et amice integerrime, una cum uxore totaque familia. Dominus te semper gubernet tibique adsit. Fratres salutabis meo nomine diligenter. Ego et uxor mea te ac tuam salutamus in Domino. 2. Iulii 1547.

Ioannes Calvinus tuus.

Nepotem[25]) tuum diutius retinui quam vellet. Est enim verecundus et timidus. Proinde quum videret non inveniri conditionem, nolebat mihi molestus esse. Ego tametsi parum spei affulgeret, volebam omnia prius experiri quam eum remittere. Per eum certe non stetit. Nam mercatores nostri per se, ut plurimum, tabernas custodiunt. Famulis et institoribus utuntur ad colligenda nomina. Ita factum est ut nemo industriae eius periculum facere sustinuerit. Non est igitur quod eum accuses. Nam ego et modestiae et frugalitatis et industriae testimonium deferre illi potuissem, si inventus fuisset dominus. Sed ea est hodie ratio urbis nostrae, ut tenuiter se domi contineant boni, improbi autem et nos et nostros fugiant. Si Lugdunum velles mittere, illic forte locus esset. Mihi tamen non probatur. Mallem temporum iniquitatem redimi pecunia. Vale, frater et amice integerrime, una cum familia, cui plurimam salutem precamur ego et uxor. *Christophorum* etiam compatrem nostrum et symmystas salutabis diligenter amborum nomine.

---

11) *Talia tamen non profert procuratoris requisitorium. Vide ibidem.*

12) *Sequentia usque ad finem in edd. desiderantur, non vero in versione anglica.*

13) *Iaqueline Maronne quae Gruetum denunciaverat in vinculis detinebatur usque ad* 5. *Iulii* (*Roget*).

14) *Petrus Vandel, Sieur de Saconex, senator, postea a.* 1548 *syndicus, parti Calvino adversae addictus, cum Perrino urbe pulsus Bernam concessit. Galiffe* I. 79. *Bonivard l. l.* 54 *sq. Plura praebet Roget l. l. p.* 291.

15) *Eo anno fasces tenebant Gir. de la Rive, Ant. Chicand, Hudriot du Molard et Franc. Beguin.*

16) *N.* 905 *et* 907.

17) *cuius nomen ignoramus. Anglus in nomine oppidi falsus habet:* the minister De Coppet.

18) Doctor Chelius (*Calvini manus in margine*). *Cf. N.* 749, *not.* 4.

19) *Imo praeter unicam illam de qua N.* 917, *not.* 2, *nulla fuit.*

20) *Vide Sleidan.* III. 22, *Ranke* IV. 409. *Rommel, Philipp. der Grossmüthige* I. 535 *ss. Quos hic fusius excerpere non attinet. Satis erit ad h. l. illustrandum ut memineris Philippum vana spe bonae pacis delusum m. Maio medio Lipsiam venisse, deinde reiectis durissimis conditionibus de bello instaurando cogitasse, tandem d.* 19. *Iunii Halis Saxon. Caesari flexis genubus fidem praestitisse, qui tamen eum in vincula coniecit. Quod Noster pro tempore nesciebat.*

21) *Guelferbyti captum a.* 1545, *sed iam hoc ipse mense Maio libertati redditum. De Ericho v. N.* 917.

22) *Hoc comma linea inducta deletum et cancellatum non exstat in exemplari Ionvillaei.*

23) *In margine Calvinus manu propria addidit:* Qui transscripsit ex literis ad Zerkintem modum excesserat. *Scilicet ex ep. ad Z. amanuensis Calvini quum non nisi nuncios ex Germania allatos huc transferre debuisset, etiam quae C. ad eundem de senatu Bernensi scripserat incaute transtulit, ideoque C. ipse cancellavit.*

24) *Haec Calvini manu scripta: praecedentia enim, inde a verbis:* Quod de illis . . . . *aliena fuerunt.*

25) *Quae sequuntur in codd. non leguntur, ac nescimus unde Beza sumpserit. Nobis videntur huc non pertinere quum in fine salutationes denuo eaedem veniant. Anglus non habet. Iam nepos iste qui hic introducitur Farelli est, et qui infra salutatur Christophorus, nullus nisi Libertetus Neocomensis. Est ergo post-scriptum Farello destinatum.*

Dominus Iesus vos custodiat, vobis adsit, vos gubernet, vestris sanctis laboribus benedicat. Amen. Genevae 2. Iulii 1547.[26])

Ioannes Calvinus tuus.

922.

BUCERUS MYCONIO.

De Valerando Pollano.

(Ex autographo Bibl. civic. Turic. F. 80 olim Epp. T. 45 p. 137. Simler. Vol. 64. Pauca tantum excerpimus.)

— — — — — — — — — — — — —

Valerandus Gallus, qui apud vos litem de connubio habuit, implicavit se multis negotiis indignis sua professione, et gessit se in his ut gravibus petatur criminibus a viris gravibus. Inter quae crimina et hoc nunc affertur, quod deseruerit apud vos vadimonium, quod fide data non discessurum donec satisfecisset D. *Valesio,* [1]) et tamen illum abiisse. Si quid sit de hoc deserto vadimonio rogo ad me scribas.[2]) — — — Argentorati 3. Iul. 1547.

923.

NEMAUSENSES CALVINO.

Gratias agunt ei et Vireto de literis sibi scriptis.

(Ex autographo Cod. Genev. 196, fol. 41. Orthographia latina passim adeo singularis, ut eam tibi non mutatam sistere quam emendare maluerimus.)

A Monsieur M. Iean Calvin. [1])

D. Ioanni Calvino ac Petro Vireto optimis verbi Dei ministris qui sunt in Nemausensi ecclesia christiana felicitatem.

Literas quas ad nos iiij Idus Iunias scripsisti [2]) recepimus et tanto studio atque reverentia legimus, *Calvine* pater, ut nihil nobis gratius aut utibilius * evenire posse existimemus, quam si saepius eiusmodi ad nos prodeant. In illis enim non solum fidem et integritatem hominis renati conspicari, sed etiam novissimi temporis laqueos et illectamenta, Satanae calumnias et insultus intueri licet. Eas, ut mandabas, ecclesiae Uticensi [3]) communicavimus, cui dulciores visae sunt mele * et favo. Ubi autem in capud * illud quod de coena Domini et eucharistia scriptum est incidimus, pro eo ac decet gavisi sumus. Antea enim persuasum erat nobis, nihil apud vos fuisse innovatum, nunc autem persuasissimum. Volumus autem existimes, vir christiane, has tuas literas adeo confirmasse eos qui vanis nonnullorum traditionibus agitabantur, ut eo nomine non parum tibi debeatur. Sparsus enim rumor de sacramenti ritu innovato deferbuit reseditque, etsi non cesserint etiamnum multi Satanae simii * blasphemias evomere. At in nomine ac verbo Iesus * Christi Kacodemonia * fugantur.

Quando D. Petrus *Viretus* literis tuis calculum adiecit, etsi satis per se nobis probentur, non parum tamen nomini et autoritati tanti viri dandum existimamus. Est enim vir, ut quum ex eorum qui ad nos veniunt sermone audimus, tum ex opusculis ab eo editis perspicimus, in omni genere disciplinarum linguarumque exercitatus. Eum tu nostro omnium nomine in Christo salvere iubebis, utque ad nos scribat hortabere.

Plura non scribimus: epistolas enim nostras breves esse convenit ad eum scriptas cui sacri evangelii thesauri sunt aperti. Hoc solum scribimus, episcopos nostrates eius esse conditionis ut cooperariis egeant quos vulgus coadiutores appellat. Accepimus denuo principem nostrum Henricum *Valesium* Nemausensi episcopo et Arelatensi archiepiscopo subsidiarios socios cooptasse. Bene vale, vir christiane, et saepius nos christianis illis paraenesibus consolare. Ex Nemausensi ecclesia pridie Idus Iulias a Christo nato 1547.

---

26) *Falso Henry* II. 439 *epistolam hanc ad undecimam Iulii refert.*

922. 1) *Fallesio.*

2) *Idem Bucerus paucis post diebus, scil.* 6. *Iulii, ad Dryandrum haec:* *Valerando* nonnihil causae debemus. Optarim itaque ut D. *Valesius* domi suae, ut Coloniae fecit, ecclesiam colligat et sacra administranda curet. Negant vero Basilienses vestri bonum istum virum adhuc vadimonium deseruisse, sed gratiam discedendi ad negotia sua ad tempus impetrasse. (*Ex autographo Arch. Thom. Epp. Buceri* III. 142. — *Quum Bucerus saepissime compendiis utatur in scribendo, et h. l.* Basilienses v[i] *scripserit, Simlerus* (Vol. 47) *coniecit legendum esse:* quinqueviri.

923. 1) *Haec in tergo.*

2) *deperditas.*

3) *Non possumus non de oppido Usès cogitare. Quidquid sit, probe notandum iam tum temporis passim in Gallia constitutas ecclesias fuisse. Caeterum ex toto epistolae huius tenore hoc efficies, eas quod ad doctrinam attinet nondum ad plenam et firmam evangelii cognitionem pervenisse.*

924.

CALVIN A M. DE FALAIS.

François Pérucel, la maison à acheter à Genève, l'Apologie, les nouvelles d'Allemagne, les procès Favre-Perrin et Gruet.

(Orig. autographe. Bibl. de Genève. Vol. 194, fol. 60. — Éd. d'Amst. p. 124. Éd. Bonnet I. 209. Trad. angl. II. 111.)

A Monseigneur Monsieur de Fallez.

Monseigneur, suivant ce que vous maviez escrit iay bien este dadvis que le frere Maistre Francois de *la Riviere* [1]) se retirat la, au moins pour quelque temps. Car quant ainsi seroit quil luy convint retourner icy, il nauroit pas long voyage a faire. Et apportant quelque recommandation de Basle, il pourroit saddresser a Berne pour estre envoye a Lausanne avec quelque provision en attendant. Toutefois cela ne meust pas faict conclurre, sinon que voz lettres y eussent ayde. Ie luy ay seulement dict que vous seriez ioieux de sa venue, affin que vostre famille receut instruction de luy quelques fois par sepmaines. Car ie me suis voulu garder dentrer en plus grande obligation, affin que cela demeurat en vostre pure liberte.

Quant a la maison ie vous prie men vouloir mander ce quil vous plaira que ien face. Mais que iaye voz lettres a la my Aoust. Car selon les uz de la ville, iay conge de renoncer au marche pour la demie annee suivant, le signifiant six sepmaines devant le terme. En ce faisant, vous ne serez pas charge sans propos; comme ie crains quen la tenant plus long temps, ce ne fust despense a nul profict.

Ie croy que *Sainct André* vous a mande ce quavons faict de l'apologie. Limpression nen sera pas retardee par faulte de la copie. De largent, mon advis nest pas que vous en retiriez rien pour eviter les murmures qui en pourroient sortir, mais plustost quen advertissant ceux qui en ont la charge de sy gouverner comme il fault, corrigeant les abus, sil y en avoit, vous subroguiez quelquun en vostre lieu. Toutefois vous y adviserez selon vostre bonne discretion. Mais ie nay voulu faillir a vous en mander mon semblant, puis quil vous avoit pleu de vous en conseiller a moy.

Nous navons eu nouvelles Dallemaigne depuis la prinse du Landgraff [2]) qui a eu un payement digne de sa laschete. Les choses estant ainsi, ie recongnois que nostre Seigneur nous veult du tout oster cest evangile triumphant, pour nous contraindre a combattre soubz la croix de nostre Seigneur Iesus. Mais contentons nous quil face son premier mestier, de garder son eglise miraculeusement par sa vertu, sans ayde de bras humain. La probation est dure, ie le confesse: mais noz peres en ont bien eu daussi pressantes, et sont demeurez constantz neantmoins, et nont point este frustrez en leur fermete. Cest icy quil convient practiquer le proverbe: Esperons, et nous verrons. Dadvantaige, il ne nous fault point esbahir, si Dieu nous a corrige si rudement, attendu la vie. Mais comme vous dictes, que ceux qui nont pas encor este touchez se mirent a telz exemples, pour se reduire, et par ce moien prevenir la main du Iuge.

Il y a eu de linadvertance aux commis de ceste ville, quilz ne me fisrent scavoir leur partement. Toutefois ie ne laisse pourtant dattendre de vos nouvelles par eux. Ie ne scay sil y sera venu quelque bruict de nos troubles [3]) iusque la, car on en parle si hault par le pais circumvoisin, quil semble que nous soions tous perdus. Sur tout on me faict mort souvent ou bien navre. Mais tant y a que ie nen sens rien. Et en la ville nous ne voyons point la centiesme partie de ce qui sen dict. Il y a bien eu quelques murmures et menaces des gens desbauches qui ne peuvent porter le chastiement. [4]) Mesme la femme de celluy qui vous devoit aller voir [5]) et vous escrivit de Berne, sestoit eslevee bien fierement. Mais il a fallu quelle ait gagne les champs pource quil ne faisoit pas bon en la ville pour elle. Les aultres baissent bien la teste, au lieu de lever les cornes. [6]) Il y en a un qui est en danger de payer un escot bien chier. Ie ne scay si la vie ny demeurera point. [7]) Il semble advis aux ieusnes gens que ie les presse trop. Mais si la bride ne leur estoit tenue roidde, ce seroit pitie. Ainsi il fault procurer leur bien, maulgre quilz en ayent.

Monsieur, apres mestre humblement recommande a vostre bonne grace et de Madamoiselle, ie prieray nostre bon Dieu quil vous ait tousiours en sa garde, vous fortifiant par son sainct esprit

---

924. 1) *Nom de guerre de François Pérucel cordelier et instructeur des novices au couvent de Paris* (*Hist. eccl.* I. 30). *Gagné aux idées de la réforme par les prédications de Fr. Landri curé de Ste. Croix en la Cité, il fut du nombre des* Bacheliers en théologie preschans le caresme et les advents qui prindrent ce mesme style en 1545 (*ibid.*). *Sommé de se rétracter il refusa, fut exclu de la faculté par la Sorbonne et quitta la France en* 1546. (*Haag.* VIII. 202. *D'Argentré.*) *Il avait été à Genève au mois de février* (881).

2) *N.* 921, *note* 20.

3) *L'affaire Favre-Perrin.*

4) *Bientôt après il fut question de menaces que C. prit plus au sérieux* (*Rég. du Consist.* 1. *Sept.*).

5) *N.* 912.

6) *Les beaux-frères de Made. Perrin prétendirent qu'elle était repentante et demandèrent pour elle un sauf-conduit.* (*Reg. du Cons.* 14. *juillet.*)

7) *Gruet.*

pour resister a toutes tentations, et vous augmentant en tout bien a son honeur. Et pource que le terme de Madamoiselle approche, nous aurons souvenance de pryer pour sa bonne delivrance. Ma femme se recommande aussi humblement a tous deux. Ce 14. de Iulliet.[8])

Vostre serviteur et humble frere,

Iehan Calvin.

925.

CALVINUS DRYANDRO.

Pertinet ad negotium Pollani, sed prae nimia brevitate minus certi est argumenti.

(Legitur autographon, quod solum exstat, in eadem charta atque Ep. ad Fallesium d. d. 14. Iulii, ita ut inscriptio huic destinata sit in tergo Ep. ad Dryandrum. Impressa est in Ed. Amstel. Epp. ad Iacobum a Burgundia p. 128.)

D. Francisco Dryandro salutem plurimam.

Quid sibi velit Iacob *Parcus*[1]) non assequor, nisi quod utrumque leniter pungendo, utrique blandiendo bonam causam oblique laesit, nec interea pepercit malae. Quod tam liberalis est in *Valerandi* laudibus, vel prodigus, non miror. Aliud enim est aquam ex Rheno haustam fundere, aliud vinum ex dolio. Dominus te semper conservet ac regat suo spiritu. Salutabis D. *Myconium* et alios amicos, praecipue D. *Bernardinum*[2]) una cum familia.

926.

PASSIUS[1]) CALVINO.

Relatio itineris italici.

(Ex autographo Cod. Gothani 405, fol. 33. — Edidit Liebe p. 35 ex quo descripsit Simlerus Vol. 64.)

A Monsr. D'Espeville Demurant auprez du logis de Monsr. Copus a Geneve.

A Geneve.

S. P. Quod tardius nostrae ad te pervenerint literae, humanissime vir I. C., id nostrae negligentiae non ascribendum existimes, vel oblivioni amicorum, quam plerumque parvum locorum intervallum generat, sed potius tabellariorum qui ad vos proficiscerentur penuriae. Etenim is non sum cui tam brevi amicorum memoria e pectore excidat, neque adeo piger qui saepius ad eos περὶ πάντων scribere detrectem: praesertim hoc tempore calamitoso, quod nullum non scribendi argumentum nobis abunde suppeditat. Itaque ubi de nostro itinere te certiorem fecero caetera persequar.

Relicta vestra civitate ac Alpibus superatis incolumis Altissimi gratia tandem Mediolanum perveni, ubi quum nobis esset renunciatum de optimi ducis S. captivitate, tanta me animi aegritudo cepit tantusque moeror ut vix apud me essem: non quod de Domini nostri, qui ducit ad inferos et reducit, misericordia diffiderem, aut quod illius divina providentia factum esset id infectum cuperem. Sed, ut saepius monuisti, quod impiorum horrendas blasphemias audirem dicentium: ubi est illorum Deus? Praeterea quum considerarem apri illius rabiem in omnes pios, veritus sum ne hac victoria elatus crudelius in eos deinceps saeviret, vineamque Domini tantis sudoribus plantatam atque excultam penitus exstirparet. In quo quidem exsequendo haud segnem eum fore arbitror, si Dominus permittat, quandoquidem summo odio flagrat adversus quosque qui libere nomen Domini profitentur. Verum illum summum regem coeli et terrae sedulo nos orare decet ut illius furores reprimat, nominisque sui potius habeat rationem, quod tantis contumeliis ab impiis afficitur, quam nostrorum delictorum: ut de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi in sanctitate et iustitia.

Sed redeo unde digressus sum. Mediolano discendens[2]) Papiam[2]) veni, ubi, tum ut quibusdam nostratibus operam darem, tum quoque ut *Alciatum*[3]) audirem qui eo est revocatus a Caesare abhinc quatuor mensibus, tres dies egi. Inde navi profectus sum Ferrariam, ubi humanissime a D. *Sinapio* medico et illius uxore exceptus fui, cum quibus consumptis fere duobus diebus nobis frequens sermo tum de verbo Dei tum de te fuit. Relicta

---

8) *Au dos:* Receu le 18. Iullet a. 1547 (*et non* 1557 *comme le porte l'éd. d'Amst.*). Respondu le 23. Iullet au susdict.

925. 1) *Vir alioquin ignotus, fortasse Gallus Basileae degens.*

2) *Ochinus ergo pro tempore Basileae commorabatur ex Turico redux, mox Argentoratum petiturus et inde cum Vermilio Angliam.*

926. 1) *Vir alioquin nobis ignotus, cuius ne patriam quidem ex hac epistola certo eruere possis. De germanicis rebus sollicitum se ostendit, sed quum Saxoniae ducem captum dicat, non electorem, fortasse tu potius extraneum dixeris. Iuvenis adhuc fuisse videtur, quum scholas Alciati adierit.*

2) *sic.*

3) *olim apud Bituriges iuris professor, iam a duce suo Francisco Maria Mediolanensi in patriam revocatus, Paviae docebat. Obiit* 1550.

Ferraria pedes Francolinum veni, quo in loco navim Venetias euntem nactus ascendi. Brevi tempore perductus sum Venetias, ubi duos fere dies egi antequam tuas literas ad Antonium *Camusium*[4]) virum pium perferre potuerim, qui haud vulgarem amicitiam nobis exhibuit. Nam simul atque intellexit unde venirem, sedulo curavit ut mihi cum aliquot piis esset familiaritas, quibuscum liceret *παῤῥησιάζειν περὶ εὐσεβείας*. Quod magnum reputo solatium in his regionibus, in quibus nihil vides aliud quam summam impietatem et *κακῶν Ἰλιάδα*. Quapropter statui hic aut Paduae aliquo tempore manere, donec receperim literas a meis ad quos his diebus scripsi.

Novi hic nihil aliud dicitur quam summum pontificem foedus renovasse cum Venetis, quod in causa est cur ipsi in pios acrius saeviant quam soliti sunt. Neapoli his diebus maxima orta est seditio inter cives et milites Hispanos praesidiarios, ob illam hispanicam inquisitionem quam introduxerat vicerex hortatu summi pontificis.[5]) Verum cives multis argumentis adducti eam reiecerunt: quippe qui libertati obesse existimarent, deinde quod viderent maximam ad calumniandum fenestram sycophantis apertam esse. Tam acrem aiunt fuisse illam seditionem ut coactus sit vicerex in arcem quandam se recipere evitandae mortis ergo. In hac plurimi milites occisi sunt. Qua de causa putant multi Caesarem in has partes venturum.

Si nostri ad vos venerint eos salutabis meis verbis. Vale in Christo Domino nostro, vir humanissime. Venetiis 18. Iulii[6]) 1547.

Tuus ex animo
Stephanus Passius.

927.

BUCERUS CALVINO.

Deploratis rebus germanicis magnam culpae partem ipsis imputandam qui tam segniter evangelii causam sustinuerint, quae iam solum Deum vindicem habet.

(Manu scripta non exstat. Ed. Beza Genev. p. 75, Laus. p. 150, Hanov. p. 169, Chouet p. 100, Amst. p. 45.)

O mi *Calvine*, anne Deus ideo defuerit verbo suo, quia nos illud tam secure contempsimus? Tam subito, tamque foede et misere concidit omnis superbia nostra. Sic ultus est in nobis, et ulciscitur adhuc iustus Deus contumeliam nominis sui, quam a nostra passus est tam diuturna et perniciosissima hypocrisi. Vindicabit nomen suum et ab Antichristis a quibus infinitis et petulantissimis hodie afficitur opprobriis. Sed quum nos sentientes tandem, sicut quo prolapsi sumus, ita etiam quam graviter istud sumus commeriti, converterimus ad ipsum caedentem nos patrem: ora nobiscum instanter Dominum Iesum largitorem poenitentiae et fidei, ut nobis crassitiem cordis pertundat, et compungat illud vero impietatis nostrae sensu et dolore, atque det nos ipsi totos credere et consecrare, quo per eum patrem veniam exoremus nostrorum peccatorum, et remissionem praesentium flagellorum: quae sane nisi cito a nobis removeantur, exitium minantur nobis. Excisionem quidem regni Christi non metuo, verum confido illud praeclare propagandum, et Antichristum in dies magis proterendum: sed vereor ut nobis Germanis Dominus ad rem hanc uti velit. Caetera hic noster. Dominus sit vobiscum. Saluta tuos omnes meis verbis officiosissime. 19. Iulii 1547.

Tuus Bucerus.

928.

CRISPINUS [1]) CALVINO.

Rei domesticae status usque anceps, publicae periculis plenus. In patria spoliatus, a suis separatus, votis expetit quibus pro tempore potiri nequit.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 5.)

Monseigneur Monsieur Despeville.

Literas tuas, vir ornatissime, 21. Iunii scriptas accepi 14. Iulii. Quae mihi quantum voluptatis attulerint et mihi perquam difficile esset explicare, neque etiam vacat, et tu nimirum tibi ipse melius statues, qui meum desiderium et omnium adhuc hic haerentium crebra suspiria satis novisti. Revocavi itaque animum ad istam quam tuis literis praedicas rationem ferendi aequissimo animo haec omnia incommoda. Illam enim excitavit Dominus, et cum

---

4) *Fuerunt etiam Lugani nonnulli e Camussiorum gente evangelio addicti.* (*F. Meyer, die ev. Gemeinde in Locarno* I. *p.* 192.)
5) *Thuanus l.* III.
6) *a prima manu:* Iunii.

928. 1) *Vide omnino, N.* 808.

illo ipso pietatis studio veluti suxi et statuendam didici. Tu vero etiam illam rationem coram [2]) fraterne admodum, atque etiam nunc suavissimis et doctissimis tuis literis accendisti, quasique ab omni molestia vindicasti. Quis enim non studiose atque ex animo, uti scribuntur, ab eo accipiat, qui idem molestias omnes expertus singulari illas moderatione animi et constantia rem incredibili pietatis laude pertulit? Sane etiam, dum hic adhuc haerere cogor, [3]) vitam mihi longe acerbissimam existimarem, si mihi non illa vera et viva tui imago veluti exemplar animo meo in his molestiis occurreret atque obversaretur, et adhuc ea quae abs te audivi aures meas crebre personarent.

Quod tu scire cupis, quidnam in rebus meis sim consequutus, quae spes recipiendarum etc., facis tu peramice admodum, et tu me istac tua sollicitudine multum recreas. Ego certe, ne nescias, in meo reditu [4]) nihil meliores res domesticas offendi, quam ipsam, ut ille aiebat, rempublicam. Adhuc vi geruntur omnia: [5]) nihil intra parietes tutum, salvum aut incolume mansit. Recipiendae uxoris [6]) spes bona et certa esse videtur, sed a meis id omnino mihi scriptum est fieri tam cito non posse: tum ob partum cui est proxima, tum vero etiam ut reliquias incendii [7]) colligat, quas quidem reliquias perfidia nostrorum hominum admodum exiguas et pertenues fecit. Sed tamen, ut tu probe mones, etiam iis, etiam nullis contentus ero, et laudabo Dominum. Interea commendo illa infirmiora Domini vascula [8]) tuis sanctis precibus, dum captiva apud illos detinebuntur.

De rebus quae hic tum geruntur tum dicuntur, plura in animo erat scribere, sed otium defuit. Nam haec scribendi occasio mihi admodum praeceps et praepropera fuit. Saluta meo nomine D. Davidem *Lassium*, *Nicolaum*, [9]) *Henricum* nostrum, fratrem tuum et uxores omnes. Ego alias aut latius de omnibus ad te scribam aut ipse veniam. [10]) Opto te cum omni tua familia in Christo recte valere et nostri meminisse. 20. Iulii. [11])

Tuus Io. Burgundus.

---

2) *Iam ex priore illa epistola collegisti Crispinum Genevae pridem adfuisse.*
3) *Scil. in Picardia.*
4) *Parisiis fortasse.*
5) *Persequutiones vergente anno* 1546 *in illis terris recrudescere coeperunt.*
6) *Hic conferenda quae habet Balduinus N.* 738.
7) *Nempe figurate sic dicti, si quid videmus.*
8) *Uxorem et liberos, quos propinqui retinuisse videntur et marito et patri denegasse.*
9) *Picot* (*N.* 808, *not.* 6). *De Lassio et Henrico non habemus quod dicamus.*
10) *Genevam se contulit cum Beza m. Oct.* 1548.
11) *Sane non eiusdem anni atque illa quam ad* 12. *Iulii* 1546 *retulimus* (*N.* 808). *Verum an haec ad* 1547 *referenda sit, vel adeo ad* 1548 *dubius haerere poteris.*

929.

DRYANDER CALVINO.

Perturbatio ubique maxima etiam hominum sensus et cogitationes invadit. Etiam Helvetia periculis obsessa. In commercio amicorum unicum solatium.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 69.)

Clarissimo viro D. Iohanni Calvino
Genevae.

S. D. Ea est hodie rerum omnium perturbatio ut, quoties orbis terrarum confusionem contemplor, omnem mihi sensum et cogitationem eripiat ista quam oculis nostris videmus miseriarum continuatio. Praeter confusiones aliorum regnorum putant multi instare quoque Helvetiorum castigationem. Nam Imperator reversus Augustam aliquid occultae machinationis dicitur meditari in istam gentem, quam ille iam dudum in animo suo devoravit. Sed habet ille quoque praescriptos terminos a Deo, ultra quos non progredietur. Nos interim inter malleum et incudem versamur, et tanquam oves occisioni destinatae flagellum Domini quotidie exspectamus. Liberabit tamen nos aeternus pater, si ita iudicabit expedire gloriae suae, ex ore crudelissimi leonis, qui nihil aliud sitit quam humano cruore respergi. Nulla in re meus animus potest acquiescere quam in promissione divina, quam certo scio irritam esse non posse. Iuvaret in tantis afflictionibus cum iis hominibus interdum conferre, qui in schola spiritus sancti plurimum profecerunt. Quo magis igitur video instare magna pericula, eo magis tecum desidero communicare, ut mutua utriusque fidei communicatione animi nostri recrearentur. *Philippum* nostrum frustra exspectavi, quem sine manifesto vitae discrimine scio hactenus ad nos venire non potuisse. Decimo die Maii erat Brunsvigae, unde ab eo accepi literas. Quid postea sit subsequutum ignoro. [1]) Si quid intellexero tibi communicabo. Reliqua D. *Fallesius*, et a *Budeo* [2]) intelliges. Bene vale cum tota ecclesia. Basileae 22. Iulii 1547.

Tuus F. Dryander.

---

929. 1) *Imminente Wittenbergae obsidione Melanchton* 4. *Maii Brunsvigam se recepit cum Lutheri vidua. Incertus quo se verteret utrum in Daniam an in suam ipsius patriam, primum Nordhusiam petiit, m. Iunio Vinariam, Iulio Lipsiam, denique* 25. *Iulii cum Bugenhagenio et Crucigero Wittenbergam rediit.* (*Corp. Reff. in Epp. et Annal.*)
2) *Ioanne* (*N.* 915).

Ferraria pedes Francolinum veni, quo in loco navim Venetias euntem nactus ascendi. Brevi tempore perductus sum Venetias, ubi duos fere dies egi antequam tuas literas ad Antonium *Camusium*[4]) virum pium perferre potuerim, qui haud vulgarem amicitiam nobis exhibuit. Nam simul atque intellexit unde venirem, sedulo curavit ut mihi cum aliquot piis esset familiaritas, quibuscum liceret *παῤῥησιάζειν περὶ εὐσεβείας*. Quod magnum reputo solatium in his regionibus, in quibus nihil vides aliud quam summam impietatem et *κακῶν Ἰλιάδα*. Quapropter statui hic aut Paduae aliquo tempore manere, donec receperim literas a meis ad quos his diebus scripsi.

Novi hic nihil aliud dicitur quam summum pontificem foedus renovasse cum Venetis, quod in causa est cur ipsi in pios acrius saeviant quam soliti sunt. Neapoli his diebus maxima orta est seditio inter cives et milites Hispanos praesidiarios, ob illam hispanicam inquisitionem quam introduxerat vicerex hortatu summi pontificis.[5]) Verum cives multis argumentis adducti eam reiecerunt: quippe qui libertati obesse existimarent, deinde quod viderent maximam ad calumniandum fenestram sycophantis apertam esse. Tam acrem aiunt fuisse illam seditionem ut coactus sit vicerex in arcem quandam se recipere evitandae mortis ergo. In hac plurimi milites occisi sunt. Qua de causa putant multi Caesarem in has partes venturum.

Si nostri ad vos venerint eos salutabis meis verbis. Vale in Christo Domino nostro, vir humanissime. Venetiis 18. Iulii[6]) 1547.

Tuus ex animo
Stephanus Passius.

927.

BUCERUS CALVINO.

Deploratis rebus germanicis magnam culpae partem ipsis imputandam qui tam segniter evangelii causam sustinuerint, quae iam solum Deum vindicem habet.

(Manu scripta non exstat. Ed. Beza Genev. p. 75, Laus. p. 150, Hanov. p. 169, Chouet p. 100, Amst. p. 45.)

O mi *Calvine*, anne Deus ideo defuerit verbo suo, quia nos illud tam secure contempsimus? Tam subito, tamque foede et misere concidit omnis superbia nostra. Sic ultus est in nobis, et ulciscitur adhuc iustus Deus contumeliam nominis sui, quam a nostra passus est tam diuturna et perniciosissima hypocrisi. Vindicabit nomen suum et ab Antichristis a quibus infinitis et petulantissimis hodie afficitur opprobriis. Sed quum nos sentientes tandem, sicut quo prolapsi sumus, ita etiam quam graviter istud sumus commeriti, converterimus ad ipsum caedentem nos patrem: ora nobiscum instanter Dominum Iesum largitorem poenitentiae et fidei, ut nobis crassitiem cordis pertundat, et compungat illud vero impietatis nostrae sensu et dolore, atque det nos ipsi totos credere et consecrare, quo per eum patrem veniam exoremus nostrorum peccatorum, et remissionem praesentium flagellorum: quae sane nisi cito a nobis removeantur, exitium minantur nobis. Excisionem quidem regni Christi non metuo, verum confido illud praeclare propagandum, et Antichristum in dies magis proterendum: sed vereor ut nobis Germanis Dominus ad rem hanc uti velit. Caetera hic noster. Dominus sit vobiscum. Saluta tuos omnes meis verbis officiosissime. 19. Iulii 1547.

Tuus Bucerus.

928.

CRISPINUS [1]) CALVINO.

Rei domesticae status usque anceps, publicae periculis plenus. In patria spoliatus, a suis separatus, votis expetit quibus pro tempore potiri nequit.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 5.)

Monseigneur Monsieur Despeville.

Literas tuas, vir ornatissime, 21. Iunii scriptas accepi 14. Iulii. Quae mihi quantum voluptatis attulerint et mihi perquam difficile esset explicare, neque etiam vacat, et tu nimirum tibi ipse melius statues, qui meum desiderium et omnium adhuc hic haerentium crebra suspiria satis novisti. Revocavi itaque animum ad istam quam tuis literis praedicas rationem ferendi aequissimo animo haec omnia incommoda. Illam enim excitavit Dominus, et cum

---

4) *Fuerunt etiam Lugani nonnulli e Camussiorum gente evangelio addicti.* (*F. Meyer, die ev. Gemeinde in Locarno* I. *p.* 192.)
5) *Thuanus l.* III.
6) *a prima manu:* Iunii.

928. 1) *Vide omnino, N.* 808.

illo ipso pietatis studio veluti suxi et statuendam didici. Tu vero etiam illam rationem coram [2]) fraterne admodum, atque etiam nunc suavissimis et doctissimis tuis literis accendisti, quasique ab omni molestia vindicasti. Quis enim non studiose atque ex animo, uti scribuntur, ab eo accipiat, qui idem molestias omnes expertus singulari illas moderatione animi et constantia rem incredibili pietatis laude pertulit? Sane etiam, dum hic adhuc haerere cogor, [3]) vitam mihi longe acerbissimam existimarem, si mihi non illa vera et viva tui imago veluti exemplar animo meo in his molestiis occurreret atque obversaretur, et adhuc ea quae abs te audivi aures meas crebre personarent.

Quod tu scire cupis, quidnam in rebus meis sim consequutus, quae spes recipiendarum etc., facis tu peramice admodum, et tu me istac tua sollicitudine multum recreas. Ego certe, ne nescias, in meo reditu [4]) nihil meliores res domesticas offendi, quam ipsam, ut ille aiebat, rempublicam. Adhuc vi geruntur omnia: [5]) nihil intra parietes tutum, salvum aut incolume mansit. Recipiendae uxoris [6]) spes bona et certa esse videtur, sed a meis id omnino mihi scriptum est fieri tam cito non posse: tum ob partum cui est proxima, tum vero etiam ut reliquias incendii [7]) colligat, quas quidem reliquias perfidia nostrorum hominum admodum exiguas et pertenues fecit. Sed tamen, ut tu probe mones, etiam iis, etiam nullis contentus ero, et laudabo Dominum. Interea commendo illa infirmiora Domini vascula [8]) tuis sanctis precibus, dum captiva apud illos detinebuntur.

De rebus quae hic tum geruntur tum dicuntur, plura in animo erat scribere, sed otium defuit. Nam haec scribendi occasio mihi admodum praeceps et praepropera fuit. Saluta meo nomine D. Davidem *Lassium*, *Nicolaum*, [9]) *Henricum* nostrum, fratrem tuum et uxores omnes. Ego alias aut latius de omnibus ad te scribam aut ipse veniam. [10]) Opto te cum omni tua familia in Christo recte valere et nostri meminisse. 20. Iulii. [11])

Tuus Io. Burgundus.

---

2) *Iam ex priore illa epistola collegisti Crispinum Genevae pridem adfuisse.*
3) *Scil. in Picardia.*
4) *Parisiis fortasse.*
5) *Persequutiones vergente anno* 1546 *in illis terris recrudescere coeperunt.*
6) *Hic conferenda quae habet Balduinus N.* 738.
7) *Nempe figurate sic dicti, si quid videmus.*
8) *Uxorem et liberos, quos propinqui retinuisse videntur et marito et patri denegasse.*
9) *Picot* (*N.* 808, *not.* 6). *De Lassio et Henrico non habemus quod dicamus.*
10) *Genevam se contulit cum Beza m. Oct.* 1548.
11) *Sane non eiusdem anni atque illa quam ad* 12. *Iulii* 1546 *retulimus* (*N.* 808). *Verum an haec ad* 1547 *referenda sit, vel adeo ad* 1548 *dubius haerere poteris.*

929.

DRYANDER CALVINO.

Perturbatio ubique maxima etiam hominum sensus et cogitationes invadit. Etiam Helvetia periculis obsessa. In commercio amicorum unicum solatium.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 69.)

Clarissimo viro D. Iohanni Calvino
Genevae.

S. D. Ea est hodie rerum omnium perturbatio ut, quoties orbis terrarum confusionem contemplor, omnem mihi sensum et cogitationem eripiat ista quam oculis nostris videmus miseriarum continuatio. Praeter confusiones aliorum regnorum putant multi instare quoque Helvetiorum castigationem. Nam Imperator reversus Augustam aliquid occultae machinationis dicitur meditari in istam gentem, quam ille iam dudum in animo suo devoravit. Sed habet ille quoque praescriptos terminos a Deo, ultra quos non progredietur. Nos interim inter malleum et incudem versamur, et tanquam oves occisioni destinatae flagellum Domini quotidie exspectamus. Liberabit tamen nos aeternus pater, si ita iudicabit expedire gloriae suae, ex ore crudelissimi leonis, qui nihil aliud sitit quam humano cruore respergi. Nulla in re meus animus potest acquiescere quam in promissione divina, quam certo scio irritam esse non posse. Iuvaret in tantis afflictionibus cum iis hominibus interdum conferre, qui in schola spiritus sancti plurimum profecerunt. Quo magis igitur video instare magna pericula, eo magis tecum desidero communicare, ut mutua utriusque fidei communicatione animi nostri recrearentur. *Philippum* nostrum frustra exspectavi, quem sine manifesto vitae discrimine scio hactenus ad nos venire non potuisse. Decimo die Maii erat Brunsvigae, unde ab eo accepi literas. Quid postea sit subsequutum ignoro. [1]) Si quid intellexero tibi communicabo. Reliqua D. *Fallesius*, et a *Budeo* [2]) intelliges. Bene vale cum tota ecclesia. Basileae 22. Iulii 1547.

Tuus F. Dryander.

---

929. 1) *Imminente Wittenbergae obsidione Melanchton* 4. *Maii Brunsvigam se recepit cum Lutheri vidua. Incertus quo se verteret utrum in Daniam an in suam ipsius patriam, primum Nordhusiam petiit, m. Iunio Vinariam, Iulio Lipsiam, denique* 25. *Iulii cum Bugenhagenio et Crucigero Wittenbergam rediit.* (*Corp. Reff. in Epp. et Annal.*)
2) *Ioanne* (*N.* 915).

930.

CALVINUS VIRETO.

De Roberti cuiusdam causa matrimoniali et Grueti capitali.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 191 coll. cum Cod. 111 a, fol. 13. Ionv. — Edita est a Beza Genev. p. 73, Laus. p. 152, Hanov. p. 171, Chouet p. 97, Amst. p. 44. Anglice versa T. II. p. 114 sed tantum postrema pars.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et amico integerrimo.

S. Acceptis tuis literis vocavi ad me mulierem. Ea audita breviter notavi in quibus cum *Roberti* 1) propositis minus congruebat eius responsio. Ut ingenio est admodum feroci atque etiam protervo, plus satis in causae suae defensione se extulit. Cohibui tamen eius intemperiem ut potui. Sed, quemadmodum dicis, nobis movebit brevi maiores turbas, nisi recepta fuerit. Proinde *Roberto* consulo ut periculo huic mature occurrat. Nam quum furiosi sunt mulierum impetus in eiusmodi repulsis, tum vero hanc animadverti non leviter exarsuram. Quod ad me attinet, ut coniugium rite contractum non video, ita *Roberti* fidem iudico penitus obligatam. Frustra enim libertati suae cavere voluit sic agendo. Fateor sane coniugium rem esse magis sacram, quam ut nutu vel ambiguis promissis contrahatur. Proinde non apparet in eorum conventionibus ea religio quae coniugalem reverentiam decebat. Sed ex adverso res magis seria erat quam ut ludicris pollicitationibus eludere debuerit, tam mulierculam quam alios. Ita non possum aliter statuere quin fidem suam obstrictam habeat. Verum antequam illi pronuncies, quae sit nostra utriusque sententia, ipsum de capitibus adhuc controversis interrogari optarim. Nam erit forte eiusmodi responsio quae si quid reliquum est dubitationis tollat. Quidquid tamen responderit, hominem urgeas iis argumentis quae res ipsa suppeditat, ne se et illam absque profectu fabulae exponat.

In rebus nostris nihil novum. *Grueti* negotium syndici protrahunt senatu invito, nec tamen ut decebat reclamante. Scis enim paucos esse cordatos. Ego in exagitandis communibus vitiis et praecipue iuvenum corruptelis severitatem meam exerceo. Pericula quae mihi boni viri ex compluribus locis nunciant dissimulo, ne de me videar nimium sollicitus. Deus qualemcunque volet exitum dabit. *Farello* et tibi gratias habeo et ago quas debeo. Adventus vester, sicuti nihil obesset et aliquid conduceret, ita non videtur esse tam necessarius in hoc rerum statu, ut vobis velim esse molestus. Vale, frater et amice integerrime, una cum uxore et familia. Dominus Iesus perpetuo te gubernet tibique adsit. Salutem plurimam dices fratribus et uxori meo nomine. Uxor te et familiam tuam salutat. Genevae 24. Iulii 1547.

Ioannes Calvinus tuus.

Guillelmus bibliopola in causa fuit quo minus hae literae citius missae fuerint. Nam se istuc iturum promiserat. De morte *Grueti* 2) audies ex aliis. Mira fuit in homine conversio, mira ad obeundam mortem constantia.

930. 1) *Fuit aliquis Robertus supra N.* 728. 731. 752. *An vero hic idem? Agitur hic de sponsalibus non quidem rite et legaliter peractis, sed tamen Calvino iudice fidem viri obligantibus.*

2) *Qui quum* 26. *Iulii capite damnatus fuerit, hoc postscriptum quod abest ab exemplari Ionvillaei paucis interiectis diebus additum fuisse patet.*

931.

CALVIN AUX FIDÈLES DE FRANCE.

Exhortation à la constance dans la foi, en vue des revers essuyés par la cause de l'Evangile en Allemagne.

(Copie ancienne Genève MS. 107, f. 20. — Copies récentes de Turretin MS. 111, f. 155 v. et 108, f. 187 en deux fragments; aux Archives de Berne Epp. VII. 830; Simler. V. 64. — Éd. en français Ruch. V. 532. Bonnet I. 213; en latin Gen. p. 76, Laus. p. 151, Hanov. p. 169, Chouet p. 101, Amst. p. 46. en anglais. Edinb. II. 115.)

A mes treschers signeurs et freres 1) qui desirent ladvancement du Royaulme de nostre Signeur Iesus Christ.

La dilection de Dieu nostre Pere, et la grace de nostre Signeur Iesus Christ demeure tousiours sur vous, par la communication du Sainct Esprit.

Treschers signeurs et freres, ie ne doubte point que vous nayez iournellement beaucoup de nou-

931. 1) *L'adresse a une portée toute générale. Il est cependant assez difficile de se rendre compte de la manière dont la lettre serait parvenue à sa destination à moins d'être imprimée. Nous inclinons donc à penser que l'auteur avait en vue les Parisiens, surtout aussi à cause de leurs tendances nicodémites.*

velles tant dicy que dAllemaigne qui pourroient tourner en scandale a ceux qui ne sont point trop bien confermez en nostre Signeur Iesus Christ. Mais ie me confie en Dieu quil vous a tellement fortifiez que vous ne serez esbranlez ne pour cela ne pour rien qui puisse advenir encores plus grand. Et de faict si nous sommes bien bastiz sur ceste pierre dure qui a este ordonnee pour le fondement de lEglise, nous pourrons bien soustenir de plus rudes tempestes et orages, sans estre abbatuz. Mesmes il nous est expedient que telles choses advionnent, affin que la constance et fermeté de nostre foy en soit esprouvee.

Quant a lestat dAlemagne, nostre Seigneur a tellement abaisse lorgueil du monde en noz gens, et donne toute puissance et authorite a celuy dont on ne peult attendre que mal, quil semble advis toutesfois quil veuille maintenir son regne spirituel par tout ou il lavoit desia esleve. Vray est que, selon lopinion de la chair, cela est mal asseure: mais en luy recommandant sa pauvre Eglise et le royaulme de son filz, esperons quil besongnera oultre nostre estime. Iusques icy il y a danger que les moiens humains nous aient esblouy les yeux. Maintenant puisquil ny a rien qui nous empesche de regarder a sa main, reduisans en memoire comment il a garde son Eglise le temps passe, ne doubtons poinct quil ne se glorifie en sorte que nous en serons esbaiz. Ce pendant ne nous lassons point de batailler soubz lenseigne de la croix de nostre Seigneur Iesus, car cela vault mieux que tous les triomphes du monde.

Quant est des bruitz qui ont volle de noz troubles, premierement ils se sont forgez sur les champs pour la plus grand' part. Car si vous estiez sur le lieu, vous ny verriez poinct la disiesme partie de ce qui sen dit dehors. Vray est que nous en avons plusieurs de dure cervelle[2]) et de col rebelle au ioug, qui a toutes ocasions ne demandent que seslever, et par tumultes dissiper et abolir tout ordre en leglise, voire tant ieunes que vieux. Et principallement nous avons une ieunesse fort corrompue: ainsi quant on ne leur veult point permettre toute licence, ilz font des maulvais chevaulx a mordre et a regimber. Nagueres ilz se sont fort despitez, soubz umbre dune petite chose. Cest quon ne leur vouloit point conceder de porter chausses decouppees, ce qui a este defendu en la ville il y a douze ans passez. Non pas que nous fissions instance de cela, mais pource que nous voions que par les fenestres des chausses ilz vouloient introduire toutes dissolutions. Cependant nous avons protesto que cestoit ung menu[3]) fatras qui ne valoit pas le parler, que la decouppure de leurs chausses et avons tendu a une aultre fin, qui estoit de les brider et reprimer leurs follies. Durant ce petit combat, le diable en a entrelasse daultres, tellement quil y a eu de grans murmures. Et pource quilz ont senty plus de magnanimite en nous quilz neussent voulu, et plus de vehemence a leur resister, le venin que tenoient aulcuns cache dedans leur coeur sest iecte. Mais tout cela nest que fumee: car leur menaces ne sont que comme escume de lorgueil de Moab, qui na point de force dexecuter ce quil a presume.

Quoy quil en soit il ne fault point que vous en soiez estonnez. Il y a eu de plus grandes emotions contre Moise et contre les Prophetes, combien quilz eussent a gouverner le peuple de Dieu. Et ce sont exercices necessaires pour nous. Seulement priez nostre Seigneur quil nous face la grace de ne point flechir, mais que nous preferions son obeissance a nostre vie, quant mestier sera, et que nous craignions plus de loffenser que desmouvoir toute la rage des meschans contre nous. Et en la fin quil luy plaise dappaiser tous les tumultes qui pourroient rompre le coeur des infirmes. Car cest ce qui me poise plus que tout le reste. Nostre Seigneur nous a faict ceste grace davoir la iustice de bon vouloir a remedier au mal. Et tous mes freres sont dung bon accord a poursuivre ce qui est de nostre office, tellement quil y a une mesme constance en tous. Il ne reste sinon que ce bon Dieu poursuive a conduire son oeuvre.[4])

Ie vous prie, treschers freres, tenir bon de vostre coste aussi: et que nulle crainte ne vous esbranle, encores que les dangers fussent plus apparens que vous ne les avez veu iusques icy. Que la fiance que Dieu nous commande davoir en sa grace et en sa vertu, vous soit tousiours une forteresse invincible, et que pour vous tenir asseurez de son assistance, vous soiez soigneux de cheminer en sa crainte, combien quapres avoir mis toute nostre estude a le servir, il nous convienne tousiours revenir a ceste conclusion de luy demander pardon de noz faultes. Et daultant que vous pouvez bien experimenter combien nous sommes fragiles, soiez tousiours diligens a continuer lordre que vous avez de prier et ouir sa saincte parole pour vous exercer, esguiser et confermer de plus en plus. Que rien ne vous en divertisse, comme quelquefois on a plusieurs couleurs pour faire trouver bon de sen passer. Ie scay quil seroit beaucoup meilleur que tous ceux qui desirent dhonorer Dieu convinssent

2) *Les copies ont* cervice, *et Bèze* cerviois. *Ce pourrait bien être la vraie leçon.*

3) mesme *Bt.*

4) *Ici s'arrête la traduction latine.*

ensemble, et que chacun y appellast les aultres comme a son de trompe. Mais encore vaut il beaucoup mieux davoir ce que vous avez, qui est comme la moitie, que rien du tout. Ainsi gardans bien de reculler, allez plus tost en profittant, et faictes servir ce bien que Dieu vous donne, edifians les uns les aultres, et en general tous pauvres infirmes et ignorans par vostre bonne vie, et que par ung mesme moyen les iniques demeurent confuz. En ce faisant vous sentirez la main de Dieu sur vous, lequel ie prie de vouloir augmenter en vous les graces quil y a mises, vous fortifier en vraie constance, vous garder entre les chiens et les loups, et se glorifier en vous en toutes sortes, apres mestre affectueusement recommande a voz bonnes prieres. Ce 24. de iuillet 1547.

Vostre humble frere et entier amy,

Charles Despeville.

932.

PROCÈS DE JAQUES GRUET.

(Le proces criminel intenté à Jaques Gruet et terminé par une sentence capitale le 26. juillet 1547 est avec ceux de Servet et de Bolsec, la cause célèbre la plus importante à laquelle le nom de Calvin fût mêlé. Cependant, comme il n'y prit que peu de part, nous n'avons pas jugé à propos d'insérer dans notre édition la série complète des pièces conservées aux Archives de Genève et dont la plus ancienne remonte au 30. Juin 1547. Nous nous bornons ici à mettre sous les yeux des lecteurs quelques pièces datées de la fin de Juillet, savoir le réquisitoire du procureur et la sentence, et nous les faisons précéder d'une lettre de Gruet à la Seigneurie, non datée, mais écrite sans doute peu auparavant.)

1.

Lettre de Gruet.[1])

Tres magniffiques Seigneurs je ne veux nullement estre desobeissent a vostre souveraynete, nyaulmoins, puis que bien je vous diray une partie de ce que mon cueur pense, tenes vous pour asseure que je ny entend nulle malice que soit vray: quelle recomponse puis je acquerir meilleur que davoir le nom dhomme de bien? si je pretendois a faire quelque trahyson ou mutinacion de ville, quel honneur et profit en pourroy je acquerir? point, sinon toutes jniquites malveillances reproches et mesprisons dung chascun. Celluy qui ayme lavarice ne desire que faire trahison, mais lhomme qui desire acquerir honneur ne tasche que faire chouses honnorables. Que sy az quelques ung qui vous desclaire quelque chouse, pense deux foys a son dire que le prent a malle jntencion ou bonne et escoute parler ung chascun. Se parle mal, reprenez le: si veult continuer a son dire, lors peut lon congnoistre quil use de malice, se son propos na bonne soubstance. Mais se voyes que son allegacion aye bon fondement, escoute le parler, mesme sil as de quoy. Cart lemprisonnement que vous faictes a lhomme luy oste le bon cueur quil az a une Respublicque. Exemple aux Veniciens qui tienent le regime des Romains. Ainsi font Genevoys et aultres communaultes . . . . Ne vous reigles par le dire ny par la voulunte dung home. Cart vous voyes que les hommes ont plusieurs et diverses oppinion en eulx: chascun a part soit vouldroit estre gouverne a sa guise. Regardes ung yvrongne vouldroy tousiours hanter yvrongnes comme luy: bateurs de pavez pareillement. Sayges vouldroient que chascun fut tel que eux: mais il nest possible et souventesfoys loppynion dung homme seul causa beaucoups de maulx. Il faut regarder la consequence et leffect. Se nous ne voulions avoir aultre regard que a nostre vie quel fruict auroient de nous noz possesseurs? Il me semble que nous debvons regarder la consequence et leffect. Sil y a ung personnaige qui soit saturnin de soyt mesme, il desire, sil az la puissance, quun chascun soit saturnin comme luy et hayra toutes choses qui sont contrayres a saturnite. Et sil az ceste preheminence et auctorite jl vouldra que son naturel soit mys en exequution. Au contraire ung qui sera joyeux demandera plaisir et esbazt. Lequel des deux a meilleure nature en luy? Chascun veult mentenir la syenne estre meilleure a laultre jndifferente.

Pourquoy me semble, pour appaiser toutes ses contrarietes, que une seigneurie doit faire ung estat tel quil ny aye nul discort dapprover la subiection dung peuple pour une chose contre nature. Il ny a nulle roy ou regyme dune Respublique, se est que jl ne soit permis a homme faire ce quil ne vouldroit luy fut faict. Exemple dung que murtre ung aultre: celluy merite punition se leffect du murtre est voulentayre: Dung larron qui expie gens aux champs: celluy merite punicion corporelle et abstentement de vin, affin quil ne continue plus a son malheureux effect. Ung violateur de femmes ou filles par force, celluy merite poyne. Ung trahistre de ville ou aultrement que faict ou contraire de son dire, jcelluy merite poyne, reserve celluy que na sa puissance de mentenir permise. Mais ung conspirateur de trahison jcelluy merite grande punission. Brief toute personne qui contrarie a laultre par meschant vouloir merite punicion.

---

932. 1) *Ecriture en partie presque illisible. De là quelques lacunes dans notre transcription.*

Mais se je suis ung homme veulant menger mon bien a quelle guise quil me plaira, que doibt avoir affaire laultre que ce az ny voyre ny congnoistre, ou si je veulx dancer saulter moner joyeuse vie que az affaire la justice? Rien. Cart alcune foys la tropt rude justice engendre plusieurs machinations, que cause que ung homme soit peut estre cause de plusieurs maux et perdicion de mille hommes comme nous voyons par experience et bourbe de nostre temps que une vindication causa tant de maux en france . . . . .

2.

Sommaire du procès.

(Cette pièce se trouve aussi aux Archives de Berne, Epp. VII. 812 et chez Simler Vol. 64.)

Le Proces faict et forme pardevant Magniffiques puissans et tres redoubtez Seigneurs Messeigneurs les Sindiques et Conseil de ceste cite de Geneve juges des causes criminelles de la dite cite: jnstant a ce Mr. le Lieutenant de ladite cite de Geneve esdites causes jnstant contre Iaques Gruet filz de feu Humbert citoyen de Geneve Inquis.

Et premierement a spontanement confesse que combien quil soyt este jnstruict et enseigne par les Ministres et Annonciateurs de la parolle de nostre Sgr. a suyvre ses sainctz commandemens et vivre jouxte jceulx touteffois nayant esgard aux biens que Dieu luy a faictz de luy donner ses commandemens par ses prophettes, jcelluy mal advise seduict par lesprit maling a villepende par ses escriptures les aucteurs comme Moyse qui a escript par lesprit de Dieu la Loy divine, allegant jcelluy Moyse estre homme nayant non plus de puissance que aultres hommes, voullant en ce adneantir la doctrine dicelluy Moyse qui pouvoit tomber a grande confusion et scandalle aux fidelles.

Aussy a dict et profere par ses escriptures, comme a confesse que toutes loix tant divines que humaines sont faictes au plaisir des hommes, et aultres allegations execrables non meritantes destre declarees a cause de leur execrabilite.

Item a spontanement confesse que non content de ce, mais perseverant de mal en pis avoit escript a ung certain nomme en son proces serviteur de certain prince en jcelluy nome pour jnciter ledit prince de escripre lettres rigoreuses et de menasses pour mal voulloir la Seigneurie de ceste cite, lesquelles si ainsy fust advenu et fussent sortys a leur effect pouvoyent tomber a grand mal de la republique de Geneve, et lhonneur de Dieu en heust este mesprise et abbatu si ce ne heust este apperceu par ses lettres et confessions par luy recongneues.

Item a spontanement confesse que non content des choses susdites, mais tousiours jnclin a mal faire perseverant a icelluy mal mectre a son entier effect voyant les choses justement et equitablement establies par linspiration de Dieu que de ses eleuz en la ville de Geneve, a voulu tascher de tout son pouvoir jceulx establemens et divins edictz adneantir et denigrer de tout son pouvoir, estant marry et jrrite contre ceulx qui desiroyent jceulx divins edictz maintenir, comme appert par une syenne lettre escripte de sa propre main la ou est cogneue amplement la perseverance de sa mechancete contre lhonneur de Dieu et de la republique.

Item a spontanement confesse que non content de ce par luy sus confesse, ains desirant dune affection malligne jnduyre le peuple de ceste cite a estre jrrite contre leurs seigneurs et superieurs, a dresse certaine supplication contrevenante aux edictz et statutz de nos dicts seigneurs et superieurs pour jcelle presenter en conseil general ou la lyre luy mesme: en laquelle supplication avoyt choses execrables contrevenantes a lhonneur de Dieu et au mespris des edictz statutz et ordonnances de noz seigneurs et superieurs qui pouvoit tomber pour mettre grandes sizanies entre les citoyens bourgeoys et habitans de la dicte cite.

Item a spontanement confesse que luy continuant a sa malligne et jnique voulonte voyant quil ne povoit trouver moyen ni maniere dadresse pour exequuter ses jmpertinens desirs, comme voulant user de vengeance sil heust trouve gens a luy commodes par une fiere arogance, est alle escripre ung billet contrefaict de sa propre main, lequell il a posez en la chayre S. Pierre auquel jl a use de menasses tant contre Dieu que ses ambassadeurs et serviteurs jusques a menasser de tuer, qui estoit chose fort execrable et estant son jntention dabolir la saincte parolle de Dieu, important en tout endroit et par toutes raisons conspiration de crime de leze majeste.

Item et pour monstrer quil a jncouru ledict crime de leze majeste ledict Gruet a confesse que luy mal advise et nayant esgard aux sermens et feaulte promise a la republique de ceste cite, combien que de ce fust certainement adverty, non obstant ce ayant receu lettres dun nomme en son proces usans de menasses dung aultre aussy nomme en son proces, contre la magistraulte de Geneve de ce na point adverty la Seigneurie dudict Geneve, ains comme pervers a garde ce tellement que ledict nomme en son proces heust peu faire beaucoup dattediations aux Seigneurs de ceste cite, sil heust voulu mectre ses desirs en effect. Dont luy

estant de tout cela adverty et aussy des edictz et ordonnances sur ce faictes nen a tenu compte ny aucune chose, rebelle a la justice, ainsy quil debvoit et estoit tenu faire par son serment.

Item plus a spontaneement confesse que luy estant adverty par la doctrine de Dieu par ses escriptures et par ses ministres congnoissant la distinction de vertu a peche, enclin tousiours a perseverer a son mal au lieu descripre bonne doctrine a son frere chrestien, a escript lettres par lesquelles jl admonestoit aulcung nomme en son proces plustoust a mal que a bien, luy escripvant lettres de paillardise comme appert par unes letres escriptes de la propre main dudit Gruet mentionnees en son dict proces.

Item a spontaneement confesse que toute sa vie depuis laage de sa congnoissance, estant seduict par le maling esprit, sest plustoust induict a mal faire que a bien, ainsi que plus amplement est contenu au proces contre luy faict et en une supplication escripte et signee de sa main et pardevant nos dicts Seigneurs et superieurs presentee esquellez proces et supplication sont contenues plusieurs choses villaines et enormes et telles quelles ne doivent estre recitees. Et aultrement comme plus amplement est contenu en son dict proces.

3.

Sentence.

Nous Sindicques et juges des causes criminelles de ceste cite de Geneve ayans vheuz le prosses forme par devant nous a linstance de nostre lieutenant de ceste cite es dictes causes jnstant contre toy Iaque Gruet filz de feuz Humbert Gruet de Geneve, et tes responces et confession spontanees en nous maiens faictes et par plusieurs foys reiterees par lesquelles nous conste et appert avoyer grandement offence et blaspheme Dieu contrevenant a sa saincte parolle et aussy avoyer perpetre chose contre le majestrat oultrage menasse et mesdict des serviteurs de Dieu et comys crime de leze majeste meritant pugnition corporelle: A ceste cause seans pour tribunal au lieu de nous majeurs, ayant Dieu et ses sainctes escriptures devant nous yeulx, disant au nom du pere du filz et du sainct esprit: amen.

Par jceste nostre diffinitive sentence, laquelle donnons icy par escript, toy Iaque Gruet condampnons a debvoyr estre mene au lieu de Champel et illect debvoyer avoyer tranche la teste de dessus les espaules, et ton corps attache aut gibet et ta teste cloye en jcelluy et ainsy finiras tes jours pour donner exemple aux aultres qui tel cas vouldroyent commestre.

Et a vous nostredict lieutenant commandons nostre presente sentence fere mestre en exequution.

Le vingt et six de Iulliet 1547 ast este pronunce par Monsieur le Sindicque Beguin publiquement.

933.

CALVINUS VIRETO.

Commendat aliquem Lausannae studiis incumbere gestientem ibique ecclesiae servire. Argentinensium res in summo discrimine positas Bernae prudenter curae procerum commendandas esse docet.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 194. — Recentiora exemplaria contulimus Ionvillaei Cod. 111ᵃ, fol. 13, Turretini Cod. 111, fol. 169, Bernense Epp. T. VII. p. 836 et Simleri Vol. 64.)

Optimo et fidelissimo Christi Domini nostri Iesu Christi [1]) servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et amico integerrimo.

S. Hic frater non est tibi ignotus. Nam et hic aliquando eum vidisti, et quum istac transirem Basileam proficiscens [2]) unus erat ex comitibus. Nunc ad vos eo animo concedit, ut in schola vestra proficiat et quum opportunitas fuerit operam suam offerat ecclesiae. Habet quo se alat, vel ad biennium usque si opus fuerit. Optabat, si fieri posset, domi tuae vivere. Non audeo urgere, nisi quoad tibi commodum erit. Cupio tamen esse tibi commendatum et reliquis. Honeste enim hic se gessit, et bonum testimonium ab hospite suo habet, fratre nostro *Borgoino.* [3])

De rebus nostris non dubito quin multa quotidie audias quae nolles. Hic tamen centesimam partem non videmus eorum quae vulgo sparguntur. Proinde sinas rumores istos diffluere. Magis intenti sumus in discrimen Argentinensium, [4]) in quo nos quoque valde periclitamur. Quid Bernae profuturum sit quod scribes, nescio. Tentandum quidem arbitror, idque apud utrumque consulem. [5]) Non facies hoc quasi monitus a *Bucero*, sed indicabis te pro comperto habere, magnam illic esse tre-

---

933. 1) *sic!*
2) *m. Ianuario huius anni.*
3) *De hoc Genevensi ministro iam supra passim laudato cf. Haag* II. 483.
4) *Qui tum metuebant Caesaris adventum cum exercitu castra hiberna apud ipsos posituri.*
5) *Wattevillanum et Naegelinum.*

pidationem, nec staturos animis nisi aliunde fulciantur: verum ad res novas admodum esse propensos, si quis digitum tollat. Periculum deinde monstrabis quod ipsis imminet si illos deseruerint. Hanc porro videri rationem ut rex Galliae sit autor et prior sollicitet. His colorem induces pro tua prudentia. Scis enim esse eiusmodi homines, apud quos veritas artificio tegenda sit. Vale cum uxore tua, quam nostro omnium nomine salutabis, et simul fratres omnes nostros.[6]) Genevae 3. Nonas Aug. 1547.

Ioannes Calvinus tuus.

934.

CALVINUS VIRETO.

Declarat ei consilium contra decreta Tridentina scribendi. Caetera fere domestica, vel certe obiter tantum delibata.

(In omnibus codicibus modo laudatis sequitur haec praecedentem scil. Gen. 106, fol. 195 aut 111a, fol. 13 v., 111 fol. 169 v. Bern. p. 338 et Simler.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et symmystae carissimo.

S. Patres Neptunios,[1]) quando tam multi variis ex locis id a me postulant, brevi aggrediar. Si prima salutatio bene cedet ultra progrediar. Nihildum tamen audeo polliceri. Ratio, quam praescribit *Farellus* nullo modo probatur. Frigida enim esset simulatio. Nec sperandum est fore locum ullis scriptis quae concilio non assentiantur. *Sulzerum* non video quidquam a me petere. Utinam aliquid opis vel consilii suppeteret ad ipsum sublevandum.[2]) Sed nullus est aditus. *Iodoco*[3]) quid scriberem, quum tam superbe nos contemnat? Obstupui quum legerem a senatu non prohiberi typographi licentiam.[4]) Quid enim tandem fiet si magistratu connivente, cessantibus legum poenis, iudiciis silentibus, impune sic omnia liceant? Ergo ardenter rogandus est Deus ut manum admoveat tam desperatis morbis. *Malingrius*,[5]) si venerit, me non sentiet nimis acerbum. Quin potius dabo operam ne frustra paruisse videatur *Sulzeri* consilio. Quum in *Henrichum* chirurgum incidi, commodum tunc domi meae erat *Nicolaus*.[6]) Iam tamen illi de intertrimento responderam, quod erat *Nicolaum* pecuniam ex chirographo numerasse: inde posse sciri quam summam debuerit. Putabat autem *Henrichus* pecuniam *Nicolao* missam esse, eum ex collybo lucrum captasse. Quod totum falsum erat. Nota est tibi mercatorum ratio. Permutationibus utuntur quae sunt illis commodae. Nummum certe ex istius pecunia nunquam attigerat *Nicolaus*. Sed fideliter summam, quae praescripta erat literis, numeravit. Puto illi rationibus satisfactum. Vale, frater et amice integerrime, cum uxore tua quam salutabis meo nomine, simul et fratres. Deus vobis perpetuo adsit. Nunc satis quieti sumus, gratia Domino. Uxor mea te ac tuam salutat. Genevae 11. Aug. 1547.

Ioannes Calvinus tuus.

935.

FARELLUS CALVINO.

De turbis Genevae a Fabri et Perrini factione motis, de statu rerum Bernensium et Tridentini concilii recentissimo decreto.

(Ex Bibliotheca pastorum Neocomensium. Epp. Farelli fascic. III. N. 24. Stilo Farelliano scripta passim sagaciore eget interprete.)

Christi Iesu servo pastori fido doctrina et pietate admodum insigni Ioanni Calvino fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Qui te oppugnant[1]) et tecum ecclesiam stu-

---

6) *Clausulam epistolae apographa recentiora sic efferunt, nescio unde arrepta formula:* Et fratres simul nostros omnes salutabis omnium nomine. Genevae 3. Augusti 1547.

934. 1) *Tridentinos. Haec prima mentio libelli contra concilium scribendi, et quidem, ut videtur, hortante Farello, qui tamen singularem aliquem modum commendaverat, fortasse ψευδώνυμον et alienam personam fingendo iocosum.*

2) *Quum ipse Bernensibus persona minus grata esset, imo suspectus, vix pro eo apud eos intercedendo aliquid efficere poterat, quantumvis id voluerit non obstante nupera dissensione.*

3) *Kilchmeiero, Zwinglianorum antesignano.*

4) *Alludit ad libellum Calvinianae disciplinae parum faventem:* Andr. Rappenstein, Dialogus. Ein Tütsch Gespräch vom Ampt und Dienst der Kilchen. Bern. 1547.

5) *Hic a. 1546 a Bernensibus denuo ad ministerium admissus, sed tantum in classe Tononiensi aut Gaiensi, postea cum senatus permissu Albonam in agro Vadensi vocatus est a dynaste loci post Valerii excessum. Ibi remansit usque ad a. 1556.* (*Crottet, hist. d'Yverdon p.* 288.)

6) *Le Fert.*

935. 1) *Agit de Perrino eiusque factione.*

dent perdere, nisi prorsus insani sunt, quam facillime videre possunt, quidquid praetexant, sive reipublicae libertatem et alia quae et ipsi et perditissimi lupi vastatores gregis solent proponere, non nisi ab hoste Dei diabolo esse. Posteaquam is qui inter primos erat se atheon professus est,[2]) utinam miseri ita tandem ad Dominum convertantur: ut audio et intellexi ex tribus verbis *Vireti* ad me conversum fuisse. Quod non dubito non parum cor tuum exhilarat et mors illius et turbae angunt. Qui te vocavit et supra fidem ministerium tuum fecit prosperum et efficax, is adest in omnibus quae[3]) immittit adversitatibus. Ego ad *Viretum* scribebam ut pro virili ageret: quod eum sciebam facturum et potenter et prudenter, ac operam qualemcunque meam offerebam,[4]) non quod aut de Domino diffiderem et de te non sperarem, quin omnia, ut soles, pro tua pietate et prudentia feliciter ope et spiritu Domini recturus esses et compositurus, sed ut meam testarer in te et in ecclesiam mentem et affectum: ut, si videretur, vel literis aliquid tentarem, et quamvis mihi nonnulla parum successerunt, praecipue in comico Caesare.[5]) Hoc, quantum intelligo, contigit per nebulonem, cui dedimus literas: qui (non dubito) non tantum Caesari sed Pentesileae[6]) quoque, non sine invidia utriusque nostrum, omnia narravit. Ita voluit Dominus per nebulonem fieri ut apud eum quem deiicere statuit et scortationes ac contumelias insolentissimas miserrimi scorti visitare, nihil effecerint literae, sed magis obduruerit. Nam sat scio, si nebulo non intervenisset, quamvis miser admodum alte de se sentiat, plura potuisset ferre. D. Iesus, qui eo olim usus fuit, dignetur miserum revocare in viam, et cum eo ter miseram, et omnes quoque qui tam perdite peccant. Quod si istic hoc petimus, quid hic mihi petendum est, ubi tanta est rerum confusio, ut nihil possis agnoscere quod locum obtineat et officium recte faciat. Non sponte morbus invalescit tantum, sed etiam ex aliis ita afficiuntur ut non modo aegri pereant, sed sani, si essent, penitus perderentur.

Ut accepi a *Christophoro*, Arctopoli[7]) nunquam peius res habuit. Christus eo redactus est a nonnullis ut humanitati morti et passioni nihil deferatur, quasi humanitas nuda in Christo sit consideranda, et divinitas absoluta, non in humanitate efficax. Iam plenius intelligo quid *Martinus*[8]) voluerit dum a cogitatu absoluto Dei avocare vult. Putabam tantum philosophos damnare et theologos qui laxant habenas vanis cogitatibus, iuxta mentem et cogitationem propriam de Deo cogitantes, non ut scriptura nobis de Deo loquitur, et ut incomprehensibilem possumus ex operibus a posteriori recognoscere, et admirari, et suspicere adorantes et trementes, non autem a priori et in nuda cogitatione, quam diabolicam vocat, et merito. Sed nunc intelligo eum damnare has pestes qui reiiciunt omnia per quae nobis Deus innotescit, sacramenta et ministerium, adeoque omnia quae egit Christus et passus est. Quam se vertit Satanas in formas omnes ut omnia confundat, et ut est videre in postremo decreto Tridentino,[9]) quam misere angues illi venenati sese involvunt ut neque caput neque cauda appareat. Ita in omnibus suis contendit Satanas. Pars fratrum anxie volebat te rogatum, ut quod Basileensis nimis frigide et ieiune editio fecit, tu absolveres, ut vales gratia Domini plene et potenter. At diutius me continui quum tuas rescirem occupationes, et prius volui *Viretum* de hac re quam te convenire. Nunc tandem, si tantum otii potes suffurari, optarem ut fratribus, imo toti ecclesiae morem gereres, hoc est rem tam gratam faceres. Nam serpentes illi videntur valde amica et salutaria ingerere dum tam perniciosa infundunt. Christus plene omnium conterat capita, et posteaquam spiritu oris sui perditurus est impios eiusmodi, tu, qui eo vales, in profligationem eorum accingere.

Vale cum tua coniuge, quam tecum servet Dominus, ac collegas tuos, et quidquid est piorum. Fratres te salutant: quam optime tibi et ecclesiae esse cupiunt. Neocomi 12. Augusti 1547.

Farellus tuus totus.

Hic egit aliquot dies tum apud *Michaelem*[10]) tum domi non prorsus male: voluit istuc venire, quum hic non potuerit ullam invenire conditionem, sperans per *Francum* melius illic. Quod faxit Dominus.

---

2) *Sine dubio Gruetum significat, quamvis ille merum atheismum non professus fuerit.*
3) *sic; lege:* quas.
4) *Vide N.* 930. *Eius tamen adventum et immixtionem Noster deprecatus erat.*
5) *De infelici eius epistola ad Perrinum scripta vide quae passim m. Sept.* 1546 *dicta legisti.*
6) *Perrini uxori.*
7) *Bernae, Zwinglianismo recrudescente.*

8) *Bucerus.*
9) *Sess.* VII. 3. *Martii* 1547. *Decretum de sacramentis et de reform. Cf. Libri symb. eccl. cath. ed. Streitwolf et Klener* I. 38. II. 34.
10) *Mulotum.*

936.

BAUDOUIN A M. DE FALAIS.

Avec la traduction de l'Apologie.

(MSS. de Genève Vol. 194, fol. 64 souscription autographe. Au dos on lit: *Receu le* 24 *Aoust.* 1547. *François Bauduin.* — Imprimée dans l'édit. d'Amsterdam des lettres de Calvin à Iaques de Bourgogne p. 137.)

A Monseigneur Monsieur de Falaix
A Basle.

Monsieur, vous pourres asses entendre tant par le stil que la minute de vostre apologie que elle a este translatee et escripte fort a la haste.[1]) Mays encores nay voulu faillir a vous le declairer rondement, entendant que la faulte du loisir me servira dexcuse, joinct aussy que M. *Calvin* quy men avoit baille la charge ma promis de men descharger, et que soubz son adveu apres avoir este par luy reveue elle vous est envoyee. Au reste, Monsieur, ie loue et remercie grandement nostre bon Dieu de ceste tant admirable vertu et constance dont il vous fortifie a lencontre de toutes les tentations quy se dressent pour esbranler les Chrestiens: et dautant plus que tout leffort de lennemy en vostre regard est tellement renverse quil en demeure confus et le seigneur en est glorifie. Cest bien ung grand cas de surmonter tant diniures et menaces particulieres, mais encores cest bien plus de ne sestonner des scandales publiques et de ceste rage tant furieuse de lennemy. Vrayement ce sont vrais cueurs heroiques et Chrestiens, quy mesmes ayment les pierres, la pouldre et les ruynes de Sion desolee, comme dict David, quelques victoires que semblent en avoir les adversaires. Ce sont ames vrayement touchees denhault qui seslevent ainsy pardessus toute la terre.

Or, Monsieur, comme il vous a pleu en vostre dicte apologie prendre lexemple de Daniel pour vostre defense, ie croy que le prenes aussy souvent pour vostre consolation. Il estoit encores bien jeusne quand il fut tire de son pais voires pour estre mene en Babylone. Illec jl a eu ses afflictions particulieres, mays davantage il veoit le peuple de Dieu dissipe et les idolatres triumpher. Et apres avoir este quinze ans en ceste captivite, pour comble de toute angoisse, jl a eu nouvelles de la totalle ruine et destruction de Hierusalem. Mays quoy quil en soit, ce noble Prophete ne perd courage. Plus tost jl est enflambe davantage, a invoquer le Seigneur, a ladvouer devant les hommes et continuer en son service, tant sen fault quil en ayt honte ou quil en soit en rien recule. Voila, Monsieur, comment nostre bon Dieu desploye ses vertuz admirables en ses serviteurs pour triumpher au mylieu de toute la gloire de ses ennemis. Or maintenant, sil luy a pleu vous choisir pour y monstrer sa mesme force et que dautant son Eglise en est anoblie, cest bien la raison que tous ceulx qui ont quelque zele droict et sainct semployent a luy en rendre graces, du moings autant que les meschans ne cessent de le blasphemer en cest endroict. Ce que nous ferons dautant plus quil luy a pleu aussy maintenant, pour aultre tesmoignage de sa benediction paternelle, vous donner ung filz, quy pourra estre successeur de ses bons et nobles parens, voires principallement a glorifier le nom de Leternel, comme il est aussy promis. Iceluy pourra quelque iour ouyr ce que la posterite luy recitera du faict de son pere, et sera dautant plus esmeu densuyvre les traces diceluy. Or, Monsieur, ie supplie nostre bon pere celeste vous en donner plaine jouyssance, aussy a Madamoiselle vostre bon party, apres mestre treshumblement recommande a voz bonnes graces, et de toute vostre bonne et noble compaignye. De Geneve ce xiij dAoust 1547.

Vostre treshumble serviteur
Bauduin.

936. 1) *Voyez au sujet de cette traduction la lettre suivante de Calvin à M. de Falais.*

937.

CALVIN A M. DE FALAIS.

La traduction de l'Apologie. Le mariage de Mad[lle]. de Villerzy. La négociation au sujet de la maison de Genève. Les affaires de Perrin et de Gruet. Les commentaires à imprimer à Strasbourg.

(Orig. autographe. Bibl. de Genève. Vol. 194, fol. 62. — Éd. d'Amst. p. 129. Éd. Bonnet I. 217. Trad. angl. II. 118.)

Monseigneur, deux iours apres que Monsieur *Budé*[1]) fust arrive, ie receu voz lettres que vous aviez baillees a Iacques *Dallichant*. Ainsi le tout ma este rendu. Depuis iay este frustre deux fois, pensant trouver messaiger. Et aussi iestoye en doubte si ientreprendrois le voyage. Car nonobstant les empeschemens qui me pouvoient retenir, ie craignois navoir nulle excuse assez suffisante.

937. 1) N. 915. — *Sur Dallichant voyez* N. 918, *note* 1.

Mais les nouvelles qui sont depuis survenues, mont oste ceste doubte. Ie rens graces a nostre Seigneur et tous vos amis avec moy, de la bonne delivrance quil a donnee a Madamoiselle, le pryant quil benisse tellement la lignee quil vous a donnee,[2]) que vous en aiez double consolation le temps advenir, comme aussi ie lespere. Nous en attendons lettres de vous en brief. Ce pendant il nous suffit bien de scavoir ce qui est le principal.

Pour response a tout ce que mavez mande, iavois requis *Gallasius* de translater lapologie, a condition que iy metteroye la derniere main. Mais il y avoit este si negligent que Maistre Francois *Baulduin*[3]) vint tout a temps pour y commencer Ie vous envoye donc la translation de sa facture, laquelle nous avons reveu ensemble, non pas pour la polir bien fort, mais seulement pour voir si le sens estoit rendu a la verite. Ensemble la copie francoise de la main de *Sainct André*.

Iay corrige en lepitre latine de *Dryander*[4]) ce que bon ma semble, vous suivrez ce qui vous semblera le meilleur. Iespere que vous pourrez iuger qui ma esmeu a tracer beaucoup de choses, lesquelles ie ne reprouvoye point, mais me sembloient superflues, ou pour le moins quelles neussent eu nul poix vers le personaige.

Vous verrez les responses que iai faictes au nom de Madamoiselle *Villersy*, et les mecterez en oeuvre, si elles vous semblent propres. Ie parle assez sec a labbesse[5]) a cause de la souspecon qui est bien vehemente.

Sil plaist a Dieu dresser la une eglise,[6]) ce vous sera un grand soullagement pour vostre famille. Mais le bien sestendra plus loing, et sera pour obvier a beaucoup de scandales. Cest grant pitie de la dissipation de ce peu qui estoit a Vezel.[7]) Ie crains que nostre Seigneur nait voulu punir ceste morosite excessive, qui ne peult estre que dun mespris de sa benediction. Toutefois iespere quapres avoir puny les phantastiques et escervellez qui ont este cause de tout le mal, encor il redressera le petit troupeau qui luy reste, et leur tendra la main pour les conduire tousiours au bon chemin.

Ce qui mavoit esmeu de vous faire instance de la maison,[8]) estoit que ie crains la honte que iaurois, si dadventure vous arriviez par deca, et que ne trouvissiez logis prest. Car les reparations que le maistre[9]) y vouldroit faire, ne sont que pour lapproprier a vostre usaige. Ainsi le louage que vous en payez, seroit aultant dargent perdu, sinon quon regardat quelque moien. Iasoit que ie laye prins a trois ans, il estoit en moy de quicter marche au bout du demy an, le denonceant trois sepmaines devant le terme. A ceste heure nous serons forclos de ceste liberte. Si vous eussiez este delibere de venir, ieusse desire que le tout eust este prepare deuement, pour vous exempter de fascherie. Mais puis quainsi est, il nest ia expedient de vous charger icy dune maison. Seulement ieusse desire de ne vous point donner occasion de despense superflue. Mais puis que vous avez laisse passer ce demy an, il y fauldra adviser entre cy et la fin de Ianvier pour ne point entrer en la seconde annee.

Iappercois quon augmente par dela comme aillieurs, ce que nous avons icy eu de fascherie. On ma faict mort a Lion en plus de vingt sorte. Par tout le pais on dit merveilles dont nous ne sentons rien, Dieu mercy. Vray est que Sathan a icy assez dallumettes. Mais la flamble sen va comme celle des estouppes. La punition capitale quon a faict dun de leurs compaignons[10]) leur a bien abbatu les cornes. Quant a vostre hoste[11]) ie ne scay quelle mine il nous tiendra a son retour. Il fist semblant de partir bon amy, toutefois me fuiant plus de honte et reverence quaultrement. Ce pendant sa femme a tant faict la diablesse, quil a fallu quelle ait gaigne les champs. Il y a desia environ deux mois[12]) quil est absent. Il fauldra quil fille doulx a son retour. Nous avons encor iusque icy trop bon marche, attendu la condition des serviteurs de Dieu. Si nous nestions pas plus pressez, nous ne serions que trop a notre ayse. Ie croy bien quil aura peu ouvrir les lettres,[13]) et que cela aura donne hardiesse a *Valerand*, et a ce bon preudhom ou il estoit loge, den faire une seconde visitation. Quoy quil en soit, en se plaignant comme il faict, il convient quil se confesse en premier lieu crocheteur de lettres, qui est bien le faict dun brouillon. Quant a ses iniures, elles ne me poisent non plus que sa personne a dimportance envers moy, qui est un peu moins que une plume. Ioingt aussi quon appercoit quil estoit yvre, ou

2) *Mad*e. *de Falais accoucha d'une fille qui mourut peu de jours après* (*N.* 941).

3) *Il importe de constater que Baudouin a dû être revenu à Genève vers le mois de Juillet.*

4) *Cela se rapporte sans doute à l'affaire de V. Poullain. Comp. N.* 904. *D'après ce qui suit il paraîtrait que C. ne se contenta pas de revoir et de corriger le factum d'Ensinas, mais qu'il composa lui-même un mémoire pour M*lle. *de Villersy.*

5) *Françoise, soeur de M. de Falais, abbesse de Ste. Claire à Lille.*

6) *française à Bâle.*

7) *N.* 910.

8) *N.* 924.

9) *A Perrin.*

10) *Gruet.*

11) *Perrin.*

12) *Voyez N.* 913, *not.* 8.

13) *de C. à Falais.*

bien illumine quand il a ainsi escrit. Moiennant quil ne vienne point iusque aux coups de pierres, nostre patience de vous et de moy ne sera pas trop dure a porter ses iniures. Nous ne sommes pas meilleurs que David, quant il seroit question destre plus oultragez, et luy vault bien Semei. En cela et daultres choses plus grandes nous pryerons Dieu quil nous face la grace dappeller a son iour, meprisant les calumnies de ceux qui iugent en tenebres. Il me faict plus mal de le voir ainsi desborde que de tout le reste.

Sil ny avoit affaire urgente ou quil y eut bon espoir de plus raisonable despeche en labsence du protonotaire, il me semble quil ny auroit que bien dattendre son retour, tant pour ne pas faire les choses a demy que pour eviter la suspicion quil pourroit imaginer, que vous eussiez espie le temps, ou bien la querimonie quil en pretendroit, selon que ie lay veu par ses lettres assez chagrin. Sil y avoit *damnum aut periculum in mora*, ce regard ne vous deveroit retarder, si me semble. Aultrement le meilleur sera dattendre lopportunite de vuider tout a un coup.

Quant a la marque du livre, tant vos armoiries que la devise, [14]) tout sera subiect a estre blasonne de ceux qui sans matiere ont neantmoins tousiours la bouche ouverte pour mesdire de nous. Combien que ie ny trouve mal, ny en lun ny en laultre. Mesme quant ce ne seroit pour esviter couste, il ny auroit nul mal de mectre les armoiries au commencement et la devise en la fin. Mais ie ne scay a grant poine lequel seroit plus a choisir des deux, sinon que vous missiez vos armoiries et le dicton au dessoubz: *Qui recedit a malo, praedae est expositus*, avec la cottation du chapitre.

Du mariage, [15]) si cestoit a moy, ie nen serois nullement dadvis. Vous voiez en quelle privaulte ie vous en respons. La maison est fort affamee. La noblesse de Savoye est bien differente de celle de vostre pais: lhomme bon de soy, mais il nest pas si ferme quil ne se laisse mal mener, subiect a maladies, principalement pour abondance de gros sang. Vous craignez une reproche: ien crains une aultre diverse, quon ne dict que pour estre despesche etc. vous lauriez loge a la volee. Pardonnez moy si ie madvance tant. Ien aymerois mieulx prendre laultre que ie congnois, si cestoit a moy a faire. Mais il est temps de me restraindre apres avoir excede mesure.

Devant [16]) quavoir acheve, un catharre ma saisi, et me donne si rude sur lespaule, que ie ne puys iecter coup de plume sans grand payne. Il y a des lettres a *Wendelin*, dont ie desirerois bien avoir response pource quil est question des commentaires sur S. Paul, dont plusieurs demandent limpression. [17]) Iespere quelle seroit prouffictable, aultrement ie ne les eusse pas composez. Pource que les presens porteurs ne sont pas certains daller iusques a Strasbourg, et encores quilz y allassent, ie ne pourroys avoir response par eulx, ie vous prie quil vous plaise donner charge a quelcun de voz serviteurs de faire tenir les lettres de bonne heure, et de procurer la response.

Monsieur, apres mestre bien recommande a vostre bonne grace et celle de Madamoiselle, et vous avoir aussy presente les recommendations de ma femme, ie prie nostre Seigneur quil luy plaise vous avoir en sa saincte garde, vous conserver la benediction quil vous a donnee, iusques a ce que vous en voyes le fruict pour en recepvoir plus ample consolation et ioye, et ce pendant vous assister en tout et partout. Il me faict mal que ie ne puys la estre avecque vous du moings ung demy iour, pour rire avecque vous, en attendant que lon face rire le petit enfant en payne dendurer ce pendant quil crye et pleure. Car cest la premiere note pour entonner au commencement de ceste vie, pour rire a bon escient quand nous en serons sortyz. De Genefve, ce 16e de Aoust 1547. [18])

Ie vous prieray de supporter mon indisposition, en me recommandant a la bonne compaignye.

Vostre serviteur et humble frere,

Iehan Calvin. [19])

938.

CALVIN AUX FIDÈLES DE ROUEN.

Contre un certain Cordelier suppôt de la secte des Libertins, détenu à Rouen.

(Voyez les Oeuvres Tome VII. prolegg. p. xxv. et Texte p. 341 suiv. L'épître commence par ces mots: Le zele que i'ay pour la maison de Dieu etc.)

---

14) *Voyez Oeuvres T. X.* 1re *partie Prolégg. p.* xv *et texte p.* 272.

15) *En tout cas de* Mlle. *de Willersy, mais avec qui? Il y avait évidemment plusieurs prétendants. Voyez aussi la lettre du* 10. *Sept.*

16) *La fin de la lettre est écrite de la main de Baudoin.*

17) *Rihel n'imprima point les Commentaires sur les Gal. Eph. Phil. et Col. dont il doit être question ici et qui parurent enfin à Genève* 1548. *Nous doutons même de l'existence d'une édition Strasbourgeoise du Commentaire sur la* 2e *aux Corinthiens dont il a beaucoup été question ci-dessus.*

18) *Au dos:* Receu le 24. Aoust 1547. respondu le 27. au susdit.

19) *Signature autographe.*

939.

CALVINUS VIRETO.

Sulzeri et Hotomanni negotia. Contra Tridentinos scriptum inchoatum, sed invita Minerva.

(Sequitur proxime praecedentem ad Viretum in omnibus codicibus scil. Gen. 106, fol. 196 aut., C. 111 a, fol. 13 v., Cod. 111, fol. 171, Bern. p. 840, Simler.)

Eximio Christi Domini nostri servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori.

S. Remitto literas *Sulzeri.* [1]) Video quid petat. Illi abs te morem geri aequum est. Ego ita scriptionibus, et assiduis et plerumque molestis, obruor, ut me propemodum vitae taedeat. Corollarium tamen aliquod tuae lucubrationi adiiciam ubi paulum respiravero. Coeperam adversus concilium Tridentinum meditari nescio quid. Sed huic operi experior me fore imparem nisi fracto ingenio aliquid dedero laxationis.

Literae quas scripsisti *Otomanni* [2]) rogatu valde mihi placent. Unum veritus sum, ne maritus exasperetur si eas legat. Et procul dubio lecturus erat, si in manum venissent uxoris. Imo quorsum abs te locus ille tractatus foret, nisi ut illi prodesset? Sunt autem iam quaedam mala intestina quae lenienda sunt potius quam exulceranda. Nollem tamen literas illas perire. Rursum quanti sit laboris eas ex integro scribere, meo exemplo plus satis experior. Proinde, si videbitur quod de caede illic habetur brevius et obscurius attinges, ne putet uxoris animum a nobis alienari ab eo amore, quem ipse sua culpa evertit. Tantum valebit subscriptio, nec multo aestimabitur minoris quam si tua manu scripta foret tota epistola. Reliqua perplacent. Vale, frater et amice integerrime. Collegae tuo caeterisque fratribus, uxori tuae et toti familiae, plurimam salutem. Dominus vos omnes servet ac regat spiritu suo. Amen. Prima quaque occasione indicabis an hic frater istinc *Tossano* abduxerit paedagogum. Genevae 21. Aug. 1547.

Ioannes Calvinus tuus.

---

939. 1) *ad Viretum puta, sed nobis deperditas. Videtur rogasse ut sibi adsint nostri apud Bernenses.*

2) *Franc. Hottmann Sieur de Villiers-Saint-Paul, filius assessoris cuiusdam Parlamenti Parisiensis natus a.* 1524, *a.* 1546 *simul cum Balduino ibidem scholas iuridicas aperuerat, sed iam anno sequente Lausannam concessit, literarum et historiae professionem auspicaturus* (*Bayle, Teissier, Haag* V. 525, *Ruchat* IV. 438, *Balduini Biga resp. p.* 163). *Caeterum ea quae hic attinguntur nos fugiunt. Ipsum tamen non diu tunc Lausannae mansisse infra videbis.*

940.

CALVINUS FARELLO.

Quis causae Perrinianae status sit, exponit; se ipsum ad reconciliationem propensum esse affirmat. Frumentus reconciliationem ambit, a cuius uxore atrociter ipse laesus est.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genev. p. 383, Laus. p. 153, Hanov. p. 172, Chouet p. 526, Amst. p. 240. Anglice versa legitur ed. Edinb. II. 123.)

S. Ego vero maiorem tibi gratiam habeo quam verbis facile testari queam, quod fidem operamque tuam nobis ultro detulisti, [1]) quum nos magnis difficultatibus urgeri putares. Quanquam nihil novum fecisti nec inexspectatum. Quod autem non sum usus, id in causa fuit quod volitabant circumquaque varii rumores quos exstinctos optabam. Atqui excitati fuissent magis ac magis si te ac *Viretum* advocassem. Scis quibuscum hominibus nobis res sit, et quam obloquendi cupidis. Quotidie literae adferebantur, praesertim Lugduno, [2]) ex quibus intelligebam me plus decies fuisse occisum. Tollenda igitur improborum sermonibus occasio fuit. Nunc pacatus est status. Senatum habemus bonae causae faventem. *Amedaeus* noster adhuc est in Gallia. [3]) Uxor apud patrem, [4]) ubi suo more bacchatur. Et tamen petiimus a Senatu [5]) ut si quam resipiscentiae spem ostenderet, superiora omnia ignoscerentur. Hoc non est impetratum. Nam eousque progressa est ut spem veniae sibi praeciderit. Quoniam dies coenae appropinquat *Penthesileam* conveniam.

Nuper *Frumentus* [6]) de reconciliatione egit, sed volebat rem transigi se arbitro. Respondi, non adeo destitutam esse nostram ecclesiam quin fratres mei huic provinciae subeundae pares futuri essent. Tentabimus omnia. Et tamen atrociter me laesit. Nam quum in baptismo *Iacobi* nostri de uxoris

---

940. 1) *Cf. N.* 935.

2) *Cf. N.* 937.

3) *De Perrini legatione ad aulam Henrici* II. *supra dictum est. Cf. N.* 912.

4) *N.* 921, *not.* 5.

5) *Se hoc fecisse ipse solus nobis autor est. Verum idem narrant Commentarii Cons. ad* 14. *Iul. de sororum mulieris maritis Tissoto, Bonna et Bernardo.*

6) *Quae sequuntur obscurius dicta. Frumentus hic agit de iis quae narrantur in N.* 824 *atque de ipsius uxore verba fiunt: an reconciliare voluit Calvinum cum Perrini uxore? nam verbum* laesit *ad neminem praeter hanc ipsam videtur referri posse. Iacobus puer Calvini primogenitus natus est et mortuus a.* 1542. *Eius uxor antea Anabaptistae nupserat matrimonio huius sectae more a civili magistratu non sancito. Sic certe Bonnetus rem expedit. Si tamen proximam Farelli contuleris* (*N.* 942), *potius Frumenti uxorem notatam a Nostro dixeris.*

meae et prioris mariti lapsu confessus fuissem quod erat, apud suos calumniata est, uxorem igitur meam scortum esse. Vides proterviam. Tractabo eam, non ut meretur, sed pro officii mei ratione. Adde quod N. fabulam composuerat plenam calumniae: me abs te et *Vireto* severe fuisse castigatum, quod quum hic a vobis subrogatus forem tanquam vicarius, precaria autoritate nimium abuterer. Nunc autem multo opportunius venires quam antehac.[7]) Audires omnia quae literis committi nequeunt. Vulneribus manum admoveres quae nondum bene obduxerunt cicatricem. De occultis morbis sanandis inter nos consultaremus. Videbis ergo an quidquam tibi dabitur otii. Tridentinos patres aggressus sum, sed initia lente procedunt. Hoc fit quia nulla hora mihi vacua est ab assiduis interpellationibus. Vale, frater integerrime et amice singularis. Saluta symmystas et tuam familiam meo nomine diligenter. Dominus vobis semper adsit, vos regat, vestris laboribus benedicat. Amen. Genevae, 21. Augusti 1547.

Ioannes Calvinus tuus.

941.

CALVINUS VIRETO.

Varia raptim congesta de Textore, Fallesio, Tremellio, Gallasio, Verono, Sulžero, aliis. Item de novo scripto Vireti.

(Autographon exstat in Cod. Genev. 106, fol. 197. Caetera exemplaria habentur suetis locis Cod. 111a. fol. 14, 111, fol. 171 v., Bern. VII. 841 et Simler. 64. Versio angl. II. 125.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori.

S. In negotio *Beati*[1]) transigendo visum est reditum *Textoris* exspectare, quem scio brevi hic futurum, nisi quid novi intervenerit. Coactus enim fuerat Matiscone migrare, quum nuper illinc rediit *Claudius* tinctor. Literae Basilienses nihil prorsus continebant quod tua vel mea scire interesset. Ad me unica erat *Fallesii* epistola, qua scribebat natam sibi etiam filiolam, de cuius morte altera ad *Maldonadum* loquebatur. Exemplar praeterea diplomatis miserat quod impetravit a Caesare *Landgravius*.[2]) Sed ego iam ante dies quindecim legeram a *Pagneto* versum. Si forte nondum videris, tibi remitto. Oblitus eram *Valerandi* epistolae, ubi tam proterve nobilissimo viro nebulo ille insultat, ut me pudeat lectionis. *Budaeus* vehementer a me contendit ut, si qua fuerit ratio accersendi *Emanuelis*,[3]) ad id agendum te incitarem. Non potest usui esse eius opera nisi in linguae hebraicae professione. Atqui locum tenet *Imbertus*. Tu, si nulla tibi expediatur ratio, velim apud eum excuses, ut saltem intelligat se non fuisse neglectum.

Girardus praefationem[4]) nondum attulit, quanquam admonui ut hodie adferret. Librum de ecclesia et sacramentis,[5]) quum voles, mitto. Libenter legam, etiamsi mihi id oneris non imponeres. Tantum abs te peto ut commoditate mea uti liceat. Nunquam enim minus habui otii. Sed iam aliquanto plus dabunt longae noctes. *Gallasius* cum *Budaeo* Lutetiam profectus est, quia non poterat aliter matri satisfacere. Et non erat melior opportunitas quam absente socero. Praeterea habet in animo secum adducere sororem, modestam, ut audio, puellam, ot quae a vitrico illiberaliter tractatur. Id te nescire nolui. Vale, frater et amice integerrime, cum uxore et fratribus, quos omnes salutabis nostro nomine. Christus vobis semper adsit. Genevae 25. Aug. 1547.

Sed de *Verono*[6]) exciderat. *Sulzerus* illi supplementum, quamdiu aegrotabit, ad sustinendos extraordinarios sumptus impetravit a senatu. *Maigreto* item dimidium stipendium. Id ne me offenderet, mandavit *Sulzerus* ut mecum rediret in gratiam. Quum me rogasset ut ad se venirem, usus est satis longa deprecatione. Respondi quae volui et debui. Talis fuit discessus ut resipiscentiam ille promitteret, ego fraternam benevolentiam, si vitam mutaret in melius.

Ioannes Calvinus tuus.

---

7) *Venit cum Vireto m. Septembre. (Reg. du Conseil 26. Sept.)*

941. 1) *non Gerungii, ut Simlerus vult, sed Comitis iam medici, quocum solo Textori aliquid rei esse poterat.*

2) *Quod diploma, si Fallesii negotia respiciebat, et a Landgravio impetratum fuerat, iam ante bellum Smalcaldicum editum fuisse patet.*

3) *Tremellii qui tum Argentorati commorabatur, postea in Britanniam se contulit.*

4) *Quamnam et cuius? Ipse quidem tum temporis nullam scripserat. In Acta Ratisb. praefatus est m. demum Octobre, in Antidotum Novembre.*

5) *Hic liber, nisi fallimur, is fuit quem V. edidit a. 1548:* De la vertu et usage du S. Ministere de la parolle de Dieu et des sacremens dependans dicelle, et des differens qui sont en la chrestiente à cause dicelles. *Qui liber a. 1554 ap. Rob. Stephanum form. max. prodiit latine versus:* De origine continuatione usu autoritate et praestantia ministerii verbi Dei et sacramentorum *caett.*

6) *N. 498, not. 8. N. 598, not. 5.*

942.

FARELLUS CALVINO.

Respondet ad nuperam Calvini, cuius laudes pleno ore praedicat, Frumentum notat.

(Ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium. Epp. Farelli fascic. III. N. 25.)

Christi servo pastori tum pietate tum eruditione ornatissimo Ioanni Calvino fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Verax est Deus et promissis stat, licet nos miseri, natura vani, imo vanitas ipsa, plene hoc nobis, dum adversa saepe ingruunt, persuadere non possimus. Quid dico plene: imo nihil minus. Sed quod credimus coeleste est donum quod tibi gratulor, ac eum qui dedit oro ut adaugeat et perficiat, et cum tanto dono reliqua, quibus tam insigniter es ornatus, et cum fructu eis in aedificationem ecclesiae uteris. Vides per Dei gratiam quid expediat et quando et quomodo et apposite exsequeris. Utinam quod tam circumspecte facis vellent alii imitari, non tantum quod ob oculos est intuentes, sed omnia potius. Minus esset turbarum et plus aedificationis. Pro officio ducis quod cuivis etiam hosti debeo, pro gloria Domini, et tibi quid est quod non debeam, quum priusquam huc redires totum me tibi addixerim, tantum preces meas exoratus audires et votis meis non minus necessariis quam sanctis favores, istam non reiiciendo provinciam. Quod si non annuisses, ut Domino paruisti in tam sancta vocatione, quid actum fuisset de misera Geneva? Quae nunc tam exornata et munita gratiis et donis Dei pro te tam frequenter ad ingenium redit, turpitudinem priorem et imbecillitatem palam faciens. Sed efficit Dominus te ministro, ut speciosa sit et stet fixa. Vellem fumos qui passim sparguntur luce veritatis omnibus nota nusquam offundi, sed malo te centies per literas mortuum praedicari, quam si semel male haberes: quum levis sit illa iactura, ut non admodum cruciat ignis quo effigies cremantur eorum quorum corpora temperate agunt. Sed tu in istis rumoribus, licet morti non subiacueris, tamen non sine moerore fuisti. Verum abiit iam tristitia in gaudium, in quo te multo libentius viderem quam in angustia: et nisi nobis coena instaret paratissimus eram facere quod petis, non tantum (quod praestare non possum) aliquid ut isti conferam ecclesiae, quae mihi vita mea est multo carior, sed ut aliquid accipiam quo melius huic consulatur ecclesiae, in qua praeter conciones et sacramenta nihil fit nec habetur nomine ecclesiae. Vicini aliquot conatus nostros frangere conantur, et male affectos facile avocant, ne quid patiantur recte fieri. Verum quid ad tuos qui frontis nihil habent? Ferendi sunt nostri non tam ex professo mali quam qui vastare in vicinia tua student universa. *Frumentus* nescio an temerarius magis vel indoctus. Nihil mirum si tantum sibi usurpare velit, quum maiora fuerit olim aggressus, nimirum docere non missus. Et quum clementia divina dederit successum initiis tam exiguis, sane non fuit prohibitus, licet subindicatum ei fuisset, non ita pergendum. Sed ut tunc non fuit arrogantia miseri deiecta, ita ne nunc quidem in ordinem cogi non potest, imo minus, quum in uxoris sit potestate, in quam quum non incidisset, plus facilitatis et spei in eo erat. Quam iuvat insanire calumniis miseram, quae tuam ita puram coniugem contendit notare. Utinam apud se reputaret, tuam purius et sanctius vixisse in errore et tenebris, quam misera calumniatrix egerit in luce evangelii. Quod dolens cogito et scribo: nam tecum valde discupio, illam non esse aliis quam tua est uxor moribus. Christus tuam perdurare faciat in omni puritate, et dona isti augeat omnia, et illam infelicem reducat in viam. Quum videam ita hostem antiquum in tuam te vivente conari, ut eam molestia afficiat, quid si te Dominus ad se vocaret? Ut vales prudentia, effice ne qua possit isti molestus esse, quantum potes vitare. Sed quid venit in mentem perdito, quod meus et *Vireti* sis vicarius. Miror quod eorum non dicunt te vicarium quos (tam eramus studiosi pacis et aedificationis ecclesiae Genevensis, ac tam nobis pollicebamur de eis) et falso, prout res loquitur, fidos pastores fassi sumus, ut officium fidorum pastorum facerent, quod nunquam egerunt: nescio an unquam voluerint saltem. Quid nebulo non rogat, an a plebe, senatu et iis qui pro pastoribus erant, rogatus sis ut venires nostras vices suppleturus? Quid legatus, an nostro nomine te ab Argentoratensibus pastoribus et senatu petierunt? Num semper ut pastor postulatus et efflagitatus fuisti? Et nos quid non cepimus facturos te iubente, modo provinciam susciperes? Nosti quam supplices petierimus, et quam amare in resistentes nobis tum verbis coram, tum literis absentes, obiurgaverimus: et quam id necesse erat, tu probe tenes et re ipsa experiris. Sed quam est insanus Satanas et mendax in suis, quibus mentem et sensum ademit. Si tu Genevensis pastor non es, quis unquam fuit verus pastor? Quis sanctius, purius unquam vocatus fuit te uno? Quis maiori fide et diligentia ecclesiam unquam administravit, et cum fide quis plus prudentiae, consilii et sapientiae coniunctam habuit? Dolet mihi tam perdite istum mentiri, sed contra gaudeo ita Dominum in te operari, ut te ferre Satanas non possit. Utinam multo sis hosti intolera-

bilior, et plus semper evehas Christi gloriam, ac ecclesiam aedifices. Habemus tibi gratiam quod scelestos, qui se iactant aedificatores et Christum obscurant ac reiiciunt, sis aggressus. Quod feliciter ut absolvas precamur. Post coenam iubebis nos agere ut videris esse e re ecclesiae. Quam tecum servet D. Iesus, ac coniugem, cum omnibus collegis tuis et piis senatoribus, et quidquid est piorum. Collega, *Michael* et *Fatonus* te salutant, imo omnes fratres, quos tuo nomine ut iubebas salutabam, te reverenter iusserunt salutari. Vale. Neocomi 27. Augusti 1547.

Farellus tuus totus.

943.

CURIO BULLINGERO.

Calvini et Vireti dubiae et ancipites formulae in articulo de corpore Christi, domi et Argentorati diversa loquentium.

(Ex apographo Bibl. Basil. T. G. 1, 28, fol. 102.)

Coelius Secundus Curio S. P. D. per Christum Iesum. Diu ego nihil ad te, mi *Bullingere* suavissime, ac perdiu nihil ipse ad me scribis — — — De oratione mea contra *Florebellum*, [1]) si totam vacarit legere, oro ut ecquid te offendat in ea significare velis. Nam locus de Christi corpore *Bucerum* offendit nonnihil, ut ex literis *Petri Martyris* Florentini accepi, quas literas *Petrus* hic noster, qui ad vos venit, vidit et legit. Sed ego quid *Bucerus* de meis scriptis sentiat, modo sanioribus vere probentur, non valde moror, neque enim me cum *Calvino* et *Vireto* volo coniungere in ea quaestione, quos audio Argentorati *Bucero* subscripsisse, etiamsi domi aliter sapere videantur. Nam domi Luteranos exagitant quos apud *Bucerum* probant. Haec ad te libere et pro meo more candide: nam nihil mihi timendum scio, qui cui ista prodam intelligam. Vale, per Christum Iesum, mi frater optime — — Basileae 6. Cal. Septemb. 1547.

---

943. 1) Oratio pro vera et antiqua ecclesiae Christi autoritate adv. Ant. Florebellum. Basil. Oporin. 1546. *Hic Antonius Fiordibello a literis fuit cardinalibus Sadoleto, Crescentio et Polo. Cf. Curionis Epp. Bas.* 1553, *p.* 68 *ubi de hac oratione plura leges.*

944.

CALVIN A M. DE FALAIS.

Il lui déconseille de faire encore des changements à l'Apologie, lui recommande M. de Mommor pour mari de Mlle. de Wilerzy, et lui fait part de la maladie de Maldonade.

(Orig. autographe. Bibl. de Genève. Vol. 194, fol. 66. — Éd. d'Amst. p. 140. Éd. Bonnet I. 223. Trad. angl. II. 127.)

A Monseigneur Monsieur de Fallez.
A Basle.

Monseigneur, par voz dernieres, iay recogneu que ie ne vous avoye point encor satisfaict quant a lapologie. Combien que les trois pointz dont vous me touchez ne sont pas pour retarder ledition, lexcuse se peult faire en trois motz: pource que si on entroit quelque peu avant en declaration, il fauldroit toucher des matieres chatouilleuses, quil vault mieulx laisser dormir. [1]) Ie ne voy point a qui il soit bon ladresser pour le present, attendu la disposition du temps. Desia elle a sa partie principalle. [2]) Des aultres personnes, ie nen trouve nulle qui soit propre. De la desdier a la noblesse du Pais Bas, ce seroit chose odieuse. En Allemaigne quels estatz choisirez vous? Ainsi iaymerois mieulx quil ny eust aultre entree. Touchant la conclusion combien quil y a bien matiere, voire trespertinente a y adiouster, si est ce questant ainsi couchee, ce nest pas un propos rompu. Cy apres, sil y a occasion qui le requiere, vous adviserez que vous aurez a faire, pour y adiouster ou faire quelque aultre chose a part. [3]) Combien que ie remecte le tout a vostre discretion, ie vous en dis seulement mon advis.

Quant au party dont vous demandez, ie crains que vous ne pensiez que ie bastisse des mariages en lair bien a la volee. Mais quoy? si me semble il que iay quelque fondement de raison et bon espoir. Depuis huictz mois en ca, le filz de Monsieur de *Mommort*, avec lequel iay este nourry en mon enfance, [4]) ma mande quil desiroit surtout se retirer par deca et continue en ce propos. Car ce nest pas pour une seule fois quil ma escrit. Cest un ieusne homme, au moins de leage de trentequattre

---

945. 1) *Comme le mémoire, selon toute apparence, n'a plus été changé, il est impossible de dire de quels autres éléments il s'agit ici.*

2) *l'empereur.*

3) *En effet il y a été ajouté une lettre spéciale.*

4) *Voyez la dédicace du Commentaire sur Sénèque, adressée à Claude de Hangest, frère du personnage dont il est question ici (Tome* V. *p.* 8).

ans, de bonne nature, fort humain et docile. Mais il sest desbauche en follies de ieusnesse par cydevant. A ceste heure que Dieu luy a donne sa congnoissance, iespere quil seroit bien a vostre gre. Ie me suis enquis diligemment de Nicolas *Lefer*, et de Nicolas *Picot* son gendre [5]) qui ont parle a luy, assavoir sil navoit nulle tasche de maladie, telle que lacquierent les ieusnes gens en leurs dissolutions. Ilz mont respondu que non. Sur cela iay basty par souhet. Sil venoit, comme ie lattens, ie le vouldroye adresser de ma part droict a vous. Et alors vous adviseriez si ce vous seroit homme convenable. Sil ne vient dedans un mois, ie ne scay que ien dois attendre. Mais il y a apparence quil doive venir, pour communicquer avec moy, et incontinent sen retourner pour pousser ses quilles.

Nous avons cuide perdre le bon *Maldonad*, car il a este iusque a lextremite. Et encor la fiebvre le tiend au lict, mais non pas avec peril eminent, selon que nous pouvons iuger par la grace de Dieu. Ie vous avoye appreste du vertius pour la provision dun an, lequel vous attend, si dadventure vous approchez. Cest le fruict que vous aurez de vostre jardin pour lan passe.

Sur ce, Monsieur, apres mestre humblement recommande a vostre bonne grace, et celle de Madamoiselle, ie prieray nostre bon Dieu de vous avoir tous deux en sa saincte protection, vous conduire et gouverner, vous envoyer tout ce quil cognoit vous estre necessaire. De Genefve, ce 10. de septembre 1547. [6])

Vostre serviteur et humble frere,

Iehan Calvin.

Le titre me semblera advis bon tel: Excuse composee par M. Iacques de Bourgoigne, etc., pour se purger vers la Maieste Imperiale des calumnies a luy imposees a loccasion de sa foy, de laquelle il faict confession. Car le mot dapologie nest pas usite en francois.

5) *Sur Nic. Picot voyez N.* 808, *not.* 6. *Le nom de Lefert beau-père de Picot et d'Ant. Calvin est écrit moins distinctement. M. Bonnet a lu:* Loser.
6) *En marge:* Respondu le 16. Octobre 1547.

945.

CRISPINUS CALVINO.

Cur rarius scribat causas exponit. Fata sua recentiora perscribit, rebus compositis Genevam migraturum se pollicetur.

(Ex autographo Cod. Gothani 404, fol. 378. — Edidit Liebe, p. 91 et ex eo descripsit editor epp. Calvini ad Iac. de Burgundia, p. 186, Fallesium cum hoc nostro Burgundo confundens.)

Ornatissimo [1]) et humanissimo D. Carolo Passelio.

S. Excusarem me tibi pluribus, vir ornatissime, quod tam raro scripserim, nisi et qualis esset animus in me tuus, et quid de susceptis in repetenda uxore laboribus sentires, aperte tenerem. Silui quidem aliquamdiu, meque fateor ad id non voluntate adductum sed necessitate et varietate eorum quae ita hactenus alia ex aliis inciderunt, ut mihi totum biennium, quo partim Lutetiae partim Compendii mutandi aeris gratia egi, in maximis quum ipsius corporis tum vero inprimis ipsius animi molestiis consumptum fuerit. Quod quidem difficile mihi esset oratione complecti, neque etiam magnopere opus est, quum existemem te saepius et nunc de *Balduino* nostro omnia a principio audisse. Quid his fluctibus agitatus scribere praeter Syllas [2]) et Charybdes? Quid nisi ventos et nondum emollitam meorum barbariem narrare potuissem? Et quum quotidie eorum finis aliquis post longam exspectationem speraretur, quid ego interim aliud quam veterem illam nihili, ut ille ait, in crastinum coaxationem scribere aut promittere [3]) potuissem? Qua sane quid aliud a plerisque nostrum effectum est, quam quod ille dixit: multa levant promissa fidem? De aliis iam non dico: de me fatebor et dicam ut res est, hactenus quidem datum esse plus satis et super quibusdam ingratis negotiis, quae quia videbantur de se promittere spem certissimam et paratissimam, ut tu audisti opinor, ego illis tribui quantum me tribuisse iam poenitet. Nunc vero demum et me et reliquias ab incendio colligo, nodosque illos, quos tempore dissolvi potuisse existimaveram, morae heu nimis ingratae taedio praescindo: utque ille ἑαυτὸν τιμωρούμενος nihil relinquo in aedibus, nec vas, nec vestimentum: ut quam primum dabitur me vobis Domini Dei auspiciis sistam. Sic habeto, me id unum semper egisse, et iam agere, totumque in eo esse. Plura non addam, quan-

945. 1) *Prima huius vocabuli syllaba vel cera operta vel aliter deleta L. scripsit:* Notissimo.
2) *sic.*
3) aut promittere *om. edd.*

doquidem eorum nunc longe fidelissimus adest interpres, cuius adventus quam mihi et uxori gratus fuerit, quam iucunda nobis in seram etiam noctem producta colloquia, ipse existimare potes. Tam brevem huius voluptatis sanctae usuram molestius ferremus, nisi solidam et magis diuturnam volente Domino mox speraremus et ad eam communibus votis ego et uxor contenderemus. De illis literis, quas incerto autore tibi redditas scribis, quid respondeam non habeo. Abest enim D. *Capn.* qui illis exscribendis me amanuensi, ut plerumque solet, usus erat. Et quoniam obscure rem aperuit, non possum quidquam de ea re statuere, aut fines incerti mandati interpretari. Dixerat mihi, pridie quam hinc ad Turonensia illa indicia discederet, praemissurum se aliquem, qui illi pro quo rogatus scribebat locum pararet. Poterit tum commodius perfici quod iam suppressius mandavit. Pleraque alia fusius de hoc nostro *Galas.* audies: cui ego melius narranda tradidi quae paucis hinc diebus apud tuos municipes acciderunt. Ab eo rem omnem a principio audies. Video profecto id verissimum esse quod tu non coniectura prospexisti, sed re ipsa expertus vidisti, et nostro illi suppraefecto scripsisti, Dominum suos plerumque et maxime eripere cum festinatione et tumultu. Agnoverunt tum quum illos monens scriberes, quod iam usu venisse intelligunt. Doleo sane illos his turbis in eas angustias adductos, unde si emergere cupiant plurimum laborandum sit, et iam omnium oculi defixi sustinendi. Verum aderit vocatus Dominus tum maxime quum rebus desperatis nullum amplius consilium aut auxilium invenire potest humana ratio. Hic itaque nobis orandus est ille optimus et clementissimus Deus et pater Domini nostri Iesu Christi, ut discussa hac horribili miseriarum nocte tandem nos ad eum optatum portum adducat, ubi nos in ecclesia magna illi conservatori et parenti salutis nostrae gratias agamus. Commendo tibi me et uxorem meam cum filiola, ut pro nobis Dominum ores. Salutabis nostro nomine uxorem tuam et omnes amicos nostros. Bene interea vale, vir clarissime. 13. Septembris. Si quid deerit supplebit hic noster.

Tuus I. Burgundus. [4])

4) *De autore vide ad N.* 808 *et* 928. *De anno ambigi posset quum dicat se diu non scripsisse, et alia eius epistola modo m. Iulio eiusdem* (*s. d. p.*) *anni scripta exstet. Verum Balduini praesentia ap. Calvinum a.* 1547 *prodit. Fortasse tamen ad sequentem referre malit aliquis, quum de profectione sua Genevam versus proxime instante loqui videatur.*

946.

CALVINUS BULLINGERO.

Miratur tamdiu nihil ab eo literarum accepisse. Germaniae res tristissimas ostendit, maxime civitatum vicinarum, nisi ab Helvetiis aliquid auxilii offeratur. Commendat filium senatoris Genevensis Turici studiis operam daturum.

(Ex autographo Archiv. Turici Plut. VI. Vol. 166, fol. 4 olim Epp. T. XXIV. — Apographa reperies in Cod. Genev. 111, fol. 170 et ibid. fol. 160 manu multo recentiori scriptum, tum etiam in Archiv. Bern. Epp. VII. p. 56 et apud Simlerum Vol. 65. Versio anglica T. II. p. 129.)

Eximiae pietatis et doctrinae viro D. Heinricho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori fratri et symmystae colendissimo.

S. Iam praeteriit sextus mensis ex quo librum tuum tibi remisi cum meis annotationibus quales a me postulaveras. Ab eo tempore nihil abs te responsi allatum esse miror. [1]) Admonebas, quum istic essem, [2]) frequentandum inter nos esse scribendi officium. Aliquoties interea audivi hac transiisse aliquos ex vestris civibus. Neminem qui vos adiret habui, quod meminerim. Si quando dabitur scribendi occasio, te maxime rogatum velim ne eam elabi sinas.

De Germaniae calamitate plura audire cogor quam vellem. Et tamen quomodo se habeat Constantia, [3]) quae animo meo penitus insidet, non dicitur. Magna fuit Argentinae trepidatio, quum putarent Imperatorem illic hyematurum. Quin etiam hodie quoque apertas illi fore portas negant, si aliunde fulciantur. Quid Helveticae civitates cogitent nescio. Paululum quidem de bello illis inferendo conticuerunt rumores, propter Italicos motus. Sed quid, si eius terrore illic omnes perculsi nihil movere audeant. Iam Placentiam et Parmam, occiso ut quidam aiunt, vel certe profligato *Petro Loysio*, occupat. [4]) Et fieri potest ut Italiam in hunc annum tanto successu sibi pacaverit. Si Argentinam ingressus fuerit, castra occupari vides unde vos invadat. [5]) Nunc, mi *Bullingere*, tempus esset

946. 1) *Cf. N.* 880.
2) *De itinere Calvini m. Ianuario suscepto saepius supra suo loco dictum.*
3) *De Constantia mense demum Augusto* 1548 *subdita v. Sleid.* III. 133 *ss.*
4) *In Italia sub auspiciis Pontificis foedus contra Caesarem paratum fuerat, conniventibus Gallo et Venetis. Rebus praeerat Petrus Ludovicus Farnesius papae filius, sed inopinata caede Placentiae a coniuratis oppressus est d.* 10. *Sept.*
5) *De tali invasione ne cogitasse quidem videtur. Helvetii vero nihil auxilii civitatibus illis afferre poterant, nisi quinquepagicos catholicos statim in Caesaris partes abire voluerint. Vicini ergo, quos dicit, scil. Bernenses, non adeo desipiebant.*

vobis consulendi. Nam silendo nonne quasi iugulum porrigetis? Quanquam frustra hic te appello. Scio enim cives tuos adeo cordatos fore ut adhibitum remedium cupiant. Vicini plane desipiunt, qui nullas admittere rationes sustinent compescendae huius bestiae. Quando tamen illi sponte perire appetant, regat Dominus electos suos spiritu consilii, ut mature periculis occurrant. Multa sunt quae merito vos deterreant a societate francica. Sed quemadmodum vos cum illo penitus implicari minime expedit, ita cur omnem coniunctionem refugiatis, non video.

Caeterum hic puer qui meas tibi literas reddidit filius est senatoris cuiusdam [6]) quocum mihi plurima est familiaritas. Is me per nostram amicitiam rogavit ut commendationem illi darem. Aget apud quaestorem vestrum quantum intelligo. Sed consilium patris est ut in literis proficiat, quarum iam habet initia. Et est ingenio docili nec alieno a musis. Peto igitur abs te ut scholae vestrae magistris, tuo simul ac meo nomine, non vulgariter eum commendes, ut maior eius habeatur ratio quam ignoti. Hoc officium mihi vehementer gratum erit. Vale, ornatissime vir et amice plurimum in Domino colende, una cum symmystis et fratribus, quos nomine meo salutabis omnes, et fratrum meorum. Dominus vobis adsit perpetuo vestrisque laboribus benedicat. Uxori etiam tuae plurimam salutem precor ac liberis. Genevae, 13. Cal. Octobr. 1547.

Ioannes Calvinus tuus.

6) *Ex sequenti Vireti ep. ad Bullingerum nomen Michaelis primogeniti filii Claudii Roseti nuper syndici sumes.* (*Galiffe notes gén.* I. 349.)

947.

VIRETUS BULLINGERO.

Claudii Roseti filium ei commendat. Studia iam a multis negligi queritur, ad quae in Helvetia promovenda vel ipsae in Gallia saevientes persequutiones facere debent. Lausannensis schola non parum floret. Controversiam de coena tandem aliquando sopitam cupit.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI, Vol. 166 olim Epist. T. 24, fol. 233. — Simler. Vol. 65.)

Clarissimo viro D. Heinricho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori vigilantissimo fratri et symmystae mihi plurimum observando

Tiguri.

S. Rogavit me *Rosetus* senator Genevensis ut suum filium, quem istic apud vestrum quaestorem habet ad capiendum ingenii cultum, tibi commendarem. Quod homini nobis amicissimo denegare non potui multas ob causas. Nam praeter veteris amicitiae iura, qua illi mea officia sunt obstricta, accedunt meus in ecclesiam et patriam amor, studia et pietas quarum saluti me non dubito consulere quando curam suscipio aliquam eorum qui suis aliquando studiis utramque plurimum iuvare poterunt. Itaque quum puer iste, cuius gratia nunc ad te scribo, optimae spei mihi esse videatur, vehementer cupio ut ipse ac ipsius similes eos in studiis faciant progressus, ut nostram non fallant exspectationem, atque eo magis quo iustior nos metus angit, ne in posterum eo relabatur haec mea patria barbariei unde vixdum emersit. Nam magnus est ubique literarum contemptus. Quod nisi Dominus nobis aliunde ab exteris gentibus, maxime vero Gallis, viros doctos et pios huc extruderet qui ecclesiis et scholis praeficerentur, ecclesiae pastoribus et moderatoribus studia paene omnia destituerentur et perirent. Porro quod quotidie huc tantus sit honestissimorum et doctissimorum virorum concursus, debemus persequutionibus quibus tota Gallia iam inde ab initio publicatae evangelicae doctrinae concussa est. Sed speranda sunt meliora tempora quae alias habeant rerum vicissitudines. Quando ergo et quamdiu licet, danda est nobis opera, ne hac tanta studiorum opportunitate abutamur. Quum autem tota spes nostra in iis resideat quibus ecclesiae gubernacula sumus relicturi, quum hinc nos Dominus evocabit, id nobis obnixe est curandum et enitendum, ut studiis et iuventutis institutioni et educationi optime prospiciatur. Qua in re merito sunt nobis Domino agendae gratiae, quod talem dederit inclyto Bernensi senatui animum, ut non contemnat literarum studia, sed id in primis curet, ut eorum iusta habeatur ratio. Quo fit ut non parum fructus sperem ex Lausannensi schola, [1]) quae nunc ornata est multis honestissimis et doctissimis viris, ad quos quotidie maior numerus accedit. Faxit Dominus ut quod felicibus auspiciis coeptum est felicioribus pergat et absolvatur. Qua in re tuam opem imploramus: hoc est ut eam commendes Bernatibus quibus poteris modis, qua vales apud eos autoritate et gratia. Atque utinam id effici posset bonorum omnium studiis, ut dirimi tandem aliquando possent exitialia illa non solum ecclesiae Bernensi sed toti eorum agro et huic provinciae de eucharistiae negotio dissidia, [2])

947. 1) *De huius scholae origine et progressu v. Ruchat* IV. 231. V. 298.

2) *In quo, tunc temporis inter Kilchmeierum Zwinglianum et Sulzerum Gerungiumque Bucerianos renovato, Turicenses ab illius potius quam ab horum partibus stabant. Quid quod iis Calvinus et Viretus suspecti erant, ex quo recentissimam Bullingeri contra Lutherum responsionem minus probaverant* (*Hundesh. p.* 205).

qua peste nihil hodie sentimus ecclesiae et studiis nocentius. Proinde te et tui similes obsecro et obtestor, ut quidquid ad concordiam conferre poteritis id sedulo praestetis, ne tandem nobis tota pereat ecclesia. Haec sunt, doctissime *Bullingere*, quae nunc ad te scribenda habui. Quod autem ad puerum attinet, cuius occasione has ad te scripsi, hoc solum abs te posco ut eum ludimagistris, quorum disciplinae traditus est commendes, efficiasque ut bonus vir, cuius rogatu ad te hac de re scribo, intelligat nostram commendationem aliquid apud te ponderis habuisse. Salutant te nostri omnes. Salutem precor plurimam venerandis collegis et symmystis tuis, praecipue D. *Pellicano*, D. *Theodoro* et D. *Gualthero* et D. *Gesnero*. Genevae 28. Sept. 1547.

Tuus Petrus Viretus.

Idem [3]) quoque abs te peto, discupiens tibi et caeteris quam optime esse et ecclesias vobis commissas in Domino feliciter pergere.

Farellus tuus.

948.

CALVIN A M. DE FALAIS.

Le porteur est une personne engagée pour le service de M. de Falais. Nouvelles diverses.

(Orig. autographe. Bibl. de Genève. Vol. 194, fol. 67. — Éd. d'Amst. p. 144. Éd. Bonnet I. 226. Trad. angl. II. p. 131.)

A Monseigneur Monsieur de Fallez.

Monseigneur, depuis mes dernieres lettres il ny est rien survenu de nouveau, sinon que nostre frere *des Gallars* est retourne et a aussi amene avec soy le present porteur, pour vostre service, car Monsieur *Budé* na pas trouve prest celluy dont il vous avoit parle. [1]) Ie pense et me tiens asseure, que cestuy cy vous sera bien propre. Car il est loyal et serviable et scait que cest dhonnestete pour se porter modestement. Iay este dadvis quil se retirat avec vous le plus tost quil seroit possible, et principallement daultant que ie ne scay si vous prendrez conclusion de vous mectre en chemin. Ie nay eu nouvelles de lhomme duquel ie vous avoye escrit, [2]) seulement iay entendu quil y estoit survenu un trouble a Noyon, lequel possible laura retarde, pource quil devoit estre accompaigne dun sien receveur, lequel aura este empesche avec les aultres.

Maistre Guilliaume *Farel* et Maistre Pierre *Viret* ont icy este sept iours: [3]) il neust plus fallu que vous pour faire pleine feste. Tout se porte comme de coustume. Dieu veuille corriger les defaultz par sa grace, et augmenter si peu de bien quil y a. Le bon *Maldonad* ne se peult relever. Quil vous face nul service pour le present, il ny a point despoir. Mais quant vous auriez affaire de mon frere, il recompenseroit la faulte de laultre coup.

Monsieur, apres vous avoir presente les affectueuses recommandations de nous tous, tant a vous qua Madamoiselle, ie prieray nostre bon Dieu de vous avoir tousiours en sa saincte garde, vous gouverner par son sainct esprit, vous benir et assister en toutes sortes. De Genefve, ce 29. de septembre 1547. [4])

Vostre humble frere et serviteur,

Iehan Calvin.

Ientens aux recommandations, que Maistre *Guillaume*, Maistre *Pierre*, ma femme, tous les amis y sont comprins, plus dune douzaine. Ie prye aussi a nostre Seigneur quil luy plaise gouverner toute vostre maison, a laquelle ie desire bien estre recommande.

---

3) *Autographon Farelli.*

948. 1) *Budé et des Gallars revenaient de Paris. Mais il est difficile de dire pour quelle espèce de service la personne en question était engagée.*

2) *M. de Montmor* (*N.* 944).

3) *Ils avaient été à Genève à l'occasion du procès de Perrin. Celui-ci, à son retour de sa mission à la cour de France, dans les premiers jours de Septembre, s'était prononcé avec une grande véhémence contre la manière dont sa femme et son beau-père avaient été traités pendant son absence sur la dénonciation du consistoire. A la suite d'une séance très-orageuse du conseil ils furent incarcérés tous les trois, et l'animosité des partis en vint au point que Perrin fut accusé par Laurent Maigret (le Magnifique) d'avoir tramé à Paris un complot contre Genève, tendant à recevoir sous ses ordres un certain nombre de cavaliers français. Farel et Viret vinrent le voir dans sa prison où il était tombé malade. (Voyez les Reg. du Conseil de ce mois, le dossier du procès aux Archives, Galiffe l. c. p. 7 suiv. Bonivard, ancienne et nouv. police de Genève p. 72, lequel est très-peu favorable à Perrin, Gaberel p. 393.) — Les récits de Ruchat* V. 322 *et de Henry* II. 434 *sont confus et erronés par suite d'une bévue chronologique de Bèze. Voyez aussi N.* 960.

4) *Au dos:* Respondu le 16. doctobre 1547.

949.

SULZERUS CALVINO.

Pericula Genevensibus imminentia foris et domi bono Deo auspice aversum iri sperat. Masculam principum Germanorum declarationem de libero concilio convocando laudat.

(Ex autographo Cod. Genev. 113, fol. 64.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis antistiti vigilantissimo domino colendissimo et carissimo fratri suo

gan Genf.

S. Pericula vestrae civitati imminentia[1]) accepi, ut non sine dolore, quia ex animo vobis compatior, ita nec sine consolatione, quod sperem Dominum etiam demeritas poenas non inflicturum et parsurum haereditati suae, in qua domicilium constituit ecclesiae et religiose nomen eius invocatur. Sin, quod nolim, castigationem a sua domo exordiri decretum sit, mensuram tamen statuet et terminum, ne ultra quam suae gloriae et electorum saluti expediat grassari hostis queat. Tum quid aliis exspectandum sit, facile aestimabunt cordati iudicio a domo Dei incipiente. Quod vicinos attinet, non arbitror desertionem meditari qui suum periculum cum vestro coniunctum esse norunt, et ratione licita nulla foederis diruptionem moliri posse. Ac commodum accidisse arbitror ut hoc ipso tempore nostri ad vos legati pergerent, quorum interventu animi utrinque contineri in societatis legibus poterunt, et mitigari saltem, si non per omnia tolli offensae. Pro communicato edicto gallico[2]) et vel strictim descripto eius regni statu quod religionem attinet, gratiam habeo. Magna tentant monarchae, et quantum adparet non turbare solum sed funditus exscindere regnum Christi nituntur. Sed potens est Dominus, qui et videt furiosos conatus et vel solo verbo compescet mare hoc quamlibet fremens et exitium minitans. Interea quod nostrum est, et publicis et privatis precibus commendamus Domino afflictionem fratrum, idem serio deinceps etiam acturi.

De concilio restaurando nuper masculam responsionem principes et ordines protestantes Augustae dederunt.[3]) Consensuros se, modo primum Tridentinae synodi decreta pro abolitis habeantur. Concilium in Germania, idque Caesaris non pontificis romani autoritate indictum, celebretur. Episcopi praesulesque rasi et uncti iureiurando, quo papae adstricti sunt, absolvantur. Nostris hominibus eo delegandis non dicendi solum, sed et per suffragia decidendi potestas fiat. Papa pars non iudex censeatur. Scripturae non humana autoritas in deliberatione pondus habeant. Sententiae item non numero valeant sed puritate et veritate, ubi ad lydium utriusque testamenti examinatae fuerint. Si per omnia conveniri nequeat, ut Pataviensibus pactis et decretis imperialibus . . . .

(Caetera desiderantur.)

949. 1) *De quibusnam periculis hic loquatur coniicere licet ex iis quae N. 946, not. 5 diximus. Adde quod etiam a rege Galliae sibi metuebant Genevenses. Videtur tamen maxime ad intestinas eorum discordias et Calvinianae partis discrimen respicere.*

2) *Mense Aprili edictum regis promulgatum fuerat contra blasphematores. An de hoc agat, tu videas. Certe de eo quod d.* 11. *Dec. factum est, ne quid de scriptura sacra ederetur sine permissu Sorbonae, hic non cogitamus.*

3) *Hinc fragmenti huius natalitia aliquatenus elicere possumus. Concilium m. Martio Bononiam translatum i. e. interruptum vel potius sepultum fuit. Quod Imperator Tridenti restaurari cupiebat et in comitiis Augustanis m. Septembre habitis suam voluntatem de rebus religionis tandem aliquando dirimendis declaravit. Electores evangelici contra postularunt* ein gemein frey christenlich concilium auf welchem der Papst nicht Praesident sey und die Protestanten mit rathschlagen und schliessen helfen dürften, die Artikel aber reassumirt würden darin das Trientische Concilium allbereit solle determinirt haben *etc.* (*Barth. Sastrowen Leben her. v. Mohnike Greifsw.* 1824 *II.* 118 *ff. Gieseler KG. III.* 1. *S.* 342.)

950.

MYCONIUS CALVINO.

Mittit ei literas Buceri quibus hic ab alterutro praefationem petit in sua Acta Ratisbonensia scribendam, quod officium ipse deprecatus Calvino impertit.

(Ex autographo Bibl. Genev. Cod. 110, fol. 11.)

D. Io. Calvino ministro Christi apud Genevam optimo et doctissimo domino ac fratri colendissimo in Christo suo.[1])

S. Vides in literis D. *Buceri* mihi inscriptis quidnam is petat ab alterutro.[2]) Equidem me facile excusare possum, quod petit rem viribus meis imparem. Liber enim in quem praefandum est gravia tractat, nempe primaria religionis verae. Quamobrem necesse videtur ut et in praefatione

950. 1) *Ibidem alia manu:* Reddantur intra biduum D. Calvino sic iubente Myconio T. B.

2) *Plura in sequentibus huius mensis epistolis illorum triumvirorum.*

nihil sit leve. Dein etiam, quod attinet ad stilum, opus est grandiloquentia, qua equidem non valeo. Vix enim quae concepi possum eloqui ut saltem intelligar. Eos taceo qui in libro nominantur, adversarios videlicet, viros certe doctissimos, quibus si quid simplicius seu indoctius seu ineptius occurrat, quos risus, quem contemptum putas excitaturos? Quocirca protinus, ubi literas legissem et nomen tuum reperissem, praesentibus *Iulio* et *Dryandro* dixeram: Non opus multa deliberatione, mittantur literae *Buceri* ad *Calvinum*. Is vir, ut est ad hanc rem adcommodus, sic arbitror nihil ipsum Domino, reipublicae et *Bucero* negaturum. Adsentiebantur non difficulter illi ambo. Quaesivimus igitur qui literas perferret quam celerrime. Tu facito ergo quod potes per Domini gratiam, ut res tam necessaria, praesertim hoc tempore, non lateat diutius. Liber est sub prelo, quare opus est festinatione. Quum primum itaque negotium absolveris (non est enim dubium quin sis obtemperaturus) ad nos mittas, ne in mora sit periculum. Vale in Christo cum tuis et fratribus piis omnibus. Basileae 2. Octob. an. 154[7].[3])

Articuli quibus de in Comitiis[4]) Caesar vult deliberari sunt hi novem:

1. De consensione religionis inter protestantes et concilium Tridentinum.
2. De pace communi pridem instituta et utrum aliquid debeat addi.
3. De camerae adsessoribus, ut ordines id Caesari liberum permittant.
4. De restitutione, ut quisque reddat cuique quod ipsi ademit. Hic Caesar sibi reservat agere benigne seu iuridic[*e*].
5. Arma Turcica debent quiescere usque ad adventum Regis Romani.
6. De moneta communi seu unius generis et policiis.
7. De contensiosis principum sessionibus in comitiis. Et quod partes iura sua debeant offerre Caesari.
8. Ne congressus fiant amplius praeter indicta comitia.
9. Ut status communes foederi se dedant communi propter quietem et pacem germanicae nationis.

Haec addere libuit ut animum Caesaris haberes adhuc magis cognitum, qui alioqui notissimus est. Nemo fere non interpretatur ista in bonam partem. Ego pro stupore meo nihil video praeter hispanicum ingenium. Colligit interea Caesar novum exercitum peditum et equitum, et immensam mandat pecuniam, quidquid sit in animo. Dicunt alii profecturum in nos, alii in Italiam. Ego exspecto Dominum. Vale iterum.

T. Os. Myconius.

3) *Charta deficit.*
4) *Augustanis, Cal. Sept. auspicandis, quibus post bellum Smalcaldicum res Imperii componi debebant. Caesar Saxonem captivum eo adduxit, Landgravio Donawörthae relicto* (*Sleid.* III. 42. *Ranke* V. 3 *ss.*).

951.

LASCUS HARDENBERGIO.

Inter alia de Calvini libello contra Anabaptistas.

(Edita a Gerdesio in Scrinio antiq. II. 2. p. 635 et inde a Kuypero in Opp. Lasci T. II. p. 611.)

Hodie ad te scripsi per nautam quempiam, et tua nonnulla tibi misi, mi *Alberte*, quae brevi recipies spero. Nunc ecce rursum scribo. Hunc nuncium mittimus Wittebergam ad *Philippum*, aut ubiubi is sit, scribimusque ad illum de vocatione in Angliam,[1]) de qua hodie ad te scripsi. Si quid voles ad *Philippum* scribere poteris, nam nuncius recta ad nos rursum redibit. *Calvinus* scripsit, ut audio, contra Anabaptistas.[2]) Hunc si habes videre cupio. Hic enim haberi non potest — — — — Emdae 11. Octobr. 1547.

952.

SULZERUS CALVINO.

Bernensium de Calvino et rebus Genevensibus quae sit opinio. Ipse Lausannae versatur scholae institutionem curaturus. Caeterum sibi domi quoque non omnia ex votis cedunt.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 99. Stilus limam Aristarchi non sensit, quod tu ne nobis imputes rogamus.)

951. 1) *De hac vocatione adeas ipsum Melanchtonem ad Crodelium scribentem, Corp. Ref.* VI. 714.
2) *Ipse Calvini libellus contra Anabaptistas editus fuerat a.* 1544. *Alter contra Libertinos anno sequenti, uterque gallice. Sine dubio Lascus hos non viderat, quando de Galasii versione latina a.* 1546 *edita audivit.*

Viro doctrina et pietate praestantissimo D. Ioanni Calvino symmystae et fratri suo in Domino observandissimo

Genevae.

S. Dominus Iesus te confirmet et roboret spiritu suo in his tot et tam insidiosis assultibus, [1]) ut stare possis et progredi. Videre sane et audire videor mihi, tuas ad *Viretum* [2]) legens, hominum nostrorum genium, suspiciones et criminationes contra optimos quosque Christi servos et ministerii communis autoritatem. Mihi enim ipsi, priusquam Berna discederem, [3]) pro te causa sustinenda fuit adversus calumnias plane similes, quibus aures etiam in speciem cordatiorum quidam implicuerant. Summa: dominatus adpetitionem impingunt, semel omnibus, maxime vero tibi, [4]) utcunque oeconomia, qua uteris, non paulo minorem in civilibus potestatem usurpet, quam soleat ex ipsorum etiam decretis consistorium nostrum, propius autem ad scripturae accedit canonem. Sed nosti, mi frater, diutino experimento optima quaeque studia institutaque impiorum latratibus exposita esse. Itaque et maiorum quas moliris, hocque tempore maxime necessarium considerationem tibi excuti non patieris. Sic enim opus erit in tanta animorum per ecclesiam consternatione.

Ego hic circa scholae institutionem occupatus [5]) diem plane mihi festum agere videor, et in hac tanta fratrum coniunctione et conversatione totus conquiesco, et veluti e tempestate in portum quendam tantisper delatus iucundissime reficior. Dominus faxit ut halcedoniis hisce frui diu vel haec ecclesia possit, unde spes est totius provinciae statum in melius constitutum iri temporis procursu. Nam quid in Bernensi ecclesia praeter conflictus, scandala et confusionem exspectem non video, nisi quod et potens est Dominus et eam quoque tempestatem sedare, et mala etiam nostra ad sui nominis gloriam et electorum salutem convertere. Literas DD. *Myconii* et *Buceri* [6]) mitto, sed tardius forsitan, quod hodie sint primum mihi redditae. Argentinensis, ut adparet, ecclesia gravi perturbatione agitatur et anceps omnino pendet, [7]) consilia de comparandis aliunde auxiliis agitat: sed frustra, ut vereor, in tanta germanicorum et helveticorum maxime studiorum distractione et nimis comperta principum saeculi huius perfidia. Rogandus igitur Dominus, uti vel has evangelici seminis reliquias servare misericorditer velit. Vale in Christo, frater observandissime. Lausannae 13. Octob. anno 1547.

Tuus totus S. Sultzerus.

Saluta meis verbis uxorem et symmystas.

952. 1) *Ipse quidem Calvinus in causa Perrini primas non agebat, verum negari nequit eius maxime causam hic actam fuisse, nempe disciplinae et consistorii. Sulzero hae res bene innotescere potuerunt quum Bernates mediatorum partes sibi vindicarent, misso legato Io. Franc. Negelino consule, qui d. 4. Oct. senatum adiit. Postridie eius diei Faber et Perrini uxor vinculis soluti sunt ea lege ut veniam et oblivionem humiliter sibi concedendam peterent: d. 9. Oct. Perrinus capitanatu abdicatus est.* (*Galiffe, quelques pages p.* 23 *s.* 27 *s. Grenus fragm. biogr.*)

2) *deperditas.*

3) *Lausannae erat, quo se contulerat scholae instituendae causa.*

4) *neque vero sine specie.*

5) *Ex quo apparet eum adhuc aliqua apud Bernenses autoritate tum temporis usum fuisse, quanquam sensim labefactata.*

6) *Myconii epistolam modo legisti, Buceri non reperire contigit.*

7) *metu scilicet Imperatoris.*

953.

CALVINUS MYCONIO.

Transmittit ei epistolam ad Bernardum.

(Autographon exstat in Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 111, fol. 1435 olim Epp. VI. P. I. — Simlerus habet Vol. 65.)

Fideli Christi ministro . . . . . . [1])

S. In praesentia nihil aliud erat causae cur tibi scriberem, nisi ut quas ad D. *Bernardum* [2]) literas scribo huic chartae inclusas tibi destinarem, quo per manum tuam reddantur. Peto igitur abs te quam primum id ut facias, hoc est, simul atque receperis. Si quid respondere volet, hoc mihi etiam officium praestabis, ut aliqua tua superscriptione literas tegas. Vale, frater in Christo colende. Christus Iesus te ac ecclesiam tuam conservet. Genevae 15. Octobr. [3])

Ioannes Calvinus tuus.

953. 1) *Caetera desunt.*

2) *Senatorem Basileensem Simlerus hunc fuisse suspicatur.*

3) *Ad a.* 1547 *refert Simlerus. Quem sequimur parum securi. Myconii epistolam d.* 2. *Oct. scriptam Sulzerus d.* 13. *Oct. ex Lausanna ad Calvinum misit. Talem vero hic quum hanc Idibus scriberet evidenter non acceperat, quia de ea tacet. Sed biduum ad transferendam sufficiebat. Quid quod Calvinus ipse eam iam pridie Idus acceptam dicere videtur, proxima ad Myconium scripta N.* 956.

954.

CALVINUS VIRETO.

Commendat aliquem Lausannam proficiscentem. Praefationem a Bucero expetitam scripsit.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 200. Apographa suetis locis exstant Ionvillaei Cod. 111[a], fol. 14 v., Turretini Cod. 111, fol. 178, Bernense Epp. VII. p. 850 et Simleri Vol. 65.)

Fideli Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et symmystae carissimo.

S. Quisnam hic sit, malo ex ipso intelligas. Ubi intellexeris, scio satis tibi fore commendatum, quum suo tum fratris nomine. Verum ne id negligentiae imputaret si nihil scriberem, nolui absque meis literis dimittere. Eum in reperiendis commodis aedibus iuvabis tuo consilio. Et quoniam οἰκουρὸς est, dabis operam ut paulatim se ad novum vivendi genus assuefaciat. Praefationem quam a me petiit *Bucerus* habeo paratam.[1]) Nuncius qui perferat non invenitur. Brevi longiores a me literas exspecta, et D. *Sulzero* excusa quod illi nondum respondeam, eumque diligenter, et reliquos fratres saluta meo nomine. Dominus tibi adsit perpetuo. Genevae 21. Octob. 1547.

Ioannes Calvinus tuus.

955.

BUCERUS MYCONIO.

Gratias ei agit de praefatione Calvini ad Acta colloquii Ratisbonensis, verum consilio mutato iam ea opus non habet.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 170 olim Epp. B. 44, p. 922. — Simler. Vol. 65.)

Optimo Myconio suo.

S. D. Bonus ille quem mihi commendasti, ne dubites, erit mihi commendatissimus, et est. Sed quum non possit illico haberi qualem et ipsi vellemus locum, praestiterat uxorem apud suos interim reliquisset. Ita in domo mea eum retinere potuissem quae alioqui est perquam referta.[1]) Permagnas tibi gratias ago de praefatione.[2]) Verum consilium illud quum nunquam posset plene approbari conscientiae meae,[3]) statim ut scripseram tibi mutavi. Amat Christus simplicitatem, et fucum fieri adversarii clamassent. Volente itaque Domino offeram ipse meo nomine Imperatori, Regi et ordinibus quae Dominus dedit. Hic videat quid de me et opere ipso fieri velit. Sed permagno tu me tibi officio devinxisti quod voluisti editionis istius in te invidiam recipere. Quae ex Augusta et aliunde habemus leges in literis ad *Farellum* et *Calvinum*. Uxorem et fratres meo et meae nomine saluta. Optime vale. 22. Octobris 1547.

T. T.
T.

956.

CALVINUS MYCONIO.

Praefationem a Bucero postulatam scripsit statim post acceptas literas, verum deficiente occasione hodie demum eam mittit.

(Autographon non exstat. Minutam quam vocant praebet Cod. Genev. 107[a], fol. 301. Apographa recentiora reperies in Cod. 108, fol. 161, Bernae in Epp. VII. p. 518 et apud Simlerum Vol. 65.)

Eximio eruditionis et pietatis viro D. Osvaldo Myconio pastori ecclesiae Basileensis fidelissimo symmystae plurimum colendo.

S. Literas tuas duodecimo postquam datae fuerant die recepi,[1]) paulo ante prandium. A meridie laboravi capitis dolore. Postridie concione mea defunctus, ut tibi et *Bucero* obsequerer, calamum arripui. Quantum coniicere licuit ex tuis verbis, longiorem praefationem volebas. Sed ego data opera me cohibui: primum quia, si de temporis ratione

---

954. 1) *Praefigendam editioni Actorum colloquii Ratisbonensis quam parabat Bucerus. De qua fusius disputavimus Opp. Vol. IX. Proll. 69. Ipsam praefationem edidimus ibid. p. 851. Iam anno 1546 Bucerus scriptum germanicum exaraverat:* Ein wahrhaffter Bericht vom Colloquio zu Regensburg, *teste Hortleder p. 392. Cf. etiam Sleid. II. 421.*

955. 1) *pro more et propter laudabilem φιλοξενίαν. In iis quae praecedunt Ciceronem non agnoveris.*

2) *Promissa quidem sed nondum accepta.*

3) *Quum Ratisbonae promisisset de colloquio nihil se proditurum, de actis alio modo edendis cogitaverat ideoque de praefatione praefigenda tali quae lectoribus fucum faceret.*

956. 1) *Datae fuerant 2. Oct., recepit ergo pridie Idus. Verum hic computus quadrare non videtur. Dies enim 14. Oct. erat Veneris: proxima concionatus est, i. e. dominica, Lunae absolvit, unius diei laborem.*

disseruissem liberius, aliquid forte excidisset quod praestabit fuisse tacitum.[2]) Si in argumentum ingressus forem non inspecto libro, deprehensus fuisset fucus,[3]) qui sub brevitate hac melius latebit. Labor fuit unius diei. Nam Lunae[4]) absolvi duabus fere horis quod pridie inchoaveram. Sed ab eo tempore nuncium non inveni, qui istuc concederet. Bernam ideo nolui mittere quia sperabam recta citius[5]) perlatum iri. Nunc quia post longam exspectationem desperabam, coactus sum me illuc recipere quo prius nolueram. Si in tempore venerit bene erit. Sin minus, non hoc negligentiae meae tribuas. Nam a quindecim diebus neminem hinc ad vos profectum esse puto, quod rarissime alias accidit. Vale, ornatissime vir et frater in Domino plurimum honorande. Dominus tibi perpetuo adsit, te spiritu suo gubernet, te ac tuam familiam servet incolumes. Salutabis amicos meo nomine. Genevae 26. Octobr. 11. die ex quo tuae mihi redditae fuerunt.

Ioannes Calvinus tuus.

957.

CALVIN A M. DE FALAIS.

Il lui envoie un mot de préface pour l'Apologie.

(L'original de ce billet que M. Bonnet I. 228 dit avoir vu dans le MS. 194 avec les autres lettres, et qu'on trouve aussi dans l'éd. d'Amst. p. 146, parait être perdu. Du moins il nous a échappé. — Trad. angl. II. 132.)

Monseigneur, en retournant laultre iour mes papiers pour aultre occasion, iy trouvay un petit mot de preface que iavoye faict au retour de maistre Pierre *Viret*.[1]) Ie le vous envoye maintenant, non pas tant affin quil soit applicque en usaige, que pour vous declairer comment iavoye bien faict ce dont vous maviez requis, et que, par oubly, il estoit demeure la.

Ie ne doubte pas quil ne vole beaucoup de bruicts pour le present des affaires de ceste ville. Quoy que vous en oiez, ne laissez pas den dormir a vostre aise; car il y a beaucoup de gens qui prennent plaisir a mentir, non seulement de nos voisins, mais aussi de ceux de dedans.[2])

Le bon *Maldonad* est remis au dessus par la grace de Dieu, mais non pas sans grant difficulte.

Monsieur, apres mestre humblement recommande a vostre bonne grace et de Madamoiselle, ie prieray nostre bon Dieu de vous avoir tousiours en sa saincte garde. Iattens sur la fin de ceste semaine nouvelles de vous. Ce 26. doctobre.

Vostre humble frere et serviteur,

Iehan Calvin.

958.

VIRETUS CALVINO.

Praefationem Bucero mittendam nondum expedire potuit tabellario non reperto. Amicum consolatur et exhortatur ob turbas Genevae ab adversariis bonae disciplinae motas.

(Ex autographo Cod. Genev. 111[a], fol. 162.)

Singulari eruditione ac pietate ornatissimo D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori vigilantissimo fratri et symmystae plurimum observando.

S. Eo ipso die hinc abierat *Sulzerus* quo tuae mihi literae[1]) redditae sunt. Nescio quam mox sim tutum nuncium habiturus, qui eas Basileam perferat. Si nullus occurrat qui eo recta proficiscatur, mittam Bernam ad *Sulzerum*, simul atque nuncium nactus fuero. De rebus vestris sum non parum sollicitus. Verebar autem quod accidit. Scio enim quam is sit invisus de quo scripsisti. Non dubito quin Satan omnem moveat lapidem ad perturbanda omnia. Sed Dominus eum conteret sub pedibus vestris. Luctandum erit, sed vincet Dominus tandem, nec deerit suae ecclesiae. Utinam possem subire partem molestiarum, quibus nunc scio te discruciari. Non sum illarum quidem expers, sed sine ullo vestro commodo et ecclesiae fructu. Si quid ego possem conferre, non magnopere morarer hominum invidiam, si modo mea opera aliquod posset afferre emolumentum. Sed mihi minime dubium

2) *de bello scilicet, de Imperatoris victoris tyrannide, vel etiam de principum segnitie.*
3) *Vide ep. praeced. not.* 3.
4) 17. *Oct.* — *Hinc patet ipsi praefationi quam ex alio codice edidimus Kalendas huius mensis falso adscriptas fuisse.*
5) *Apographa:* tutius.
957. 1) De *Bâle, fin Mars. Ce mot de préface n'a pas été imprimé.*

2) *Il en écrit ce même jour à Viret sur un tout autre ton.* (*N.* 960.)
958. 1) *N.* 954.

est quin invitis omnibus malarum causarum patronis Dominus superior evadat. Sunt ista certamina certiora tui ministerii testimonia et velut sacramenta. Nam quo gravius impetitur eo certius est argumentum, ipsum esse admodum grave Satanae. Non esset autem grave, nisi ei valde esset exitiale. Quo autem periculosiora sunt certamina eo gloriosior est corona exspectanda. Quos evecturus est Dominus, eos solet deprimere, neque unquam gloriosior apparet quam quum omnia videntur deplorata. Bene habet quod non es novus tiro in hac militia. Nosti hostium ingenium, nosti et quam potens sit qui in te operatur. Dominus non patietur ruere quod potenti sua manu fulcire coepit. Valent hostes autoritate et potentia, sed nos arma habemus longe efficaciora, preces scilicet et lacrymas, quibus si interpellemus patrem coelestem, faciet ut perrumpamus omnia. Qui tibi adfuit hactenus nunc minime suam causam deserturus est. Collega meus [2]) Bernam cum *Sulzero* profectus est. Salutant te nostri omnes cum collegis et symmystis omnibus. Uxor mea te et uxorem plurimum salutat, quam ego quoque plurimum salvere cupio. Dominus tibi adsit perpetuo in tantis certaminibus. Vale. Lausannae 26. Oct. 1547.

Tuus Petrus Viretus.

Gratiam habeo quod inter tot ac tam graves et molestas occupationes dignatus sis meis parum te dignis et tua eruditione lucubrationibus aliquid dare temporis: quae si tibi vel aliqua tantum ratione placeant, mihi satis probatae videbuntur. Sed vereor ne quae sequuntur, in quibus versatur magis cardo et status totius controversiae, minus sint placitura. [3]) Quo fit ut nihil statuere decreverim de iis, donec omnia tuam censuram subierint. Audio hodie huc appulsuros legatos Bernenses. [4]) Per eos mittam tuas literas Bernam. Vale iterum.

959.

DRYANDER CALVINO.

Frequentius se scripturum fuisse dicit, nisi indies tristiora suum et omnium animum suspensum tenerent. Et in Germania res deploratae et Tridenti Satanae cuncta permissa potius quam Deo commissa. Inter publica pericula sua ipsius privata parvi facit.

(Ex autographo Cod. Gothani 405, fol. 47.)

Clarissimo viro D. Iohanni Calvino ministro verbi Dei fidelissimo in ecclesia Genevensi.

S. D. Scriberem ad te frequenter si quidquam haberemus quod vel te recreare legendo, vel nobis molestiam aliquam levare posset scribendo. Sed quum omnia quotidie nobis exspectatione hominum tristiora nuncientur, satius esse putavi combibere privatim aerumnas nostras, quam earum commemoratione perturbare animos fratrum, qui mediocri aequabilique successu in ministerio evangelico versantur. Quamvis haec communia pericula ad commune quoque integrumque reipublicae corpus videntur pertinere, sicut graviter et vere a Solone dictum est: *In thalamos penetrant publica damna tuos.* Neque proinde tamen censeo labefieri oportere generosum animum periculorum metu, neque ab honesto vel etiam necessario instituto retardari. Qui enim promisit se nobiscum adfuturum esse usque ad consummationem saeculi, vivit adhuc et suaviter de coelo videt superbas impiorum minas, conservabit quoque liberatione aliqua miranda ecclesiae suae reliquias, neque patietur exstingui accensum divinitus suae doctrinae lumen. Haec promissio coelestis nos sustentare debet in hoc tempore, quum αὐτοκράτωρ paulatim incipit prodere occultas animi sui cogitationes, et quid ab ea quam hactenus simulavit fictitia moderatione sit exspectandum non obscure patefacere. Augustae negotia omnia religionis transferuntur Tridentum ad concilium quod Imperatoris nomine instauratur, in cuius decreta iurare coguntur status imperii. [1]) Dissidium est inter Electores. Tres ecclesiastici non modo transferri cupiunt omnia Tridentum, freti potentia et favore Caesaris: qua in sententia illis quoque assentiuntur reliqui sed rident etiam alios principes et electores, postulantes fidem publicam doctoribus et principibus protestantium, qui sententiam in synodo sunt dicturi: ubi, quantum in praesentia licet colligere, nulla libera vox emittetur, omnia pro arbitrio et furore monachorum pervertentur. Ingemisco toto pectore quoties vastationem Germaniae contemplor, et tam manifestum diaboli furorem considero. Sed nihil iuvant lacrymae. Precibus pulsare oportet

---

2) *Iac. Valerius.*

3) *Ergo partem tantum opusculi Calvino tradiderat. Caeterum vide N.* 941, *not.* 5.

4) *N.* 952, *not.* 1. *Quos tamen Genevam tunc iam reliquisse verosimile non est.*

959. 1) *Collegium principum et electores ecclesiastici omnes res ad religionem pertinentes concilio diiudicandas reservare volebant. Caeteris statibus silentibus Caesar Pontifici rescripsit omnes se concilio subiecisse. Ipse vero etiam Pontificem eidem concilio subiectum esse perhibebat et reformationem in capite et membris flagitabat.* (*Sleid.* III. 43 *sqq. Ranke V. p.* 5 *sqq.*)

divinas aures, et quo minus erit spei in rebus humanis, eo maiori fide exspectanda erit de coelo promissa salus. Omnes homines in densissimis tenebris securitatis atque ignorationis sepulti iacent, et belluino more vivunt: si tamen vivunt, qui sensu videndi, audiendi et iudicandi carent. Sed hoc est fatale malum, usitatum tamen in cursu rerum humanarum, ut quoties Deus vult punire aliquam gentem, primum illis eripit sensum et iudicium, ut neque cognoscere possint quae sit voluntas Dei, neque impendentia mala, hoc est, peccati poenas vel prospicere vel praecavere. Oremus ardentibus votis aeternum patrem liberatoris nostri Iesu Christi, ne velit universam iram suam effundere in istam miserabilem peccati massam generis humani. Et quasi non sufficiant mala quae hactenus oculis nostris vidimus, et in corpore atque animo nostro pertulimus, haec item regio, quantum nunc licet iudicare, bello infestabitur. Nam, ut est pervulgata hominum opinio, Imperator aggredietur Constantiam quam non deserent Helvetii. [2]) Dux *Albanus*, qui est praefectus Caesareanorum militum, promisit Imperatori, si Constantia esset quatuor catenis coelo alligata, se tamen velle eam urbem coelo detrahere, atque in ipsius Caesaris arbitrio et voluntate ponere. Magnifica vero vox ab animo ethnico profecta, qui arrogantia gigantea bellum coelo inferre conatur. Audis partem nostrarum miseriarum. Scriberem plura nisi vererer tibi esse molestus commemoratione rerum tristissimarum.

Quod si de rebus nostris privatis aliquid scire cupis, etsi nihilo laetiora quam de rebus publicis possum nunciare, dicam tamen quod istis diebus accepi ex Hispania ipsa. Admonuit me per literas frater ut circumspecte viverem. Affirmabat quoque se accepisse a monacho Dominicano qui venerat ex aula Caesaris, esse ubique positas insidias maioremque diligentiam adhiberi, ut me possint comprehendere, quam *Lantgravium* ipsum. Nam istis verbis utitur. Multi etiam viri non vulgares mirantur tamdiu me vivere sine periculo potuisse. Sed hae minae me non multum terrent, quia scio me habere Deum custodem, cuius arbitrio et voluntati me totum formandum trado. Illud abs te peto ut tuis et ecclesiae precibus sitis mei memores.

Est praeterea quod te meam in gratiam facere vellem. Significavit mihi *Ferdinandus Diazius* Paternianus, qui olim curabat negotia *Ioannis Diazii* Lutetiae, nunc est in meo ministerio, constitutum fuisse a sancto viro ut omnes eius libri in tres partes dividerentur, quarum una ipsi daretur, reliquae duae mihi et fratri meo. [3]) Accepit ipse partem suam. Reliquas duas dicit esse missas Genevam, ut inde ad me transmittantur. Sed usque in hanc horam nihil vel accepi vel audivi. Proinde te oro ut perquiras ab eis qui habent curam implendi voluntatem viri sancti, et ea omnia quae ad me pertinebunt et fratrem ad te recipias, cuius catalogum mittes. [4]) Neque in re iustissima arbitror fore difficultatem ullam, siquidem ratio postulat, et exempla omnium gentium testantur, in explenda demortui voluntate summam fuisse apud omnes gentes religionem, semperque habitam esse rem sacrosanctam. In hac re peto mihi non deesse tuam diligentiam atque autoritatem, quia istius viri memoriam religiose colo, et quidquid ab eo provenerit tanquam monumentum et pignus amoris conservabo, idque maioris faciam quam si alia quapiam ratione amplissima dominatio haereditate contingeret. Bene vale cum omnibus fratribus et tota ecclesia. Basileae 26. Octobris 1547.

Tuus Franciscus Dryander.

960.

CALVINUS VIRETO.

Mittit ei praefationem Buceri libro praefigendam. Pridem conscriptam antea non potuit. Turbas Genevenses obiter attingit, Viretum iis immisceri non vult.

(Autographon non exstat, sed saltem Ionvillaei exemplar Cod. Genev. 196, fol. 84 v. — Edidit Beza Genev. p. 370, Laus. p. 205, Hanov. p. 229, Chouet p. 508, Amst. p. 232.)

Hactenus nuncium exspectavi qui praefationem, quam a me petebat *Bucerus*, ad *Myconium* recta perferret. Poteram citius Bernam mittere, nisi frustra sperando diem de die traxissem. Ergo danda erit opera ut prima quaque occasione perferatur. Festinatione opus esse admonebat *Myconius*. Per me non stetit. Si *Tossanus* mihi diem unum concessisset, eram illi daturus. Nam quo die attulit, me impeditum tenuit capitis dolor. Postridie abire voluit.

De rebus nostris [1]) non mirum est si varia audias. Tota enim vicinitas, quum de nobis sine occasione libenter mentiatur, nunc qualemcunque obla-

---

2) *Constantiam demum m. Augusto anni sequentis adortus est Imperator, cui Helvetii minime opitulaturi adfuerunt.* (*Sleid.* p. 133.)

3) *Ioannes Diazius per Dryandri fratrem natu maiorem Iacobum (Iayme) Ensinas, postea martyrem, Lutetiae ad evangelium adductus fuerat.*

4) *sic.*

960. 1) *i. e. Perrini et suorum causa.*

tam materiam libentius arripit. Nec desunt in urbe flabella. *Magnificus*, quum absolutus semel fuisset omnibus sententiis, iterum in carcerem retrusus fuit.[2]) Nisi Dominus mare et ventos increpet, graves nobis imminere procellas video: quas commovent a quibus sedari potius decuerat. Te accersere non audeo multas ob causas. Una praecipua est quod vereor ne tandem istis cedendum sit, qui nullum se finem ostendunt facturos donec omnia perdiderint. Huic te flammae opponi iniquum esset.

Neglium[3]) consulem et reliquos legatos nondum salutavi. Si forte in via occurrerint non refugiam.

D. *Sulcero* scripturus eram, si non obstitissent variae et assiduae interpellationes. Ages tamen illi gratias meo nomine quod me in istis angoribus consolatus est.[4]) Gratissimum in ea re mihi officium praestitit. Illi et fratribus omnibus plurimam salutem. Dominus te conservet ac tibi adsit. Uxor mea te plurimum salutat. Nos ambo tuam. Genevae 26. 1547.[5])

Ioannes Calvinus tuus.

Si praefationem quam *Buceri* libro destinavi legere voletis, eam rursus obsignabis. Ea est cui ex altera charta caudam attexui.

961.

INCERTUS CALVINO.

Effuse vir non indoctus gratias ei agit ob adolescentem quemdam Gallum, ut videtur, Genevae benigne exceptum et pie institutum.

(Ex autographo Cod. Genev. 113, fol. 93.)

A mon treshonore Seigneur Mons. Cal.
a Lion.

M. B. Ioanni Calvino *τῷ εὐσεβεστάτῳ τε καὶ θεοφιλεστάτῳ* S. P. D.

Etsi de tuo propenso in pios omnes animo antea saepe ex multorum et nunciis et sermonibus, vir optime atque humanissime, satis multa audieram, tuaque hospitalitas Christi nomine nulli non per totam Europam iampridem sit cognita, tamen nusquam iucundior antea, gratior, ne mentiar, nusquam mihi accidit, quam quum ad *Carolum* nostrum eandem sensi largiter et, ut ipse aiebat, cupide permanasse. Equidem sic sentio, quidquid accessionis ad commoda piorum fiat, idem in meo lucro ponere ac statuere, nosque omnes, quippe ex eodem patre editos, fratres esse oportere. Sed tamen fit, nescio quo naturae consilio, ut arctior atque adeo sanctior et sanguinis et animorum coniunctio videatur, quae ab eadem domo, iisdem parentibus, eadem educatione, studiis denique iisdem a primis annis profecta est. Quare duplici nomine et mihi gratulor, et tibi, vir ornatissime, gratias ago: primum quod tu, quae tua est pietas in caeteros, *Carolum* adolescentem peregre agentem longe a suis, a patre quasi destitutum, suorum egestate partim, partim quoque negligentia coactum, adeo humaniter ac comiter hospitio exceperis, tanquam filium ac fratrem studiose habueris, ut hac parte non minus iamiam tibi debeat quam ipsis parentibus: deinde quod fratrem ab illa anfractuosa non solum et impedita, atque adeo invia, sed prorsus Deo optimo maximo invisa ac detestabili via ad rectam abduxeris. Annos enim prope undeviginti sic ille peregerat, ut qui Christo nihil iam deberet, nec summi rerum omnium opificis mandata usquam sinceriore mente cogitaret. Sic a fratribus, si diis placet, monachis (malum) instituebatur ut nunc vere iureque possim dicere de eo: perierat frater, et tua opera est tandem aliquando inventus. Ex tuis autem paene innumerabilibus atque incredibilibus in eum beneficiis, quum illud a nobis officiis studio ac diligentia reddi fortasse possit, tum profecto huius mercedem, mi *Ioannes*, non est quod ab hominibus exspectes. Est enim maius, mihi crede, quam mens humana capere nedum rependere valeat. Deus ille Abraam, deus Isaac, deus Iacob, deus denique ille noster, omnibus pater communis, iustam cuique in hoc genere mercedem iustumque praemium est persoluturus. Perge igitur de viris quidem bonis sed laborantibus etiam atque etiam bene mereri quo bravium opimius et maius aliquando consequare. Quod si qui non pareant, si refragentur aliqui, si, ut necesse est quam plurimos, detrectent aut reluctentur, tamen tu ne cede malis sed contra audentior

---

2) *Laur. Maigret Perrini accusator ex lege Genevensi ipse carceri mandatus fuerat, sed d. 18. Oct. liberatus. Verum iam d. 24. Negelinus c. aliis legatis iterum adfuit, gratias acturus senatui propter liberationem Fabri et filiae eius, simul autem suspicionem in quam Maigretus iam antea inciderat (quasi potius ipse clam cum Rege rem haberet, a quo pecuniam accepisse dicebatur ut foedus Bernense solvendum curaret) acrius et luculentius produxit, ita ut hic d. 25 denuo in vincula coniectus fuerit. De quo senatus consulto Noster hic queritur, perinde ac si contra se ipsum haec omnia directa essent.* (*Galiffe. quelques pages, p.* 26 *sqq.*)

3) *Totum hoc comma abest ab edd. Caeterum Calvinus Bernenses non salutavit de industria, quasi adversarios.*

4) *N.* 952. *Sulserum adhuc Lausannae commorari putat, in quo fallitur cf. N.* 958.

5) *Mensem Calvinus casu omisisse videtur. Cod. Ionvillaei Ianuarium adscribit sed merito uncis inclusum. De Octobre non est quod dubites post plures idem argumentum tractantes.*

ito. Nec vero ista arroganter a me scripta putes velim, sed meo in te animo (quem cohibere interdum in homine situm non est, ultraque lineas et terminos vel invitos plerumque rapit) et studio ingenti adscribas, a te maximopere contendo. Nam ita mihi in animum multo ante induxi: si tibi decem συμφράδμονες dentur tui ipsius persimiles, quales ille Nestores exoptabat ad capiendam Troiam, facile evangelium sanctioresque musas ex idololatria media receptum iri. Placet sane Christi discipulis beneque de evangelio sentientibus hoc iudicium. Sed ut ad rem redeam, misericordia illa tua, qua in fratrem meum usus es, ita nobiles quosdam viros ac claros qui hic erant accendit, ut ab ore narrantis fratris triduum prope perpenderint: adeo iucunda erat narratio, eoque magis quod omnibus partibus in eo modestia sese ostenderet, quam afferre evangelium asserebant. Et mirum quidem atque incredibile nobis hoc accidit, qui nuper monachus fuit (nam hoc genus animantium ut plurimum insolens, immoderatum, elatum, superciliosum esse solet) tam cito tamque brevi sese collegisse atque repressisse. Praeter Christum et eius evangelium nihil sonabat, non iurabat, non detrahebat de fama cuiusquam. Quid plura? Ex iis omnibus quae dixit aut etiam fecit, sic omnium inflammavit animos erga vos, ut non priusquam viserint, e loco editiori audierint, sint conquieturi. Narravit ut Lutetia illuc ad vos hortatu fratris et virorum bonorum consilio commigravit, qua gratia et nomine id fecerit, quantoque opere illius causa fueris sollicitus, ut quum istic erat animus annos aliquot degere literas quas optabat perdisceret, sed id per inopiam non potuisse quanquam ab ipsis aegre divelleretur. Et quoniam hac non successerat, alias esse te atque alias aggressum vias ut loco aliquo sedulo collocaretur, ubi artem aliquam perdisceret ex qua honeste nec sine quaestu posset aliquando victum sibi comparare. Hac quidem successisse, ac pro voto paene cecidisse. Sed undique se miserum pressum egestate atque inopia, ut non modo pecuniolam qua de agebatur suppeditare in praesentia, sed ne sperare quidem audere nec praestare teruncium ex se confirmaret, ni quis divinitus ex insperato succurreret. Itaque ad fratres venisse se, opem atque auxilium imploraturum. Quae equidem pro officio nostro nullo modo possumus unquam, quantulacumque sunt, denegare. Nam si ab nuper pauloque ante ignotis repente tam humaniter est acceptus, quid ipsi faciamus, quem iidem parentes, eadem domus, mensa, victus, studia denique ab incunabulis nobis coniugarunt. Sane si aliter fiat, extremae simus immanitatis arguendi. Itaque dum ei succurrimus, id est dum illam summam pecuniae conflamus, desinam posthac tibi esse molestus, si unum hoc a te consequutus fuero, ut ipsi per te et virum bonum, cui suam trium annorum locavit operam, in evangelium et eam artem ad quam animum appulit aliquem interim progressum facere liceat. Et quanquam quorundam iniuria res nobis sit angusta domi, exigui vero quaestus per bella, quae his in locis diu grassata omnia paene exhauserunt, hoc tamen tibi polliceor ac recipio fore, me ut post non multos menses iudices cui fidem posthac habeas, vel si sit mihi misere serviendum. Adeo mihi carus frater, tantus amor pietasque in Christum eiusque evangelium. Hoc si illi dederis, vel nobis potius, scito, vir omni laude cumulatissime, tres fratres iamiam esse sollicitos ut in *Carolum* merita tua bene collocata esse videantur. Cognosces, ni fallor, et ex re et tempore, denique quum voles experiere, quam gratissimos tres fratres tuis officiis immortalibus adstrinxeris. Sed quorsum tam multa? Exit in volumen epistola contra institutum. Sic enim perpetuo iudicavi, non esse tui similes multitudine verborum obtundendos, ubi Christi nomine est aliquid obtinendum. Itaque valebis, vir sanctissime atque optime, nosque amantes tui perges ut coepisti respicere. Vale. Kl. Novemb. M. D. XLVII.

962.

FARELLUS CALVINO.

Commendat Henricum Francum.

(Ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium. Epp. Farelli fasc. III. N. 26.)

Christi servo Ioanni Calvino fratri
Genevae.

S. Henrichus *Francus* apud suos visus est prae caeteris in Christi religione sequenda et evehenda ardentior, et ante annos unum vel alterum hic fuit, quem existimo non continendum. Superest, si tuo isti negotio opus fuerit consilio et iis qui secum istic agunt, ut non inter vulgares eos habeas, licet sciam neminem abs te vulgariter excipi, nisi noveris extreme improbum. Quum istum in Domino amplexer, volui te rogatum ut sciat meam apud te non vanam fuisse commendationem. Quererer praeterea de te quod posteaquam te invisi nihil exceperim de neque abs te. Iube, quum per occupationes tuas non liceat, per aliquem me omnium certiorem fieri. Literas ad *Falesium* dedi per eum

qui *Linchand* Iacobus,[1]) ni fallor, dicitur, quas ab eo exceperam. Sed vereor fidus satis ne sit, quum *Vergoriae* virum secum habeat. Vale cum coniuge, quam tecum servet Dominus, idque feliciter et diutius in usum ecclesiae. Saluta omnes collegas et quem commendo tibi *Henrichum*, ad quem scribere non licuit. Neocomi 9. Nov. 1547.

Farellus.

963.

BALDUINUS CALVINO.

Lugdunum advectus quid Genevae nòvi acciderit, quid ex Germania fuerit relatum, scire cupit. Sadoleti mortem nunciat et nonnulla de suis ipsius rebus.

(Ex Calvini editione ad calcem libelli adv. Balduinum p. 48.)

S. Literas tuas, mi pater, in horas singulas hic tui omnes exspectant, quae nos de omnibus, quae vel istic geruntur vel in Germania,[1]) faciant certiores. Privatis tuis periculis multi etiam anguntur, quanquam non ignorant, non modo excellere te hoc genere virtutis, ut nunquam extimescas, nunquam perturberis, sed ea quoque prudentia ut, quum nihil metuis, omnia tamen caveas, interim a Domino totus pendeas. Quid ab Argentoratensibus, quid a Basiliensibus acceperis, scire desideramus, et an (quod hic affirmant) reiecta sit religionis causa ad subsellia Neptuniorum Amphictyonum.[2]) Certe ad umbratile synedrion multi confluere dicuntur. Fortassis audierunt te in eorum castra impressionem facturum. Sadoletus ad Plutonem legatus missus est,[3]) ut *Loysio* patrocinetur disertus orator, vel eius potius ἀποθέωσιν ornet. Haec enim a patre habuit mandata.[4])

De rebus francicis audies ex multis ad vos epistolis quas Parisiis allatas mittit *Trierius*. Quintam stationem iterum mitto Parisiis ad me missam. Quam longa futura sit hic mea sessio vix scio. Quaedam enim a nostris exspecto, quos ut habeam propitios vel meis vel fratris negotiis necesse est ut nonnihil dissimulem, et tegam mea consilia. Quanquam si omnino iubeas et opus sit, potius omnia abiiciam quam meliori officio defuisse videar. *Burgundus* plurimum te salutat. De eius adventu nihildum certi, quanquam bona spes sit. Salutationes quas istuc meo nomine perferri cupio adscriberem, sed vereor te onerare: essent enim permultae. Dominus tibi tuisque semper adsit. Ex insula Corinthia. Martinalibus.[5])

Tuus Rochius.

---

962. 1) *Iacobi Linchamp bibliopolae mentionem fecerat N.* 867. *Mireris tamen hic eum de eodem dicere quasi de nomine dubium.*

963. 1) *In comitiis Augustanis scil. ubi inter alia dignitas electoralis Mauritio collata fuit m. Februario.*

2) *Imperator semel atque iterum legatos ad Pontificem misit qui efficerent ut synodus denuo Bononia Tridentum transferretur, primum d.* 9. *Nov. Card. Madruccium, postea d.* 16. *Ian. duos alios, qui tamen nihil obtinuerunt.*

3) *Obiit d.* 18. *Oct.* 1547 *septuagenarius Romae.*

4) *Evidenter hic loquitur de Petro Ludovico Farnesio, papae filio, Parmae duce, qui* 10. *Sept.* 1547 *a coniuratis trucidatus fuerat. Haec omnia de tempore scriptae huius epistolae te ambigere minime sinent.* (*Cf.* 946, *not.* 4.)

5) *i. e. Lugduni* 11. *Nov.* 1547.

964.

CALVINUS VIRETO.

Testimonium ambiguae laudis pro ignoto aliquo viro.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 201. Vidimus praeterea exemplaria Ionvillaei Cod. 111ᵃ, fol. 14 v., Turretini Cod. 111, fol. 179, Bernense Epp. VII. p. 351 et Simleri Vol. 65.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri mihi carissimo.

S. Mitto ad te testimonium quod mihi obtulit hic frater. *Borgoinum* ad me vocavi ut scirem ecquid haberet in eum accusationis. Intellexi, quum ab eo esset monitus, non satis modeste nec patienter tulisse: quin potius fuisse ad conviciandum incitatum. Sed illud praeteriit. Tu itaque uno verbo indicabis, nihil obstare quominus christiane inter Christianos vivat. Per *Cyprianum* agri Neocomensis ministrum cras ad te scribam. Vale. 12. Novemb. 1547.

965.

VIRETUS CALVINO.

Difficultatibus et suspicionibus undique circumventis satis esse debet bona conscientia. Obiter Fumaei, Sulzeri et Bari negotia attinguntur.

(Ex autographo Cod. Genev. 111[a], fol. 168.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori vigilantissimo fratri et symmystae plurimum observando.

S. Multa habeo quae praesens malim coram narrare quam scripto committere, quae tu non ignoras penitus. Nam ex iis quae apud vos gesta sunt satis coniicis, nisi fallor, in qua sis existimatione apud eos [1]) qui putant per te effectum quominus sibi omnia successerint ex animi sententia. Tu cogita quid de te, qui versaris in re praesenti, suspicari possint, quum ego et *Farellus* non potuerimus effugere quin proxima nostra ad vos peregrinatio [2]) sinistris suspicionibus et calumniis gravata sit apud istos homines. Sed quid agas? Nobis satis erit bona conscientia.

De causa cuius gratia hic tabellarius ad te profectus est non multa scribam. Nam ab eo plenius omnia cognosces. Si ab initio rem ut erat tenuissem, habuissem quod respondissem legatis in hospitio, quum mihi de eo verba facerent cuius nunc causa agitur. [3]) Sed non potui nisi de certis et cognitis respondere, praesertim eo tempore et apud tales. At postquam res eo devenit, necesse erit ut in ecclesia more nostro matrimonium celebretur, aut non feretur. Si alio abierit, metuo ne pluribus et gravioribus se exponat calumniis.

In quibus versemur difficultatibus ut omnibus satisfaciamus, quoad eius fieri poterit, ex hoc nuncio intelliges, cui tuum dabis consilium, ut eo adiuti prudentius omnia agamus. Plurimum eos gravat tui et *Magnifici* [4]) odium. Tibi quoque erit attendendum qua ratione occurras calumniae quae ex eo facto tibi struetur, quod ab hoc fratre audies. Vos habetis valde fidos homines et senatores. [5]) Quidquid est mali, vestris debetur. Non iniuria quereris vobis non deesse flabella. Quidquid est incendii istinc natum est. Sed de his alias. Sic habent istius urbis fata.

Mitto ad te *Sultzeri* literas ex quibus intelliges in quas rursum se angustias coniectum queratur. [6]) Velim et tuum super ea re consilium audire, quia meum ille optat, ut prudentius et fidelius queam consulere. Nescio an quidquam audiveris de querelis adversum me, eius libelli [7]) causa in quo nonnihil aspersi eos qui ministerio sunt dedecori. Magnae sunt hic in vicinia querelae cum minis etiam coniunctae. Sed non valde moveor. Paratus sum si quis habeat quidquam adversum me.

De rebus nostris nihil habeo quod scribam. Nostri omnes recte valent praeter uxorem, quae se tibi et tuae uxori et vestris omnium precibus commendat. Si quid accepisti de coniugio Beati *Bar* cum Matisconensi, fac nos certiores. Committe hoc negotium *Textori*, ut quid acceperit nobis significet. Nam Beatus alioquin non desinet mihi esse importunus super hac re. Nostri te omnes salvere iubent. Vale. Lausannae 13. Novemb. 1547.

Tuus Petrus Viretus.

965. 1) *Bernenses puta, ut ex sequentibus apparet.*
2) *m. Septembre facta.*
3) *Haec satis obscure dicta fortassis aliquid lucis accipient ex Calvini responso proxime sequenti et Reg. du Conseil 20. Oct. Capnii Parisiensis frater (M. de Fumée) advenerat cum uxore quam non publico matrimonio sed clam in coetu fidelium sibi adiunxerat. Legatum Bernensem Negelinum supra obvium habuisti.*
4) *Cf. N.* 960.
5) *Hoc scil. ironice dicit, verum sine causa. Senatores enim qui a Calvini partibus erant suo officio minime defuerunt, quamvis Maigretus Bernensibus haud immerito suspectus esset, et Perrini culpa minime pateret.*
6) *Ingravescebat Bernae indies antagonismus inter Zwinglianos et Lutheranisantes et Sulzeri res magis in discrimen veniebant.*
7) *N.* 941, *not.* 5.

966.

CALVINUS VIRETO.

Paucis respondet ad praecedentem Vireti et eadem tractat negotia.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 202 coll. exx. Ionvillaei Cod. 111[a], fol. 14 v., Turretini Cod. 111, fol. 179 v., Bernensi Epp. VII. p. 851 et Simleri Vol. 65.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et amico carissimo.

Adsunt novi legati [1]). Immani adversus *Macrinum* odio feruntur, et implacabiles se fore osten-

966. 1) *Cf. N.* 960, *not.* 2. *Novi legati Bernenses adfuerunt Genevae d.* 11. *Nov. postulantes ut Maigreti causa coram populo agatur, scil. sperantes fore ut a plebe facilius condemnaretur. Sed repulsam tulerunt. Quid quod ipse Calvinus eo die coram senatu pro eo verba fecit, et eiusdem amicus Ambl. Corne in munere constitutus est quod dicebatur locum tenentis criminalis (lieutenant criminel). Vide Galiffe l. l. p.* 35. 50. *Ruchat* V. 325.

dunt nisi insonti fiat iniura: quod minime obtinebunt. Vereor tamen ne ante finem tragoediae ultra erumpat malum. Imprimis urgent comitia populi, unde sinistra suspicio bonis oritur. Nunc Ducenti consultant. Sic pendeo exspectatione ut in Dominum recumbam. Si Domino servire volumus bona conscientia, nunquam effugiemus quin adversum nos insaniant qui cupiunt omnia perdita. Atqui haec nobis erit arx invicta quod Domino stamus.

Quod ad *Fumaei* causam attinet, rursus tentandum esse remedium puto. Nosti incompositos *Neglii* motus. Fieri poterit ut eum demulceant tuae literae. Accedet senatus nostri testimonium. Quo praeiudicio maxime eum gravabat, id nonnihil, ut spero, ad sublevandum eundem valebit. Petendum igitur censeo ut matrimonium quod iam contraxit approbetur. Esset enim perquam iniquum irritam fieri quam sibi coram Deo et piis testibus mutuo fidem dederunt. Atque, ut video, nunquam se ad hanc conditionem patietur adduci. Id si desperas impetratum iri, ut huc se recipiat consulo.

Sultzero quid aliud respondeas non video, nisi ut a senatu petant quod aequissimum est, antequam recipiatur *Hallerus*,[2]) ut sibi fiat copia examinandae eius doctrinae. Si iusta esset recusandi causa, tentanda potius esset illa ratio, etiam si frustra facturi essent. Verum in rebus adeo turbatis te illi autorem esse nolim ulterius progrediendi. Consilium hoc tuis coloribus ornabis, ne te sibi minus quam oportet favere putet. Forte plus esset aequitatis in *Hallero* quam in *Iodoco*, ac praesertim si amico placidoque colloquio certamina praevenirent. *Iodocum* enim ferocem ac praefractum reddit inscitia.

De tuo libello[3]) sinistrum nescio quid evomuit *Neglius*. Verum si contemnimus Satanam non est quod nos terreant ipsius instrumenta. Mitto literas *Baduelli*[4]) ex quibus intelliges quam cupiat huc se recipere, si qua esset conditio. Respondi quod debui: non esse nobis conditiones ad manum; falli eum et reliquos, si magnum hic splendorem spe et animo praesumant. Nolui tamen hunc hominem te latere, qui eruditorum iudicio eximius in suo genere habetur, ut si quid contigerit, paratum fore scias.

2) *Joannes Hallerus (Ioannis filius ministri Bulacensis in agro Turicensi qui cum Zwinglio in proelio Cappellensi ceciderat) Augustae Vindelicorum ministerio fungebatur inde ab a.* 1545. *Post bellum Smalcaldicum Turicenses eum revocarunt et archidiaconum fecerunt. Verum non ita multo post d.* 9. *Nov. Bernenses sibi eum expetierunt. Sic noster h. l. de eius receptione scribere potuit. Quem tamen Turicenses abire tum non passi demum anno proximo m. Maio ad biennium Bernensibus concesserunt.* (*Ruchat* V. 329 *ss. Haller's Leben in Scheureri Mausol. Bern.* II. 471 *seqq.*)

3) *Qui ergo tunc prodierat.*

4) *Ab anno* 1540 *rectoris collegii Nemausensis, unde oriundus erat.*

De coniugio *Beati* nihil scribo in praesentia, quoniam *Textorem* convenire non licuit. Uxorem melius habere cupio: ei plurimam a nobis salutem dicas. Dominus vos tueatur ac regat perpetuo. Fratres etiam salutabis diligenter meo nomine. Genevae 19. Novemb. 1547.

Ioannes Calvinus tuus.

967.

CALVIN A M. DE FALAIS.

De l'impression de l'Apologie.

(Orig. autographe. Bibl. de Genève. Vol. 194, f. 70. Éd. d'Amst. p. 152. Éd. Bonnet I. 229. Trad. angl. II. 136.)

A Monseigneur Monsieur de Fallez.

Monseigneur, ie ne vous feray pour le present longues lettres pource que ie nestois pas advise que le messager deut si tost partir. Cest un engraveur, lequel estoit party environ deux heures devant que ie parlasse a nostre imprimeur. Or voyant que voz armoiries pour la forme du livre neussent pas este trop bien seantes, ienvoiay incontinent apres, et les a faictes en plomb, comme vous verrez par lespreuve. Ie me confioys bien que vous ne seriez pas marry quun escu fust despendu pour faire la chose bien a poinct.[1]) Le livre nest pas encore commence dimprimer, pource quil falloit faire refondre quelques lettres du charactere, qui est celluy dont on imprima la supplication,[2]) bien lisible et de belle monstre. On y commencera ceste sepmaine, au plaisir de Dieu. Mais on ne touchera point au latin iusque a ce que nous ayons de vos nouvelles. De tout le reste, pource que ie nay pas le loysir a ceste heure, ie differe a vous en faire responce par *Robert*, cousin de ma femme.

Nous avons icy un peu de fascheries par ceux qui debvoient procurer nostre repos. Toutefois iespere que lissue en sera bonne et en brief a la resiouissance de ceux qui desirent que Dieu soit honore. Mais ce pendant que noz freres sont persecutez des ennemis manifestes, il fault que nous

967. 1) *A en juger par l'édition latine la gravure n'était rien moins que belle.*

2) *L'édition latine de l'Apologie est même encore supérieure pour l'exécution typographique à celle de la* Supplex exhortatio.

soyons troublez de nostre coste par les domestieques. Il y a un bien, que le tout est a nostre proffict, moyennant que nous soyons si bien advisez de le prendre ainsi. Comme ie vous ay mande par cy devant, ne soiez en peine de rien qui se dise, tenant le tout pour mensonge, iusque a ce que vous entendiez par nous comment il en va.

Monsieur, apres mestre humblement recommande a vostre bonne grace, et de Madamoiselle et de toute vostre bonne compaignie, ie supplieray nostre bon Dieu de vous avoir en sa garde, vous conduire par son esprit, vous envoyer ce quil congnoit vous estre expedient. Ce 19. de novembre 1547.[3])

Vostre serviteur et humble frere,

Iehan Calvin.

Iay envoye par homme seur les lettres de Monsieur de *Paran.*[4])

968.

HOTOMANUS CALVINO.

Summam erga eum observantiam protestatus explicat locum in priore quadam epistola a Calvino male lectum et intellectum. Caetera nobis lecta quidem sed non intellecta.

(Exstat aliena manu scripta in Cod. Gothano 405, fol. 133.)

A Monseigneur Monsr. Calvin
Geneve.

S. Heri ante coenam *Alysius* literas tuas laconicas ad me attulit, sex iam ferme dies morbo non levissimo laborantem: ex quibus qualem aegritudini meae levationem capere potui, puto te non tantum intelligere nunc, sed etiam quum illas scriberes perfacile persentire potuisse, praesertim qui observantiam, qua te semper pro eo ac debui honorificentissime colui, minime ignorares, cuiusque solius causa, si quid peccatum esset, condonari, ut arbitror, non iniuria poterat. Neque enim in eo culpa est quum tarditatem ingenii mei accuso, quod omnes tuas cogitationes non continuo assequor. Sic enim et scripsisse me et sensisse, mihi Deus, tibi vero epistola mea, testis esse poterit. Neque vero ex cognati scripto nisi ex libro contra Anabaptistas quidquam intellexeram. Nulla, inquam, in eo culpa est, non magis quam in Cicerone quum Thucydidis sententias quum brevitate tum nimio acumine sibi non satis apertas, sine ulla vituperatione, esse dixit: aut in omnibus piis, quum prophetas aut Pauli scripta fatentur sine summa difficultate a multis intelligi vix posse. Nam quod te in aere versari scriptum esse a me, significare sane videris, primum a r c e m scripsi, non a e r e m, deinde e d i t a m a e r e m dicere non potui, denique translatione et usitata et apposita, et ut oportuit modesta, uti mihi visus sum. Arx autem, etsi non est fundus, tamen solum est. Quare in solido pedem figere te dixi, non, ut disceres, scribere sine summa dementia potui. Haec quum ita sint, et tu fortasse ita esse sentias, tamen, si cuidam credatur de quo equidem tacere iussus sum, quemque facile puto literas tuas, multas ut alias res, non bene intelligere, *Hotomanus* D. *Calvini* benevolentiam sibi ipse sua temeritate ademit. Quo quid gravius accidere mihi posse censes? Praesertim quum nemo te mortalium maiore observantia, ac potius pietate, hactenus coluerit. Sed non committam ut ad multas animi et corporis molestias haec commemoratio maiorem etiam aegritudinis accessionem faciat. Tantum orabo Dominum ut testis sit innocentiae et animi erga te mei. Quem si incorruptum esse existimas, quaeso a te, mi pater et domine observandissime, ne hunc obsequentissimum tibi filium amore tuo ac benevolentia indignum esse censeas. Etsi enim non magna stoico homini timoris causa esse possit, tamen idem mihi (id quod in amicitia Cicero requirit) usu venit quod zelotypis, qui etiam res quam levissimas suspiciosissime saepenumero accipiunt. Vale, mi pater optime et sanctissime. Dominus Iesus quam plurimos tui similes ecclesiae suae exsuscitet, te autem bonis omnibus quam diutissime incolumem conservet. Lausannae 23. Nov. 1547.

Franciscus Hotomanus
tui ex animo observantissimus.

Visum est D. *Vireto* et mihi de rufo illo nobili Gallo qui est apud Villemong. te commonefacere.

---

3) *Au dos:* Receu le 28. Novembre 1.5.4.7. *La trad. anglaise la met au* 19. *décembre.*

4) *L'éd. d'Amst. et M. Bonnet ont lu:* Varan.

969.

VIRETUS FARELLO.

Tremellio, quamvis etiam a Calvino commendato, conditionem in Bernensium ditione invenire nequit.

(Ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium. Epp. Vireti fasc. II. N. 4.)

Eximio Iesu Christi servo Guilielmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori

Neocomi.

S. De rebus Genevatum[1]) nihil habemus novi. Legati nondum redierunt. De *Emanuele*[2]) quid plane tibi respondeam nescio. Nulla est hic conditio, et si qua esset multi sunt viri boni et docti qui non negligerentur. Huc accedit quod Iudaei et Itali Bernae male audiunt. Saepius iam hoc idem quod abs te petit *Emanuel* a me per literas et per alios petiit, praesertim per *Calvinum*: sed aliud respondere non potui quam quod res erat. — — — — — — Lausannae 24. Novemb. 1547.

Tuus Petrus Viretus.

970.

CALVIN A M. DE FALAIS.

De l'impression de l'Apologie. Jugement sur Poullain. Conseils relatifs au séjour prolongé à Bâle.

(Orig. autographe. Bibl. de Genève. Vol. 194, fol. 68. — Éd. d'Amst. p. 147. Éd. Bonnet I. 238.)

A Monseigneur Monsieur de Fallez.

Monseigneur, iavois differe a vous escrire, voulant commencer par vostre frere et par *Utenhove.*[1]) Mais nayant loysir pour ceste heure, ie me suis advise de vous escrire, en remectant le reste a la sepmaine qui vient, quant Iasques *Dallichant*[2]) partira. Limpression de vostre apologie francoise sera retardee environ de huict iours, pour la maladie de nostre imprimeur qui vacquoit a la fonte. Iauray en bonne recommandation, tant les advertissemens que mavez envoyez, que le tout en general. Ce pendant la copie latine dormira. Pour le moins iusques a ce que nous ayons aultres nouvelles de vous.[3])

Quant a *Valerand*, ie me tiens a ce que ie vous en ay escript quelque fois, que la contention avec un tel homme ne vous est ny decente ny convenable, puis quil ne scait que cest dhoneur ne dhonestete. Car il sera si impudent de vous oultrager cent fois plus que vous noseriez pas luy. Dadvantaige il y en a qui sans senquerir beaucoup du merite de la cause, vous donnent le tord, considerant la qualite de vostre personne. Car il leur semble que vous en debvriez plustost avoir pitie que de le poursuivre, suivant le proverbe: *Ne insultes cani mortuo.* Et iappercois que le bon *Utenhove* en est las.[4]) Quoy quil en soit ie ne lestime pas digne quil vous tourmente la teste. Et vouldroye bien vous avoir persuade ne rien escrire de luy, et nen faire nulle mention, non plus que si iammais ne leussiez cogneu. Ce pendant ie presume bien quil ne cessera de mesdire et faire de lenrage. Mais ce sera tousiours a sa plus grant honte, sans que cela derogue en rien de vostre reputation. Pour le moins, ie vous prye dexperimenter quelque temps, que le silence profitera. Quant a moy, ien laisse couler beaucoup, pource que ce ne seroit iammais faict de my amuser. Si Dieu luy faict quelque iour la grace de se recongnoistre, il aura matiere de sen humilier tant plus. Aultrement si seront tousiours charbons de feu sur sa teste. Et ny a meilleur moien dassopir les scandales quil sefforcera de faire, quen mesprisant sa temerite et son impudence. Il me fait bien mal de le voir ainsi desborde. Mais puis quil ny a aultre remede, il le convient recommander a Dieu, le pryant quil luy plaise le reduire: et ce pendant que ce nous soit un mirouer pour nous faire cheminer en tant plus grant crainte et solicitude. Quant ie le voy ainsi hors des gons, ie tremble tout. Mais quoy? Il falloit que lorgueil et vanite de son esprit fussent punys dune telle confusion, iusque a ce que Dieu luy ait aprins en son eschole de changer.

De voz freres, ie nen touche point pour ce coup. Il ny a eu nulle faulte envers *des Gallars.* Car tout ce que ie vous en ay respondu a este

---

969. 1) *D.* 15. *Nov. Calvinus iterum coram senatu verba fecerat vehementer questus quod quaecunque antea dixerat Negelino relata fuerint, ita ut Bernensium animi contra ipsos ministros accenderentur* (*Galiffe l. l. p.* 35. 43).
2) *Tremellio Italo olim Iudaeo.*

970. 1) *Sur Utenhove voyez N.* 736. *Le frère de M. de Falais dont il est question ici s'appelait Pierre et était protonotaire apostolique.*
2) *N.* 918, *not.* 1.

3) *Elle fut imprimée en mars* 1548.
4) *Il paraît que celui-ci devait lui procurer une place. Ils étaient en relation depuis longtemps* (*N.* 736).

sans luy en rien communicquer.[5]) Ainsi il nest ia besoing daulcune excuse en ceste endroict. Ie suis ioieulx que *Nicolas*[6]) vous vient a gre. Iespere quil continuera par la grace de Dieu.

De ne bouger de la,[7]) cest chose conclue iusque au prins temps, sil ne survenoit contrainte violente. De quoy ie prye Dieu quil vous garde par sa bonte et espere quil le fera. Ainsi ie me delibere a ce mois de Ianvier, quicter le louage de la maison,[8]) pource quil fault prevenir six sepmaines devant la fin de lan. Car, iauroye honte quapres lavoir tenue si long temps, ayant maison vous fussiez a loyer, attendu quelle nest nullement propre a vostre usaige, sinon estant raccoustree. Ce que vous nobtiendriez pas de gens sans raison. De vous donner conseil, comme vous le desirez, de ce quil sera de faire, si Dieu nous visite dun coste ou daultre, ie ne scay quen dire. Ie me tiens icy asseure, premierement que Dieu nous a en sa garde: puis apres, sil luy plaist que nous endurions, que ie seray bien heureux en mourant en luy. Et de faict, encor que tout fust bien paisible, si ne nous fault il rien promectre de certain en ce monde, si nous ny voulons estre abusez. Mais le temps present nous admoneste plus que iammais, de nous preparer a recevoir ce que Dieu nous envoyra. Quelque chose que ien concoive, ie ne laisse pas, quant a mon peril particulier, den dormir a mon ayse. Si ne suys ie pas tant stupide, que ie ne prevoye ce qui pourroit advenir. Mais en suivant le chemin auquel il commande que ie marche, iapprens de reiecter sur luy beaucoup de mes solicitudes, si ie ne puis le tout.

Entre cy et trois mois vous verrez ce que Dieu vouldra faire, et lors suivant vostre disposition vous prendrez conseil. Sil ne tenoit quau verius, vous trouveriez icy vostre cas bien appreste. Mais quelque part ou vous soiez, Dieu ne vous laissera en rien desproveu.

Sur quoy, Monsieur, apres mestre humblement recommande a vostre bonne grace, ie prieray nostre bon Dieu de vous tenir en sa saincte protection, vous conduisant tousiours par son sainct esprit et vous faisant servir a sa gloire, avec Madamoiselle a laquelle aussi ie prye estre recommande. Ma femme pareillement vous presente a tous deux ses humbles recommandations. De Genesve, ce 28 de novembre 1547.

Vostre serviteur et humble frere,

Iehan Calvin.

Nous desirons destre recommandez affectueusement a toute la bonne compaignie.

5) *Ceci ne s'explique pas par les lettres qui ont été conservées.*

6) Nicolas de la Fontaine, secrétaire de Falais. Il passa plus tard au service de Calvin, et joua un rôle dans le procès de Servet (*Bonnet*).

7) *de Bâle pour aller s'établir à Genève. En parlant de contrainte violente, il a en vue l'éventualité d'une démonstration guerrière de l'empereur.*

8) *Qui avait été louée de Perrin pour M. de Falais.*

971.

BUDAEUS[1]) DRYANDRO.

De testamento et libris Diazii.

(Ex autographo Archiv. Thoman. Argent.)

S. Intellexi ex literis quas nuper ad D. *Calvinum* dedisti te graviter conqueri quod ea quae tibi Io. *Diazii* testamento legata erant non acceperis: tibi vero a *Paterniano* dictum esse, duas partes librorum *Diazii* Genevam esse missas quarum altera ad te, altera ad fratrem tuum pertinebat. Quae quum mihi notam fortasse aliquam apud te aliosque pios viros inurere possent, meum esse existimavi, te de re tota, quantum mihi quidem accipere licuit, commonefacere. Quum sanctus ille vir nefando parricidio nobis abreptus fuisset, *Senarcleus*, qui ipsi aderat, cum tristissimo nuncio simul exemplar testamenti misit, quod *Diazius* paulo ante condiderat. Id quidem praepropere se transscripsisse significabat, quod magistratus Neoburgensis αὐτόγραφον praebere nollet, et ad persequendos parricidas properaret. Sibi tamen aliud exemplar esse promissum, quod subsignandum erat notarii manu, ut vim authentici habere posset. Subsequuta est deinde infelix et misera illa clades, ut melius nosti. Itaque nullum aliud exemplar nacti sumus. Quid eo contineretur melius ex ipso intelliges. Nam recepit se omnia fideliter perscripturum. Ego, vero, simul atque exemplar illud accepi, oblato statim tabellario una cum literis *Senarclei* Lutetiam misi ad F. *Balduinum* virum pium mihique carissimum. Qui quum vidisset me cum *Senarcleo* institutum esse haeredem, *Paternianum* convenit a quo, me nescio nec petente, sed amici officio fun-

971. 1) *Manu Baumii adscriptum est margini:* Mihi videtur esse manus Ioannis Budaei Veracii domini. *Car. Schmidtius vero annotavit:* Forte manus Matthaei Budaei qui cum Diazio Genevam profectus est. (V. Histoire des Martyrs f. 178 b.) *Verum hic, ipso hoc anno mortuus fuisse videtur. Cf. quae adnotamus ad N.* 985.

gens, recepit Chrysostomum, Ambrosium, Aquinatem, cum aliis paucis quos ad me misit. Cur *Paternianus* dicat, se duas partes librorum misisse, non satis intelligo. Quali enim bibliotheca instructus fuerit *Diazius* probe scio. Est etiamnum apud me catalogus eorum librorum *Paterniani* manu scriptus: quo constat pulchram a *Diazio* supellectilem Lutetiae relictam esse. Unde vero acceperit quod de testamento *Diazii* scribis, valde miror. Vix enim plura intelligere potuit quam nos ipsi. Nec, ut arbitror, aliud accepit quam quod literis *Senarclei* et ἀπογράφῳ, quae ex me ipsi data sunt, significabatur. Equidem ea tibi exhiberi vehementer cuperem, ut rem omnem a principio intelligeres. Memini in eo testamento perofficiosam tui mentionem factam a *Diazio*, tibique legatas esse annotationes theologicas, quibus omnes libros suos longe posthabebat. Libros vero legatos non memini. Eas annotationes *Senarcleus* ait a se relictas Argentinae, quum iamiam eo in loco tibi ipsas obtulisset. Nunquam enim eas attigi ex quo a *Diazio* discessi e Lutetia. Nec certe alii libri, praeter eos quorum iam memini, ad me perlati sunt. Quidquid autem apud me Argentinam proficiscens reliquerat statim misi. Scio alias sarcinas e Lugduno Argentinam ad ipsum vectas esse, quum adhuc illic ageret. Sed eas nunquam vidi. Mercator, quicum familiaris erat, *Henricus* nomine, eas curavit. Caeterum fratris etiam tui in eo testamento meminit *Diazius*. Nam quum alterum Hispanum, a quo spes esset religionem in Hispania promoveri posse, cum *Paterniano* ali uno anno Argentinae statueret, simul fratris tui potissimum rationem haberi cupiebat. Sed praestat te omnia ex ipso *Senarcleo* intelligere. Ac mihi quidem longe gratissimum fuerit si e Neoburgo αὐτόγραφον vel exemplar aliquod subsignatum nancisci possis. Nec vero dubito quin nunc pacatiore rerum statu facile recuperetur. Et tu, qui ab illa urbe propius abes quam nos ipsi, et cui certiorum hominum potestas est, melius id omnino praestare potes. Ut ergo id cures, maiorem in modum a te peto. Nam pro iure amicitiae, quae mihi ante quatuordecim annos cum *Diazio* coniunctissima fuit, de ea re sollicitus esse debeo. Accedit institutio haeredis qua magis etiam devincior. Saepe mecum ipse cogitavi, qua via testamentum illud recuperarem, nec ulla se mihi offerebat. Eam si tu nunc mihi patefacias, magno me tibi vinculo adstringes. — — — — — — Quum ante duos menses essem Lutetiae *Paternianum* quaerebam, ut de his omnibus cum ipso agerem. Nunc a me inventum non esse minime miror. Gaudeo vero ipsum istic tecum esse, ubi multum proficere et pia studia commode promovere possit, ut pio *Diazii* nostri voto vere respondeat. Ego vos una salvos esse, multosque Hispanos vestro exemplo ad Christum adduci peropto. Dominus piorum omnium vota et preces exaudiat, ut apud omnes nationes regnum ipsius quam latissime propagetur. Bene vale. Genevae pridie Cal. Decemb. 1547. [2])

972.

FAGIUS FALESIO.

Hortatur ut cum Pollano in gratiam redeat.

(Initium tantum descripsit Simlerus Vol. 65 ex autographo Cod. Ulstetteri Argentoratensis, quem nondum contuleramus quum incendio illo nunquam satis lugendo perierit, fol. 197.)

Ad Iacobum a Burgundia Falesiae dominum.

Servet te Christus unica salus nostra. Clarissime vir, quum semper Dominationis tuae singularem benevolentiam erga me animadverterim, ideo audacior nunc fui hasce ad te perscribere literas. Audio non sine magno animi dolore, acerrimum dissidium inter T. D. et D. *Valerandum* exortum esse, quod certe multis bonis viris multum dolet. Quum vero servator noster diligenter admodum suos hortetur ad veram caritatem et ad condonationem offensae, si qua intercessit, ut redeamus in gratiam, si modo Deum patrem nobis propitium habere volumus: idcirco supplex moneo et rogo T. D. sustinere velit ut hoc dissidium qualecunque per bonos et pios viros componi possit. Videtur enim mihi *Valerandus* alias vir non malus esse, de quo etiam audio quod tibi in rebus tuis non infeliciter servierit, et certe cum magno periculo vitae suae. Si ergo tam multa Christo donasti, dones quoque hoc illi, si quid forte ab eo in te peccatum est. Offert ille se ad omnem aequitatem *etc.* [1])

973.

CALVIN A M. DE FALAIS.

Détails oubliés ou négligés dans la lettre précédente.

---

2) *Subscriptio abscissa.*

972. 1) *Quum Falesius d. 8. Decemb. responderit hanc ad finem m. Novembris vel initium Decembris pertinere patet. Caeterum nescimus utrum ab ipso Pollano rogatus an proprio motu de conciliatione ineunda cum Fallesio egerit, neque quo pacto ille rebus huius olim servierit.*

(Orig. autographe. Bibl. de Genev. Vol. 194, fol. 73. Éd. d'Amst. p. 159. Éd. Bonnet I. 237.)

A Monseigneur Monsieur de Fallez
a Basle.

Monseigneur, il mest soubvenu quen mes dernieres lettres, ie ne vous avoye rien touche du brodeur. Ie navoye garde de vous escrire par luy. Car il sen est alle sans men sonner mot, ayant este mesme adverty par moy que vous maviez contremande quil ne bougeat. Et pource quil estoit destitue, ie luy avoye advance par pitie quelque piece pour se mectre en besongue. Sur cela il sest retire par devers vous, contre mon conseil, et sans men rien dire. Si ie neusse sceu par voz lettres quil estoit la, ie leusse pense bien loing dun aultre coste.

Ie ne vous ay aussi rien respondu sur larticle des trois persones. Vous scavez quen ce cas la presence faict beaucoup, pour donner entree aux propos et conduire les affaires iusque a leur effect. Maintenant lincommodite est grande pour la distance des lieux. Toutefois il fauldra voir des moiens paisiblement, telz que le temps les offrira.

Iavoye aussi bien oublie vous mander, quil ny a rien de conclud entre le Roy et Berne pour la defence de ces pays.[1]) Vous pouvez mieulx scavoir par dela, en quelle disposition sont toutes les ligues. Ie croy quil leur seroit temps de se ioindre ou iammais. Cest pitie quilz nont aultre soing de leur porte, assavoir Constance.[2]) Ainsi il est bien a craindre quilz ne deviennent saiges apres coup, ou plus tost apres les coups, quant ils les auront receuz.

Ieusse volontiers escrit tant a vostre frere qua *Utenhove*. Mais ie ne scay comment cela sest faict que ie nay peu arracher de mon esprit deduction qui me vint a gre. Iavoye bien commence, voire a tous deux. Mais iay este en la fin contrainct de placquer la tout. Aussi iestoye en doubte lequel seroit meilleur descrire en latin ou en francois a Monsieur le Protonotaire. Si dadventure[3]) vous trouvez bon quil se face, mandez le moy par le premier, et ie me feray force, quoy quil en soit.

Monsieur, apres mestre humblement recommande a vostre bonne grace, et de Madamoiselle, vous avoir aussi presente a tous deux les recommendations de ma femme, ie prieray nostre bon Dieu de vous avoir en sa saincte garde, se servant de vous tousiours a sa gloire, vous consolant en toutes fascheries, et vous fortifiant de plus en plus. De Genefve, ce 6 de decembre 1547.[4])

Vostre serviteur et humble frere,
Iehan Calvin.

Ie desire bien estre recommande a toute la bonne compaignie.

---

973. 1) Menacés par les forces de Charles-Quint victorieux en Allemagne, les cantons confédérés négociaient une alliance avec le roi de France Henri II. Mais les ligues étaient affaiblies par les rivalités des cantons catholiques et protestants (*Bonnet*).
2) *N.* 946.
3) d'advertance *Bt. Amst.*
4) Receu le 24. decembre 1547 (*note de M. de F.*).

974.

FALESIUS FAGIO.

Cum Pollano in gratiam redire non abnuit, modo id iustis fiat conditionibus.

(De hac habeas quae supra diximus ad N. 972. Codex Ulstetteri exhibebat eam fol. 199.)

Eruditissimo viro D. doctori Paulo Fagio verbi Dei ministro fidelissimo
Argentinae.

S. D. Petis a me ut velim conciliari cum *Valerando*. Ego non abhorreo a christiana conciliatione, sicut debeo eam omnibus christianis hominibus praestare. Id quod faciam eo libentius quo magis sum periculo mortis proximus,[1]) et brevi sum in iudicio Dei rationem de rebus omnibus redditurus. Huc accedit autoritas tua quam ego magni facio, et pia admonitio, quam non possem iusta ratione respuere. Vellem etiam in sancto negotio conciliationis, sicut iure pietatis debeo, de meo iure decedere, ut certa et firma concordia inter me et *Valerandum* possit conciliari. Rationem autem conciliationis declaravi D. *Emanueli*,[2]) quam ego arbitror iustam et aequam esse. Quod si secus ecclesiae[3]) videbitur, iudicium publicae piaeque congregationis meo privato iudicio antepono. Itaque non defugiam aequam conditionem, et tibi privatim me obnoxium esse confiteor, qui me tuis literis de offi-

---

974. 1) *Quum ex plurimis hoc tempore a Calvino ad Fallesium scriptis literis minime appareat hunc gravi morbo laborasse, hoc loco potius de provecta aetate loqui videtur.*
2) *Tremellium ergo tunc Basileae versatum fuisse vero simile est, et fortasse Argentoratum petiisse.*
3) *Gallicae Argentoratensi cuius coetui uterque adscriptus fuerat.*

cio christiano admonuisti. Bene vale, et tibi persuadeas velim, me tibi esse perpetuo amicitiae iure devinctissimum. Basileae 8. Decembris a. 1547.

Totus tuus in Domino
Iacobus a Burgundia.

975.

CALVINUS FARELLO.

Silentium excusat. Geneva intestinis malis premitur ita quidem ut vel de ipsa ecclesiae salute desperet.

(Exstat autogr. Cod. Genev. 106, fol. 203, porro exx. recentiora Cod. 111, fol. 173, Bern. Epp. VII. 854, Turic. Simleri Vol. 65. Anglice versa legitur Tom. II. p. 133.)

Eximio Christi servo Guil. Farello.

S. Quod tam raras a me tibi literas hoc tempore venire non aequo fers animo, nihil miror, et tibi habeo gratiam. Causam enim video quod tibi curae simus. Multa autem quotidie audis quae tibi partim acerbum moerorem afferant, partim incutiant varios timores. Quae sparguntur fere vana sunt, sed nos intestinis malis premimur,[1]) quae adeo non efferuntur,[2]) ut vix in urbe, nisi paucis, nota sint. Belua quae nuper ex cavea custodum fraude emersit,[3]) nihil spirat nisi minas. Eiecto *Macrino*, quod iam in manu sua positum esse confidunt,[4]) sibi nihil non pollicentur. Sic enim statuunt, hoc fore pignus oppressae libertatis. Ea certe est rerum confusio ut diutius retinere posse hanc ecclesiam, saltem mea opera, desperem.[5]) Dominus preces vestras assidue pro nobis audiat. Frater omnia melius narrabit. Vale, frater integerrime. Fratres omnes diligenter saluta. Genevae 14. Decemb. 1547.

Ioannes Calvinus tuus.

---

975. 1) *Quum intestinis malis quae ipsum angunt vanos rumores passim sparsos addat, alludit ad Helvetiorum metum ab Imperatore sibi timentium. Nonis Decemb. Genevenses Hannibalem ante portas esse sibi tantum non persuaserant* (Reg. du Conseil).

2) *Apogr. omnia praebent:* offeruntur.

3) *Perrinus d. 29. Nov. ex senatus sententia e carcere liberatus est* (vu sa longue detention) *quia nihil eorum quibus eum adversarii gravabant comprobari poterat; attamen ad veniam solenni modo petendam adactus fuit. Quod hic de custodum fraude dicit non ita accipiendum quasi clam evaserit, verum ipsis iudicibus labem adspergit.* (*Reg. du Conseil. Galiffe l. l. p.* 52.)

4) *flagitantibus scil. Bernensibus* (*N.* 966).

5) *Adversa pars victrix quidem non fuit hac occasione, sed non magis victa, quod nova et acriora in posterum praesagiebat certamina. Cf. proximam ad Viretum* (*N.* 977).

976.

FARELLUS CALVINO.

Consolatur amicum ex Vetere et Novo Testamento de iis in quibus iam versatur discriminibus. Non si male nunc et olim sic erit.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium. Epp. Farelli fasc. III. N. 27.)

Christi servo admodum pio et quam doctissimo Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Christus, qui praedixit quae hic nos maneant afflictiones et parem nos in se habituros, tibi adsit et tecum omnibus, qui non parum anguntur. Fratres paene omnes in summo agunt discrimine, quod sane vel audire est valde grave. Sed non reputat pius pater id satis esse ut alienis tangamur malis: singulis propria est gestanda crux, et licet longe supra vires videatur onus, et cum servatore necesse habeamus deprecari poculum a nobis ut transeat, tamen fidelis est ac verax, nec patietur nos tentari supra id quod sua gratia possumus, sed dabit felicem exitum. Tantum fidei clypeum ne abiiciamus, spe non excidamus, quibus te spiritus Christi reddidit quam instructissimum, ut probe teneas non statim finem his futurum, sed initia esse tantum. Verum is qui coepit in nobis opus suum absolvet. Quanta est fiducia eorum qui bona conscientia coram Domino pergunt. Ego sane non prius huc ex te et *Vireto* me recepi,[1]) quin cogitaverim amicos scilicet nostros ea dicturos quae tandem ex *Vireto* audivi. Sane haec est merces magna nobis, quod ex animo pietati studentes et aliud non quaerentes quam Christi nostri gloriam et animarum salutem, ecclesiarum aedificationem, male audiamus: utpote qui malos sectemur affectus, quibus perficiendis studeamus. Utinam nunquam illi, nec nos cum illis, aliud unquam minus salutare cogitaremus, diceremus aut ageremus: quam haberent omnia melius! Ego tantum in illos sum affectus ut vellem mercedem totam in hac parte mihi decidere, modo illis daretur intelligere, si non norunt, quo feramur animo, et gratias agerent Deo super misericordia sua, si tam sancta et pia non potest impiorum improbitas ferre. Mirum sane si possent quae *Viretus* scripsit (licet non plene eos depingat: quis enim id fecerit?) aequis animis ferre. Quam

---

976. 1) *De recenti Farelli itinere (si quidem haec ut sonare videntur accipienda sunt) aliunde non constat, imo praecedens Calvini epistola obstare videtur. Alludit fortasse ad pristinum.*

flagitiose egerunt, qui eiusmodi portenta intruserunt ecclesiis!

Hic rumor est bellum iam parari Helvetiis.[2]) Bibent omnes ex poculo Domini, sed largius aliqui faeces haurient, imo semper bibent impii. Unus *Anglus*, qui omnium videbatur adversantissimus, primas iam tenere videtur, ut fiat quod Christus ait, novissimi primi et primi novissimi sint. Dum alii bellum meditantur, alii calumnias struunt, et contendunt quidam in domo Domini, et profane magis qui in sacro ministerio versantur quam ulli mortalium, tu bellum acre debellato cum Neptuniis[3]) pietatis eversoribus, doce invictam esse veritatem, inexpugnabilem esse Christi pietatem, et quanto magis potes dono et gratia Christi, tanto potentius contorque validissima argumenta, ut sciant omnes Deum pro nobis stare ac pugnare. Faxit Christus ut his tantum armis sit certandum: lanceae et enses in vomeres et falces vertantur, et qui uni Mosi toties tantam donavit turbam, quin et Manassen tam impium exoratus in carcere regno restituit, Christo suo roganti ne tollamur e mundo sed servemur a malo, quum iam nos ei dederit, faxit ut a malo liberemur, et vinctos longe alios quam Manasses restituat suis et quanto plus hostes sese extulerunt et horrendis contumeliis nomen sanctum Domini incesserunt, tanto et amplius deiectiores reddantur et gloriam Deo et verbo dare cogantur.

Quae de *Macrino* et *Perrino* audivimus, ex his potes rescire. Christus in tempore aderit, cui omnia committamus. Gaudendum sane est quum adsit Dominus. Tantum studeamus omnes Christo lucrifacere. Quam vellem te huc usque spatiari, et has tua visitatione confirmari ecclesias. Nam quid ad nos de impiorum suspicionibus et iudiciis, quum Dominus nos approbet, et in nobis efficiat quod agimus. Satis est si ecclesiae fructum percipiant. *Tussanus* non satis fecit officium quod nos non inviserit, si ei licuerit.[4]) Vale bene bonique consule quidquid bonus dispensat pater noster quam amantissimus. Adiuva nos, et tecum pii, sanctis ad Deum precibus. Iube omnes salvere, et tuam coniugem, fratrem cum soceri familia, sanctos collegas omnes. Meus te salutat. Neocomi 16. Decembris 1547.

Farellus tuus totus.

2) *N.* 975, *not.* 1.
3) *Antidoton contra Acta concilii Tridentini his ipsis diebus prodiit* (*Opp. T.* VII. *Prolegg. p. xxxv.*).
4) *mense Octobre Genevae adfuerat.*

977.

CALVINUS VIRETO.

Narrat recentem Genevensium tumultum qui paene ad sanguinis effusionem efferbuit.

(Ex autographo Cod. Gen. 106, fol. 204 in quo tamen pars superior chartae casu periit; ita ut iam Ionvillaeus Cod. 196, fol. 85 ex coniectura initium supplere coactus fuerit, tria adscribens verba: *Hostes nostri ita*, quae tamen ne unum quidem versum explerent integrum. Hoc additamentum omiserunt Turretinus Cod. 111, fol. 173 v., librarius Bernensis Epp. VII. p. 855 et Simlerus Vol. 65. — Edidit Beza, sed non integram, Genev. p. 73, Laus. p. 154, Hanov. p. 173, Chouet p. 97, Amst. p. 44. Anglice versa legitur in edit. Edinb. II. 134.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto ecclesiae Lausannensis fido pastori.

[*Hostes nostri*[1]) *ita*] sunt excaecati, ut nullum honesti respectum habeant. Hesternus dies[2]) suspicionem a nobis prius conceptam non parum comprobavit, eos certare tanta impudentia ut tumultum aliquem moverent. Vocati fuerant Ducenti. Collegis meis pridie condixeram me in curiam venturum. Adfuimus, et quidem ante tempus: quia multi adhuc in publico obambulabant, egressi sumus extra portam curiae contiguam.[3]) Illinc multi clamores et confusi audiebantur. Nec mora: adeo creverunt, ut certum darent seditionis signum. Ego mox accurro: horribilis erat rerum facies. In confertissimas turbas me coniicio. Tametsi omnes fere essent attoniti, ad me tamen omnes facere concursum, huc illuc raptare, ne quid iniuriae paterer. Ego Deum et homines testari, me ideo venisse ut corpus meum gladiis obiicerem. Hortari ut a me inciperent, si vellent sanguinem fundere. Multum ex fervore statim remiserunt, quum improbi, tum vero praecipue boni. Tandem ad locum senatus pertractus sum. Illic novae pugnae, quibus me interposui medium. Putant omnes factum meo interventu fuisse, ne magna et foeda strages ederetur. Collegae mei interea turbae permixti erant. Obtinui ut compositi omnes sederent. Oratione longa et vehementi quam habui pro temporis ratione, dicunt mire fuisse omnes permotos, saltem paucis exceptis: qui tamen non minus laudarunt quam boni,

977. 1) *Vel potius Maigreti Magnifici cuius causa agebatur, et quidem mere politica. Quia tamen is in Perrini causa a Calvini partibus steterat, hic suam rem agi putabat.*
2) *Is fuit dies Veneris* 16. *Dec. Hoc die coram Ducentis lecta est epistola Bernensium querentium quod sibi non obtemperatum fuerit quum Maigreti causam ad plebem referri postulassent* (*N.* 966).
3) *Haec, si quid videmus, non de vestibulo vel aula quadam intra curiam intelligenda, sed de loco publico hodieque la Treille vocato.*

quod a me gestum erat.[4]) Hoc quidem privilegio me hactenus et collegas Deus munit, ut minimam laesionem nostri non aliter se detestari fingant, etiam qui sunt sceleratissimi, quam parricidium. Eo tamen prorupit improbitas, ut retineri qualemcunque ecclesiae statum diutius posse, meo praesertim ministerio, vix sperem. Fractus sum, crede mihi, nisi manum Deus porrigat. De filia[5]) nostri vicini nihil certi habeo quod respondeam, quia semel expertus, patrem in hac re esse valde difficilem, nullam spem facere audeo. Nihil tamen magis expediret, meo iudicio, quam ipsum hominem huc venire. Pater enim id primo verbo flagitabit. Quanquam, si ita iubes, eo quoque absente omnia tentabimus. Fratrem *Plessiaci* nondum alloquutus sum. De eorum simultate alias plura. Vale, frater et amice integerrime. Saluta symmystam et omnes fratres. Ego et uxor mea plurimam salutem tuae[6]) optamus. Dominus vobis adsit perpetuo. Amen. 17. Decemb. 1547.[7])

4) *De hoc tumultu apud scriptores rerum Genevensium et Calvini varia ex parte erronea leguntur. Gaberelli relatio minus luculenta neque epistolae huic omnino congruens. Bungenerius p.* 320 *fontes ne inspexit quidem. Henry II.* 434, *epistolam falso ad m. Septembrem refert et praeterea summa tantum sequitur fastigia rerum, ita ut verum rerum tenorem lector assequi nequeat. Galiffius ipse, quem haec epistola fugisse videtur, de ipso tumultu, an revera extiterit, dubitat, quia nempe Senatus commentarii de eo tacent, vel potius paucis rem comprehendunt:* Le gros tumulte qui s'est dresse dans la grande salle que les Sindiques ont este contrainctz dy aller et M. Calvin aussy pour mettre laffaire en paix et que les srs. predicans ont faict de belles admonitions (*l. l. p.* 55). *Idem Petrum Bonnam notat tumultuantium antesignanum, et unum syndicorum Hudriotum du Molard a Gallo quodam Nic. Druet Calvini cliente colapho graviter laesum narrat. Exstat praeterea alia quaedam narratio in Archivis pastorum* (*Vénérable Compagnie*) *A. p.* 36 *quam adhuc ineditam h. l. adscribere libet:* Ce dit jour (16) nous sortimes de congregation plus tost que de coustume. Quod non sine magno Dei beneficio factum est. Nam quum ad domum publicam accessimus, ubi iam Ducenti aggregati erant, variae illic contentiones exortae et sic inflammati erant omnium animi ut non procul abessent a seditione, et certe atrocissima caedes esset sequuta nisi Dominus providisset. Audito gravi murmure et strepitu properat Calvinus et prior in mediam turbam valde profecto turbulentam irruit quem sequuti et alii. Adeo commoti et pallidi erant fere illi omnes ut nullam certam vocem ab ullo audire potuissent. Paulatim tandem sedata sunt omnia et Ducenti aggregati sunt. Ad eos ingressi iisdem exhortationibus usi sumus quibus antea (*Idibus*) coram senatu, et hac ipsa occasione seditionis multo vehementius omnia tractata sunt a Calvino. *Haec Nostri stilum minime redolent, sed collegae cuidam tribuenda sunt. Cf. etiam Grenus, fragments.*

5) *Haec usque ad verba:* alias plura *absunt ab edd.*

6) tibi *edd.*

7) *Codices* 17. *Decembris exhibent, de quo die minime dubitandum. Editio anglica non* (*mero vitio typographico*) 14 *praebet. Verum editiones latinae omnes* 17. *Septembris nescio quo casu vel errore adscribunt, quas sequutus est Ruchat* V. 322.

978.

FARELLUS CALVINO.

Iterum concionabundus eum adit et hoc pacto consolatur ut potius contra adversarios magis etiam exacerbare voluisse dixeris. Laudibus extollit libellum contra Tridentinos.

(Ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium. Epp. Farelli fascic. III. N. 28.)

Eximio Domini Iesu Christi servo Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis summa tum pietate tum eruditione ornatissimo fratri et symmystae quam carissimo

Genevae.

S. D. Iesus tibi et collegis adsit, et quanto ministerium nostrum illustrius est ac clarius Mosis ministerio tanto magis hoc exsequamur fide et caritate. Lex uni genti, evangelium omnibus qui in orbe sunt est praedicandum. Etsi canes sancto non sunt donandi, nec porcos decent margaritae, tamen qua id ratione fugiatur videre est non in apostolis modo, sed et in Mose et prophetis. Palam est quid Moses irato respondeat Deo: quum diceret se constituturum eum in gentem magnam, quid non agit ut veniam impetret? Annon petit se ex libro deleri? Tarsensis non modo vivere non vult si non stent ii quos Domino acquisivit, sed pro deploratis, et quos infensissimos hostes perpetuo supra omnes sensit, Iudaeis anathema a Christo fieri optat. Scio horrendissimum istic grassari, ut nostra tempora sentinam omnium quae unquam fuerunt malorum habent refertissimam. Verum ita sunt admixti filii Dei, ut tolli prorsus impii non possint sine piorum iactura. Latrones ita nobis miserum Samaritanum vulnerarunt, ut mortuus magis sit quam vivens: prorsus est deploratus. Ita pure vulnera et vibices oplentur,[1]) ut nisi depurentur iamiam actum est. Rumpi oportet et vino ablui, sed nusquam cesset oleum. Non quid meritus sit peccator, sed quid Christus egerit pro eo, nobis perpetuo inspiciendum est. Haec ideo, mi frater omnium quam carissime, non quod de tua fide, caritate, prudentia, constantia, iudicio, et omnibus quae in te suspicio, dubitem, sed quia mire attonitus fui iis quae mihi meus frater nuper istinc rediens narravit.[2]) Sed gravem

978. 1) *sic.*

2) *Gaucherium nuper Genevae fuisse testatur etiam Bonivard, nouv. police de G. p.* 86 *qui refert eum a senatu auditum fuisse in causa Perrini, ubi declaravit:* havoir ouy de la bouche de M. de Beaurigaud. ambassadeur pour le Roy aux Ligues, que de ces chevaux-legers (*quos dicebant Perrinum Genevam introducere voluisse*) nestoit rien, car Perrin nhavoit rien faict sans le luy communiquer et ne luy havoit iamais communique cela.

hunc animi moerorem non mediocriter levavit tuum divinum opus in Tridentinos, cuius lectionem vix potui differre in crastinum intempestivae noctis qua mihi reddebatur: sed ubi coepi legere, finem non feci quin totum perlegerim, et plura legissem eo ipso die si longior fuisses. Quoties oculos in coelum levavi, gratias agens Deo super donis tuis! Faxit Dominus ut gratus danti libere, quod facis, omnia impendas in ecclesiae aedificationem, omnia Deo ferens accepta. Mirum te potuisse tam exsecranda monstra tam paucis, ubi quam maximis et dirissimis vocibus sunt proscindenda, attigisse. Sed recte abs te factum est, ut magis res tam improbos arguat porcos esse ac belluas, imo vero diabolos, et supra omnes qui unquam fuerunt perditissimos antichristos, qui in tanta luce Deum subsannant et homines pios rident. Et sane hoc videtur expedire. Urgenda sunt valde et aperienda errata, et minimum in personis immorandum, ne, quod plerisque accidit, plus personas quam causam curare videamur. Dominus te servet, donaque tua adaugeat, faxitque ut quam diutissime et quam felicissime Christo et ecclesiae servias, et infractus pergas, et quum Christum habeas ducem neque Satanam neque impios quidquam moreris. Vale cum collegis tuis et piis omnibus. Adiuvate nos precibus vestris. Collega te salutat. Iube salvam esse tuam coniugem. Neocomi 21. Decembris 1547.

Farellus tuus totus.

979.

CALVIN A M. DE FALAIS.

L'impression du texte français est achevée. Affaires de Poullain et de Pérucel.

(Orig. autographe. Bibl. de Genève. Vol. 194, fol. 71. Éd. d'Amst. p. 155. Éd. Bonnet I. 230.)

A Monseigneur Monsieur de Fallaix
a Basle.

Monseigneur, a ce que ie voy par voz dernieres lettres que iay receu par les ieusnes compaignons de Hennault, [1]) vous attendiez plus amples nouvelles de moy, que ne les avez receues par sire Nicolas *Lefer*, [2]) qui sest trouve mieulx a propos que le dict *Jacques*, pource quil devoit estre plustost la. Touchant descrire tant a Monsieur le protonotaire que a Monsieur *Utenhove*, vous scavez les excuses que ie vous en ay faict, lesquelles sont vrayes. Quant vous maurez mande lequel sera meilleur au premier, en latin ou en francois, iadviseray si ie feray mieulx que ie nay faict quant iy vouluz essayer. Du second, ie pense que Dieu mempescha pour lors.

Ie suis tousiours dadvis que vous laissez *Valerand* pour tel quil est. Neantmoins quon nayt pas occasion de dire, que vous lempeschez de servir a Dieu. Sil offre moien ou on le puisse supporter sans blesser ce qui doit estre maintenu en son entier, que vous luy concediez ce qui sera possible. Voila le tout.

Il me fait mal du deportement de *Perucelli*. [3]) Dieu veille quil apprengne de cheminer rondement et quil commence de le monstrer. Comme ie vous ay escrit par cy devant, il ny a pas chose pour faire bruict, quant luy de son coste deviendra plus saige. Mais si fault il quun homme qui veult estre repute ministre de la verite, ayt en horreur tous mensonges. Iespere bien que Dieu linstruira, pour laisser beaucoup de mignardises. Aussi, de vostre coste, ie vous prye de tascher a le retenir, de paour quil ne se desbauche. Car Dieu le pourra rabboter, pour lapproprier a son service.

Pource que vostre apologie devoit estre achepvee, comme elle est, voyant le present porteur vuide pource quil avoit perdu par grant simplesse son argent, lequel le devoit fournir de livres, et quil vouloit partir il y a cincq iours, ie lay retenu pour se charger de la pluspart des exemplaires. Car ie voy, quand on les mect en mains des voituriers, quau bout de trois mois, ilz ne sont pas arrivez. Craignant que cela nadvinst et presumant bien quel est vostre desir, ie vous en envoye par luy quattre centz. Du reste, nous en adviserons. Car mesmes il est expedient quil en sorte de la main de *Wendelin*, [4]) affin de prevenir les calumnies. Ie nay faict nul marche du port, pource quil sest remis a vous, alleguant les biens que vous luy aviez faict de gratuite, pour argument quil se tenoit bien plus que certain de vostre equite, quant il vous auroit faict service. Ie scay que le meilleur seroit davoir marchande. Mais pource que ie ne my entens gueres, et congnoissant lhomme ainsi simple, voire quil y a pitie, ien ay faict moins de difficulte. Du compte, ie vous en manderay, quant ien auray faict. Vous trouverez que iay suivy voz memoires en tout et par tout, voire plustost que mon iugement. Du latin, il demeure en re-

---

979. 1) *Nous supposons qu'il s'agit du pays de Hainaut et non pas d'un nom de famille.*

2) *N.* 944, *note* 5. *Même observation sur le nom* (*Loser*).

3) *N.* 924.

4) *qui devait en avoir le débit, pour qu'on ne soupçonnât pas l'origine genevoise du livre.*

quoy, iusque a ce que vous en aiez aultrement advise.

Nous avons eu depuis quelques iours assez de fascheries.[5]) Pour le moins, si cestoit a souhaitter, ien vouldrois bien moins. Mais nostre consolation et ioye est tant en la bonne conscience que nous avons de servir a Dieu fidelement, quen lespoir quil donnera bonne issue a tout. Il nous fault experimenter que nostre vie en ce monde est une bataille. Car quelque chose que Dieu nous en monstre, encor y en a il bien peu qui se puissent tenir dy chercher leur repos.

Monsieur, apres mestre humblement recommande a vostre bonne grace et de Madamoiselle, sans oublier la bonne compaignie, ie supplieray nostre bon Dieu de vous avoir en sa saincte garde, vous assister de plus en plus et vous fortifier par son esprit, pour resister a tous assaulz. Ce 23. de Novembre 1547.[6])

Vostre serviteur et humble frere,

Charles Despeville.

980.

CALVINUS VIRETO.

Sonerio rei familiaris inopia laboranti frustra qui mutuum dare vellet quaesivit. Genevae semper idem status rerum.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 205. Coll. c. Cod. 111ª, fol. 15; Cod. 111, fol. 174; Bern. Epp. VII. p. 857 et Simler Vol. 65.)

Eximio Christi servo D. Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori amico et fratri carissimo Lausannae.

S. *Sonerii* nostri me quoque valde miseret.[1]) Atque utinam se ostenderet aliqua opis ferendae ratio. Tentavi omnia: nihil successit. Mutuo qui dare velit pecuniam nemo invenitur. Et sane vides tempora. Ex meis familiaribus nemo etiam hodie est qui praesentem pecuniam habeat, quam velit in possessione collocare. *Montanum*[2]) nominare ausus non sum. Nihil tamen nocebit experiri, an cum eo confici aliquid queat. Cum *Gaucherio Farello*, quum nuper hac transiret etiam loquutus eram. Sed animum, nisi fallor, huc vix adiiciet. Si nihil istic se offerat, superest ut Bernam concedat potius quam perpetuo se conficiat.

Res nostrae nihilo habent melius. Non desino urgere. Sed parum, aut fere nihil, promoveo. Nunc redeo ex senatu.[3]) Multa dixi, sed canitur surdis fabula. Dominus illis mentem restituat. *Farello* non scribo. Tu illum certiorem omnium reddas. Vale, frater et amice carissime. Saluta fratres omnes et amicos. Uxori tuae plurimam salutem. Mea illi socia est in lentis morbis. Vereor ne quid praeter votum. Sed satis nos angunt mala praesentia. Dominus se propitium nobis ostendat. *Plessiaco* excusabis quod nunc a me nihil recipit literarum. Brevi scribam. 23. Decemb. 1547.

Ioannes Calvinus tuus.

981.

CALVINUS VIRETO.

Suadet ut Genevam veniat, ut scilicet aliquem habeat in cuius sinum aerumnas suas effundat, et hominum et adeo vitae pertaesus.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 206. Apographa exstant Cod. 111ª, fol. 15; Cod. 111, fol. 174 v.; Bern. Epp. VII. p. 858. Simler. Vol. 65. — Angl. T. II. 137.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et amico carissimo.

S. Inter maximos aestus nostrarum tempestatum non debui tamen hactenus te rogare ut venires, quia sciebam te quoque istic necessariis occu-

---

5) *Voyez les lettres précédentes sur l'affaire de Maigret et de Perrin.*

6) *Au dos:* Receue le 10. Ianvier 1548. *La date du 23. Novembre provient évidemment d'une inadvertance de l'auteur. Il faut lire:* Décembre. *Voici nos raisons: Dans celle du 28. Nov. l'impression n'est pas encore terminée et même interrompue et ici l'on en expédie 400 exemplaires. La lettre du 6. déc. arrive à Bâle le 24, et la présente seulement le 10. Janvier. Elle parle d'excuses faites à l'égard d'Utenhove et du protonotaire, et ces excuses se lisent effectivement dans la lettre du 6.*

980. 1) *Facile conieceris eum his angustiis pressum commutationem quaesivisse de qua N.* 905 *et* 907.

2) *An Claudium Dumont ex Comitatu superioris Burgundiae oriundum, Genevae advenam et a.* 1557 *in cives receptum?*

3) *Iam postridie eius diei quo tumultum illum exortum diximus senatus nonnullos commisit qui Calvino praeside de conciliatione partium tractarent, et maxime Perrini animum mulcerent, qui se ad talia paratum declaravit* (*Reg. du Conseil* 22. *Dec. Galiffe p.* 57 *ss. Grenus l. l.*). *Cf. N.* 983.

pationibus teneri. Et obstabat altera ratio, ne quis ad arctos[1]) adventus tui flatus mox perveniret. Nunc quia plus habes laxamenti, ut spero, operae pretium faceres, si primo quoque die te accingeres ad profectionem.[2]) Ego quid tandem facturus sim nondum constitui, nisi quod amplius ferre nequeo huius gentis mores, etiam si meos ferat. Et tamen non intelligo cur meam asperitatem accusent.[3]) Quanquam non adeo moleste ferrem, vel nulla causa me illis displicere, nisi eorum malis, ut par est, afficerer. Quantulum enim vitae restat, ut de me sollicitus esse debeam? Sed ineptus sum qui haec tecum literis tracto, quum mox confidam adfuturum. Vale, frater et amice carissime. Dominus Iesus [*te*] una cum uxore totaque familia tueatur. Salutabis meo et fratrum nomine symmystas tuos. Genevae 26. Decemb. 1547.[4])

Ioannes Calvinus tuus.

982.

VIRETUS CALVINO.

Et hic praesentem rerum statum deflens amicum consolatur et firmat.

(Ex autographo Cod. Genev. 111ᵃ, fol. 164.)

Clarissimo viro Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Quo magis de vestrae ecclesiae[1]) statu sum sollicitus, eo maiore teneor desiderio tuarum literarum,[2]) quibus de eo certior fiam: quia variis quotidie discruciamur rumoribus, quibus quamvis non facile assentiamur, non possumus tamen illis non moveri, donec certius abs te aliquid acceperimus. Qua in re illud poetae vere experior: *Quando ego non timui graviora pericula veris? Res est solliciti plena timoris amor.*[3]) Te igitur quaeso ut, quoties licebit per occupationes, uno nos verbo admoneas de vestro statu. Interea si quid putes meam vobis operam conferre posse, id ne me celaveris nec mihi peperceris. Scio quam sit invidiosum negotium quod vos turbat, quamque mihi sit invidiam conflaturum. Sed si plus ex illa in me invidia ecclesiae utilitati accessurum quam decessurum speras, ecclesiae potius quam mei rationem habeto. Tu vero, quidquid acciderit, persiste firmus et constans in tua statione. Nam qui tibi hactenus mirabiliter affuit, non deerit deinceps, quod tu quotidiano experimento comprobas. Vides enim quid per te Dominus efficiat, et quibus testimoniis et facinoribus tuum ornet ministerium, et eius autoritatem augeat et confirmet. Vide interea ut moderato animo feras mores et ingratitudinem eorum qui tuo obstrepunt ministerio, et affectum induas eorum quos nobis velut exemplaria in consimili causa proponit scriptura. Nos memores esse oportet lacrymarum quas Christus, Moses, Paulus et reliqui servi Dei fuderunt etiam pro improbissimis et ingratissimis et infensissimis hostibus. Eos studeamus, quoad eius fieri poterit, lenitate et modestia compescere, et ita increpationes temperare, ut nos magis paterno quam hostili animo succensere et irasci intelligant, saltem qui animo sunt simpliciore et sanctiore. Nam difficillimum est in huiusmodi turbis effugere nobis odii et vindictae suspicionem, quamlibet sinceris animis omnia dicamus et faciamus. Praeterea nobis serio cavendum est ne rerum indignitas interdum nos nimium abripiat, et ne vulnera durius contrectando violentius exulceremus. Non haec scribo quod de tua dubitem prudentia et animi moderatione, sed quia haec in me sum saepe expertus, didicique ipso experimento, quantum habeant momenti familiaria colloquia, et seorsum et saepe et familiariter compellare, obsecrare et obtestari quos cupimus in frugem meliorem revocatos. Paulus animi sui humilitatem et cum lacrymis monita apud Ephesios presbyteros non abs re commemorat. Haec sunt arma nostra lacrymae et preces. His si non domantur hostes, nobis conciliatur Dominus, hostium nostrorum domitor et ultor, apud quem cum Mose nostras querelas nos deponere necesse est: quas haud dubie ipse exaudiet et Choritas cum sociis magno eorum malo cognoscet.

Nunciarunt quidam te cum collegis missionem petiisse a senatu. Quae res non fit mihi verisi-

---

981. 1) *ἄρκτους, ursos i. e. Bernenses. Anglus:* the Arctei.
2) *Voti compos factus est mense Ianuario.*
3) *Adversariorum animi eo acrimoniae venerant ut pro Calvino Cainum dicere nonnulli consueverint* (*Galiffe p.* 56). *Altera ex parte Poupinus, omnium ministrorum violentissimus, Perrini matri coena interdixerat, qua de re in senatu et consistorio acerrimae contestationes exortae sunt* (*ibid. p.* 60).
4) *Ambigere posses de anno quum eo tempore die Nativitatis novum inciperent, ita ut h. l. ad* 1546 *ex nostro computandi more referendam crederes. Verum a.* 1546 *Calvinus ipse ineunte Decembre Lausannae fuerat, et quae de statu reipublicae hic dicit omnino rem conficiunt.*

982. 1) *imo reipublicae; ecclesia calviniana eo tantum pacto periclitabatur quia Calvinus politica partium studia incaute cum religionis commodis permiscebat.*
2) *quas ille hoc ipso die scribebat.*
3) *Ovid. Heroid.* I. 11.

milis, quamvis id audierim a testibus quibus haud temere fides neganda est. Argumenta quae diversum suadent haec sunt: primum quod nullam unquam huius rei mentionem in tuis literis feceris: secundum quod tuum consilium nobis super hac re nullum communicaveris, nec aliis amicis quos habes apud nos, dignum sane mutua fratrum et amicorum consultatione, quum res agatur tanti momenti. Sed nullum est efficacius cura ecclesiae quam scio tibi esse cariorem quam ut eam temere queas deserere. Imo vero si hostes pellere conantur magno omnes consensu, idem esset agendum quod fecit Ambrosius, quum Arianis iuberetur ecclesiam cedere. Si sunt in vestro grege lupi, sunt oves non paucae quarum curam abiicere non possumus. Quid enim miserae oves commeruerunt? Easne luporum faucibus obiiciemus, offensi luporum improbitate? Hoc est lupis gratificari, et oves ad poenas quas lupi commeruerunt poscere. Quo fit ut non possim vel suspicari, id tibi unquam in mentem venisse sine maximo horrore. Macte igitur virtute esto, et is esse perge qui coepisti, ut aliquando possis cum sancto illo Christi organo, cuius vestigiis insistis, gloriari: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; quod superest, reposita est mihi iustitiae corona, quam iustus iudex redditurus est. Audis certamina, audis et coronas, quae nullae essent si nulla essent certamina. Quanto sunt nobis hostes, cum quibus certamus, infeliciores? Certant et illi quidem, idque strenue et pertinaciter, sed in tali certaminis genere unde non sint nisi confusionis et turpitudinis coronam reportaturi. Mirum sane fuisset, si Satanas vobis non invidisset istum ecclesiae profectum, qui a vobis in universum orbem christianum diffunditur. Vobis non esset tam molestus, si non ei essetis tam exitiales. Itaque quo vos magis urget hostis, eo maioribus viribus pugnandum, et in pugna usque ad extremum spiritum persistendum, quum inde certissimo argumento nobis probetur, nostrum opus et valde placere Deo et valde Satanae displicere. Sed quorsum haec et tam multa? Vides ut mihi exciderim, velut ad quem scriberem immemor. Sed spero te facile condonaturum. Salutant te nostri omnes, praesertim uxor, quae tuam quoque mecum salvere iubet, cui et condolemus. Vale. Lausannae 26. Decemb. 1547.[4])

Tuus Petrus Viretus.

---

4) *De anno vide quae annotavimus ad praecedentem.*

983.

CALVINUS FARELLO.

De Antidoto contra Tridentina decreta et statu rerum Genevensium, ubi iam ad conciliationem ventum est, utinam sinceram.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genevae p. 74, Laus. p. 155, Hanov. p. 174, Chouet p. 98, Amst. p. 45. — Anglice legitur in edit. Edinb. II. 138.)

Iam mihi placere incipit meum antidotum,[1]) ex quo tantopere tibi probatur: nam antehac mihi non satisfaciebat. Quanquam tu forte qui labores meos quotidianos nosti, adeoque pugnas quibus non tam exerceor quam conficior, veniam mihi concedis, si quid minus est absolutum. Ego certe ipse miror,[2]) ullam scriptionem lectu dignam posse iam a me prodire. Quod me et collegas meos hortaris ut infracto animo perstemus, mihi vero neque pericula, neque molestiae animum minuunt: sed quia in rebus tam confusis interdum consilio destituor, missionem a Deo mihi dari cupio. Stultum votum, inquies. Fateor: sed quid Moses tam insigne patientiae exemplar? nonne impositum humeris suis conqueritur nimis grave onus? Atque his quidem cogitationibus sollicitor duntaxat, non tamen acquiesco. Nostris hominibus iniecimus aliquem metum: et tamen nihildum correctionis apparet. Tanta est impudentia, ut nostros omnes clamores patulis auribus et surdis absorbeant: denique multorum incurabiles sunt morbi. Tentavimus enim hactenus fere omnia, nullo profectu. Ultimus actus restat, cui te vellem interesse. Quam tragicum tumultum Deus composuerit, arbitror te ex meis ad *Viretum* literis intellexisse: ita enim mandaveram. Ducenti iusserunt ut nos et alii decem pacificatores dissidia omnia tolleremus.[3]) Volui a me ipso fieri initium. Negabat hesternus noster Caesar sibi quidquam esse

---

983. 1) *contra Tridentinos.*
2) *et tu mireris.*
3) *Cf. N.* 980. *Pacificatores designati fuerant quatuor Syndici, Locumtenens, senatores St. de Chapeaurouge, Jac. des Arts, Curtet, Roset, d'Arlos, Bonna, Bernard, Chautemps, Verna, secretarius de l'Arche, medici L. Beljaquet et F. Chapuis et ministri Calvinus cum Poupino. Tractare debebant* des moyens que lon pourroit tenir pour pacifier les haines et rancunes qui sont en petit conseil, en Ami Perrin et plusieurs autres de la ville, afin de vivre en paix et eviter divisions. *Decreverunt:* que cries soient faites daller au sermon, de non dresser tumulte, de non aller la nuit passe neuf heures sans chandelles, iouxte les peines comprises aux precedentes cries et que le lieutenant avec ses officiers armes aillent par la ville et mettent en prison ceux quilz trouveront apres neuf heures (*Galiffe p.* 57), *quasi talia animarum studia et iras compescerent.*

pationibus teneri. Et obstabat altera ratio, ne quis ad arctos [1]) adventus tui flatus mox perveniret. Nunc quia plus habes laxamenti, ut spero, operae pretium faceres, si primo quoque die te accingeres ad profectionem. [2]) Ego quid tandem facturus sim nondum constitui, nisi quod amplius ferre nequeo huius gentis mores, etiam si meos ferat. Et tamen non intelligo cur meam asperitatem accusent. [3]) Quanquam non adeo moleste ferrem, vel nulla causa me illis displicere, nisi eorum malis, ut par est, afficerer. Quantulum enim vitae restat, ut de me sollicitus esse debeam? Sed ineptus sum qui haec tecum literis tracto, quum mox confidam adfuturum. Vale, frater et amice carissime. Dominus Iesus [*te*] una cum uxore totaque familia tueatur. Salutabis meo et fratrum nomine symmystas tuos. Genevae 26. Decemb. 1547. [4])

Ioannes Calvinus tuus.

982.

VIRETUS CALVINO.

Et hic praesentem rerum statum deflens amicum consolatur et firmat.

(Ex autographo Cod. Genev. 111a, fol. 164.)

Clarissimo viro Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Quo magis de vestrae ecclesiae [1]) statu sum sollicitus, eo maiore teneor desiderio tuarum literarum, [2]) quibus de eo certior fiam: quia variis quotidie discruciamur rumoribus, quibus quamvis non facile assentiamur, non possumus tamen illis non moveri, donec certius abs te aliquid acceperimus. Qua in re illud poetae vere experior: *Quando ego non timui graviora pericula veris? Res est solliciti plena timoris amor.* [3]) Te igitur quaeso ut, quoties licebit per occupationes, uno nos verbo admoneas de vestro statu. Interea si quid putes meam vobis operam conferre posse, id ne me celaveris nec mihi peperceris. Scio quam sit invidiosum negotium quod vos turbat, quamque mihi sit invidiam conflaturum. Sed si plus ex illa in me invidia ecclesiae utilitati accessurum quam decessurum speras, ecclesiae potius quam mei rationem habeto. Tu vero, quidquid acciderit, persiste firmus et constans in tua statione. Nam qui tibi hactenus mirabiliter affuit, non deerit deinceps, quod tu quotidiano experimento comprobas. Vides enim quid per te Dominus efficiat, et quibus testimoniis et facinoribus tuum ornet ministerium, et eius autoritatem augeat et confirmet. Vide interea ut moderato animo feras mores et ingratitudinem eorum qui tuo obstrepunt ministerio, et affectum induas eorum quos nobis velut exemplaria in consimili causa proponit scriptura. Nos memores esse oportet lacrymarum quas Christus, Moses, Paulus et reliqui servi Dei fuderunt etiam pro improbissimis et ingratissimis et infensissimis hostibus. Eos studeamus, quoad eius fieri poterit, lenitate et modestia compescere, et ita increpationes temperare, ut nos magis paterno quam hostili animo succensere et irasci intelligant, saltem qui animo sunt simpliciore et sanctiore. Nam difficillimum est in huiusmodi turbis effugere nobis odii et vindictae suspicionem, quamlibet sinceris animis omnia dicamus et faciamus. Praeterea nobis serio cavendum est ne rerum indignitas interdum nos nimium abripiat, et ne vulnera durius contrectando violentius exulceremus. Non haec scribo quod de tua dubitem prudentia et animi moderatione, sed quia haec in me sum saepe expertus, didicique ipso experimento, quantum habeant momenti familiaria colloquia, et … saepe et famili…

---

981. 1) *ἄρκτους, ursos i. e. Bernenses. Anglus:* the Arct…
2) *Voti compos factus est mense Ianuario.*
3) *Adversariorum animi eo acrimoniae venerant … Calvino Caïnum dicere nonnulli consueverint (Galiffe … Altera ex parte Poupinus, omnium ministrorum violen… Perrini matri coena interdixerat, qua de re in sena… sistorio acerrimae contestationes exortae sunt (ibid…*
4) *Ambigere posses de anno quum eo te… tivitatis novum inciperent, ita ut h. l. ad 1546 … putandi more referendam crederes. Verum … ipse ineunte Decembre Lausannae fuerat, … publicae hic dicit omnino rem conficiunt.*

982. 1) *imo reipublicae; ecclesia calvi… periclitabatur quia Calvinus politica … cum religionis commodis permiscebat.*
2) *quas ille hoc ipso die scrib…*

milis, quamvis id audierim a testibus quibus haud temere fides neganda est. Argumenta quae diversum suadent haec sunt: primum quod nullam unquam huius rei mentionem in tuis literis feceris: secundum quod tuum consilium nobis super hac re nullum communicaveris, nec aliis amicis quos habes apud nos, dignum sane mutua fratrum et amicorum consultatione, quum res agatur tanti momenti. Sed nullum est efficacius cura ecclesiae quam scio tibi esse cariorem quam ut eam temere queas deserere. Imo vero si hostes pellere conantur magno omnes consensu, idem esset agendum quod fecit Ambrosius, quum Arianis iuberetur ecclesiam cedere. Si sunt in vestro grege lupi, sunt oves non paucae quarum curam abiicere non possumus. Quid enim miserae oves commeruerunt? Easne luporum faucibus obiiciemus, offensi luporum improbitate? Hoc est lupis gratificari, et oves ad poenas quas lupi commeruerunt poscere. Quo fit ut non possim vel suspicari, id tibi unquam in mentem venisse sine maximo horrore. Macte igitur virtute esto, et is esse perge qui coepisti, ut aliquando possis cum sancto illo Christi organo, cuius vestigiis insistis, gloriari: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; quod superest, reposita est mihi iustitiae corona, quam iustus iudex redditurus est. Audis certamina, audis et coronas, quae nullae essent si nulla essent certamina. Quanto sunt nobis hostes, cum quibus certamus, infeliciores? Certant et illi quidem, idque strenue et pertinaciter, sed in tali certaminis genere unde non sint nisi confusionis et turpitudinis coronam reportaturi. Mirum sane fuisset, si Satanas vobis non invidisset istum ecclesiae profectum, qui a vobis in universum orbem christianum diffunditur. Vobis non esset tam molestus, si non ei essetis tam exitiales. Itaque quo vos magis urget hostis, eo maioribus viribus pugnandum, et in pugna usque ad extremum spiritum persistendum, quum inde certissimo argumento nobis probetur, nostrum opus et valde placere Deo et valde Satanae displicere. Sed quorsum haec et tam multa? Vid[illegible] mihi [illegible]rim, velut ad quem scriberem [illegible] te facile [illegible]donaturum. Sa- [illegible] praes[illegible]xor, quae tuam [illegible] iub[illegible]et condolemus. [illegible]. Dec[illegible] [4])

[illegible]rus Viretus.

[illegible] *ad praecedentem.*

[illegible]*I.*

983.

CALVINUS FARELLO.

De Antidoto contra Tridentina decreta et statu rerum Genevensium, ubi iam ad conciliationem ventum est, utinam sinceram.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genevae p. 74, Laus. p. 155, Hanov. p. 174, Chouet p. 98, Amst. p. 45. — Anglice legitur in edit. Edinb. II. 138.)

Iam mihi placere incipit meum antidotum, [1]) ex quo tantopere tibi probatur: nam antehac mihi non satisfaciebat. Quanquam tu forte qui labores meos quotidianos nosti, adeoque pugnas quibus non tam exerceor quam conficior, veniam mihi concedis, si quid minus est absolutum. Ego certe ipse miror, [2]) ullam scriptionem lectu dignam posse iam a me prodire. Quod me et collegas meos hortaris ut infracto animo perstemus, mihi vero neque pericula, neque molestiae animum minuunt: sed quia in rebus tam confusis interdum consilio destituor, missionem a Deo mihi dari cupio. Stultum votum, inquies. Fateor: sed quid Moses tam insigne patientiae exemplar? nonne impositum humeris suis conqueritur nimis grave onus? Atque his quidem cogitationibus sollicitor duntaxat, non tamen acquiesco. Nostris hominibus iniecimus aliquem metum: et tamen nihildum correctionis apparet. Tanta est impudentia, ut nostros omnes clamores patulis auribus et surdis absorbeant: denique multorum incurabiles sunt morbi. Tentavimus enim hactenus fere omnia, nullo profectu. Ultimus actus restat, cui te vellem interesse. Quam tragicum tumultum Deus composuerit, arbitror te ex meis ad *Viretum* literis intellexisse: ita enim mandaveram. Ducenti iusserunt ut nos et alii decem pacificatores dissidia omnia tolleremus. [3]) Volui a me ipso fieri initium. Negabat hesternus noster Caesar sibi quidquam esse

---

983. 1) *contra Tridentinos.*
2) *et tu mireris.*
3) *Cf. N.* 980. *Pacificatores designati fuerant quatuor Syndici, Locumtenens, senatores St. de Chapeaurouge, Jac. des Arts, Curtet, Roset, d'Arloz, Bonna, Bernard, Chautemps, Verna, secretarius de l'Arche, medici L. Beljaquet et F. Chapuis et ministri Calvinus cum Poupino. Tractare debebant* des moyens que lon pourroit tenir pour pacifier les haines et rancunes qui sont en petit conseil, en Ami Perrin et plusieurs autres de la ville, afin de vivre en paix et eviter divisions. *Decreverunt:* que cries soient faites daller au sermon, de non dresser tumulte, de non aller la nuit passe neuf heures sans chandelles, iouxte les peines comprises aux precedentes cries et que le lieutenant avec ses officiers armes aillent par la ville et mettent en prison ceux quilz trouveront apres neuf heures (*Galiffe p.* 57), *quasi talia animarum studia et iras compescerent.*

mecum simultatis,[4]) ego autem plus statim expressi. Gravi et aequabili oratione usus sum, adhibui punctiones acutas, sed quae minime caederent. Tametsi resipiscentiam manu in manum implicita promisit, vereor ne frustra surdo cecinerim fabulam. Utinam adventu tuo rursus me exhilares. Apud *Viretum* scio quosdam de immodica mea asperitate conquestos esse. Quid crediderit, nescio: subolfeci tamen eum timere ne fervori meo plus satis indulgeam. Rogavi ut huc veniret. Dicit ille apud Terentium: Si hic esses, aliter sentires. Idem liceret etiam mihi dicere. Tu si esses ego, nescio quid faceres. Verum inter multas acerbitates haec quoque est devoranda.[5]) Non haec tibi aut *Vireto* respondeo, sed aliis qui otiosi sua censura nos castigant. Vestram autem *συμπάθειαν* mihi videre videor, tantum abest ut vos mihi iniquos esse putem. Vale, frater optime et integerrime, una cum tota familia, quam meo et uxoris nomine amanter salutabis, simul et omnes collegas: adeoque bonos omnes. Genevae, 28. Decembr. 1547.

Ioannes Calvinus tuus.

984.

BALDUINUS CALVINO.

Persequutiones in Gallia aliaque privata negotia obiter attingit.

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 57.)

D. Passelio principi legato
Venetiis.

S. Nondum liberatus sum eo metu qui me angit,[1]) mi pater. Misi hominem Lutetiam qui certa omnia referret. Crastino die adfuturum puto. Sed gravius me angunt quae istinc audio. Dominus furentem *ἀλάστορα* reprimat, aut si *venit summa dies et ineluctabile tempus*, totum illi monstro ingratum insanumque orbem relinquat et suos in patriam revocet. Narrant hic nescio quid de novo synedrio.[2]) Ecquis tandem horum ludibriorum finis erit aut modus? Rursus D. *Fallesium* ab ingratis nebulonibus vexari molestum est.[3]) Vereor ne audierint, eius heroinae filiam virginem, si supra 25 annos domi adservetur, posse vel invito patre maritum sibi deligere. Exemplar formulae quam causidico *Cornei*[4]) reddi curavi nullum penes me est. Si cum eo conferre potuissem magis consilium meum explicassem. De morte Matthaei *Bud.*[5]) puto te audisse. Quis illi nunc comes esse non optarit? Sed si nos superesse velit Dominus et hoc exsilio iactari, saltem spe postliminii sustentabit.

Uxorem tuam plurimum salutari peto, et dominam *Laurentianam*,[6]) nunc quidem, ut arbitror, puerperam. Quod si certum habuissem, iam illi certe genethliacon misissem. Vale, mi pater, et tuum *Rochium* in tuis certaminibus *σύμμαχον*, tametsi nunc quidem post principia stare videatur, habere te scito. Ex sybaritica insula.[7])

Tuus Rochius.

985.

CALVIN AUX FRERES DE BUDÉ.[1])

Lettre de condoléance et de consolation à l'occasion de la mort de leur frère.

---

4) Il respond quil ne se plaint de personne, et sil a faict quelque chose il est prest a obeir a iustice, et quil na point de querelle a personne, et que de ce qui est dehors Messieurs en peuvent iuger, mais ce qui est dans le coeur demeure au iugement de Dieu, et ne croit les avoir offenses en sorte du monde, et silz lont offense il leur pardonne et ne veut de mal a personne. *Haec Perrinus, ecce iam Nostrum*: Ayant cela rapporte auxdits ministres, iceux ne se sont pu contenter mais disent quilz sen deschargeront devant le conseil (*Reg. du Conseil. Galiffe p.* 58).

5) *Ergo ipsius Vireti epistola ei non satis fecerat.*

984. 1) *Ob persequutiones puta quae initio regni Henrici II. recrudescebant. Inter alios m. Augusto Leonardus du Pré, Septembre plures cives Lingones utriusque sexus cum eorum ministro Seraphino combusti sunt, quinque Andegavis, postea Jo. Michel, theol. D. ap. Bituriges. D.* 11. *Dec. edictum promulgatum est libros in Germania aut Genevae impressos severe prohibens.*

2) *Rumor falsus. Sessio X. m. Iunio* 1547 *celebrata ultima fuit pro tempore.*

3) *Haec alludere videntur ad negotium Pollani.*

4) *Fortasse Amblardus Lugduni litem aliquam agebat.*

5) *N.* 985.

6) *Si quid videmus, innuit uxorem Laurentii de Normandie Noviodunensis Picardi, qui iam tunc Genevae commorari potuit, quanquam demum d.* 2. *Maii* 1549 *a senatu inter inquilinos, et* 1555 *inter cives receptus fuit* (*Galiffe notices généal.* II. 530). *Filii ei fuerunt duo, alter Noviodumi natus a.* 1545, *alter Salomo. Quorum matre Genevae mortua a.* 1550 *aliam duxit.*

7) *Hoc nomine, ut alias Corinthiae insulae, Lugdunum designari credimus. Caeterum m. Augusto Balduinus Genevae degebat, ita ut saltem terminum a quo (ut dicunt) definire non difficile sit.*

985. 1) *La lettre est adressée à deux des frères Budé, à l'occasion de la mort d'un troisième. Le noms propres manquent et Guillaume Budé avait sept fils. Trois d'entre eux, Louis, François et Jean s'établirent plus tard à Genève, trois autres, Dreux, Etienne et Antoine restèrent en France. et*

(Copie contemporaine Bibl. de Genève. Vol. 107ᵃ, fol. 324. Autres Copies plus récentes Vol. 106, fol. 190. Simler. Vol. 69. — Voyez Henry II. 124. Bonnet I. 239. Ruchat VII. 412. Éd. d'Edinbourg II. 140.)

Messieurs et bien aymez freres, combien que la presente sadresse particullierement a vous deux, toutesfoys ie lescritz affin que, sil vous semble expedient, elle serve a toute la maison: si les nouvelles que iay seu de la mort de vostre bon frere et le mien mont reiouy, comme il y en avoit iuste occasion, Vous qui avez mieux congneu tout ce qui en estoit, a la verite avez bien plus emple matiere de vous en resiouyr, non pas de ce que vous estes privez dune si bonne compaignie, laquelle vous et moy devons a bon droict regretter, attendu mesmes que le nombre de ceux qui cheminent auiourduy purement en la crainte de Dieu est tant petit et rare, mais pour la grace singulliere que Dieu luy a faicte de perseverer en la crainte de son nom, pour la foy et patience quil a montree, et autres signes de vraye chrestiente, car tout cela nous est comme un miroir pour contempler en quelle vertu ce bon Pere celeste assiste a ses enfans, et sur tout aux plus grandes difficultes. De la mesme nous pouvons iuger que sa mort est bien heureuse et benicte devant la face diceluy et de tous ses Anges: cependant vous devez penser que cest aussi un bel exemple pour vous, de peur quil ne vous soit converty en tesmognage pour vous rendre inexcusable devant Dieu le grand Iuge. Car tout ainsi comme luy, mourant chrestiennement, vous a monstre comment vous devez vivre, il est certain que Dieu ne veult pas quune telle confirmation soit inutille. Sachez donc que la mort de vostre frere est comme une trompette de Dieu par laquelle il vous a vouluz appeler a le servyr purement, et ce en plus grand efficace que si vostre frere eust encore vescu dix ans pour vous prescher. Ainsy que les sainctes exortations quil vous a faictes vous resonnent tousiours aux orreilles; que lobeissance quil a monstree envers Dieu et la constence de sa foy vous soit devant les yeux: que son zelle brusle en voz coeurs: que les prieres esquelles il a persiste vous touschent au vif, pour vous mener a celuy auquel il sest rendu et remis comme lun des siens. Ie ne doute pas que la condamnation quil a faicte des superstitions et abus qui sont en la chrestiente nayent donne occasion de murmurer a plusieurs, et nayt anime les adverssaires de levangile a quelque raige contre toute la maison; mais ce nest pas raison que les menaces et conspirations des iniques ayent plus de force a nous abastre le coeur, que aura une vocation de Dieu si vertueuse a le nous soustenir. Brief cest a vous dadviser que le bien ne vous soit occasion de mal; parquoy si iusques icy vous avez bien commence, que ce qui vous doit ayder en advencement, ne vous retarde pas, mais plus tost redouble vostre ardeur, pour vous faire courir en plus grande diligence. Ie ne suis pas ignorent des dengers qui vous environnent, et ne suis pas si inhumain que de nen avoir compassion telle que ie doy. Mais vous savez que cela nexcusera pas une si grande timidite, comme elle est en ceux qui sentretiennent avec le monde, se desguisant en toutes formes, et dautant quil y en a bien peu qui en soyent du tout exentez, nostre office est de nous soliciter et piquer, et mesme dautant que chascun se doit perforcer de cheminer selon la mesure de la congnoissance qui luy est donnee. Vous avez a regarder de plus pres ou cest que vous estes parvenuz. Car vous ne pouvez pas pretendre lexcuse commune dont plusieurs se coeuvrent, ainsy que dun sac mouille; cest que Dieu ne leur a pas encore fait tant de grace. Oultre ce que Dieu vous a ouvert les yeux, pour vous faire congnoistre quel zelle nous devons avoir a le glorifier devant les hommes, la professien que vous avez faicte vous y oblige aussi bien. Ainsy il ne reste sinon de vous desveloper des solicitudes de ce monde, pour cercher a bon escient ce regne eternel de nostre Seigneur Iesus Christ. Et sil ne vous est la possible de lavouer pour vostre Sauveur, que vous aymiez mieux estre privez un petit de temps du pais de vostre naissance, que destre banis a iamais de cest heritage immortel auquel nous sommes appelles. Veillons ou non, si nous fault il estre estrangers en ce monde. Encore que nous ne bougeons du nid. Mais bien heureux sont ceux qui declarent cela par effect, et plustost que decliner de la foy abandonnent franchement leur maison; et pour demourer unis avec Iesus Christ ne font difficulte de seslongner de leurs commoditez terriennes. Ces choses sont dures a ceux qui nont point goute que vault Iesus Christ; mais a vous qui avez senty sa vertu, tout le reste vous doit estre, a lexemple de

---

l'on sait seulement de ce dernier qu'il embrassa aussi la réforme. Le septième, Matthieu, avait aussi été passagèrement à Genève au plus tard dans les premiers mois de 1546 (N. 793). Nous croyons avec M. Bonnet qu'il s'agit ici de ce Matthieu dont on perd la trace à partir de cette époque. D'après le témoignage de H. Estienne il aurait été grand hébraïsant. Son frère Louis devint prof. d'hébreu à Genève. Il existe aussi une lettre de Baudouin à Calvin (N. 984), où il dit: De morte Matthaei Budaei puto te audisse. *Les deux frères avec lesquels C. était plus particulièrement lié, et auxquels la présente est adressée, auront été Louis et Jean. La lettre n'est pas datée, l'original étant perdu. Une main différente y a mis l'année 1547. Si cette notice est juste il conviendra de rappeler que nous possédons une lettre de Matthieu datée du 23. Mars (N. 887) et qu'il est encore question des Budé dans des lettres écrites en Août et en Septembre (N. 937. 941. 948) sans quil soit fait mention du décès de Matthieu. Il serait donc mort vers la fin de l'année.*

S. Paul. comme fiente et ordure. Combien quil ne vous doit suffire de tenir bon quant a voz personnes, mais sil y en a dautres plus debilles, vous les devez fortifier par vos admonnitions, et tenir la main a ce que rien naille en decadence.

Ie suis loing des coups pour ceste heure, je ne say si ce sera pour long temps. Mais ie parle dune chose congneue et assez experimentee. Cest grand honte quen telle congnoissance que Dieu nous a donnee, il y a si peu de coeur, au pris de cest ardeur qui estoit aux martyrs qui nous ont precedez, lesquelz estoyent prestz daller a la mort, si tost que Dieu les avoit illuminez en intelligence beaucoup moindre. Nous aprenons donc a deviser, au lieu qui nous convenoit apprendre a vivre et mourir. Combien quil y a encore pis, pour en parler a la verite, car plusieurs nosent pas sonner mot, mais se contentent de resver a part, et se paistre de leurs ymaginations, au lieu quil ny a celuy qui ne deust chercher exercices continuelz tant de lecture que de conferences et de sainctz propos, affin de mieux confermer et enflamber. Ie nay pas cause de me deffier de vous, mais vous pardonnerez a ma solicitude qui procede dun droict amour, si ie suis esmeu a vous admonnester au nom de Dieu que vous ne delaissies pas perir une telle benediction, comme celle que Dieu a mise en vostre famille, et pour ne point diminuer, advisez de croistre; pour ne point reculler, advisez daprocher pour ne point defaillir, advisez de tendre a la perfection.

Sur ce, Messieurs et bien aymez freres, apres mestre de bon coeur recommande a vous tous qui desirez le regne de nostre Seigneur Iesus, et servez Dieu en bonne conscience, ie priray ce bon pere de vous avoir en sa protection, et le vous faire sentir, a ce que vous preniez en luy telle hardiesse quil appartient: vous guider par son esprit en lobeissance de sa volunte, et se glorifier en vous iusques a la fin.

Charles Despeville.

986.

SERVETUS POUPINO.

(Vide Opp. VIII. 750. — Natalis huius epistolae dies accuratius definiri nequit. Cur huc potissimum referamus videbis loco laudato. Incipit a verbis: *Licet epistola mea ad Calvinum.* Cf. etiam supra ad 895 seqq.)

MDXLVIII.

987.

BALDUINUS CALVINO.

De praesenti statu rerum Genevensium ancipiti et Lugdunensium non infelice, tum etiam de quibusdam domesticis et literariis.

(Servavit ipse Calvinus in libello contra Balduinum edito pag. 48.)

S. Quae de adversariis [1]) cogitata domo proficiscens extuleram, mi pater, *sollicitos tota nos habuere via*, et nunc quidem multo etiam magis angunt absentem. Quid Arctoi dictatores? [2]) Quid ὁ φεύγων τῆς παραπρεσβείας; [3]) quid ὁ μεγαλοπρεπής; [4]) Scripsit ad te noster *Claudius* [5]) de quodam, qui istic Corycaeus agere videtur, ut hostibus consilia prodat. Interesset talem nebulonem coerceri. Sed vereor ne patefacta eius proditio magis augeat suspicionem et invidiam, qua istic laborant novi homines, [6]) neve hac occasione seditiosi quidam αὐτόχθονες ingerant ξενηλασίαν λακωνικήν. Sed vivit Dominus qui dispersiones Israelis colliget. Interea, quod de se suisque Paulus ait, ἀστατοῦμεν, meminerimus ad nos quoque, vel ad totam potius ecclesiam pertinere. Sed nescio quomodo de te non possum non esse anxius *qui mediis audes caput obiectare periclis.*

Recepi hodie literas a *Burgundo* [7]) quas ad te mitto ut quae illic gerantur intelligas. Quod ad nos attinet multa hic nos cogunt ad aliquot haerere dies. Nam fratrem longo iam morbo fractum et debilitatum omnino deserere non possum. Quanquam ea de patria [8]) nunc audivimus quae eum compellant sese in viam dare tametsi asperitas hyemis et adversa valetudo aliud suadeant. Multi hic [9]) nobis occurrunt amici, et pii et ingenui. Ad eorum synaxin vocatus accessi, et Domino gratias egi qui suum ubique semen habet, suas reliquias, ne tota plane terra instar Sodomorum sit et Gomorrhae. Totus ille τῶν ἀδελφῶν honestissimus coetus plurimum te salutat, tuisque precibus suam salutem tot undique periculis obsessam commendat: praecipue autem noster *Claudius*, qui a me avelli non potest, ut de te aliquid audiat, *multa super Priamo rogitans super Hectore multa.*

Excuduntur hic *Despensii* [10]) quaedam rhapsodiae quas ad te mittam. Hac ad concilium properavit triarius miles ut rempublicam inclinatam et

---

987. 1) *Vides turbas de causa Perrini et Maigreti ortas eo ipso tempore quo Balduinus Genevam reliquit animos in suspenso tenuisse.*

2) *Bernensis senatus.*

3) *Perrinus proditionis in legatione reus.*

4) *Maigret le Magnifique.*

5) *Claudius Monier, inde ab a.* 1547 *V. D. M. Lugduni, Petri Fournelet collega, supplicio affectus* 1551 (*Hist. eccl. I.* 56). *Reliqua nescimus, maxime quid sibi velit nomen Coricaei. Id tantum patet Gallum fuisse proditionis suspectum.* — (*Corycaeus, speculator.*)

6) *Galli advenae.*

7) Io. Crispinus Balduini conterraneus et perpetuus, quoad eius fieri potuit, amicus. (*Beza Resp. Tract.* II. *p.* 202.) *Eum a.* 1548 *Genevam venisse, ex alio eiusdem libelli loco* (*p.* 216) *colligere poteris, a.* 1562 *scripto ubi dicit per annos quindecim eum ibi artem typographicam exercuisse.*

8) *Atrebatum oppido.*

9) *Lugduni.*

10) *Claudius d'Espence Catalaunus natus a.* 1511, *absolutis in collegio Navarrensi studiis, doctor theologiae creatus et Card. Lotharingii secretarius factus, ob sermones quosdam censuram Sorbonae incurrit sed laudabiliter se submisit. A Francisco rege Melodunum missus est ad conventum theologorum de quo vide N.* 606 *n.* 25, *postea ab Henrico m. Aug.* 1547 *cum Mich. de l'Hospital et d'Urfé Bononiam, quo concilium evocatum fuerat. Facile conieceris eum iter per Lugdunum fecisse ibique per aliquod tempus propter librum illum edendum commoratum esse. Fuit is citra dubium:* Traicté contre l'erreur des predestinez. Lyon 1548. *Alius enim:* Institution d'un prince chrestien, *eo anno primum Parisiis prodiit, Lugduni sequenti demum* (*Niceron, Mém. T.* 13).

ultro labascentem sustineat. Ridebis hominis ineptias ubi videris specimen quod prius edere voluit. Dominus te tueatur cum tuis omnibus, quos plurimum opto meo nomine salutari, quanquam ab iis ita corpore absum, ut interim spiritu istic mihi agere videar. Corinthi[11]) Diebus Odiloniis.[12])

Tuus Rochius.

---

11) *Lugduni.*

12) *Festum S. Odilonis abbatis incidit in secundam Ianuarii, ita ut etiam de anno ambigere nequeas, et hactenus corrigendus Heveling, p. 5 qui hanc ad a. 1547 refert.*

988.

CALVINUS VIRETO.

Gallorum rex Genevenses hortatur ut sibi a Caesare caveant. In Bertellerii et Macrini causa quid actum sit. Fallesii literae iter Basileense flagitantes.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 207. Apographa reperies Iouvillaei Cod. 111ª, fol. 18 v. Turretini Cod. 111, fol. 202, Bernense Epp. VII. p. 859, Simleri Vol. 66.)

Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et amico integerrimo.

S. Eo ipso die quo hinc abiistis[1]) venit a *Rege* nuncius cum fiduciariis, ut vocant, literis. Amice hortatus est nostros ut bono essent animo, et tamen vigilantia opus esse monuit: *Caesarem* enim magnas habere copias, et omni belli apparatu magis quam unquam antehac instructum esse: deinde magis cavendum esse ab insidiis.[2]) Hortatus est etiam ut inter se concordes forent, et cum Helvetiis foverent amicitiam: *Regem* quoque suis partibus non defuturum promisit. Haec legationis summa. Hinc equis celeribus Solodurum perrexit.

Nudius tertius duo emissi sunt ex carcere: *Bertellerius* absque ulla poena.[3]) Nam vicit eorum improbitas qui de eo inquiri noluerunt. Tanta fuit aliorum mollities. *Nicolaus* coactus est ad deprecandam veniam, si syndicum laesisset.[4]) Neque tamen confessus est se fecisse, quin potius innocentiae suae testimonium reddidit. Hoc nihilo aequius quam quum se falso delatum ab apparitore questus foret, idque omnibus esset satis testatum, deinde *Bertellerium* insimulasset falsi, qui testimonia duo corruperat toto conscio senatu, coactus est utrumque pronunciare bonum virum. De *Macrino*[5]) exorta fuit acris contentio, sed nulla constantia. Nunc habetur consilium ducentorum. Haec enim scribo a concione, scio in quem finem. Quid erit actum hic narrare poterit.

Quod ad phreneticum tuum[6]) attinet, doleo magis illius causa quam tua. Nihil enim tibi metuo, sed inprimis angere nos debet ecclesiae conditio, quod istas viperas alere cogitur. Librum tuum[7]) perlegam ante finem huius hebdomadis. Quantum ex fratre et *Matthaeo* intelligere potui, Basileae exspectabar.[8]) Inde coniicio *Fallesium* sibi plus promittere quam simus praestando, quia occupationes nostras ignorat. Tu, si poteris, velim ineas rationem. Ego hic usque ad initium proximi mensis sum affixus, ut nosti. Vale, frater et amice integerrime. Dominus te conservet una cum uxore et familia. Salutabis omnes amicos meo nomine. 15. Ianuar. 1548.

Ioannes Calvinus tuus.

---

988. 1) *Fuerant Genevae usque ad* 10. *Ian.* (*Reg. du Conseil*), *per tres dies si Galiffio fides habenda* (*p.* 62).

2) *Henrici II. legatus D. Boisrigault iam d.* 22. *Nov. senatum talibus consiliis circumvenire studuerat. Hanc alteram monitionem Galiffius l. l. a. Bernensibus factam vult. Noster tamen quod rei erat vix ignorare potuit.* (*Cf. etiam Ruchat* V. 337 *ss.*)

3) *Philib. Berthelier stricto gladio per urbem vagatus civem quendam vulnerasse dicebatur, quod tamen falsum erat* (*Galiffe p.* 62).

4) Le 13 janvier l'espion français N. Druet fut condamné à faire à Berthelier et à Aimé des Arts des excuses pour calomnie (*Galiffe*). *Scil. Druetius hic d.* 16. *Dec.* (*N.* 977, *not.* 4) *syndicum colapho laeserat, quod postea in testium faciem negavit. Hic a Calvini partibus stabat. Bertellerius adversariorum factioni addictus erat.*

5) *Maigretus adhuc in vinculis detinebatur, non solum reus sed fere convictus. Cuius causam syndici, ne ipsi damnare cogerentur, ad ducentos et plebem deferre volebant quod antea Bernensibus denegaverant. Sic res diutius protrahebatur. Hoc ipso die* 15. *Ian. Steph. de Chapeaurouge ducentis autor fuit ut Perrinum denuo in senatum recipi iuberent, ea lege ut pacem cum adversariis coleret, Maigretum vero e carcere liberari iure fiduciario.*

6) *Simlerus putat hic Beatum Comitem designari, quod ex ep. eius ad Turicenses d.* 23. *Febr. data facile elicere posses. Si tamen epp. Halleri et Calvini ad Bullingerum contuleris, quas infra ad* 24. *et* 26. *Iunii leges, potius de Zebedaeo cogitabis. Uterque Zwinglii formulae addictus Viretum de praesentia reali exagitabat.*

7) De la vertu du S. ministere, *iam saepius laudatum.*

8) *Scil. a Fallesio, ad quem revera initio Februarii profectus est; d.* 23 *eiusdem mensis Genevae reducem fuisse ex senatus commentariis patet, non* 26 *demum ut habet Bonnet p.* 244. *Matthaeum illum ludimagistrum Neodunensem fuisse suspicamur, cui nomen Blanc erat.*

989.

CALVINUS VIRETO.

Eadem argumenta tractantur.

(Sequitur praecedentem in omnibus exemplaribus scil. autogr. Cod. 106, fol. 208, caetera habes Cod. 111ª, fol. 19, Cod. 111, fol. 202 v., Bern. VII. 861. Simler. Vol. 66.)

Petro Vireto ecclesiae Lausannensis pastori fratri et amico integerrimo.

S. *Perrinus* in ordinem senatorium est restitutus.[1] *Macrino*, quod nemo sperabat, contigit plena et sine exceptione[2] absolutio. Nam qui maxime favebant eius causae iure civitatis et honore eum privabant: sed derepente protulit Deus novam et minime exspectatam sententiam. Omnes in gratiam redierunt. Et tamen fervent non minus quam antehac factiones. Quis futurus sit anni proximi status nondum licet colligere, donec quatuor novae aves prodierint.[3] Vix laetum augurium exspecto. Ut tamen maxime satagant improbi, dimidium tamen numerum obtinebimus. Ex literis *Fallesii* intelliges quid cupiat.[4] Si non poteris ipse defungi, quod maxime vellem, dabis consilium quidnam mihi agendum sit. Vale una cum uxore et fratribus, quos omnes salutabis meo nomine. 19. Ianuar. 1548.

Ioannes Calvinus tuus.

990.

CALVINUS VIRETO.

Observatiunculae de Vireti libro; similes de Bullingeri opere ab hoc male exceptae. Fallesio an obtemperet ambigit.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 209. Quatuor apographa habes ubi et praecedentium. Inscriptio deest.)

S. Librum quem legendum mihi dederas[1] remitto. Praeter locum illum de quo te quum hic esses admonui, alterum quoque notatum reperies, et quid desiderem. Correxi etiam manu mea nonnihil in similitudine quam alicubi adducis ex personis: item quum de communicatione idiomatum loqueris, quoniam idiomata interpretatus fueras *linguas*, reposui quod mihi videbatur magis probabile, hoc est, *proprietates*. Inde enim ducta loquutio, quod scriptura, quae in unam naturam competebant tanquam propria, transfert ad alteram. Reliqua sine exceptione perplacent, nec fore calumniae obnoxia timeo.

Habes hic etiam literas *Bullingeri*,[2] in quibus videbis miram αὐθάδειαν. Dixi tibi de Tigurinis aliquando, eos semper unum canere. Utinam non usque adeo illis constantiae praetextu arrideret contumacia. Nunc te fuisse deceptum intelliges qui putabas aliquid me profecturum ea epistola cui sic respondet ac si fuisset a me in arenam provocatus. Quas ad te scribit *Farellus* resignaverat una cum toto fasciculo.

Quid promittere *Fallesio*,[3] aut saltem quid spei facere debeam, ambigo. Sed exspecto tuum responsum, quod mihi forte certam deliberationem expediet. Nam si tu suscipere voles profectionem, ero molestia liberatus.[4] Vale, frater et amice integerrime. Dominus Iesus te spiritu suo regat semper. Saluta uxorem, fratres omnes et amicos. Genevae 23. Ianuar. 1548.

Ioannes Calvinus tuus.

991.

CALVIN A M. DE FALAIS.

Il ne sait pas encore s'il pourra venir le voir à Bâle. En attendant il lui transmet les exemplaires de l'Apologie, texte français, avec le compte de l'imprimeur et du graveur.

---

989. 1) *Vide ep. praecedentem. Hoc factum est d.* 16. *Ian. postquam d.* 15 *coram ducentis orationem habuit animum ad conciliationem paratum declarantem. Ita proditionis crimine absolutus fuit, invito Calvino* (*Galiffe, quelques pages p.* 65).

2) *Imo non solum coactus fuit promittere ut denuo se iudicibus sisteret si ita postularent, sed et impensis damnatus. Haec ex authenticis senatus actis ap. Ruchat V.* 326 *et Galiffe l. l. qui dicit*: Aucune espèce d'acquittement n'avait été prononcé à son égard.

3) *Nonis Febr. electi sunt syndici Io. Philippin, Perrini affinis, St. de Chapeaurouge et Pernet Des Fosses, Calvinistae quidem sed viri moderati, et Petrus Vandel,* le membre le plus indépendant du conseil calviniste (*Galiffe p.* 68).

4) *Deperdita illa ep. nos quidem minus intelligimus; Calvini enim responsum rem non satis explanat.*

990. 1) *Vide ep. praecedentem.*

2) *deperditas. De libro Bullingeri C. quasdam autori observationes rogatus transmiserat* (*N.* 880). *Ad quas ille respondisse videtur minus submisse quam pro critici* αὐθαδείᾳ. (*Cf. Pestalozzi, Bull. p.* 638 *et not. ad p.* 378.)

3) *Ut C. Basileam veniat roganti.*

4) *Vide N.* 988, *not.* 8.

(Autographe de la Bibliothèque de Genève MS. Vol. 194, fol. 74. — Éd. d'Amsterdam p. 162. Éd. Bonnet, I. 244. Trad. angl. II. 143.)

A Monseigneur Monsieur de Fallez.

Monseigneur, en attendant le retour de sire *Nicolas*[1]) ie ne vous feray plus longues lettres. Car par luy iattens plus amples nouvelles. Au reste, sil ne tient qua ma disposition, au plaisir de Dieu ie ne fauldray a ma promesse.[2]) Mais pource que ie ne suis pas en ma liberte, il fauldra que iattende comment les choses se porteront. Nous avons Dieu mercy aultre tranquillite que du temps du billet.[3]) Mais il ny a iammais saison en lannee en laquelle ie naye oeuvre tailliee et plus que ie nen scauroye despescher quand ie seroye bien bon cousturier.

Ce qui me tient pour ceste heure vous sera declaire si ie puis aller par dela. Et encor que ie feusse retenu par quelque affaire survenant, que ie ne prevoy pas, Maistre Pierre *Viret*, le vous dira pour moy, lequel est prest de supplier au deffault. Mais devant que parler de supplement, nous verrons ce que Dieu nous permectera.

Quant aux livres,[4]) au pris que iay faict avec limprimeur, ioinct ce qui a este despendu au tailleur qui a faict les armoiries, le cent vous reviendroit a environ un escu. Ie donnay trois florins de Savoye, cest a dire testons, au tailleur pour sa poine. Puis il y a sa nourriture. Cela avec environ un teston quil cousta a le faire retourner, est par dessus limpression. Il y en a eu huict centz exemplaires. Iay permis a limprimeur quil en retirast pour soy un cent, desduisant au tant *pro rata* sur le tout. La fin a este que par ce moyen il sen espandist en France. Ien ay envoye ca et la environ cinquante, entre aultres a Madame de *Ferrare*.[5]) Combien que cela ne vous empeschera de luy en adresser une coppie avec lettres. Les sept centz en tous frez montoient a sept escus. Ie croy que *René*,[6]) excepte la diligence, aura este fidele.

Sur ce, Monsieur, apres mestre affectueusement recommande a vostre bonne grace et de Madamoiselle, et vous avoir aussy presente a tous deux les recommandations de ma femme, ie supplieray nostre bon Dieu de vous avoir tousiours en sa garde, vous conduire par son esprit, et vous augmenter en toutes ses graces. Ce 24. de Ianvier 1548.[7])

Vostre humble frere et serviteur,

Iehan Calvin.

Ie desire bien destre recommande aux bonnes damoiselles que ie nay iammais veues, et ma femme le semblable.

991. 1) *Il s'agit toujours de Le Fert, comme on le voit encore par la lettre du 27 Février. Il paraît avoir fait de fréquents voyages à Bâle et à Strasbourg, pour affaires de commerce.*

2) *Voyez la lettre suivante.*

3) *S'il s'agit ici de sa dernière lettre à nous connue il y parle d'affaires politiques, et non d'intérêts genevois. Voyez cependant la lettre suivante à Viret.*

4) *L'Apologie, texte français.*

5) *N. 374.*

6) *personnage inconnu. Serait-ce un imprimeur de Genève?*

7) *Au dos*: Receu le 8 fevrier 1548.

992.

CALVINUS VIRETO.

Novae Fallesii literae alterum evocantes.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 210. Quatuor apographa reperies ll. ll. ad calcem praecedentium ad eundem scriptarum.)

Fideli Christi servo Petro Vireto ecclesiae Lausannensis pastori fratri et amico sincero.

S. Hic nuncius, quem ego fidum esse existimo, Basileam proficiscitur. Hodie *Nicolaus* alias a D. *Fallesio* eiusdem argumenti literas mihi reddidit, quibus velim respondeas. Nam si magis id expedire censueris, paratus sum quam tantopere urget profectionem suscipere: alioqui vides te nomine compellari. Quod si tamen adventus mei spem facies, velim ipsum admoneas, non posse me ante sextum[1]) Februarii diem hinc movere. Nota est tibi ratio, quam uno verbo indicabis: Status noster magis est perplexus quam ut literis exprimi facile queat. Timor qui fraenare debuerat nostram protervìam, maioris licentiae occasio est. Si quid de me *Fallesio* promiseris, quod tibi liberum facio, primo quoque nuncio facies me certiorem, ut me ad iter comparem. Nam simul ac creati erunt nostri tessaraproti, nihil est quod me domi moretur, siquidem eundum est. Vale, frater et amice integerrime, una cum uxore et familia. Saluta collegam et fratres meo nomine. Uxor omuibus salutem dicit. Genevae 28. Ianuar. 1548.

Ioannes Calvinus tuus.

992. 1) *Cod.* 111: *septimum. Patet Calvinum non ante factas syndicorum electiones proficisci voluisse, quae instabant ad dominicam* 5. *Febr.*, *quia tamen revera iam* 2. *Febr. Genevam reliquit, mutasse consilium, scil. de exitu securus.*

993.

FALLESIUS SENATUI ARGENTORATENSI.

Argentorati nomen Apologiae suae inscripsisse non nisi Bucero audito affirmat, sed paratum se dicit ad illum supprimendum si ita iis placuerit.

(Autographon asservatur in Archivis S. Thomae Argent. Lad. 22. Fasc. 2. Addidit argumentum secretarius: *Ist zufriden dass seine hinder dem nahmen diser Statt aussgangene Apologie nach hiesigen Magistrats belieben geändert werde.* Adest quoque versio germanica. Et inscriptioni subscriptum legitur: *d. Sambstag 4. Fe. A. 48.*)

Nobilibus strenuis ac prudentibus viris D. consulibus et senatoribus inclitae civitatis Argentoratensis.

Iacobus a Burgundia Dominus Fallesii ac Bredami Nobilibus strenuis ac circumspectis consulibus et senatui Argentoratensi S. D.

Redditae mihi sunt literae vestrae in quibus videmini aegre ferre meam Apologiam prostare nomine vestrae civitatis ac vestri civis.[1]) Ego vero, ut sum vobis viris praestantibus obnoxius, ita nihil vellem facere quod vobis ingratum esset, vel civitatem vestram in odium atque invidiam cuiusquam trahere posset. Scio enim ad gratitudinis officium pertinere, dignitatem urbis, quantum in me quidem erit, sarctam tectam retinere. Ac proinde, antequam rem aggredi statuissem, consului D. *Bucerum*, eumque rogavi utrum bona vestra venia id facere liceret quod iam factum videtis. Is respondit quod in eius literis videre potestis, quas per meum ministrum vobis mitto. Hoc etiam argumento est meae erga vestram rempublicam observantiae ac benevolentiae, quod nullum exemplar passus sum distrahi priusquam vobis oblatum esset, et cum bona vestra venia id facere liceret. Neque video qua in re laedere possit meum scriptum satis moderatum vestrae civitatis nomen, quum ante annos paene duos, quum nulla erat invidia, et ego vobiscum agebam, editum videatur. Et tamen si putabitis aliqua in re detractum iri vel tranquillitati vel securitati urbis vestrae, sum paratus omnia pro vestro arbitrio immutare. Quod facile fieri potest, si primum et postremum folium denuo imprimatur. Si ferre poterit civitas quod est decoro consentaneum, non solum mihi erit gratum, sed etiam erit cur hoc beneficium apponam reliquae benevolentiae quam in vestra civitate sum expertus. Sin aliter, mutabo omnia, sicut dixi, pro arbitrio vestro. Nam sicut in hac re, sic etiam in aliis omnibus quae ad vestram dignitatem pertinebunt, invenietis me semper paratissimum. Valete. Basileae 29. Ianuarii Anno 1548.

Reipublicae vestrae addictissimus
Iacobus a Burgundia.[2])

Condonabitis si per omnia non respondet hoc scriptum communi vestro mori et stilo.

993. 1) *Genevae impressa fuerat, verum consulto Argentorati nomen et Wendelini Rihelii typographi substitutum fuerat. Cf. N.* 883 *et* 918. *Hoc nimirum valet de editione gallica, non vero de latina.*

2) *Subscriptio et post-scriptum manu propria.*

994.

CALVINUS CHRISTOPHORO DUCI.

Epistola nuncupatoria praemissa commentariis in quatuor epistolas Pauli, ad Galatas Ephesios Philippenses et Colossenses.

(Ex editione principe Genevae 1548 per Ioannem Girardum impressa.)

Illustrissimo Principi ac Domino, D. Christophoro, Duci Witebergensi,[1]) Comiti Monsbelgardiae etc. Ioannes Calvinus S.

Quod ego homo tibi ignotus, Princeps Illustrissime, hanc meam lucubrationem tuo nomini dicare non vereor, huius fiduciae nonnulla excusatio afferenda est, ne temeritatis a quibusdam forte damnetur. Ea vero, ut facilis est ac expedita, ita brevis erit. Nam quum hic nuper esset fidelis multisque experimentis probatus Christi minister Petrus *Tossanus*,[2]) cui Monsbelgardensis ecclesiae curam ex patris tui illustrissimi Principis autoritate mandasti, ac mentionem tui perquam honorificam faceret, ego tali virtutum tuarum commemoratione excitatus dixi quiddam mihi esse in manibus mox publicandum, quod libenter tibi inscriberem, si tibi non ingratum fore cognoscerem hoc officii genus. Ipse autem non modo ut id facerem hortatus est, sed propemodum sponsorem se interposuit ne de officii mei approbatione timerem.[3])

Habes iam, Princeps clarissime, quis animum mihi ad audendum fecerit. Duae autem sunt praecipuae rationes quae huc me impulerunt. Tametsi

994. 1) *sic.*
2) *Cf. N.* 960. 976.
3) *Quantumvis sincere haec dicta existimes, sane etiam ipsum Tossanum Principi commendare hac occasione volebat, scil. lutheranizanti Zwinglianum.*

enim ad pergendum in recto cursu satis voluntarius per te sis ac strenuus, hunc tamen non supervacuum fore stimulum existimavi, si te nominatim invitarem ad studium eius lectionis ex qua non parum confirmationis tibi accedet. Nam adiumentum hoc, quo plerique hodie carent principes, divinitus tibi contigit, ut liberaliter a puero institutus in linguae latinae scientia legendis utilibus ac piis scriptis vacare queas.[4]) Quod si ullum fuit unquam tempus quo necessariae essent ex pia doctrina consolationes, quid aliud vel maxime heroicis pectoribus reliqui facit praesens ecclesiae calamitas, imo plures ac indigniores quae instare etiamnum videntur? Itaque ut quisque ad extremum invictus stare cupit, in hanc fulturam totus recumbat. Ut quisque firmum praesidium appetit, conferre se discat in hoc veluti asylum. Porro in his quatuor epistolis, quas meo labore explicatas tibi offero, eximie Princeps, multa consolationis argumenta reperies his temporibus valde apta, quibus recensendis ideo nunc supersedeo quod ultro suis locis, et quidem melius, patefient.

Venio ad secundam rationem qua me ut opus hoc tibi dicarem impulsum fuisse dixi. Nam quum in hac rerum perturbatione, quae alios concutit alios deiicit prorsus, mira tibi constet animi aequabilitas et moderatio,[5]) et simul adversus quasvis procellas singularis constantia, totius ecclesiae magnopere referre existimo, in te, quasi in illustri speculo, propositum omnibus esse exemplum quod imitentur. Nam quum hanc suis omnibus legem communiter praescribat filius Dei, ut malint sub crucis suae vexillo militare quam triumphare cum mundo, paucissimi reperiuntur qui ad obeundam talem militiam sint parati. Quo magis necesse est raris istis exemplis, quale in te perspicitur, passim omnes excitari, ut suam mollitiem corrigere discant.

De meis commentariis hoc tantum dicam: plus forte in illis contineri quam mihi verecunde profiteri liceat. Cuius rei malo ex ipsa lectione iudicium ipse facias. Vale, Princeps illustrissime. Dominus Iesus te sibi et ecclesiae suae diu servet incolumem spirituque suo regat. Genevae Calendis Februarii 1548.

4) *Pueritiam satis infelicem transegerat patre sede ducali deiecto et extorri. In aulam austriacam deductus praeceptores habuit Guil. a Reichenbach Ictum et Mich. Tiffernum. Latine tam bene edoctus fuit ut vel loqueretur et scriberet et senex quoque has literas adamaret.* (*Pfister, Hz. Christoph.* I. 81. II. 5. *Heyd, Hz. Ulrich.* II. 330. *Schnurrer, Erläut. z. Württb. Ref. Gesch. p.* 541. *Kugler, Hz. Christoph.* I. 11.

5) *Talem se Monsbelgardiae revera praestitit, etsi lutheranae formulae usque fideliter addictus. Neque postea regnum ducatus Wirtembergici adeptus, quamvis non semel a Bullingero sollicitaretur ad ineundam aliquam cum Helveticis ecclesiis in doctrina concordiam, mentem ullo modo mutavit.* (*Pfister l. l.* I. 431.)

995.

FARELLUS CALVINO.

In literis mittendis summa utendum cura et discretione quum facile minus fidis nunciis credantur. Cum Turicensibus omnino res componendae, fortiter in re suaviter in modo. Legati Helvetiorum ad Regem missi in Burgundia male excepti.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium. Epp. Farelli fasc. III. N. 29.)

Christi servo insigniori Io. Calvino pastori Genevensis ecclesiae, viro tum doctissimo tum omni pietate ornatissimo.

Genevae.

S. Neque ex te neque ex *Vireto* aut alio quovis aliquid accepi literarum, aut cui plene fidem darem aliquis narravit ut habeant res.[1]) Tantum *Thomas*[2]) omnia tam ample visus fuit recensere, etiam ea quae in senatu non modo acta verum etiam dicta fuerunt, ut suae narrationi fidem non prorsus habendam in omnibus efficeret. Hoc si me angat tu potes intelligere, quamvis, ut novit Dominus, tantum abest ut quidquam cogitem de te quod non satis officium in me facias, ut mirer magis te posse vel centesimam partem eorum absolvere quae indies per te Dominus efficit. Cuperem tamen aliquem istic nonnunquam per fidos me certiorem reddere: nam tu non satis idoneis tuas literas credis. Verum, quod me supra modum tenet anxium, ego in hoc multo magis pecco. Nam nuper, credens meis fratribus, sacrificulo, quem mire commendabant a fide, fasciculum literarum[3]), Tiguro huc adlatum per *Mirabilem*,[4]) ad te perferendum dedi. Erant in eo ad *Viretum* literae, quem ego literis sollicitavi an resciret te omnia excepisse. Sed is nihil respondit. Interea ego mihi an fratribus succenseam nescio. Te quaeso, quam primum hac me molestia libera. Utinam diem unum apud me retinuissem literas et nuncio proprio ad te misissem. Sane res est magni momenti[5]) quae literis agitur, et nisi per te cum *Vireto* Dominus componat id quod tam omnibus incommodat, viam non video.

995. 1) *nempe diversarum factionum et partium apud Genevenses, inter quas an concordia aliqua stabiliri posset ab electione syndicorum hoc ipso temporis momento instante pendebat.*

2) *de la Planche, Farelli collega, nisi fallimur.*

3) *Cf. N.* 990 *ubi de ep. a Bullingero scripta Calvinus ad Viretum, quam eam ipsam fuisse putamus de qua hic Farellus.*

4) *N.* 302.

5) *Vide an loquatur de Calvini et Bullingeri recenti dissidio, quum hic illius observationes criticas in librum suum parum aequo animo accepisset.*

Te supra modum oro ut ita pergas, ut non modo Tigurini, imo, si tandem tua in lucem prodeant, verum etiam omnes intelligant, ut causa es superior, ita modis omnibus te vicisse modestia, caritate, tum in eos cum quibus agis, tum in ecclesias. Quantum assequor, illi magis domum et partem intuentur quam urbem et totum. Pro donis tam amplis ages actus Christi spiritu, non dubito, ut vana prorsus nostra sit hortatio, quam scio te boni consulturum. Dominus Iesus hodie vobis det sana creari capita, et viam aperiat qua malis occurratur quae istam infestant urbem, faxitque ut tam apte componantur omnia ut nunc et in posterum recte rebus consulatur.

Rescivisti, ni fallor, quanta fuerint affecti contumelia, prima nocte qua Burgundiam intrarunt, in Galliam tendentes legati.[6] Fuerunt alibi honorifice excepti. Sed haec non adeo facile sopientur. De *Fallesio*[7] quid cum *Vireto* statueris scire vellem: viro tanto tamque ob Christum caro optarem omnes morem gerere. Vale cum tuis omnibus, quos salvos opto: collegas iube salvere. Gratulor *Magnifico* et *Nicolao* liberationem,[8] sed multo magis tam praesentem et christianum animum. *Christophorus* te salvum cupit. Neocomi 5. Februarii 1548.

Farellus tuus totus.

6) *Helvetiorum scil. qui versus finem a.* 1547 *a rege Henrico in aulam vocati fuerant ut baptismati filiae eius testes adessent. Quos Lutetiae honorifice exceptos et donis cumulatos constat, in Burgundia vero, i. e. in Comitatu qui Imperatoris erat, male habitos fuisse alibi legisse non meminimus.* (*Ruchat* V. 338. *Stettler*, *Schweizer Chronik* p. 151 *s.*) *Redierunt sub finem Februarii.*

7) *adeundo.*

8) *N.* 988.

996.

COMES MINISTRIS TURICENSIBUS.

In Viretum et Calvinum invehitur qui Zebedaeum in doctrina de coena recte et pie sentientem, adeoque ipsum Zwinglium veritatis assertorem impugnant.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 115 olim Epp. T. VIII. p. 2834. Inscriptio deest. Simler. Vol. 66.)

Ecclesiae Tigurinae doctoribus atque episcopis B. Comes S. D.

Non cessat impius ille spiritus cribrare nos, et modis mirabilibus nostras impetere ecclesias: adeo vafer est et versipellis, adeo astute et callide malus, ut valde metuam ne plerosque nostrorum in suam nassam pelliciat. Pietatem simulat et plane mirandam mortificationem quandam carnis, ut impium dogma suum nostris persuadeat. Angelum lucis refert tartareus ille daemon, ut insinuatus animis zizanium impietatis suae ei interserat sementi quam iam olim fecit Dominus. Atque inter eos primas tenet *Viretus* Lausannensis episcopus, cui quoniam in faciem resistere ausus est Andreas *Zebedaeus*, collegii Lausannensis primarius,[1]) Bernam in ius ab eodem ipso *Vireto* vocatus est,[2]) indidemque coactus causam dicere: nimirum quod ausus fuerit repugnare asserenti *Vireto* locum illum Lucae, qui est de ascensione Christi in coelos, nihil facere contra realem ac corporalem eiusdem Christi in coena praesentiam: asserenti, inquam, pleraque alia nefanda et hactenus inaudita, quae quoniam, ut spero, vobiscum coram sum brevi tractaturus nunc scribere praetermittam. Huic novo antagonistae supra fidem favet *Calvinus*, archiepiscopus Gebenensis, qui non ita pridem ausus est in haec verba de doctissimo atque beatae memoriae viro, D. *Zuinglio*, scribere: Alii, inquit, in eo sunt toti ut salvus sit *Zuinglius*: falsa tamen eius et perniciosa fuit de re eucharistiae opinio, ut qui verum eius usum disiecerit et dissiparit. Haec ille. Quae quam sint impia et blasphema, vos, o venerandi episcopi, iudicate ac cogitate, ut sancto Christi spiritu impiis istis daemonibus resistatur. Valete. Badis Helvetiorum 7. Calend. Martias M D XXXX VIII.

Vester ex animo confrater
Beatus Comes Donzarensis.

996. 1) Au mois de May (?) fust esmeu different entre Viret predicant de Lausanne et Andre Zebedee recteur deschole a cause du sacrement de la cene dont il y eust grand scandale entre eux qui dura jusques au mois de mars 1549. (*Mémoires de Pierrefleur p.* 238. *Cf. Halleri Ephem. p.* 85 *item Epp. Calvini et Halleri ad Bullingerum mense Iunio scriptas.*)

2) *Vide quoque Calvini epistolam penultima Februarii scriptam. Caeterum hoc maxime tempore haec Comitis contra Calvinum apud Turicenses facta declamatio non negligenda erat, imo periculi plena, quia Bullingerus censuram Calvini in librum suum de sacramentis aegre ferebat, et Kilchmeieri criminationibus contra Calvini amicos Gerungium et Sulzerum faciles praebebat aures.*

997.

CALVINUS VIRETO.

Inter alia minoris momenti iudicium fert de Pollani libello deque senatus Bernensis in causa Vireti et Zebedaei illaudabili agendi ratione.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 211 unde pro more quatuor fluxerunt apographa, alterum ex altero descripta, Ionvillaei Cod. 111a, fol. 19 v., Turretini Cod. 111, fol. 186, Bernense Epp. VII. p. 864, et Simleri Vol. 66.)

Fideli Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et amico integerrimo.

S. De puella, cuius nuptias ambiebat *Iacobi* fratris [1]) nostri cognatus, exciderat verbum facere, quum istac transirem. [2]) Quando pater adeo est difficilis, ego fratri nostro autor sum ut alio potius animum convertat. Adulescentes illos duos Lugdunum cum amica commendatione dimisi. *Octavium* [3]) scis combustum esse Lutetiae, quod ferociam auget impiis et bonis incutit terrorem. Is tamen ad quem scripsi cordatior est quam ut ullius periculi metu concidat. Itaque eos iuvare conabitur, si qua erit ratio.

De *Valerando* quid dicam? Miseret me hominis stultitiae. Riderem etiam ineptias nisi tam insulsae forent ut potius moverent stomachum. Libellum eius [4]) anno antequam excuderetur percurreram, nescius tamen ipsum esse autorem. Iudicium de illo meum indicaveram *Fallesio.* [5]) Sunt male compactae rhapsodiae. Tu si tantum operae et temporis perdere voles, statim animadvertes quae sint improbanda. Huc spectare *Mallietum* video, ut iuveni roganti nihil ex *Davidis* testamento [6]) eroget nisi nobis consulentibus. Ego, quia res non displicet, dissentire non audeo. Sed quia non est causa cur meum suffragium addam, permittere illi malo ut agat suo arbitratu.

Haec omnia minuta quibus hactenus respondi. In praecipuo [7]) prope obmutesco, adeo me cruciat indignitas. Et tamen hic minime dissimulandum. Si putarem me aliquid posse afferre melius quam quod vobis sponte in mentem veniet, non parcerem labori. Sed quia vobis non deesse consilium novi, tantum vobis a Domino spiritum ingenuae constantiae et fortitudinis precabor. Non minus plausibilis est quam iusta expostulandi ratio, quod senatus non tantum vobis diffidit, sed omnes vos quasi uno carbone notat, hominem unum damnando. Deinde quid futurum est si causa incognita et homine inaudito pronunciare sibi permittant, praesertim in causa doctrinae christianae? Origo praecipue investiganda erit. Cur non mihi licet hanc tecum legationem obire? Sed non deerit comes idoneus, et tu unus abunde sufficies Christi gratia instructus. Vale, frater optime et integerrime. Amicis plurimam salutem et uxori. Genevae penultima Februarii 1548.

Ioannes Calvinus tuus.

997. 1) *Quis hic fuerit inter tot ὁμωνύμους diiudicare non audemus.*

2) *in itinere Basileensi ad Falesium.*

3) *Octavianus Blondet* *s. Blondel mercator Turonensis ab hospite suo Lugdunensi, et Gabriele de Saconex praecentore* (*de quo plura Opp. T.* IX. *prol.* 39) *haereseos accusatus, a parlamento Parisiensi damnatus fuit.* (*Hist. eccl. I.* 69. *Hist. des Martyrs* 195.)

4) Traité tresutile du s. sacrement de la cene etc. Strasb. 1547. (*Haag.* VIII. 369.)

5) *N.* 970 *de homine, non de libro dixerat.*

6) *De testamento Busantonii qui pauperibus Argentoratensibus et Genevensibus satis grandem pecuniam legaverat vide ad N.* 680.

7) *Citra dubium agit de controversia cum Zebedaeo, sed hic rem aliter exponit atque Comes ad Turicenses scribens. Qui Zebedaeum a Vireto Bernam vocatum dicit, nempe accusatum et iudicandum, hic vero ipse Viretus, fortassis etiam eius adversarius proprio motu a Bernensibus citatus fuisse videtur. Et sane Noster de indignitate non quereretur si Viretus ipse causae promotor fuisset.*

998.

CALVIN A M. DE FALAIS.

Il l'attend prochainement à Genève et a pris d'avance des mesures pour lui trouver un séjour convenable.

(Orig. autographe. Bibl. de Genève. Vol. 194, fol. 75. — Éd. d'Amst. p. 165. Ed. Bonnet I. 246. Trad. angl. II. 145.)

A Monseigneur Monsieur de Fallez
a Basle.

Monseigneur, suivant la resolution prinse entre nous, [1]) la venue de sire Nicolas *Lefer* [2]) vous sera bien opportune pour exequuter le voyage, si vostre disposition le souffre. [3]) Il devoit aller iusque a Strasbourg. Mais affin que vous ne feussiez retarde, iay advance un peu son partement. Ie respons a ceux qui me demandent de vous, que desia

998. 1) *Pendant le récent séjour de C. à Bâle.*

2) *M. Bonnet imprime toujours:* Loser, *comme l'éd. d'Amst.*

3) *Il s'agit de l'état de sa santé.*

vous souhaitteriez destre icy. Mais si vous y viendrez ou non, quon le verra avec le temps.

Touchant le payement dont vous me touchastes, ie croy que vous en demeurerez de bon accord.[4]) Du reste, nous en parlerons quant vous serez sur le lieu. Tant y a que le ministre du village[5]) est homme de bonne sorte. Mais ce sera a vous de conclurre, quant vous serez venu. Ce pendant nous regarderons ca et la pour avoir le chois de ce qui vous plaira le mieulx. Ie garderay les deux quittances iusque a vostre venue.

Sur ce, Monseigneur, apres mestre humblement recommande a vostre bonne grace, ie supplieray nostre bon Dieu de vous maintenir tousiours en sa garde, vous conduire par son sainct espritz, et vous assister en tout et partout. Nous vous prions, ma femme et moy, de presenter aussi noz humbles recommandations a Madamoiselle, sans oublier Mademoiselle de *Bredan*. Ce penultiesme de febvrier 1548.[6])

Vostre serviteur, humble frere et entier amy,

Iehan Calvin.

Ie pensoye bien que le sire *Nicolas* devoit partir, et estre le messaiger. Mais ce sera pour dicy a cincq ou six iours. Ce pendant que nay voulu differer a donner les presentes a Monsieur *Bienassis*.[7])

999.

CALVINUS BULLINGERO.

Criticas suas de libro Bullingeri observationes excusat et vindicat, consensum votis expetit, disceptationem deprecatur.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 166, fol. 5. Legitur praeterea in Cod. Genev. 111, fol. 175 et 180 bis descripta, in Tomo VII. Epp. Bern. p. 58 et ap. Simlerum Vol. 66. Edidit Henry Vol. II. App. p. 127. Anglice II. p. 146.)

Ornatissimo viro D. Henricho Bullingero Tigurinae ecclesiae fido pastori fratri et symmystae carissimo.

S. Quid obstiterit quominus tibi citius responderim[1]) vix scio, nisi quod nondum se obtulit certus nuncius qui me ad diligentiam excitaret. Nunc vero, quum legatum urbis vestrae hic esse audirem, committere nolui ut sine meis literis discederet.

Longam illam responsionem, in qua omnia de quibus te[2]) admonueram accurate diluere conaris, silentio praetereo. Quid enim attinet inter nos disceptare? Notaveram in libro tuo quae vel mihi non placerent, vel possent aliis displicere, vel quae piis ac doctis viris probatum iri diffiderem. Feceram id tuo rogatu. Functus sum amici officio. Si tu aliter sentis, per me tibi liberum est.[3]) Hoc quidem non postremum esset in votis meis ut penitus inter nos conveniret. Verum utcunque maior Christi communicatio mihi in sacramentis constet, quam verbis tuis exprimas, non tamen propterea desinemus eundem habere Christum et in ipso unum esse. Aliquando forte in consensum pleniorem coalescere dabitur. Ego ingenuitatem semper amavi: argutiis non delector, et perspicuitatis laudem mihi tribuunt qui alios obscuritatis insimulant. Itaque nec vafrities mihi obiici potest, qui nihil astute in hominum gratiam simulo, et simplicior est mea docendi ratio quam ut sinistram aliquam suspicionem admittat, et magis explicata quam ut obscuritatis nomine offendere debeat. Quod si aliis non peraeque satisfacio, danda est venia, quia bona fide quod mihi datum est, ac sincero candore, profiteri studeo. Quare nuper miratus sum, quum Basileae essem, tuam querelam, quae ab amico[4]) referebatur, me aliter docuisse in meis commentariis[5]) quam vobis essem pollicitus.[6]) Respondi uno verbo quod verum erat, non aliter me Tiguri loqui quam Genevae. Quanquam hoc totum, qualecunque erat, malui eius errori, qui narrabat, tribuere. Ego, quum mihi periculosum esset liquido profiteri quod sentiebam, adeo non deflexi a recta linea, ut libere et constanter ex intimo animi mei sensu loquendo vel rigidissimos ad aliquam moderationem flecterem. Cur nunc nulla necessitate proposita mutarem et consilium et animum? Verum id hominibus si minus persuadeo, contentus ero Deo professionis meae teste.

De rebus gallicis plura et melius referet legatus vester[7]) quam ego literis complecti queam. Utinam essent eiusmodi quae libenter audires: sed nihil

---

4) *Probablement au sujet de l'achat ou de la location d'une maison.*
5) *M. de Falais s'établit à Veigy, village savoisien, non loin de Genève* (*Opp.* VIII. 152) *et appartenant à Berne*
6) *Au dos:* Receu le 7. mars 1548.
7) Brevassais *Bt. Amst.*

999. 1) *ad epistolam illam deperditam de qua N.* 990, *not.* 2.
2) *Autographon habet:* de.
3) *Ita ἀποτόμως loquutus anno proximo pacis studiosiorem et modestiorem mox suae sententiae adstipulari coegit.*
4) *An Myconio?*
5) *in primam ad Corinthios.*
6) *pridem scilicet, quum Genevenses cum aliis communem de eucharistia confessionem ediderint.*
7) *Unus eorum de quibus N* 995, *not.* 6. *Errat ergo Ruchat V.* 338 *qui eos mense demum Martio rediisse ait.*

quotidie affertur[8]) nisi triste. Utut[9]) abstinere iussus fuerit ab omnibus inquinamentis papatus, hoc certe non potuit effugere quin foedam sacri baptismi profanationem cerneret.[10]) Vale, eximie vir et frater in Domino plurimum colende. Salutabis diligenter meo nomine D. *Pellicanum*, *Bibliandrum*, *Galtherum* et reliquos symmystas ac ludimagistros. Dominus Iesus vos spiritu suo regat, vestrisque piis laboribus benedicat, ac vos tueatur incolumes. Genevae Calendis Martiis 1548. Collegae etiam mei omnes vos reverenter salutant.[11])

Ioannes Calvinus tuus.

Uxori familiaeque tuae plurimam salutem.[11])

1000.

CALVINUS FARELLO.

Paucis narrat quid negotii in Senatu Pignetus ministris facessere conatus sit.

(Manu scripta non exstat. Servavit Beza Ed. Genev. p. 87, Laus. p. 205, Hanov. p. 230, Chouet p. 117, Amst. p. 53.)

S. D. Parum abfuit quin privignus meus[1]) sine ullis ad te literis istac transiret. Tempus enim scribendi inter concionem et prandium mihi constitueram. Atqui certamen nobis fuit in senatu, leve illud quidem et momenti instar caducum, sed tamen in quo tempus illud quod literis meis destinaveram consumpsimus. Factio quam nosti calumniam struxerat, Antonio *Pigneto* duce, quae nostram libertatem in concionibus valde minueret. Ut scias quid sit consilii et animi apud nos, decretum erat ut nos omnes admonerent τεσσαράπρωτοι ne in vehementia pergeremus. Vicerat pars deterior, nisi in arenam progressi essemus. Ita causam egimus Christi nostri auspiciis, ut hostium quoque nos puderet. Hoc negotium me ultra decimam exercuit. Quod si mihi liber fuisset totus dies, nescio tamen quid scribere debeam.

Vale, frater et amice integerrime. Dominus tibi adsit ac benedicat sanctis tuis laboribus perpetuo. Saluta diligenter nostro omnium nomine fratres et familiam. 19. Martii.[2])

---

8) effertur *H.*
9) ut *H.*
10) cerneret *om. H.*
11) *Utramque salutationem om. H.*
1000. 1) *N.* 690. 755.
2) *Ad annum* 1548 *hanc esse referendam facile nobis persuademus ex iis quae ad hunc ipsum diem* (*Lunae*) *notata leguntur in commentariis senatus Vol.* 43, *fol.* 45: M. Calvin et aultres ministres ont expose quilz ont entendu que aulchongs vont calumpniant sur ce quilz preschent et que lon seme par la ville quilz ont presche que lon ne fayct point de iustice, priant leur declayrer lesqueulx sont ceulx qui les veullent accuser, et ilz sont prest den respoudre. Resoluz que cella soyt remonstre esditz ministres quilz ont presches publiquement que lon ne faysoit point de iustice des palliars, et que quant ilz entendront quil se fera quelque palliardise ou aultres choses sinistres par la ville, quilz le doybvent venyr reveller avant toutes choses au magestral sans ainsin le publier a cause des auditeurs. *Nomen Pigneti hic non apparet, caetera autem optime congruunt.*

Quod ad nostram velitationem, prospere successit. *Pignetus* ex urbe eiicitur. Senatus ad scortationum licentiam coercendam egregie animatur. Fracti adversarii non sine magna ignominia.

1001.

TOSSANUS CALVINO.

Basileae invisere amicum non potuit. Dedicatio comiti Christophoro facta ab hoc grato animo accepta. Ducis Wirtembergici tristis conditio.

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 157.)

Vigilantissimo ecclesiae Genevensis pastori D. Ioanni Calvino domino et fratri meo colendissimo.
Genevae.

S. Carissime et observandissime frater, si res nostrae in eo loco essent quo fuere antehac et tibi non timuissem, ego lectis tuis literis recta Basileam fuissem profectus,[1]) te huc pertrahendi gratia. Sed dabit Dominus Deus aliquando ut nos commodiore tempore invisas. Caeterum quod ad commentarios tuos attinet, eos animo vehementer aequo et grato accepit Illustrissimus Princeps noster, seque diligenter lecturum spopondit, et aliquam erga te animi gratitudinem aliquando ostensurum.[2]) Quod autem ad caetera spectat,[3]) praeter trecenta millia florenorum quae Dux noster *Ulrichus* Caesari numeravit,[4]) aliaque multa incommoda,[5]) *Ferdinandus*

1001. 1) *eo nimirum tempore quo C. Basileae fuerat apud Fallesium.*
2) *N.* 994. *Eum tamen minime in sua castra pertraxit dedicationis autor, lutheranae formulae potius fidelem asseclam.*
3) *Statum ducatus post bellum smalcaldicum.*
4) *dimidiam summam post quindecim, reliquam post* 25 *dies.*
5) *genuflexione praestita et traditis castellis fere in vasalli conditionem redactus fuit.*

illum ducatu suo modis omnibus privare conatur.[6]) Sed ad quae tamen omnia piissimus *Christophorus* noster manet invictus, voluntatem Domini exspectans. Quare ora tu Dominum pro nobis et optime vale in Christo Iesu cum uxore et symmystis, quibus salutem plurimam dices meo nomine. Monsbelgardiae 22. Martii 1548.

Tuus ex animo
P. Tossanus.

1002.

BALDUINUS CALVINO.

Usque Lugduni commoratus variorum et sua negotia lepide et eleganter pro more paucis retractat.

(Edid. Calvinus in libello contra Balduinum scripto p. 44.)

S. Egone aliquid te celarem, mi pater, in cuius sinum ineptias quoque meas et nugas saepius effudi, et quem consiliorum omnium habere conscium et autorem, quoties animo reputo, vix prae gaudio apud me sum? Sed interdum me pudet, hominem, *qui tot sustineat et tanta negotia solus*, toties obtundere, et leviora sunt isthaec nostra quam ut quemquam praeter me implicare debeant. Nihildum literarum a fratre accepi,[1]) et a *Crispino*[2]) exspecto multis de rebus. Interea, dum typographicae scenae servio,[3]) nescio quid mihi intrivi quod excedere est necesse. Sic enim malo nihil agere quam otiosus esse. *Ferretus*[4]) doctor iuris civilis sua civilitate mihi molestus est. Sed cum Cretensi cretisandum est tamen, si modo tantum mihi permittas.

Senatus Gratianopolitanus ad iuris professionem me invitat magnis salariis.[5]) Egi gratias et multa excusans respondi, maiorem eos de absente opinionem concepisse quam praesens sustinere queam. Volunt isti homines, quia me non satis norunt, mihi persuadere, iuris peritum esse me, quum sim minime. Equidem plurimum optabam hic latere, quia sit mihi lux admodum suspecta, sed vix possum. Neque vero tam stultus sum ut inter tot fluctus et brevia et syrtes fingam tranquillum aliquem esse portum. Quid dicam in nostras iam Alcyones saevam quoque hyemem et procellas irruere? Ὁ αὐτοκράτωρ publico suo elogio iam pridem minatur ultra se progressurum. Nunc si omnibus cedentibus grassetur, novum esse non debet. Ac fortassis *unus Pellaeo iuveni non sufficit orbis.* Sed non videt infelix aliquos tamen esse fines, quos perrumpere non possit. Interea si suos hic obteri Dominus patiatur, non temere id fieri scimus. Quid si etiam tandem eos evocare velit quibus dignus non est mundus? Valeat ingrata terra et pereat si servari nolit. Habeat et adoret illum suum cuius Paulus meminit κοσμοκράτορα.

Quod mones,[6]) mi pater, ne haec mora aut ignava desertio, aut nescio cuius periculi fuga esse videatur, faciam ut memorem monuisse scias. Sed illud molestum est quod subverearis ne mihi molesta sit admonitio, nisi iocosa. Serio et severe si castigares, nec tam mihi placeo quin merito fieri agnoscerem, nec tam ingratus sum quin magnas tibi gratias agerem. Imo vero acerbe hunc tuum homuncionem ferito. Nam ut tu iure tuo id facies, et ego longe graviorem ferulam meruisse me fatebor. Sed intercederet, opinor, communis hic noster amicus, in quo non minus favoris erga me quam summi erga te amoris deprehendi. Si quid omnino, hoc certe iudicio mihi facere videor, quod eum et aliquot eius similes, qui sunt bonorum omnium amantissimi, plurimum amem. Ex eo quid hic fiat plenius audies. Gaudeo ad vos iterum proficisci,[7]) ut, quem per literas nuper commovisti, viva voce magis accendas. Ego illi meas salutationes istuc perferendas dedi. Amici fortassis non admittent toties hac in re vicarium. Sed difficile illis erit cum iuris perito litigare. Quid enim non causabi-

---

6) *Miles Hispanus ducatum usque occupatum misere vexabat et iudices constituti erant imperiales qui de regis Ferdinandi iure in illud territorium, quod sibi is arrogabat, deciderent.* (*Heyd, Ulrich* III. 470 *ss.*)

1002. 1) *N.* 987. *Lugdunum ergo reliquerat.*

2) *alias Burgundo* (*N.* 808).

3) Moram Lugdunensem Balduinus consumpsit non solum in commentariis iuridicis concipiendis, sed etiam ut haberet unde viveret functus est in typographia Seb. Gryphii munere correctoris (*Heveling*). *Beza, Resp. ad Bald. in Tract.* II. 216, *eum Gryphii mancipium vocat.*

4) *Aemilius Ferreti Tuscus Ictus postquam variis locis in Italia iurisprudentiam exercuit, primum Valentiae in Delphinatu professor fuit, tum a Francisco rege in Parlamentum Parisiense accitus, tum temporis Lugduni degebat. Postea Florentiae fuit, denique Avenione ubi a.* 1552 *obiit. Ei Hevelingio autore Balduinus librum Lugduni editum dedicavit. Iam tales libri laudantur in Biga p.* 157*:* Annott. in Tit. de aedilitio edicto Lugd. s. a. *et* Breves comm. in praecipuas Iustiniani Imp. novellas. Lugd. 1548. *Caeterum familiaritas illa non diu durasse videtur, qua abusus Balduinus dicitur a Beza* (*l. l. p.* 203*:* ex vetere illa formula, τὰ τῶν φίλων κοινά) *qui eum et erga alium* illiberalis plagii *accusat.*

5) Certe tam habitus iam tunc fuit pro Icto minime vulgari ut non solum Gratianopolitani talem professorem requirerent (tametsi quia istic vixerat existimationem suam minuisset) sed et Bituriges etc. *Biga p.* 157, *ubi annus quidem huius vocationis non indicatur, quem Hevelingius suo iure* 1547 *fuisse coniicit.*

6) *Intercidit ergo hic aliqua Calvini epistola, ea fortasse quam exspectare se dixerat N.* 963.

7) *illum scil. qui has literas perferebat.*

tur? Sed valeant lites. Vale. Ex portu procelloso. Calendis Corinthiis.[8])

Tuus Rochius.[9])

1003.

COVERDALUS [1]) CALVINO.

Mittit ei versionem latinam libelli anglici de ritu coenae sacrae Genevae typis mandandam.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 23. Edita in Epp. a Societate Parkeriana vulgatis lat. p. 20 et anglice III. 31.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino praeceptori suo eximio.

Genevae.

S. P. in Domino. Oblata occasione, virorum clarissime, non potui integritatem tuam non salutare. Ante triduum allatus est huc in mediis nundinis libellus quidam britannicus[2]) illum sacrae communionis ordinem, quem regia Maiestas pro temporis adhuc ratione instituit, complectens. Cuius equidem rei quum plures viderem percupidos, traduxi statim in linguam germanicam et latinam. Atque adeo, quum intelligerem pium hunc hominem vestratem esse, arbitrabar me tibi rem facturum haudquaquam ingratam, si humanitatem tuam hoc qualicunque munusculo donarem. Alteram enim traductionem Germanis datam, alteram, nempe latinam, humanitati tuae transmissam ex animo cupiebam. Tu si hanc felicitatis rationem et pietatis initium aliis significare volueris (prout nunc Dominus religionem suam in Anglia vult renatam) prelo[3]) hoc mei in te amoris pignus committere poteris facillime. Ego nunc post octo annorum exsilium vocatus rediturus sum in Angliam. Vale, praeceptor integerrime, et uxorem tuam de me et mea, quum Argentoratum ascendimus, optime meritam,[4]) benigne saluta. E Franckofordia 26. Martii 48.

Michael (alias Milo) Coverdalus
Anglus.

1004.

VIRETUS CALVINO.

Bernae res adhuc in suspenso sunt. Amicum antequam eo redire cogatur alloqui cupit.

(Ex autographo Cod. Genev. 111[a], fol. 167.)

D. Ioanni Calvino fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Non multis ad te de rebus nostris scribo, quia coram me brevi omnia narraturum spero, si modo conventis steteris.[1]) Huc accedit quod ab hoc tabellario et iis qui quotidie hinc ad vos proficiscuntur multa audire potes. Non sunt enim tam occulta nostra dedecora, quin satis suos prodant autores, qui adeo sui obliti videntur, ut nullos habeant hostes se ipsis sibi infensiores, quique eorum causam magis gravare possint. Stupeo plane ad harum rerum cogitationem et contemplationem. *Fugasius* nuper mihi nunciavit de tui adventus dilatione quod iusseras. Id tuo relinquo arbitrio. Mihi satis veneris opportuno tempore, modo veneris priusquam revocemur.[2]) Quando autem futurum sit nescio.[3]) *Ribittus* quoque ad vos concessurus est, quocum licebit plenius de omnibus conferre, si tibi in tempore opportunus ad nos accessus non concedatur. Nostri te salutant. Saluta uxorem tuam

---

8) *Corinthum Lugdunum esse ex aliis satis superque constat. Calendas vero Corinthias vix aliter interpretari possumus atque de d. 25. Martii, siquidem in Gallia tunc temporis annus ab eo die inchoari solebat.*

9) *Quos versus veterum laudatos supra typis cursivis expressimus, eos reperies ap. Horat. Epp. II. 1, 1 et Iuvenal.* X. 168.

1003. 1) *Miles Coverdale a.* 1540 *ob religionem exsul in Germania degebat sub nomine Michaelis Angli, per aliquod tempus ludimagister in Tabernis montanis, scripta varia ad reformandam ecclesiam facientia anglice vertit (Hilles Bullingero* 15. *Apr.* 1545 *in edit. Parker. I.* 247) *et hoc ipso a.* 1548 *in patriam reversus episcopus creatus est dioeceseos Exeter, usque ad regnum Mariae.*

2) The order of the communion, *editus in liturgiis Eduardi VI. (Parker-Soc.) Exstat versio latina sub titulo:* Ordo distributionis sacramenti altaris sub utraque specie et formula confessionis faciendae in regno Angliae. Haec Londini evulgata sunt d. 8. Martii anni 1548. *Cf. W. Maskell, the ancient liturgy of the church of England p. XIV. Burnet, hist. of the reform. Ed.* 2. *Lond.* 1681, *fol. Part. II. p.* 64. *Strype, Mem. II.* 1. 96.

3) *Coverdalii versio Genevae impressa non fuisse videtur.*

4) *Ergo paulo post Calvini nuptias.*

1004. 1) *Num steterit nescimus quidem, sed stetisse ex eo fortasse conicere licet quod proximis hebdomadibus epistolae inter eos mutuae scriptae esse non videntur et quae proxime scriptae exstant de his negotiis nihil habent.*

2) *Iam prius Bernam citatus fuerat, sed tum nihil decretum. Metuit iam infaustum negotii exitum, qui tamen non ipsi sed Sulzero talis fuit.*

3) *Sulzeri causa m. Aprile vergente acta est, cum Zebedaeo lis per totum annum extrahebatur.*

meo et meae nomine. Dominus Iesus te diu nobis servet incolumem. Vale. Lausannae 29. Martii 1548.

Tuus Petrus Viretus.

Mihi exciderat ad te de coniugio Beati *Bar*[4]) scribere, qui hoc nomine quotidie mihi valde est importunus. Obsecro ut si quid habes consilii eum et nos hac liberes molestia.

1005.

MINISTRORUM LAUSANNENSIUM DECLARATIO.

Pertinet hoc fragmentum manifeste ad controversiam illam quae hoc tempore Bernae agebatur, ex praecedentibus et sequentibus literis satis cognitam.

(Reperimus hoc fragmentum Bullingeri manu descriptum in Archivis Turic. Plut. VIII. Vol. 44 olim Scrin. B. Vol. 41 p. 469 seq.)

De potestate clavium et efficàcia ministerii verbi disputata ministrorum quorundam Lausannensium.[1])

Initium desideratur.)

Pronunciatum.

Qui nescit se habere potestatem ligandi et solvendi, peccata retinendi et remittendi, is ministri munus tueri nullo modo potest, quum suae functionis ignoret rationem.

Probatio.

Matth. 16 et Ioan. 20 utrobique expressis verbis ab ipso Domino dicitur: Quod ligaveritis aut solveritis, quorum peccata retinueritis aut remiseritis. Non dicit: Quibus renunciaveritis remissa esse etc. Is est Christi et spiritus sancti stylus, qui aliis verbis sententiam, si voluisset, enunciare potuisset. Quod si cui parum placuerint hae dicendi aut loquendi formae, Christo et spiritui sancto, quos sequimur duces et praeceptores, non nobis irascatur.

Non ideo abhorrendum est ab usitatis scripturae dicendi formis quod ipsis abusi sunt papistae. Alioqui cogeremur a tota scriptura sacra abhorrere, utpote qua non tantum haeretici sed et magi abutuntur.

Nec pugnant inter se quod hic dicitur Christus dedisse potestatem remittendi peccata discipulis, et quod alibi scribitur solus Deus remittere peccata (Iesaiae 42; Marci 2). Utrobique enim loquitur Dominus. Iccirco scripturam sequentes iure asseverare possumus, Deum esse qui liget et solvat, eundemque potestatem dedisse suis discipulis, sed ratione diversa. Deus enim is est qui sua ipsius autoritate et potestate absoluta, a nullo alio accepta, peccata remittit: homo autem in se nullam habet potestatem. Imo ne ipsum quidem verbum externum, quo peccata nunciantur remissa, solvere non posset sua virtute. Absolvuntur ergo homines Dei virtute, qui per suum spiritum in verbo efficax est, quique id praestat in animis et efficit, quod in auribus verbum externum personat.

Proinde si omnia propius expendamus non ministri[2]) est proprie qui peccata remittit aut retinet, sed ipse spiritus sanctus qui est in ore ministri, velut in organo a se electo. Propria ergo autoritate remittit Deus. Ministri remittunt potestate et autoritate ab illo spiritu in eis agente accepta et illis velut organis utente.

De Christo Domino legimus in Isaia et Luca: Ad evangelizandum misit me ut praedicarem captivis libertatem etc. Huc allusit haud dubie Dominus quum emittens discipulos suos dicit: Sicut me misit pater, ita ego vos mitto: quorumcunque remiseritis etc. Alioqui quis esset usus ministerii si nullus sequeretur effectus?

Et haec ratio remittendi peccata per ministerium et ministros non plus derogat divinae potestati, quam nuncii aut apparitoris alicuius data a principe potestas autoritate et potestate principis denunciandi liberationem aut condemnationem.

Pronunciatum 4.

Dona spiritualia quum impertiant ministri confirmentque fideles, qui eos aspernatur non homines sed oblata dona spiritus aspernatur, denique donantem contemnit.

Probatio.

Rom. 1 dicit Paulus, se teneri desiderio Romanos videndi, ut aliquid doni spiritualis impertiat eis et confirmet eos. Novit Paulus id Dei proprium esse ac spiritus: non abhorruit tamen ab ea

---

4) *N.* 965. 966.
1005. 1) *Vide excerpta ex Halleri diario quae habebis ad marginem sequentis.*

2) *sic!*

loquendi forma, quo ornaret ministerium: ministros, suo modo et ministris proprio, spiritualia dona impartiri ac confirmare.

1. Cor. 3 dicitur: Cooperarii sumus Dei. Non sunt autem cooperarii nisi aliquid Deus per eos operetur, sicut per agricolam in cultura agrorum et in frugum proventu.

1. Cor. 4 dispensatores mysteriorum vocat ministros. Qui autem dispensat aliquid distribuat necesse est. Mysterium illud evangelium est. Evangelium nonne donum est spirituale?

Rom. 15 et 1 Cor. 9 tribuitur ministris communicatio rerum spiritualium. Si spiritualia sua communicarunt, debent et hi ministrare carnalia.

2. Cor. 3 vocat se Paulus ministrum non literae sed spiritus, active non passive, quasi ipse spiritum illum ministret et spiritum quidem Novi Testamenti quem spiritui legis opponit. Hic est stylus Pauli qui sibi videtur arrogare partes spiritus sancti, quasi ipse, velut suo habitu, quibuscunque velit spiritum impartiat, quum alia sit eius mens. Nam quis spiritum conferre potest praeter Deum ipsum, cuius est spiritus? Attamen tribuit ministerio, quod per eum spiritum efficax est ministerium.

1. Tim. 4. Si haec feceris te ipsum servabis etc. Servatoris officium, quod solius Dei est, homini communicat, quod Deus servator per ministerium ad salutem adducit.

Lucae 22. Tu conversus confirma fratres etc. In Actis cap. 15: Confirmarunt fratres et ecclesias. Ministri ergo confirmant.

Haec ministri aliquot Lausannensis ecclesiae proposuerunt senatui Bernensi in Martio anno 1548.

1006.

CALVINUS MINISTRIS BERNENSIBUS.

Discordiam inter eos exortam et indies magis ferventem sedare pacemque componere conatur.

(Exemplar authenticum, si revera unquam Bernam missum fuerit, non exstat. Fragmentum tantum Calvini manu scriptum, et hinc inde emendatum et variatum legitur in Cod. Genev. 107ᵃ, fol. 313 cum inscriptione recentiore: *Ep. est ut puto ad Iodocum, Sulzerum et Beatum ministros urbis Bernae.* Occurrit etiam in Cod. Turret. 108, fol. 171 in Arch. Bern. Epp. VII. p. 156 et ap. Simlerum Vol. 66.)

Gratia vobis et pax a Deo patre nostro et Domino Iesu Christo. Fratres mihi carissimi et honorandi. Tenetis memoria ut mense Februario [1]) quum istac transirem, vobiscum fuerim loquutus. Ita vero tunc discessi a vobis ut tristis mirum in modum ob vestras discordias et anxius gratias tamen agerem Domino, quod huc saltem eratis adducti, ut vos fore paratos diceretis ad placidam tractationem, quae mihi optima reconciliationis via esse videbatur. Ab eo tempore non immerito me ista sollicitudo noctes et dies cruciavit, ne interea, dum res differebatur, malum eo usque erumperet ut non esset amplius locus remedio. Videram enim exordia quae me plus timere cogebant quam dicere auderem. Itaque saepe fuit in animo amicam istam colloquutionem iterum literis urgere, quam mihi utrinque eratis polliciti. Sed verebar ne mea sedulitas vitio mihi verteretur a quibusdam, quasi satagendo ultra me ingererem quam decebat. Quanquam certe non debuerunt mihi obstare perversa hominum iudicia quin officium facerem: praesertim ubi urgebat tam gravis necessitas. Audieram vestras querimonias, quum utraque pars deploraret miserrimum ecclesiae vestrae statum. Hei mihi quam durum est hoc nomen inter Christi ministros. Quod tamen ipsa rei veritas mihi extorquet. Nam ubi ardent quotidiana certamina, quid aliud dicerem quam adversas illic esse partes? Atqui magis ac magis exacerbatam fuisse contentionem audio quae iam tunc plus satis vigebat. Et malum procul dubio in dies gliscet et crescet, nisi brevi tollatur. Verum quia tunc alios aliis suspectos esse cognovi, unum timeo, ne quidquid ab una parte dictum fuerit mox ab altera respuatur, nisi huic periculo per alios occursum fuerit. Ergo post longam cessationem

---

1006. 1) *Haec indicare videntur m. Februarium iam diutius elapsum fuisse. Adde quod infra dicit de longa* cessatione, *i. e. intervallo inter illud colloquium et hanc scriptam epistolam. Itaque ad m. Aprilem referimus. Quid quod lectis Vireti et Calvini epistolis d.* 18. *et* 23. *Apr. datis tu fortasse potius ad finem mensis detrudendam opineris, ubi de successu desperans absolvere scriptionem noluerit. Quod habet Henry II.* 462 *rem non expedit. Utilius conferes Hallerum, in Diar. p.* 79 *sq. ita scribentem:* Etiam hanc ecclesiam sacramentaria exagitaverat controversia . . . Visa fuit quibusdam ministris concordia Wittebergensis acceptabilis, aliis vero qui videbant quo ea tenderet intolerabilis erat. Hinc dissociati sunt animi passim per urbem et agrum. Res coram magistratu saepe acta et composita sed sopiri nequivit, ut potius quotidie pro suggestu ministri de hac re altercarentur, et senatus totaque civitas ita scinderetur ut aliquando parum abesset quin in senatu contra se mutuo manifestis armis insurrexissent. Fuit inter alia institutum a senatu ut omnes ministri iureiurando obligarentur ad doctrinam in disp. Bernensi receptam, ne qui contra hanc innovare quidquam tentarent. Hoc quum aliqui non servare viderentur tandem res eo devenit ut aliqui dimitterentur a ministerio, S. Sulzerus et B. Gerungius qui hic Argentinam alter Basileam concessit. Accesserat etiam ad veterem contentionem disputatio quaedam Lausannae a doctis habita de potestate ministerii ecclesiastici et quod minister esset super omnes, et infra omnes reliqui homines. Quas propositiones quum aliqui huius ecclesiae ministri approbarent, senatus commotus eos dimisit.

omnia revolvens has mihi partes suscipiendas esse duxi, ut de capitibus doctrinae inter vos controversis quod sentio vobis in medium proponam: ut hic vobis ad conficiendam transactionis formulam sit ingressus. Equidem mihi tantum non sumo ut vobis in istis quaestionibus definiendis velim praeire. Sed quia non alia ratio apparet commodior, omnia malo experiri quam non aliquid agere. Quanquam forte nunquam huc progressus forem, nisi animum mihi fecisset ipsa experientia. Nam quum tecum de singulis conferrem, *Iodoce* frater,[2]) animadverti te a sensu meo nequaquam abhorrere. Quin etiam testatus es quae dicebam tibi placere. Eadem quum seorsum vobis referrem, *Sulsere* et *Beate*, libenter amplexi estis. Nihil tamen hic sum dicturus quod non summatim tunc comprehenderim. Haec ratio mihi, opinor, pro excusatione valebit, ut ab omni arrogantiae suspicione liberer, si me quasi medium interponens primas dicendi partes occupo.

Tria sunt de quibus inter vos dissidetis. Primum est, quis sit finis et quae efficacia ministerii. Secundum, quid nobis conferant sacramenta. Tertium, an et quomodo in coena exhibeatur Christi corpus.

[De[3]) ministris et eorum functione bifariam loquitur scriptura. Aliquando quid per se valeant describit, aliquando spiritus sancti gratiam includit sub eorum ministerio. Quum seorsum statuitur minister, prorsus in nihilum redigitur cum tota sua virtute. Praestantissimum etiam quemque intelligo. Nam qui omnibus alioqui spiritus sancti donis ad miraculum usque instructus erit, quantumvis laboret nervosque omnes intendat, atque adeo dona illa quae coelitus accepit depromat in medium, nihil tamen proficiet conatu suo aut labore.]

In hunc finem ordinatos esse a Deo ministros, ut ex mortis potestate ereptos homines in vitam restituant, et ex diaboli servis filios Dei faciant, negari non potest. Quid amplius vel dici potest vel cogitari? Atque, ut propriis scripturae verbis utamur, Paulus docet, placuisse Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes. Malachias venturum Heliam promittit, ut corda patrum convertat ad filios. Christus apostolos mittit ut eant et fructum afferant. Dicitur apostolos et pastores creasse ad instaurationem sanctorum[4]) etc. Paulus se apostolatu fungi testatur ut gentes adducat in obedientiam Deo, se in hoc incumbere ut omnes Deo perfectos exhibeat. Item alibi: ut sistat Christo virginem castam.[5]) Denique praedicatio evangelii Dei regnum vocatur in hominibus, semen vitae aeternae, illuminatio cordium, potentia Dei in salutem omni credenti, adeoque odor vitae in vitam.[6]) Ex hoc fine iam fructus quoque et efficacia ministerii aliqua ex parte apparet . . .[7])

Labor noster inutilis non fuit in Domino secundum potentiam eius potenter in me efficacem (Phil. 2, 16. 1. Thess. 2, 1. Col. 1, 29).

Convertet Helias cor patrum ad filios, ut incredulos convertat ad prudentiam iustorum (Mal. 3, 24).

Quorum remiseritis peccata (Ioann. 20, 23).

Mitto vos ut eatis et fructum afferatis (Ioann. 15, 16).

Evangelium potentia Dei in salutem etc. (Rom. 1, 16).

Si salvos faciam aliquos ex ipsis ministerium meum honoro Rom. 11 (13).

Fides ex auditu (Rom. 10, 17).

Vos in eorum labores introistis (Ioann. 4, 38).

Mercedem quisque pro labore accipiet: si cuius opus manserit (1. Cor. 3, 8. 14).

Ego per evangelium vos genui (1. Cor. 4, 15).

Vos estis sigillum apostolatus mei (1. Cor. 9, 2).

Odor vitae in vitam, odor mortis in mortem (2. Cor. 2, 16).

Ministros fecit spiritus (2. Cor. 3, 8).

Posuit in nobis verbum reconciliationis (2. Cor. 5, 19).

Itaque legatione fungimur (2. Cor. 5, 20).

Sperantes magnificari crescente fide vestra secundum nostram regulam (2. Cor. 10, 15).

Qui efficax fuit in Petro ad apostolatum circumcisionis in me fuit efficax etc. (Gal. 2, 8).

---

2) *Quibus aliis epithetis eum ornaverit in camera caritatis, leges infra in ep. ad Viretum. N.* 1010.

3) *Totum hoc comma, usque ad verba:* aut labore, *ab ipso autore linea inducta deletum Cod.* 108 *simpliciter om. et sic caeteri.*

4) 1. *Cor.* 1, 21. *Mal.* 3, 24. *Ioann.* 4, 36. *Ephes.* 4, 12.

5) *Rom.* 1, 5. *Col.* 1, 28. 2. *Cor.* 11, 2.

6) *Gal.* 6, 8. *Ephes.* 1, 18. *Rom.* 1, 16. 2. *Cor.* 2, 16.

7) Hoc scriptum non fuit absolutum a. D. Calvino (*Ionvill.*) — *Cod.* 108 *haec habet:* Reliqua desiderantur quod forte C. epistolam non absolverit. At huic epistolae fragmento chartula adiecta est qua in duabus columnis collecta fuerunt a C. omnia scripturae loca quae de ministerii efficacia agunt. In una exstant loca quae plurimum efficaciae ministerio tribuunt, e quibus multa hic a C. adducta sunt, in altera vero ea exstant quae Deo ipsi hoc adscribunt quod fit ope ministerii. Unde colligebat C. quod iam quidem in hoc fragmento notaverat sed postea in sequentibus observandum deleverat: de ministris et eorum functione bifariam loqui scripturam *etc.* Haec observare visum est ut pateat qua methodo C. uteretur ubi quaestio alicuius momenti excutienda erat. Varia scripturae loca quae ad eam pertinebant in unum congerebat, ut inde colligeret quid de ea sentiendum esset. *Locorum allegatorum sedes s. fontes nos adscribimus.*

Spiritum accepistis ex operibus legis an ex auditu fidei (Gal. 3, 2)?

Filioli mei quos iterum parturio (Gal. 4, 19).

Ecclesia mater nostra quae parit in libertatem (Gal. 4, 26).

Mihi datum est illuminare Ephes. 3 (9).

Ipse dedit apostolos ad instaurationem sanctorum (Ephes. 4, 11 sq.).

Ut exhibeamus omnem hominem perfectum (Col. 1, 28).

Desponsavi vos (2. Cor. 11, 2).

Evangelium nostrum non fuit apud vos in sermone tantum sed in virtute (1. Thess. 1, 5).

Vos estis gloria nostra (1. Thess. 2, 20).

Prohibentes nos loqui gentibus ut salutem consequantur (1. Thess. 2, 16).

Renati ex semine incorruptibili. Hoc est verbum quod praedicatum est vobis (1. Petr. 1, 23 seq.).

Multos filiorum Israel convertet ad Dominum. Luc. 1 (16).

* * *

Qui plantat nihil est (1. Cor. 3, 7).

Plus omnibus laboravi. Non ego sed gratia Dei quae mihi adest (1. Cor. 15, 10).

Dabo legem meam in corda (Hebr. 8, 10).

Illuminet oculos mentis vestrae (Ephes. 1, 18).

Ego sum qui deleo iniquitates (Ies. 43, 25).

Quis credidit auditui nostro et brachium Domini cui revelatum est (Ioann. 12, 38).

Rom. 15 (16). Sacrificans evangelium ut fiat oblatio gentium munda sanctificata spiritu.

Non audeo loqui quae per me non efficit Christus in obedientiam (Rom. 15, 18).

Placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes (1. Cor. 1, 21).

Praedicatio nostra fuit in demonstratione spiritus (1. Cor. 2, 4).

Epistola nostra estis, epistola Christi etc. (2. Cor. 3, 2 seq.).

Deus qui iussit e tenebris lucem splendere illuxit cordibus nostris. Habemus hunc thesaurum in vasis fictilibus etc. 2. Cor. 4 (6).

1007.

KILCHMEIERUS BULLINGERO.

Certiorem facit de controversia nova inter Lausannenses ministros orta deque propositionibus quibusdam theologicis ab iisdem publice affixis quas senatus sub examen vocandas duxit.

(Excerptum ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 115, olim Scrin. B. Epp. T. 8. p. 2836. — Simler. Vol. 66. — Inscriptio desideratur.)

— — — — — — — — — — — — — — — —

P. *Viretus* cum nonnullis aliis ministris ex classe Lausannensi ad Bernam vocati fuerunt superiore mense, propter examen ibidem super aliquo ministro [1]) sinistre et contra pristinum ordinem habitum. Insuper et 99 conclusiones ecclesiae valvis affixas Lausannae disputarunt, [2]) in quibus quid quaesierint, ac sophisticis verborum ambagibus phalerisque contenderint, ex decem illis quas tibi legendas atque examinandas mitto, facile intelligere poteris. Senatus semel decrevit, conclusiones a consistorio nostro prius examinari, adiunctis quibusdam ex senatorio ordine, una cum ministris ecclesiae omnibus: quorum diligentia et labore quae latine scripta erant in germanicam linguam verterentur. Simulque praecepit ut argumenta sua Lausannenses ostenderent, quibus conclusiones tueri et pro veritate stabilire tentarint. Deinde mandatum est nobis, fideliter discussa atque interpretata ad senatum referre omnia. Stamus itaque nunc pro Dei gratia parati et armati, singulis horis exspectantes quando iubeamur deprehensa et in germanicum versa senatui offerre, qui sententiam de universis ferens maledictae semel contentioni, ut firmiter speramus, finem impositurus est, [3]) si alioqui mavult pacem et concordiam quam gloriam graecam, et ex huiusmodi disputationibus subinde novas videre ac pati haereses. Perlectas conclusiones, ac diligenter a te fratribusque nostris, qui in sermone et doctrina tecum laborant, examinatas quam primum poteris remitte, addito illo quidnam ipsi de singulis sentiatis: quorum sententiam audire quam cupidissime desidero. — — — — — — Ex Berna 2. Aprilis 1548.

Iodocus Kilchmeyer
tuus semper.

1007. 1) *Zebedaeo.*

2) *Latinismi elegantia penes ipsum autorem esto. Caeterum de his propositionibus cf. Ruchat V.* 345 *et Hundesh. p.* 207, *Kirchhofer, Farel* 2, 91 *qui tamen omnes nonaginta tantum theses fuisse dicunt in numero falsi. Quas certum est articulum de potestate clavium tractasse. Inde irae. Nam in hoc maxime senatus Gallorum ministrorum praesumptionem severiore vigilantia arctis limitibus circumscribere studebat, neque tolerandum putabat ut in disciplina exercenda et excommunicatione irroganda ὑπὲρ ὃ γέγραπται evagarentur.*

3) *et revera imposuit, ante finem mensis dimisso Sulzero. Contra Iodoci dispositionem qualem hic manifestat, quid Calvini exhortatio* (*N.* 1006) *profecisset, siquidem absolutam Bernam misisset, facile perspicies.*

1008.

CALVIN A M. DE FALAIS.

Au sujet du retard apporté à son voyage.

(Orig. autographe. Bibl. de Genève. Vol. 194, f. 76. — Éd. d'Amst. p. 167. — Éd. Bonnet I. 247. Trad. angl. II. 148.)

A Monseigneur Monsieur de Fallez.

Monseigneur, voz lettres sont venues bien a poinct, pour empescher le partement de mon frere.[1]) Car cestoit chose conclue, si ie neusse este adverty. Mais pour vous dire mon advis sur les raisons qui vous retiennent la, ie ne trouve pas quelles deussent avoir telle importance. Vous voiez comme ie vous en escris priveement. Et ne crains pas de le faire, estant advoue par vous. Ie navoye pas estime quil vous fallut renoncer expressement a la bourgeoisie.[2]) Combien que ie prevoye bien cela comme une renonciation tacite, quant vous auriez arreste vostre demeure en aultre seigneurie. Puis quil y a dadvantaige, cest raison de passer par la, sinon quon peult obtenir quelque moderation. Assavoir quant mesme vous seriez plus long temps absent, quen vous offrant a faire tous devoirs de bourgeois en vostre absence, quil leur pleust vous retenir. Ou bien sil ny avoit point desperance quant a cela, il seroit question de presenter nouvelle requeste, sur la response quilz vous ont donnee, pour les prier que cas advenant que vostre commodite portat de vous tenir icy, enapres[3]) que vous y seriez venu, quil ne vous fust pas propre de retourner, quilz se contentassent de renonciation par procureur. Combien que ie vouldroye coucher les deux conditions en telle sorte. Comme ainsi soit quilz vous ayent respondu comme ilz ont, vous estant incertain quant vous serez venu par deca, si vous trouverez bon dy faire vostre residence, les vouldriez bien supplier, quen suppleant, comme il sera de raison, a ce qui pourroit deffaillir par vostre absence, il leur pleust vous retenir encore pour quelque temps, et en somme vous prolonger le terme. Ou bien, craignant de les importuner, que pour le moins vous les priez daccepter renonciation par lettres, a cause de la foiblesse de vostre personne. Comme ilz scavent que vous nestes pas si portatif. En ce faisant vous leur osteriez une partie de la souspecon quilz peuvent concevoir, que vous les voulez abandonner. Tant y a quilz auront, se me semble, plus doccasion de se contenter. Quoy quil en soit, ie nay pas espere que le droict de bourgeoisie vous demeurat a la longue.

Touchant du bruict que voz rustres ont seme pour vous calumnier, cela ne mesbahit guere. Mesme iay bien faict mon compte que vous ne partiriez pas, sans que plusieurs en dissent leur rattelee. Et vous fault preparer a cela, tant pour laultre annee que pour ceste cy. Toutefois il y a un bon reconfort que cela sen va tantost en fumee. Ie crains encore moins la menace faicte en loreille.[4]) Car il fauldroit grande entreprise en un tel chemin. Et ne scay qui en oseroit estre le chef en si grant difficulte et si gros hazart. Brief, ie ny apercois nul danger pour vous, selon que nous avions dispose les iournees. Mais puis que vous trouvez meilleur de differer pour quelques mois, et que le conseil daulcuns amis le porte ainsi, ie ne vouldroye vous en faire plus grande instance: et maccorde plustost a ce dellay, quen vous solicitant au contraire vous mectre en nul[5]) danger ny en fascherie.

Ie ne scay pas si cest este descouvrira les conseils de ceux qui peuvent troubler le monde.[6]) Quant a moy, ie ne le pense pas, sil ny survient quelque accident nouveau. Toutefois ie ne me fie pas tant en mes coniectures, que ie nattende le temps, et me remecte a ce quil plaira a Dieu en disposer.

Encore que vostre venue soit retardee, il ny aura nul interest pour la maison.[7]) Car ie navoye arreste nul marche. Seulement iavoye achepte un bon tonneau de vin, tel quil seroit difficile a recouvrer. Mais ie men suis deffaict sans difficulte, et mesme a requeste. Ainsi ce sera a vous dadviser comme les affaires se porteront par dela, et sur ce prendre conseil. Et ne soiez en poine que nul prengne mal ce changement. Car combien que tous ceux de vostre cognoissance desirent bien de vous voir icy, toutefois il ny a celluy qui ne prefere vostre commodite et repos.

Si ieusse trouve messaiger propre, ie neusse pas attendu si long temps a vous envoier le supplement[8]) des apologies. Mais ie ne scay par quel moien. Car iusque icy il ne sest offert ne voiture ne porteur. Quant ie le pourray faire, ie ny fauldray. Des latines vous ne men avez point declaire vostre vouloir, que ie scache. Plus tost vous remectiez cela a vostre venue. Parquoy

---

1008. 1) *Le départ de Bâle ayant été ajourné, il paraît que ce fut Ant. Calvin qui devait aller prendre M. de Falais, au lieu de Le Fert.*

2) M. de Falais ne pouvait s'établir à Genève sans perdre le droit de bourgeoisie qu'il avait acquis à Bâle (*Bonnet*).

3) ou apres *Bt. Amst.*

4) *On avait sans doute déconseillé le voyage, en prévision d'un guet-à-pens en route.*

5) mal *Amst. Bt.* (mischief).

6) *L'empereur et le roi de France.*

7) *à Veigy.*

8) *le reste des exemplaires.*

mandez moi, sil vous plaist, en un mot, quon les imprime, et il se fera.[9])

Sur ce, Monseigneur, apres mestre humblement recommande a vostre bonne grace, ie prieray nostre bon Dieu de vous tenir en sa protection, avoir tel soing de vous que tous voz pas soient guidez par luy, et vous faire servir tousiours de plus en plus a sa gloire. Ma femme vous presente aussi ses humbles recommandations. Et tous deux desirons destre bien recommandez a Madamoiselle et a Madamoiselle de *Bredan*. Ce 3. dapvril.[10])

Vostre humble frere et serviteur,

Iehan Calvin.

1009.

VIRETUS CALVINO.

Zebedaeus calumniari pergit, Bernae res dubiae adhuc, sed, ut videtur, solutioni propiores.

(Ex autographo Cod. Genev. 111ᵃ, fol. 168.)

Fidelissimo Iesu Christi servo Ioanni Calvino fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Noster[1]) pergit suo more omnia calumniari etiam quae sunt apertissima. Rursum proximo colloquio[2]) conatus est mihi novas struere calumnias, coram nostro consessu duntaxat, me autem absente, non publice coram toto auditorio. Sed quo magis progreditur, eo se magis atque magis prodit. Valde horreo ad hominis impudentiam. Nam impudentia non est impudentia si cum hoc conferatur. Vocat tamen eum is[3]) ad quem nos detulit strenuissimum athleten, quum eum iubet salutare. Dignum scilicet spatella operculum. Non possunt non esse strenuissimi quibus os est tam durum et tam ferreum. Quo autem in statu sint res nostrae Bernae, intelliges bona ex parte ex *Sultzeri* ad me literis quas ad te mitto, ut tuum super iis quae aguntur et parantur nobis consilium communices. Nam, ut audio, haec res non negligetur. Faxit Deus ut feliciter omnia cedant, aperiatque iis oculos, qui in hac causa auditores et iudices futuri sunt, ut videant et iudicent quod rectum est. Nostri te omnes salutant. Vale. Lausannae 18. Aprilis 1548.

Tuus Petrus Viretus.

Mitto etiam literas *Othmanni* ad *Balduinum*.

1010.

CALVINUS VIRETO.

Causa Lausannensium ipsi nondum deplorata videtur, non obstante adversariorum ferocia. Imo urgendum senatum suadet ut quamprimum procedat et decidat.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 212 ad quod accedebant exemplaria eiusdem Bibl. 111ᵃ, fol. 16 et 111, fol. 187, tum Bernense Epp. VII. 866 et Simleri Vol. 66.)

Optimo et fidelissimo Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et amico integerrimo.

S. Remitto ad te binas *Sulzeri* literas.[1]) Mihi non dubium est quin *Iodocus* qua solent barbari homines ferocia insultet. Quae etiam in literis posterioribus narrantur vera esse existimo. Verum quia *Sulzeri* timiditatem[2]) nosti, deinde non te latet quam cupidi sint in colligendis rumoribus et ad vanissimos quosque excipiendos proni et faciles, non est quod te commoveant eius coniecturae: nisi quod omnia timenda sunt ut caveamus. Librum de quo se iactant adversarii eum esse coniicio quem *Bullingerus* mihi legendum ostenderat. Scio, te valde pudebit hominis ubi legeris.[3]) Et tamen de causae vestrae exitu bene spero,[4]) et eo quidem melius quod *Iodocus* ita decurrit ad extrema. Habet forte paucos ebriosos qui illi applaudunt et quibus se ipse venditat. Sed existimo magnae parti suorum quoque displicere. Caeterum idem vobis agendum cen-

---

9) *L'époque précise de l'impression du texte latin ne peut être déterminée. Du reste elle n'indique ni lieu, ni date, ni nom d'imprimeur.*

10) *Au dos:* Receu 12. apvril 1548.

1009. 1) *Zebedaeus.*

2) *Hoc ergo nuper celebratum fuerat, utrum ex vetere more, an pro novo edicto unum ex quatuor permissis nescimus.*

3) *Bernensis, puta, aliquis senator aut minister qui in hac causa partes aliquas easque non ultimas agebat.*

1010. 1) *infeliciter deperditas.*

2) *Iam timidum vocat, de quo olim alia de causa querebatur, quia ipse, si eius loco fuisset, fortiori animo et victrice eloquentia istis restitisset.*

3) *Utiliter hic conferes quae ad ipsum Bullingerum de eo scripserat* (*N.* 999).

4) *Antequam haec epistola Vireto reddita sit Sulzerus dimissus fuit.*

seo quod nuper constituimus:[5]) nisi vos ultro vocet senatus, et quidem brevi, ut cognitionem causae urgeatis. Sed tamen ut a *Guillelmo* fiat initium, quia et eius causa minus habet difficultatis, et erit non leve praeiudicium, si fuerit restitutus:[6]) quod futurum nemo nostrum non sperat. Nolim tamen, quoad de toto negotio pronunciatum erit, vos quiescere. Nam si in hoc cardine cessatum fuerit, nova subinde certamina pullulabunt. Et Dominus vestram inertiam puniet. Vos ergo insistite ut ne vestram controversiam suspensam relinquat senatus.[7]) Nihil in eiusmodi actione odiosum video. Quod si esset, semper tamen officium inter nos debet praevalere. Sed ipsa quoque facilitas addat animos. Vale, frater et amice integerrime. Dominus te et reliquos fratres spiritu constantiae instruat, sicuti hactenus fecit, vobis adsit in causae suae defensione vestrisque laboribus benedicat. Uxori tuae plurimam salutem meo et uxoris meae nomine. Genevae 23. Aprilis 1548.

Ioannes Calvinus tuus.

5) *Hinc coniicere possis eum nuper Lausannae fuisse.*
6) *Videtur minister aliquis fuisse a Bernensibus destitutus, nostris scil. iudicibus, praeter ius fasque.*
7) *Imo reliquit, satis habens eos exemplo Bernensium ministrorum admonuisse ne quid sibi in rebus gerendis praesumerent quo magistratus iura usurpare viderentur. Zebedaei et Vireti controversia minime sopita fuit.*

1011.

CALVINUS VIRETO.

Senatus consulti Bernensis iam lati ignarus amico suam sententiam exponit quo modo, ut tandem lis dirimatur, procedendum sit.

(Proxime sequitur praecedentem in quatuor exemplaribus modo memoratis.)

Optimo Christi ministro Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri carissimo.

S. Ut maxime desipiant Tigurini, nullum vobis privatum periculum imminere arbitror.[1]) Tantum deflenda est ecclesiae conditio, quod tantum habetur fidei improbissimis calumniis. Quasi fatali quodam impetu feruntur hominum animi ad malas causas amplexandas. Summam obtinent autoritatem, qui recti studii parum habent, iudicii etiam sanaeque intelligentiae multo minus. Sed nihil istorum novum. Dominum precari malo, ut vos spiritu consilii e coelo regat, quam consilium vobis dare, quod potius ex re praesenti sumendum erit. Ut tibi meas coniecturas aperiam: hoc est pessimum quod timeo: Senatus, vel ut consulat pudori suo, vel quia plus improbitate sua valebunt praeposteri homines quam boni constantia et gravitate, reperiet in vestris sententiis quod carpat, simulque admonebit, ut sitis in posterum cautiores. *Zebedaeum* tacito iudicio etiam mali damnabunt, sed bonis etiam modica verborum correctio sufficiet. Putabunt enim quiddam magnum se consequutos, si victor ille non discedat. Id si continget, videte et expendite sedulo, an vobis sit acquiescendum. Ego, quantum ad me attinet, ultra insisterem. Tametsi nihil vobis praescribo, Sed ablata est tota docendi libertas, nisi in tempore tam moderata doctrina asseratur. Quare vestrum est ire obviam. Neque vero alienum esset, Tigurinis communes scribere literas fratrum nomine, quibus significetis, vos de *Ruffi* apologia audiisse quiddam. Hic iustissima erit expostulatio, quod in gratiam hominis ignoti[2]) fratres damnare non dubitent, longo saltem usu et solidis documentis probatos. Deinde fontem ipsum aperiatis. De causa ipsa disserere, esset supervacuum. Breviter attingere praestabit, et longiorem explicationem, si desiderent, offerre.

Vale, frater et amice integerrime, una cum tuis collegis, quos velim salutes meo nomine diligenter, et simul uxorem tuam. Collegae mei vos habent in Domino commendatos, totumque negotium. Dominus Iesus vobis adsit, ac felici eventu demonstret, se vobis adfuisse.

In coniugio *Benedicti*, nihil melius visum est, quam ut redirent ambo ad fidem datam. Ita factum est, ut rata essent sponsalia. 6. Calend. Maias 1548.[3])

Ioannes Calvinus tuus.

1011. 1) *Bullingerus cuius autoritas maxima erat Bernae et apud Kilchmeierum, ipse videtur aliquo pacto intervenisse, Calvino scil. minime probatus. Caeterum hic decisionem senatus d. 24. Apr. factam nondum resciverat quum hanc scriberet. Quod etiam ex eo efficies, quod Vireto autor est ut ne acquiescat. Nam tale consilium post expulsos Bernenses amicos plus quam temerarium erat, imo insanum.*

2) *Si illis, nedum nobis.*
3) 6. Maii *apogr. quae pro more voc. Calend. omittunt. Si de vera lectione post inspectum autographon dubium esse posset sequentes epistolae argumenta nobis non pauca praeberent.*

1011 bis.

TOSSANUS CALVINO.

(Talem epistolam d. 28. April 1548 datam in sua collectione nobis negata exstare affirmabat Sarravius.)

1012.

CALVINUS MINISTRIS LAUSANNENSIBUS ET BERNENSIBUS.

Lausannensibus Bernam profectis fusius suam sententiam aperit de causa eorum in praesenti rerum statu apud senatum agenda. Cur ipse non eodem superveniat declarat, iter ad Turicenses suscipiendum suadet, se comitem adfuturum promittit.

(Autographon non exstat. Contulimus quatuor apographa Ionvillaei Cod. Genev. 111a, fol. 26, Turretini Cod. 108, fol. 185, Bernense Epp. VII. p. 520 et Simleri Vol. 66.)

Quum heri venisset *Merlinus* [1]) noster, invenit me in lecto iacentem: laborabam ex dolore capitis. Iam triduum luctatus eram, sed morbus tandem vicerat. Surrexi mox nihilominus et profectus sum ad consulem, [2]) quem pridie intellexeram esse Turriaci. [3]) Narravit se adfuisse, [4]) et rem totam melius exposuit. Reversus paulo ante septimam sensi importunam equi agitationem et nimis longam inediam mihi obfuisse. Itaque dolor me rursus invasit, sed multo acrius. Concionatus sum magna difficultate. Inde mox ad lectum concessi. Haec ideo putavi esse vobis indicanda, ut excusetis longiorem moram. Videtis enim necessitate factum, non pigritia, ut hic *Merlinus* hodie desederit. Caeterum, quod ad profectionem [5]) attinet, quamvis nulla utilitas se ostenderet, consilio tamen vestro ac precibus morem gerere statueram, nisi partim validae rationes permultae obstitissent, partim dissuasus essem a fratribus meis. Consul certe modis omnibus me deterrere conatus est. Sed nulli me revocassent a proposito, nisi res ipsa me retraheret.

Heri appulistis Bernam, quantum ex supputatione temporis colligo. Hodie non dubito privata fuisse colloquia. Cras publice aliquid agi incipiet. Ita non poteram nisi re confecta istuc appellere. Huc accedit quod in priore senatus consulto [6]) vos quoque estis comprehensi. Nam promiscue de fratribus nostris *Sulzero*, *Beato* et *Conrado* simulque de vobis decretum est ut, nisi fateamini vos errasse, de ministerio abdicemini Hoc perinde accipio ac si iam abdicassent: conditio enim addita nullum apud Christi servos locum habet. Nunc cogitate quaenam esse possunt meae partes ad flectendos animos. Potius solo aspectu magis inflammabo eorum rabiem quam ullis monitionibus homines tam male gratiosi mitigentur. Deinde abest consul, cuius praecipue opera sustineri causa debet. Eo absente extrema remedia tentari non videtur consultum. Video quid sit in mora periculi: forte in locum vestrum paulo post subrogabuntur alii. Ita praeclusa nobis via erit. Verum expensis omnibus nihil magis expedire iudico quam ut nunc constanter respondeatis, vobis pluris esse Dei veritatem, cuius estis ministri, quam suggestum ipsum et docendi mercedem. Velim tamen adhiberi orationis delinimenta quae efferatos animos ad humanitatem aliquam alliciant. Sed ineptus sum in hoc consilio dando, quandoquidem ista actione vos iam esse perfunctos credibile est. Spero autem satis adhuc tempestivum fore remedium, si classes omnes, quae regnum Christi salvum et incolume esse cupiunt, adeant senatum, [7]) demonstrent quam noxia futura sit vestra abdicatio. Non enumero sigillatim quae tunc explicanda erunt: capita tantum attingo. Interea experiemur apud Tigurinos, num prorsus sint insanabiles. Quod si quid proficiemus, sua interpellatione frangent adversam partem. Haec omnia simul agenda erunt. Itaque maturandum erit, hoc est, si aliter acciderit quam optamus, ut condicto die colloquamur inter nos et priusquam se classes interponant Tigurum proficiscamur. [8]) Si a Tiguro nihil opis erit, unde prodiit malum, nos tamen non desinemus quod erit officii nostri praestare. Sed meo iudicio hunc syncretismum componere [*oportet?*] priusquam actionem aggrediamur, quae multum exulcerare vulnus posset nullo profectu.

Pluribus me non excuso, praesertim apud vos qui animum meum tenetis. Quam non fugiam in-

---

1012. 1) *Jo. Raym. Merlinus fuit hoc tempore V. D. M. nescimus ubi locorum in dictione Vadensi, postea Ribitti prof. successor in hebraicis.* (*Ruchat* IV. 435.)

2) *Franc. Negelinum, quocum igitur in gratiam rediisse videtur.*

3) *lectio nominis dubia, locus incertus.* (*Thoiry ad Iuram, in finibus Gaiensium?*)

4) *Bernae quum causa ageretur.*

5) *meam Bernam versus.*

6) *d.* 24. *Apr. facto.*

7) *Hundesh.* p. 210 *hac epistola usus non vidit eam Bernam missam fuisse quo Viretus et Valerius iam profecti erant, et hactenus consilium Calvini male intellexit.*

8) *De hoc itinere scriptores non consentiunt; sec. Hundesh.* p. 213 *Calvinus casu potius quam de industria Lausannensibus comitem se non addidit quum post Pentecosten proficiscerentur Turicum; sec. Kirchh.* p. 92 *adfuit c. Farello. Vide infra suo loco.*

vidiam, progressus ipse palam faciet, atque utinam nunc vobiscum arcesserer, ne mihi subeunda esset temeritatis fama, si venirem. Quanquam non adeo valet apud me hominum opinio: sed me nocendi timor constrictum tenet. Me certe ita vobis notum esse confido, ut in tali causa timiditatis non debeam esse suspectus. Nunc si vos horter ad constantiam, videbor vobis iniuriam facere. Scitis qua conditione serviamus Domino. Longe graviores impetus sunt sustinendi: quanquam non ignoro quam exitialis sit haec plaga, non tantum multis ecclesiis sed toti christiano orbi. Sed eventum, qualiscunque erit, Domino commendemus. Quantum ad privatas rationes nostras spectat, plus quam turpe esset, nos pastores, qui plebem hortamur ad sanguinem pro Christi testimonio fundendum, labascere ullo metu. Nunc vero quid dici poterit si, ut retineamus ministerii honorem, deserimus et Christum et evangelium? Exsultent licet ad momentum adversarii, post editam confessionem ultimam plus habebit ponderis vestra constantia, etiam tacendo, quam omnes adversariorum κενοφωνίαι, etiamsi ad insaniam usque tumultuentur. Neque haec in umbra disputo. Nobis commune erit certamen. Tantum hoc interest quod Dominus vos in acie collocavit, nos autem stamus post principia, non ut Terentianus ille Thraso, sed qui parati sumus ad confligendum simul atque signum dabitur.

Nunc melius perspicere vobis licet quidnam factu sit utile.[9]) Tantum indicate quid velitis. Nutus vester mihi pro consiliis omnibus sufficiet. Ego quid mecum sentirent collegae omnes mei prius volui aperire, quam progrederer eo unde non liceret pedem referre poenitentia. Et quidem non tam mea quam vestra. Fratribus nostris Bernensibus seorsum nihil scribo, quia omnes simul alloqui videor quin etiam non tam meae sunt quam fratrum meorum hae literae. Nam ut omnes sumus solliciti de causa vestra, ita uno affectu cupimus vobis subvenire. Valete igitur, fratres nobis carissimi. Dominus Iesus vobis adsit in veritatis suae patrocinio, vos spiritu prudentiae gubernet, fortitudine instruat, et benedicat sanctis vestris laboribus. Amen. 3. Calend. Maii.[10]) Cras mane discedet *Merlinus*.

Io. Calvinus vester.

Dictare coactus sum.

9) *Et Viretus quidem revera perspexit utilissimum pro tempore esse τὸ μηδὲν ἄγαν.*
10) *Apographa pro more:* 3. Maii.

1013.

CALVINUS FARELLO.

Post acceptum nuncium de catastrophe Bernensi iter Turicum versus meditatur.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 214. Recentiora exemplaria reperies in Cod. 111, fol. 188 v., Bernae in Archiv. Epp. VII. p. 869 et ap. Simlerum Vol. 66. Anglice versam legis Ed. Edin. T. II p. 150.)

Fideli Christi servo Guillelmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fratri et amico integerrimo.

S. De horrenda ista calamitate[1]) quae tot ececclesiis imminet ideo nihil dico quia moerore impedior. Quid scripserim *Vireto Michael* tibi referet. Eiusmodi est causa ut nemo inter Christi servos habendus sit nisi qui caput suum pro eius defensione fortiter opponat. Sed consilio et moderatione aliqua opus est. Si ita censuerit *Viretus* mox istuc advolabo, ut inde simul nos tres Tigurum.[2]) Caeterum mirati sumus, ego et *Viretus*, de quo arbitrio faceres mentionem. Res enim utrique hactenus fuit inaudita. Pro certo quidem assero nihil unquam mihi fuisse indicatum. Quamobrem videte quis hoc negotium susceperit. Reliqua ex nunciis. Vale, frater et amice integerrime, una cum familia tua et symmystis, quos diligenter salutari cupio. Dominus vos omnes conservet ac regat suo spiritu. Amen. Genevae pridie Calendas Maii 1548.

Ioannes Calvinus tuus.

1014.

RUMLANGIUS[1]) BULLINGERO.

Accuratius narrat quid Bernae actum sit in negotio controversiae Bucerianos inter et Zwinglianos exortae. Hallerum Bernam accersi omnes quam maxime cupiunt.

1013. 1) *dimissione trium Bernensium ministrorum, Sulzeri, Gerungii et Conradi Schmidtii, quorum hic tamen in vicum Brugg translatus, postquam a.* 1549 *a senatu in gratiam receptus est (Halleri ephem. Mus. helv. p.* 84).
2) *quod post Pentecosten effecit, et quidem cum Farello solo. (Hundesh. p.* 213.)
1014. 1) *m. Iulio adiit cathedram theologicam, post Bernh. Telamonium, multo minorem aetate cui demandata est artium professio, simul Artopoeo graecae et latinae linguae. (Haller. l. l. p.* 81.)

(Quod hic tibi offerimus excerptum est ex Simleri tomo 66. Qui quidem se desumpsisse affirmat ex Arch. eccl. Tigurinae Epp. T. XXXIII. p. 453 ss. Verum nos neque in hoc volumine, quod nunc numero 155 Plutei VI. insignitur, neque alibi vestigium huius epistolae reperire potuimus.)

Vigilantissimo eruditissimo et integerrimo viro D. Henrico Bullingero ecclesiastae Tigurino suo in Christo fratri et domino atque patrono semper observando.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Et Lausannenses quoque, non sine *Calvini* suggestione, Bucerianismum in scholam invexerant. Id posteaquam senatus rescivit,[2]) coacti sunt Lausannenses conclusiones, quas nos tanquam suspectas a reliquis selectas reposueramus, probationibus stabilire, quibus tueri eas confiderent. Id deinde a nobis in germanicum translatum et a magistratu auditum est. Unde profecto gravitate offendebatur quod tot scripturarum loci essent citati. Verebatur etiam nos fortassis non suffecturos iis omnibus confutandis. Verum obtinuit ea sententia ut nos omnia examinaremus, et singulis pensiculatis deinde suffragio nostro aut probaremus aut reprobaremus. D. *Iodocus*, *Weberus*[3]) *Nicolaus*[4]) et ego reprobavimus ut fucata et falsa: *Sulzerus*, *Battus*,[5]) *Conradus*[6]) miris praeconiis adprobarunt, quod non nisi genuinam atque ipsissimam scripturam redolerent, et mirari cur nos adversaremur: verum nos ingenia nostra reservare quo semper iudicia nostra praecipitemus. At iussi sumus sententias nostras scriptis, nobis etiam omnibus praesentibus, referre ad senatum. Fecimus. Ego a nostra parte praestiti quae potui. Mihi enim iniunxerant id munus. Absoluto negotio et confutatione satis prolixa (quam tamen succinctiorem, nisi intricatiorem, edere nolui), expedita, insuper audita placuit: in qua fallacias et truncatas scripturarum sententias, aperte proditas volebam, quo et rudiores fucum omnem caperent. Nam alterutris summum impendebat periculum, potius evangelicae veritati. Non itaque parcendum fuit verbis. Tandem auditi sumus ipsi et scripta etiam omnia, cum maximo serio. Nam senatus in summis occupationibus minus non nisi hoc negotium spatio duorum dierum, et postea tot diebus similiter diacosii eandem causam tractarunt, ut qui omnibus studiis et viribus hanc contentionem sublatam cupiebant. Obtinuit (gaude!) veritas et confusa est ceciditque falsitas. Sensit pius magistratus omnem dolum, adeoque adversus eos exarsit, et saepius laesa patientia in furorem propemodum est redacta. Ideo a ministerio tanquam perfidi et periuri depositi sunt.[7]) Adferam mecum omne negotium utriusque partis ad Pentecosten, Deo volente. Legatus[8]) noster tibi universa exactius recensebit et referre poterit. Tu modo adesse Bernae velis. Non poterunt maiori beneficio animi nostri Tigurinis devinciri et obstringi, nisi isto quod efflagitamus.[9]) Effice ne repulsam patiamur, quo exulceratae apud nos mentes fomentis piis blande tractentur et curentur. Profectus plus est in huius negotii recessu quam ego verbis expedire possim. Nolim vulgatas et frivolas, ne dicam aniles et inciviles excusationes. Perduravimus. Obsequutus est nobis senatus. Cupimus illi quietem. Domini vos omnes et nos sumus. Respicite potius quid non modo omnibus sed peculiariter et inprimis Deo et nobis debeatis. Nam universi petimus *Hallerum*, proceres et vulgus atque urbs universa. Increbuit nomen eius apud nos a priore expetitione[10]) et non sumus auditi. Haud parum doluit. Nolumus, multo potissimum periculo instante, Augustanis posthaberi, ideoque rursum petimus obnixe, successum nobis ipsis pollicentes et sperantes: Si nos salvi erimus, id et in vos redundabit. Urge quo a vobis ad nos commigret. Non sentite cum vulgo, quod praesentia duntaxat respicit. Vos quum sitis prudentes, altius per omnes circumstantias expendite hoc ne-

---

2) *De toto hoc negotio cf. Halleri diar. init. Ruchat V.* 343 *sq. Kirchhofer, Farel II.* 92. *Plura post Stettlerum et Calvini Viretique epistolis adhibitis Hundesh. p.* 205 *ss. Caeterum Rumlangius silentio praeterit Zebedaei partes in hac controversia eiusque contra Vireti librum de ministerio et sacramentis criminationes.*

3) *Conzeni successor* 1544 *vir pius et honestus sed curtae supellectilis* (*Hundesh. p.* 187).

4) *Artopoeus.*

5) *sic* (*Beatus Gerung.*).

6) *De Schmidtio v. N.* 1013 *not.* 1 *et Stettler, Berner Mausol. II.* 499. *Hundesh. p.* 209.

7) *Ruchat l. l. senatus consultum ita conceptum refert:* Ayant trouvé nous et notre grand conseil que ces 10 thèses sont opposées aux articles de notre dispute, à ces causes pour le maintien de la paix et de la tranquillité et afin d'enlever une bonne fois pour toutes ces disputes et ces querelles, nous avons été occasionnés de congédier etc. *Venia tamen iis promissa fuit si confiteri vellent se contra suum iusiurandum egisse. Quod quum facere recusassent d.* 11. *Maii senatus consultum ratum factum fuit, quamvis antea* 28 *ministri pro iis intercessissent.*

8) *Io. Rud. de Graffenried senator, Turicum missus ut Hallerum Bernensibus concedendum peteret.* (*Leben Haller's in Scheureri Mausol. Bern. II.* 502.)

9) *d.* 5. *Mai Turicensis senatus scribit:* So habent wir Gott zu lob jnen den gedachten Her Io. Hallerum vff ein bestimpte zytt vergunt vnd erloupt also das er angentz hinuff gen Bern keren vff einen monat vngefarlich jrer kilchen vorstan vnd dienen vnd so er jnen anmütig vnd gefellig wollen wir das er mit sinem völckli hinuf züche vnd ein halb jar husshablichen by jnen sige (vnd auch noch ein ander halb jar) *Mausol. p.* 503.

10) *N.* 966, *not.* 2.

gotium. Adficite nos, hac adepta[11]) victoria, isto gaudio. In novo concionatore audiendo acerbitas eorum qui adhuc male habent apud se ipsos eliminabitur. Vos eruditi omnes accedite magistratum vestrum, qui etiamsi detrectare vellet, saltem vos persuadete, quo Dei negotium promoveatur. Vult Deus ut nostra, sicut prius ita et nunc, sine vobis vestroque adiumento non reparentur. Recipietis inde a Deo, nobis ignorantibus, uberrimum fructum, nosque vobis reddetis omnium devinctissimos et paratissimos ad universa vestra obsequia. — — — — — — — — — — — — — — Vale. Raptim xxviij. Aprilis 1548.

Tuus solide deditus

Eberardus a Rumlang.

1015.

VIRETUS CALVINO.

Bernensem tragoediam deplorat, et simul eius causas explicat. Quid iam in tali rerum statu sibi et collegis faciendum quaerit.

(Ex autographo Cod. Genev. 111a, fol. 71. Recentiora exemplaria reperies Cod. 116, fol. 99, Bernae in Epp. VII. p. 870 et apud Simlerum Vol. 66.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino fratri et symmystae quam carissimo

Genevae.

S. Quum tuae nobis literae[1]) redditae sunt, adhuc res omnes in eodem erant statu quo a nobis quum huc pervenimus[2]) inventae sunt. Omnia hactenus in magna perturbatione nobis visa sunt, in qua maxima est in omnibus auxiliorum et consiliorum inopia. Hoc tamen nobis nonnihil attulit solatii quod comperimus plurimos, eorum qui huic causae magis adversari videntur, offendicula satis praevidere quae hinc nascitura sunt, et non abhorrere a remediis, si quae possint inveniri his morbis idonea. Causa huius eiectionis fuit praecipua, quantum ex multorum colloquio percipere licuit, sperata pax, quam sibi futuram pollicentur si ministros habuerint in doctrina concordes, quam alioqui se nunquam habituros arbitrati sunt. Quum ergo id pax publica requirere videretur, maluerunt iis carere quos habebant lutheranismi suspectos, quam quos putabant persistere in doctrina ab initio renascentis evangelii suscepta et approbata, iuxta disputationis suae praescripta. Occasio ex nostris disputationibus[3]) nata est, quas ideo multis offendiculo esse videmus, quod quo sint a nobis sensu propositae non satis nobis videantur assequuti. Quod sane nobis minime mirum videri debet si expenderimus totam huius fabulae actionem. Senatus uterque[4]) amantior est pacis et concordiae quam discordiarum. Si inter ministros convenisset, facile erat omnia componere: imo vero scripta nostra viam aliquam praebere poterant ad concordiam inter eos. Ita enim temperata sunt ut neque plus quam oporteat tribuatur ministerio, neque rursum vim eius penitus enervent[5]). Sed quae alii adprobarunt ab aliis ita sunt exagitata, ut omnibus paene persuasum videatur, nos novum voluisse papatum revocare et erigere, nobis tribuere ligandi solvendique potestatem, non secus atque pontificios, nos duo capita[6]) statuere sicut et papistae, et alia id genus multa quae de nobis feruntur. A quibus quantopere abhorreamus, quamque toto coelo dissideamus, totus orbis noster testis esse potest. Sed vides quid possint calumniae etiam apud bonos viros, praesertim simpliciores. Auxit hanc suspicionem suspicio quam ante multos annos iam de suis ministris conceperunt, quae non parum causam nostram gravavit. Sed ita visum est Domino. Quum huc appulimus deliberatum a nobis est, num hanc fratrum abdicatorum causam una cum ipsis suscipere deberemus perinde ac nostram, quum nostra quoque esse videretur, atque eam cum eis in senatu ageremus: an potius seorsum nostram[7]), et exspectare donec et nos vocaremur. Nemo omnium, sive amicorum sive aliorum quisquam, a nobis inventus est cui prior sententia probaretur, sed potius ut exspectaremus dum vocaremur, aut, si quid nostro nomine vellemus senatui proponere, id faceremus seorsum: alioquin futurum esse ut horum fratrum causam nihil iuvaremus, imo gravaremus potius, nostram vero redderemus magis invidiosam. Aiunt enim nostram causam non esse per omnia similem. In tanta consiliorum constantia et consensu haesi-

---

11) *sic.*

1015. 1) *N.* 1012.

2) *Haec ipsa epistola docet Ribittum et Valerium cum Vireto Bernam se contulisse.*

3) *De ministerio cum Zebedaeo.*

4) *Minor et maior, quos vocabant.*

5) *Plane aliter iudicasse Kilchmeierum et Rumlangium supra vidisti.*

6) *Scil. politicum et ecclesiasticum. Si propositiones Lausannenses citra praeiudicatam opinionem meditatus fueris, istos non multum a vero aberrasse dices.*

7) *Cf. quae Calvinus suaserat N.* 1012. *Scil. Viretus praesens in loco melius quid rei esset perspiciebat.*

mus hactenus velut in dubio, quia fratres deserere non possumus, neque rursum lubenter movemus invidiam sine aliqua spe profectus, quae possit plurimum omnibus ecclesiis incommodare et malum magis augere. Huc accedit quod si omnia contempserimus consilia bonorum virorum, eos quoque simus habituri infensiores quorum consilia spreverimus. Et si non respondet eventus, id adscribetur nostrae imprudentiae aut temeritati, arrogantiae praesertim, quum male gratiosi simus legati in hac causa, qui officio intercessorum et conciliatorum minime fungi possimus quum in eadem simus damnatione, neque causam nostram aggredi sine invidia, si id tentaverimus nondum requisiti. Hodie fratres nostri senatum adierunt, quia non potuerunt diutius protrahere respondendi tempus. Nondum addivinare possumus quid sint effecturi [8]). Statuimus et nos cras adire, propondituri quod dederit Dominus. Nam nobis saltem aliqua nostri adventus ratio reddenda, nisi volumus dedita opera senatum offendere [9]). Placet nobis tuum consilium, quod nos quoque inter nos hic agitare coeperamus: quod bonis viris, quos super ea re consuluimus, non videtur displicere. Id autem intelligo de adeundis Tigurinis, in qua nos deliberatione eramus, idque magis suadebat fratris nostri *Farelli* praesentia, qui huc quoque accurrit maxima festinatione, et iam haesit, nobiscum a die Lunae [10]). Nos vero die dominico appulimus. Utinam tu hic esses ad suscipiendam nunc hanc nobiscum profectionem [11]). Si modo eundi veniam a senatu impetrare possimus. Studuimus, quoad eius fieri potuit, animos offensos lenire: admonuimus offendiculorum quae hinc erant nascitura: ursimus quantum potuimus colloquium inter ministros et viros doctos, num via aliqua reconciliationis, pacis et concordiae inveniri posset commodior et ecclesiae congruentior. Quod autem attinet ad senatus consultum, fratres Bernenses nihil obtinuerunt [12]), nisi quod ipsis cedendum est, nullo tamen addito exsilio, sed sola ministerii abdicatione. Nunc paramus nos ad ea quae volet Dominus de nobis statuere. Cras, si volet Dominus, senatum ingrediemur, quamvis non simus vocati. Commenda causam nostram Domino et fratribus omnibus. Quo hinc simus abituri, an Tigurum, an domum redituri, dispiciemus postquam quid habeat animi senatus intellexerimus. Salutant te *Farellus*, *Sultzerus*, *Beatus* et *Ribittus*. Vale. Bernae 3. Maii 1548.

Tuus Petrus Viretus.

Resignavi et iterum obsignavi.

Iacob. Valerius.

---

8) *Iterum audiri volebant, non vero confiteri quod Senatus postulabat* (*N.* 1014 *not.* 7), *sed repulsam tulerunt.*
9) *Ergo aderant non vocati sed sponte, ut crimina a Zebedaeo iis irrogata diluerent.*
10) *Pridie Cal. Mai.*
11) *Cf. N.* 1013 *not.* 2.
12) *Ergo dum in hac scribenda versabatur illi e senatu redierunt. Vide supra not.* 8.

1016.

CURIO BULLINGERO.

Certiorem eum facit de rebus nuperrime Bernae transactis, quas tamen minus accurate nosse videtur, negotium ministrorum Bernensium et Lausannensium miscens.

(Ex autographo Archiv. Turic. olim Scrin. C. Epp. T. II. nunc Plut. VI. vol. 117 b, p. 234. — Simler Vol. 66.)

Clarissimo viro D. Henrico Bullingero ecclesiae Tigurinae pastori doctissimo et vigilantissimo suo fratri et amico singulari.

Tiguri.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Praeterea illud non dubiis nunciis accepimus magnas fuisse superioribus diebus Bernae actas tragoedias de coenae Domini negotio inter *Viretum* primum et *Zebedaeum* et alios quosdam: cuius illa fuit catastrophe quod *Sulzerus*, *Beatus* et *Chunradus* solum vertere a magistratu sunt iussi, id quod *Sulzerus* ipse suis hic amicis scripsit, ea de causa ut ei locum hic pararent aliquem. *Viretum* vero cum suis Bernam vocatos ut sententiam magistratus audirent. Qualis autem fuerit adhuc ignoro. Ex quo etiam vides, mi *Bullingere*, me quae aliquando ad te de *Vireto* scripserim, quod *Bucero* subscripsisset, verum dixisse. Novi aliud nihil habeo — — — — — Basileae 6. Maii 1548.

Tuus ex animo

Coelius.

1017.

GASTIUS BULLINGERO.

Etiam hic, utpote ex eodem fonte hausta, Turicensi amico quasi adhuc rerum ignaro confuse tradit Bernense negotium.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. vol. 156, olim Scrin. B. Epp. T. 34, p. 182. — Simler. Vol. 66.)

— — — — — — — — — — — — — — — —

Quid Bernae sit actum et adhuc agatur cum *Sulcerianis*, fortassis melius nosti quam ego. Articulos vidi et legi, quos volebant nescio quo spiritu proponere pastoribus excutiendos. Gallica ingenia multum hactenus evangelio incommodarunt. Habent perpetuo quaestiones innumerabiles. Ecclesia nostra fere adobruitur novis istis hominibus. Vos feliciores estis, qui talibus caretis hominibus quorum fides nobis incognita, quorum conversatio hypocritica est, sicque nobis imponunt specie probitatis. — — — — — 8. Maii 1548. Raptim [1]).

1018.

CALVINUS VIRETO ET FARELLO.

Iam Bernam profectus ex itinere accepto nuncio de eorum reditu pedem retraxit.

(Autographon exstat in Cod. Genev. 106, fol. 215. Habes praeterea Turretini exemplar in Cod. 111, fol. 189, Bernense in Epp. T. VII. p. 878 et Simlerianum Vol. 66. — Anglice II. 151. l. l.).

Optimo et fidelissimo Christi servo Petro Vireto fratri et amico carissimo.

S. Acceptis posterioribus literis [1]) dederam me itineri, sed quum fratris mei socer, Coppeti nobis occurrens, nunciasset vos ante triduum Berna movisse, domum redii multas ob causas quas vobis coram brevi, si ita videbitur, exponam. Nunc mihi indicate quid habeatis in animo. Mox enim, quidquid postulabitis, nulla deliberatione habita exsequar. Nondum intelligere potui quisnam actionum vestrarum fuerit exitus. [2]) *Gironus* et *Zerkintes* iusserunt me salutari. Quum rogaret *Nicolaus*, [3]) ecquid praeterea vellent, responsum tulit, nihil esse boni. Hinc suspicor peius esse quam exprimere voluerint. Valete, fratres mihi carissimi. Uterque vestrum salutet fratres. Dominus vos omnes conservet, regatque spiritu suo, atque in his tempestuosis turbis nos stabiliat. Genevae 9. Maii 1548.

Tu, *Virete*, ubi literas *Buceri* legeris, huic nuncio dabis ad *Farellum* perferendas. Intellexi praeterea Ducem *Christophorum* Wirtebergensem cum patre in aulam Caesaris profectum. [4]) Ita in unius manu omnia esse cernimus, quam tamen Dominus vel claudet, vel arefaciet, vel abscindet pro suo arbitrio.

1019.

VIRETUS CALVINO.

Iter Turicense, ad quod Farellus paratus fuerat, nisi ille Genevam rediisset infecta re, iam iam cum eodem suscipiendum suadet, quum periculum sit in mora.

(Ex autographo Cod. Goth. 405, fol. 106. Edidit Bretschneider. p. 189.)

Suo Ioanni Calvino fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Utinam perrexisses ad nos venire ut coeperas. Nam haec erat mea et *Farelli* sententia ut

---

1017. 1) *Basileae ubi V. D. M. erat.*

1018. 1) *Videtur Viretus post N.* 1015 *alteram scripsisse nobis deperditam, in qua denuo de itinere Turicensi admonebat Calvinum.*

2) *Neque nos accurate scimus. Nisi fallimur, senatus pro tempore contra Lausannenses ultra procedere noluit, a quorum partibus omnes fere Vadenses ministri stabant contra unum Zebedaeum, sperans fore ut Sulzeri exemplum illis prodesset. — De Calvini interrupto itinere haec praebent senatus Genev. commentarii ad nonas Maias:* M. Calvin a rapporte comment il a entendu que a Berne il y a grand troble entre les ministres tellement que Iodocus en a faict demectre trois du ministere et aussi M° Viret quest a present a Berne, requerant luy bailler conge pour aller assistyr audit Viret. Ordonné que sa requeste luy soit oultroyee et luy soit assiste de cheval et argent pour fere ledit voyage.

3) *Le Fert, socer Ant. Calvini. Gironus* (*Zyro*) *secretarius urbis Nostri amicus.*

4) *Pater Ulricus itineris huius comes non fuit* (Heyd, III. 503). *Caeterum vide quae annotavimus ad N.* 1001. *Dux Ulricus filio Christophoro palam ducatum tradidit, clam sibi regimine reservato, in instrumento quodam d. d. 7. Apr.* 1548 *Monsbelgardi signato. Quae tamen regem Ferdinandum non impediverunt quominus totam sibi vindicaret ditionem ex lite sibi adiudicandam*

quam fieri posset ocyssime tu et ille Tigurum proficisceremini, quia periculum est in mora. [1]) Proinde *Farellus* in hanc ad te Neocomum reversus sententiam scripserat. Quod si tibi non sunt redditae literae miror, quia nuncius cui commissae erant fidus credebatur. Erat enim nobilis quidam qui emit praedia Farellorum. Si vero redditae sunt magis miror quod non perrexeris, et quod passus sis te reduci a *Nicolao.* [2]) Si fuissem Lausannae non passus fuissem te remorari. Sed postquam res ita habet, vide quid facto opus sit. Expectabam te ad diem Martis proximum, [3]) et *Farellus* se ad profectionem paraverat. Cupiebamus, si fieri posset, ante pentecosten [4]) absolvi profectionem. Vix nunc licebit. Expende tamen num nimis sero futurum sit, si post pentecosten. Nam metuo ne statim post eius ferias vocemur. Quod si non aliqua commoda ratione rebus prospiciatur, aut nobis quoque cedendum erit ministerio, aut veritas deserenda. Si huc venisses, rem omnem tibi ordine exposuissem, et hinc recta fuisses Neocomum ad *Farellum* profectus. Te igitur per Christum obsecro ut diligenter expendas quid remedii his malis inveniri possit, quae certe valde sunt deplorata. Nam causa nostra ita implicita est cum causa ministrorum Bernensium, ut vix videam qua ratione qui eos eiecerunt suo honori consulere possint si nos retineant, nisi ipsi velimus quod semel proposuimus abnegare. Aut veni Tigurum profecturus, aut scribe quid putes esse faciendum. Salutat te collega et *Franciscus* Viviacensis et reliqui fratres. Vale. Lausannae 9. Maii 1548.

Tuus Petrus Viretus.

1020.

HALLERUS BULLINGERO.

Paucis narrat quo modo Bernae exceptus fuerit, plura de ministris dimissis addit quorum res in peius versae.

(Ex autographo Archiv Turic. Plut. VI. Vol. 154 olim. Scrin. B. Epp. T. 32, fol. 69. — Simler. Vol. 66.)

Praestantissimo viro D. Heinrycho Bullingero domino et compatri suo perpetuo colendo.

Tiguri.

S. Veni Bernam 3. a discessu meo die, [1]) magna omnium exspectatione et summo bonorum quorundam gaudio. Apparui coram senatu amplissimo. Congratulantur sibi et mihi. Hodie concionem habui et iamiam ab illa revertor. Comes a prandio discedet statim. Duos ei dederunt coronatos et sex ulnas panni coloris Bernatium. *Sultzerum* et *Beatum*, quum ipsi aliquoties me visum non salutassent, ipsos tamen conveni, salutavi. Cum *Beato* mox contendere coepi. Cupiebat enim subinde aliam ecclesiae faciem. Ego, quae illa facies esset, urgebam. Ille nimis longum esse referre dicens, [2]) ego valedixi. Conquerebatur de symmystarum importunitate. Ipsos harum turbarum causam esse asserens, ego vero existimare, illos turbas movere qui rebus studerent novis, et pristinam ecclesiae faciem novis figmentis deturbare vellent. Post multa discessum est. Tertio iam fuerunt coram senatu, petentes ut possint vel adhuc semel causam suam dicere coram diacosiis et suam exponere de doctrina sua mentem. Negatum illis bis. Tertio quum peterent a sculteto convenire senatum, praetenderunt, nihil se quam testimonia discessus sui petituros. Ille hoc eis concessit. Ad senatum ubi ventum est, testimoniorum nulla facta mentio: sed denuo petierunt haberi senatum maiorem, et audiri ipsorum apologias. Unde gravius in ipsorum impudentiam exarsus senatus iussit ut quamprimum hinc demigrent, quum vel adhuc mentiri audeant et fallere velint scultetum, etiam coram ipso praetendentes ut admittat, admissi vero aliud proponentes, de quo tamen sufficientes iam audierint sententias. Itaque nihil restat quam ut discedant. Videbimus interim nos quo in ordinem pium omnia dirigantur — — — — — — Bernae in ipso Dominicae ascensionis die 1548. [3])

Tui studiosissimus
Ioan. Hallerus.

1019. 1) *Metuit enim ne et ipse dimittatur, nisi Turicenses mediatores interveniant. Verum in temporum ratione constituenda haeremus. Haec d.* 9. *Maii scripta dicitur, et eodem die C. Genevae suam proxime praecedentem scripsit: quomodo eam Viretus iam legisse potuit? An Viretum in die adscribendo falsum dices? An alio modo de Calvini itinere certior erat factus?*

2) *Qui vere dixerat Viretum et Farellum Berna abiisse: sed ipse Calvinus perperam inde collegerat eos non amplius de itinere Turicensi cogitare.*

3) 15. *Maii.*

4) *Quae eo anno incidit in* 20. *Maii.*

1020. 1) *Quem coniicimus fuisse* 8. *Maii, si conferimus N.* 1014 *not.* 9 *cum subscriptione nostrae.*

2) *sic.*

3) *i. e.* 10. *Maii.*

1021.

ANONYMI RELATIO DE SULZERI ET COLLEGARUM ABDICATIONE.

(Incidimus in hanc relationem in excutiendo Simleriani thesauri Vol. 66 cui illa inserta est ad d. 10. Maii 1548, additurque eam scriptam manu Wolfgangi Halleri [1]) extare in MSS. apud Breitingerum. Etsi citra dubium non eo tempore exarata fuerit eam hic apponere placuit quum ad illustrandas res hoc mense gestas non parum faciat.)

Postquam [2]) anno 1536 cum *Luthero* concordia [3]) a multis ecclesiis fuisset inita, coeperunt aliqui Bernensis ecclesiae ministri a *Bucero* huc pertracti et persuasi Concordiae huic nimium tribuere et in doctrina sacramentaria se phrasibus saxonicis accommodare. In his erat Petrus *Contzenus*. Is Simonem *Sulcerum* et *Beatum* sibi ascivit [4]). Hi nihil aliud egerunt per annos fere duodecim quam ut totum lutheranismum Bernensi ecclesiae obtruderent suppressa saniore doctrina. His tum coepta est mutari catechismi formula. [5])

Megander piae memoriae, qui circa eius rei initia adhuc Bernae erat, quum videret quo res evadere vellet, in tempore se Tigurum recepit. [6]) Solus ergo aliquamdiu Erasmus *Ritterus* illorum impetus sustinuit, donec diaconus illi adhiberetur ex Arovia vocatus Ioannes *Weberus*. Hi duo animosius postea rem aggressi senatum et ecclesiam praesentis periculi saepe admonuerunt. Qua de re frequentes apud senatum et diacosios fuere disceptationes et altercationes. Effectum tandem ut adversarii iurarent [7]) in disputationem anno 1528 Bernae habitam et in ecclesiasticam formulam priorem. Haec illi fecerunt, quantumvis inviti. Nihilominus tamen non destiterunt simulate res suas agere.

Defuncto D. Erasmo *Rittero* [8]) D. Iodocus *Kilchmeyer* piae memoriae Tiguro evocatus in eius locum successit. Is crassius et propius, iuvante illum *Webero*, eos protrahere coepit. Tum etiam inter cives valde dissensio crevit. Et res eo devenit in senatu ut interdum non procul ab armis abesset. Duravit hoc ad biennium usque.

Interea Lausannae quoque tumultuatum est, et disputatum de dignitate ministerii, et theses aliquot satis ambitiosae conscriptae et disputatae fuerunt, quod minister esset supra et infra omnes homines. *Viretum* tamen harum autorem ferebant. Hisce se opposuit Andreas *Zebedaeus* Flander, artium professor. Res tandem Bernam ad senatum delata, et theses illae nobis ministris missae sunt ut examinarentur. Hoc quum fieret ministri minus in his convenire potuerunt quam Lausannenses potuerint. Utraque ergo pars suam ad senatum sententiam retulit.

Iisdem diebus D. *Naegelinus* [9]) consul rursus consulatum iniit. Is valde Lutheranis infensus erat. Hic tandem per hanc occasionem prorupit et senatum, quod tamdiu talia ferrent, corripuit: quin tandem huic rei finem imponerent, et sibi et ecclesiae suae quietem pararent. Ita re ad diacosios relata affirmatores horum axiomatum iussi sunt solum vertere.

Quo facto D. Iohannes *Hallerus* modo Augusta Vindelicorum reversus et amplissimo senatu a Tigurinis ad successionem *Sulceri* impetratus est. Factum id est d. 5. Maii 1548. [10]).

1021. 1) *Hic fuit Ioannis Halleri frater natu minor Turicensis concionator et antistes et obiit a.* 1601. *Scripta est haec relatio post mortem Kilchmeieri qui vita excessit a.* 1552. *Ipse Hallerus minime autor est, neque magis eius frater Ioannes, verum aliquis ex Bernensibus ministris. Caeterum de Wolfgango v. Scheureri Maus. Bern.* II. 535.

2) *Similiter initium faciunt in narranda hac controversia Vita Halleri in Mus. Bern.* II. 499 *et ipsius Ephem. in Mus. Helv.* II. *part. V.* 79.

3) *Wittembergensis dicta et a Bucero procurata.*

4) *Sulzerum quidem* 1538 *ex Witemberga redeuntem, Gerungium vero* 1541 *Argentorato vocatum.* (*Hundesh.* 106. 159.)

5) *De his rebus nonnulla ad a.* 1537 *habuisti* (*ib.* 94 *ss.*)

6) *imo eiectus est.*

7) *subscribentes instrumento dicto* Prädicantenrodel 1546. (*Ruchat p.* 308. *Hundesh.* 199.)

8) *Cal. Aug.* 1546.

9) *Io. Franciscus, scultetus.*

10) *Autorem huius relationis aliquem ministrorum fuisse ipse dicit claris verbis. Cogitavimus de Rumlangio, sed haesitare faciunt quaedam vocabula quibus qui utebatur non ex intimis victorum amicis fuisse videtur. Ita ex. gr. Kirchmeierum* crassius *adversarios protraxisse dicit, Negelinum* prorupisse.

1022.

VIRETUS CALVINO.

Iterum ad iter Turicense eum provocat. Praeterea commendat Beatum Bar.

(Ex autographo Cod. Goth. 405, fol. 105. — Edidit Bretschn. p. 190.)

Eximio Iesu Christi servo D. Ioanni Calvino Genevae.

S. Quia nescio quibus praepediaris negotiis, non audeo te urgere vehementius ut te ad profectionem accingas, de qua ad te scriptum est. Si

Farelli literae tibi redditae fuerunt, satis ex iis intelligere potuisti quid habeat consilii. Si non sperassem te venturum, scripsissem ad te latius de rebus nostris et exitu nostrae proximae profectionis. Sed ea omnia sunt eiusmodi, ut tutius auribus quam literis committantur. Scribe igitur quid statueris, aut tu ipse factis declara. Omnia committo tuae prudentiae. Nostri te omnes cum tuis omnibus officiosissime salutant, praecipue vero uxor mea, quae tuam quoque salvere iubet. Beatus *Bar* proficiscitur ad nuptias.[1]) Quia illi est negotium cum hominibus apud quos plurimum vales autoritate, optaret suam ipsis abs te causam dotis nomine commendari, praesertim apud *Guilielmum* bibliopolam.[2]) Sed quia non te audet interpellare, huius te volui monitum, ut si licet per occasionem hanc rem commendes *Guilielmo*, si iudicaris expedire et rem facere te non indignam. Consulendum est hominis infirmitati quibus licebit modis. Dominus Iesus te cum tua uxore et fratribus omnibus diu servet nobis incolumem. Arbitror te accepisse literas quas ad te misi per *Baudichonum*.[3]) Vale. Lausannae 11. Maii 1548.

Tuus Petrus Viretus.

1023.

CALVINUS VIRETO.

Lausannam propediem se venturum promittit, quo et Farellum accersi iubet, ut deliberent de negotio Bernae tractando.

(Ex autographo Cod. Gen. 106, fol. 216. — Exemplar Ionvillaei reperies Cod. 111a, fol. 16. v. Turretini Cod. 111, fol. 189 v. Bernense Ep. VII. p. 879., Simleri Vol. 66.)

Fideli Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et amico carissimo.

S. Literae *Farelli*[1]) mihi serius quam oportuit redditae fuerunt. Biduum hic eas habuerat nuncius priusquam sciret me reversum. Id factum est die Iovis,[2]) paulo ante coenam. Tuas mihi eadem fere hora attulit *Baudichonius*. Nemo fuit qui ante pentecostes eundum censeret. Multa sunt quae me retinent. Deinde, nisi omnes coniecturae me fallunt, non agetur ante id tempus in senatu de vobis accersendis. Mirum autem nisi antequam istuc venerit nuncius iam elapsi sint dies aliquot. Iam praefectus aliquantum temporis ex more vobis concedet. Constitui hinc pridie[3]) pentecostes a prandio solvere. Adero istic Martis circiter meridiem. Sed meo iudicio plus quam operae pretium esset *Farellum* quoque acciri, ut inter nos consultaremus. Ergo fac ut se istuc recipiat *Farellus* eodem die. Tibi enim pedem nunc movere non licet. Scio quale itineris dispendium illi futurum sit. Sed quia inprimis necessaria est communis deliberatio, effice, si potes, ut veniat. Si quid nostra deprecatio valebit apud Tigurinos, poterunt malo, nisi fallor, satis tempestive occurrere. Et erit ars aliqua temporis extrahendi de qua nos coram agemus. Vale, frater et amice integerrime. Dominus tibi et collegis adsit, vos confirmet ac regat spiritu prudentiae, moderationis, zeli, constantiae. Amen. Saluta uxorem tuam diligenter meo et uxoris meae nomine. Symmystae mei vos plurimum salutant. Genevae pridie Idus Maii 1548.

Ioannes Calvinus tuus.

1024.

VIRETUS CALVINO.

Iter maturandum potius monet, et Farellum non citandum ne suspiciosis quibusdam ansa deblaterandi praebeatur.

(Ex autographo Cod. Genev. 111a, fol. 72, coll. Cod. 116, fol. 109 v. Epp. Bern. VII. p. 876 et Simler. v. 66.)

Eximio Christi servo D. Ioanni Calvino fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Placet tuum consilium, nisi quod quaedam sunt quorum te volui praemonitum. Primum quod ad tempus profectionis attinet, necesse est, si qua ratione fieri posset, ut die pentecostes solvas Geneva, Nidunum usque saltem progressurus, ut huc

---

1022. 1) *Cf. N.* 965 *et* 968. *Bretschn. legit: Bratus.*
2) *Genevensem puta.*
3) *N.* 1023. *Br. habet Baudichonum.*

1023. 1) *Vide ep. Vireti proxime praecedentem.*
2) 10. *Maii, qui fuit Ascensionis.*
3) *Vide an scribere voluerit:* postridie. *Nempe iam Martis Lausannam appellere volebat, ad quod iter vel tunc nemo triduum sibi sumebat. Et quis credat Calvinum festum pentecostes neglecto officio equitando consumpturum fuisse? Quid quod Viretus in epistola sequente ei suadet ut iam Dominica proficiscatur ut iam Lunae adsit.*

te ad diem Lunae sistas in tempore, aut ut diutius differas profectionem. Nam die Martis hinc nos Viviacum recepturi sumus ad classis conventum qui fratribus indictus est. Quod si ad diem Martis duntaxat ad nos perveneris, aut non licebit de rebus nostris conferre, aut nos abesse a conventu necesse erit, quod nulla ratione fieri potest. Habemus autem multa quae conferamus, et serio. Da igitur operam ut matures potius quam differas tuum ad nos adventum, quia plus est in mora periculi. Porro in eo quod *Farellum* huc censes accersendum, non tuae assentior sententiae, idque multas et magnas ob causas, quarum viae molestia et dispendium minima est. Sed metuo, quod certe futurum est, si ita fiat, ne ea res magis nostros homines accendat, quibus omnis congressus est suspectus. Id autem eos non latebit. Suspicabuntur itaque protinus aliquam inter nos esse conspirationem et nos aliquid magnum moliri. Scis enim quam male iam pridem audiat triumviratus. Cui accedet classis paulo post conventus quem interpretabuntur de industria ad eam rem constitutum. Vides satis, opinor, quo spectem et quid velim. Idcirco ipse apud te dispice quid consultius esse iudices. Si huc veneris, communicatis nobiscum consiliis satis instructus eris ad caetera, et Neocomi cum *Farello* tibi facile conveniet, quo te hinc recta recipies, ubi et *Farellum* paratum invenies, cuius satis mihi videor tenere consilia. Interea si quis nuncius occurrerit, eum faciam certiorem. Si quid tamen aliud habes consilii, fac me in tempore certiorem. Mitto nunc ad te articulos de quibus in suis literis *Farellus* meminerat. Salutat te uxor et tuam uxorem, cui quoque meo nomine salutem dices, et collegis tuis. Vale. Lausannae 15. Mai 1548.

Tuus Petrus Viretus.

1025.

BULLINGERUS CALVINO.

In causa sacramentaria dicit se aliter sentire non posse ac pridem explicarit, et Calvinum sibi assensurum sperat. Commendat Roystium. Germanorum Interim merum esse dicit papismum, de quo tamen Melanchthonis consilium satis timidum videatur. Constantiensium res in magno versantur discrimine.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 129 olim Scrin. B. Epp. T. XXX. fol. 205. — Simler. Vol. 66. Edita est, sed ita ut emendatione passim egeat, in Füsslini Centuria epp. Tig. 1742, pag. 255.)

S. D. Literas tuas, *Calvine* doctissime et mihi caro frater, calendis Martii scriptas et per legatum nostrum [1]) e Gallia redeuntem missas accepi, ac intellexi quae sit tua sententia de responsione mea. Desino itaque et ego semel exposita repetere. Interim Deo teste, qui animos [2]) inspicit, solus aliter sentire non possum neque aliter loqui quam loquutus sum ac sentio. Agnosco Christum in spiritu suo per fidem se totum nobis communicare, quantum nobis ad salutem consequendam et ad pie vivendum necessarium est. Id quod sacramentis nobis significatur et obsignatur more sacramentis proprio quemadmodum et verbo annunciatur testificandoque inculcatur.

Ad querelam amici illius tui auditam nuper quum Basileae esses, [3]) nihil respondeo. Nam non satis intelligo qualis illa fuerit. Certe quum apud nos Tiguri esses, recitabas nobis omnibus quid alii vel culparent vel desiderarent in responsione nostra data *Luthero*. Interim profitebaris tibi nostra non displicere, quae edita videlicet erant de causa coenae Domini: pollicebaris te semper futurum nostrum. Atqui eius pollicitationis nondum poenituisse te [4]) arbitror.

Qui hasce tibi reddit piae memoriae D. Diethelmi *Roystii* consulis nostri filius est. Sectatur opificium pellificum. [5]) Magistrum apud vos quaerit apud quem et opificium sive artem exerceat et linguam discat. Frater eius D. Iacobus *Roystius*, senatorii ordinis et veritatis amans homo, postulavit a me ut ipsum diligenter amicis meis commendarem, quorum auxilio assequatur bonum aliquem et honestum magistrum. Scripsi eadem de re D. Claudio *Roseto*. Si hic mihi fidelem locaveris operam, maximas agam gratias et in re pari me tibi obstringo.

Vereor in Germania actum esse cum religione vera. Nam Caesar iuvantibus et consentientibus principibus et ordinibus Imperii, pauculis demptis, composuerunt [6]) Interim. [7]) Sic enim appellant formam religionis quam omnes in Germania ecclesiae sequantur interim, dum papam coget [8]) generale et

---

1025. 1) *Cf. N.* 999, *not.* 7. *Simlerus in margine nomen Schmidtii adscribit.*
2) animas *F.*
3) *N.* 999, *not.* 4.
4) te *om. F.*
5) pellificium *F.*
6) *Sic autographon. F. emendavit:* composuit.
7) *De Interim Augustano in comitiis a.* 1548 *promulgato non est quod te hic moremur, utpote alioqui notissimo et in ipsis Calvini Tractatibus pro merito excusso. Quod de consentientibus principibus dicit, ita accipiendum est ut memineris Pflugio et Heldingio, veris illius constitutionis autoribus, adiunctum fuisse Io. Agricolam Ioachimi* II. *electoris Brandeburgici theologum.*
8) papa cogatur *F.*

aperire et celebrare concilium. Est autem Interim illud aliud nihil quam ipse papismus. Vidi capita. Vidi et principum responsiones, eorum inquam qui se appellant catholicos. Hi recipiunt compositionem. Cogita qualis compositio sit quam impii isti et Antichristi vasalli recipiunt. Cornicantur nescio quid in articulis de utraque specie, de coniugio sacerdotum etc. Vidi et *Melanchthonis* consilium. Deus bone, quam pavidum et luxatum![9]) Sic autem docet nos Deus, neque principibus, neque viris doctis, adeoque nulli carni quidquam confidere. Bonum est sperare in Dominum. Hunc orandum scio indesinenter ut causam suam sustineat.

Misi nuper, dum legatus noster iret in Galliam, multa de rebus Germaniae una cum mea responsione. Huius meministi in literis tuis, illarum non meministi. Miror an receperis. Iam vero non fuit otium tam copiose omnia scribendi. Constantienses,[10]) permoti pollicitationibus amplis eorum qui se sequestres interposuerunt, legationem miserunt honestam ad Caesarem Augustam, D. Thomam *Blaurerum* consulem, D. Petrum *Laibardum*, et D. Hieronymum *Hyrusium*. Hi Augustae haerent[11]) adhuc et experiuntur longe alia quam sequestres promiserant. Episcopus Arelatensis vel Atrebatensis[12]) agit cum illis. Nondum potuerunt venire in conspectum Caesaris. Episcopus magnam vim pecuniae ab illis poscit. Urget restitutionem episcopi Constantiensis etc. Quid facturi sint[13]) adhuc ignoratur. Ego video omnia huc prospectare et propendere, ut qui sinceri in religione esse cupiunt igni et ferro sint probandi. At scio interim veritatem et pietatem superaturam. Non deerit suis Dominus. Articulus de sacramentis, praecipue de eucharistia in Interim totus est papisticus. Puto id non sine providentia factum, ut sic tandem ipsa veritas extorqueatur. Dominus adsit ecclesiae suae et servet nos[14]) in sancto suo nomine. Vale. Salutabis domum et symmystas tuos. Tiguri 26. Maii anno 1548.

Bullingerus tuus.

9) *Hic vir summus immerito notatur. Duo scripsit consilia, rogante Mauritio electore* (*Corp. Ref.* VI. 839 *sqq.*) *et candide declarat se suam conscientiam tali libro obstringere vel potius eo accepto onerare non posse, in quo plausibilibus quibusdam plura plane impossibilia misceantur.*

10) *Cf. Sleidan.* III. 133. *Vierordt, Gesch. d. Ref. in Baden.* I. 368. *Idem, Gesch. d. Prot. in Konstanz, in Schreibers hist. Taschenb.* 1841 *etc.*

11) *d.* 19. *April appulerant.*

12) *Atrebatensis, non Arelatensis, Granvella iunior. Constantienses frustra ab Helvetiis auxilium exspectaverant quum Turicenses, qui satis in id inclinabant catholicorum pagorum metu ferre non auderent. Caesar urbem suae ditioni submittere gestiebat.*

13) Quid futurum sit *F.*

19) vos *F.*

1026.

CALVIN A DE FALAIS.

Au sujet d'une affaire d'argent avec une personne de Lyon.

(Orig. autographe. Bibl. de Genève. Vol. 194, f. 81. — Éd. d'Amst. p. 178. Éd. Bonnet I. 251.)

A Monseigneur Monsieur de Falez.

Monseigneur, ie vous ay envoie ce porteur a cause que ie receuz hier lettres de Lion, qui contiennent la clausule icy couchee: „Si le personnaige avoit devotion de besongner avec moy, certes il en seroit temps. Car iay divers moiens demployer les deniers a profict honeste, dont iespere, moyennant la benediction du Seigneur, que chascun seroit content. Ien attens a toute heure response. Et vous prye que ce soit en brief. Car vous scavez quil advient en une heure ce qui ne faict en cent. Et ie voy plusieurs fenestres ouvertes qui me sont a propos. Mais la principalle seroit que ie peusse voler un bon coup au lieu ou... etc." Ce nest point par deffiance que ie ne vous ay mande loriginal, mais pour raison qui vous contentera, quant il plaira a Dieu vous amener iusque icy. Ie scay quil y a bien a prendre conseil en matiere de telle importance. Mais vous scavez de quoy vous maviez requis. Cest quil se fist quelque chose pour ceste foire. Qui ma faict solicite plus hastivement. Il vous souvient de loffre quil vous faict par les aultres lettres. De lhomme, ie vous en ay dict ce que ien congnois. Cest quil est dune industrie grande et de preudhomie en laquelle ie moseroye bien fier iusque au bout. Ie vous prye doncq, Monseigneur, de me vouloir mander vostre intention, affin que iaye a luy faire response par Nicolas Picot. Qui sera lendroict ou ie prieray nostre Seigneur de vous avoir en sa garde, vous envoyer ce quil congnoit vous estre expedient et a Madamoiselle, me recommandant a vostre bonne grace de tous deux. Ce mercredy.[1])

Vostre humble frere est serviteur,

Iehan Calvin.

1026. 1) *La lettre n'est pas datée, et tout ce qu'on peut dire c'est quelle doit avoir été écrite peu avant le départ de M. de Falais pour Genève. Au dos il y a seulement ce mot:* Respondu.

1027.

GUALTHERUS VIRETO.

Calvinus et Farellus Turici negotium Lausannense exposuerunt, innocentiam Vireti vindicarunt facile credentibus fratribus. Nihilominus suspiciones quibus ille cum suis obnoxius est aliquatenus excusandae, tam quoad ministrorum dignitatem nimis elatam, quam quoad articulum de coena in quo cum Bernensium confessione minime consentire videntur.

(Autographon non exstat. Reperies coaevum exemplar, ab ipso Gualthero correctum, si quidem Simlerum audias, in Cod. F. 41 bibl. Civic. Turic. olim. Archiv. Hottingeri MS. Tom. VI. fol. 147. — Simler. Vol. 67.)

Eruditione et pietate insigni viro D. Petro Vireto Lausannensis ecclesiae fidelissimo pastori fratri in Christo dilecto Rodolphus Gualtherus Tigurinus.

Gratiam et pacem a Domino nostro Iesu Christo. Venit ad nos hisce diebus [1]) clarissimus vir et dilectus in Christo frater Ioannes *Calvinus* comite *Farello*, cuius singularis pietas et ardens erga Christi gloriam et ecclesiae salutem zelus iam olim omnibus nostris abunde perspectus est. Et quamvis horum adventus nobis gratissimus esset, vehementem tamen dolorem attulit quum Lausannensis ecclesiae periculum, et quo in discrimine tu, *Virete* colendissime, cum reliquis ministris verseris, exponerent. Doluit ea res mihi cumprimis tum propter amicitiam communem et tua in me beneficia, tum propter ecclesiae periculum quod pios omnes terrere debet. Quo vero minus per *Calvinum* scripserim, haec una causa est quod hunc meum affinem ad vos profecturum scirem, qui meis literis tibi commendandus erat. Neque tamen nunc opus fore existimo ut, quae omnium nostrum de vobis et propositionibus vestris [2]) sententia sit, exponam multis, quum nihil horum a *Calvino* omissum putem. Certe quum propositiones has ante *Calvini* et *Farelli* adventum accepissemus [3]) videbamini quibusdam nescio quid alti spirare, et non tam ministerium verbi quam ministrorum personas nimis extollere. Sed non eam vobis mentem esse *Calvinus* exposuit, et si ego te satis novi illius verbis facile fidem habeo: quum nunquam mihi is visus sis, qui tuam potius gloriam quam fidelium salutem quaerere coneris. Interim dolendum est eam rem tantas vobis turbas dedisse. Nam de iis quae Bernae acciderunt nihil scribo, quum non propter vestras duntaxat propositiones illius ecclesiae ministri ab officio repulsi sint, sed propter iurisiurandi fidem, [4]) ut legatus Bernensis retulit, saepius violatam. Et quantum ipse pro mei ingenii tenuitate videre possum, non potuit illi ecclesiae melius consuli propter partium studia, quae radices nimis utrinque alte egerunt. Vestrae autem ecclesiae commodius subveniri posse spero: siquidem ea vobis mens est quam *Calvinus* esse dixit et nos facile credimus. Multum certe hic proderit simplicitas et quaestionum non necessariarum rarior tractatio. Quum enim vobis cum *Bucero*, [5]) ut multi firmiter credunt, conveniat, is autem nostrarum ecclesiarum doctrinam de coena publice damnet, non mirum videri debet si multis suspecti sitis. Augent vero suspicionem hanc de ministerii excellentia et dignitate disputationes, ut non desint qui vos ad illud fastigium aspirare putent unde superba episcoporum et papisticorum praesulum turba deiecta est. Ne ergo tam suspiciosis occasionem demus etiam atque etiam curandum erit. Et plus utilitatis tam ad nos quam ecclesias nostras redire posse credo, si frequentius de humilitatis officio quam excellentia nostrae dignitatis cogitemus, quum ipse etiam Dominus noster Iesus Christus frequentius de illa quam hac suos discipulos admonendos esse duxerit. Quod coenae negotium attinet, nemo certe tam vecors et stupidus est quin multorum doctrinam cum Bernensi disputatione plurimum discrepare intelligat. Nec id obscurum est, quum Genevae libelli et gallice et latine editi sint, [6]) in quibus *Zwinglii* et *Oecolampadii* de coena doctrina, expressis etiam illorum nominibus, reiicitur, talesque inducuntur sanctissimi viri qui praecipuam huius sacramenti partem minus exacte tradiderint. Atque illi ipsi sunt quorum labore et studio Bernensis disputatio maxima ex parte peracta est. Quod si ergo illorum doctrinae et proinde Bernensi disputationi hac in re multum deesse quidam ex vestris noverunt, nunquam certe in illius verba iurare debuissent, quum sanctior sit et fidei christianae et iurisiurandi religio, quam ut

1027. 1) *Redux fuit C. Genevae pridie nonas Iunias. Bullingerus ad eum literas, dedit d. 26. Maii. Sequitur eum ultimis mensis diebus Turici fuisse, et probabiliter non diu haesisse.*

2) *De ministerio.*

3) *A Kilchmeiero N.* 1007.

4) *Hundesh. p.* 209.

5) *De hoc male sentiebat, vel saltem ei diffidebat ex quo concordiam Wittembergensem quam vocant procuraverat satagendo. Postea in peiore loco habuit quum Apologiam Turicensium contra Lutherum scriptam a.* 1545 *improbaret. Vide ep. ad eum datam d.* 12. *Mart.* 1545 *ap. Hess, Bullinger I.* 454. *Ibidem p.* 470 *habes aliam eiusdem ep. ad Blaurerum post Lutheri obitum scriptam d.* 11. *Mart.* 1546 *ubi inter alia:* Ego, *inquit*, melius sperare inciperem, si Bucerus quoque vocaretur ad Dominum. Non enim vivit hodie alius qui plus spei aperiat papistis et de coena Domini disputet obscurius quam ipse.

6) *Haec oblique Calvinum ipsum spectare videntur. Vide maxime Opp. V.* 458 *sq.*

aperire et celebrare concilium. Est autem Interim illud aliud nihil quam ipse papismus. Vidi capita. Vidi et principum responsiones, eorum inquam qui se appellant catholicos. Hi recipiunt compositionem. Cogita qualis compositio sit quam impii isti et Antichristi vasalli recipiunt. Cornicantur nescio quid in articulis de utraque specie, de coniugio sacerdotum etc. Vidi et *Melanchthonis* consilium. Deus bone, quam pavidum et luxatum! [9]) Sic autem docet nos Deus, neque principibus, neque viris doctis, adeoque nulli carni quidquam confidere. Bonum est sperare in Dominum. Hunc orandum scio indesinenter ut causam suam sustineat.

Misi nuper, dum legatus noster iret in Galliam, multa de rebus Germaniae una cum mea responsione. Huius meministi in literis tuis, illarum non neministi. Miror an receperis. Iam vero non fuit otium tam copiose omnia scribendi. Constantienses, [10]) permoti pollicitationibus amplis eorum qui se sequestres interposuerunt, legationem miserunt honestam ad Caesarem Augustam, D. Thomam *Blaurerum* consulem, D. Petrum *Laibardum*, et D. Hieronymum *Hyrusium*. Hi Augustae haerent [11]) adhuc et experiuntur longe alia quam sequestres promiserant. Episcopus Arelatensis vel Atrebatensis [12]) agit cum illis. Nondum potuerunt venire in conspectum Caesaris. Episcopus magnam vim pecuniae ab illis poscit. Urget restitutionem episcopi Constantiensis etc. Quid facturi sint [13]) adhuc ignoratur. Ego video omnia huc prospectare et propendere, ut qui sinceri in religione esse cupiunt igni et ferro sint probandi. At scio interim veritatem et pietatem superaturam. Non deerit suis Dominus. Articulus de sacramentis, praecipue de eucharistia in Interim totus est papisticus. Puto id non sine providentia factum, ut sic tandem ipsa veritas extorqueatur. Dominus adsit ecclesiae suae et servet nos [14]) in sancto suo nomine. Vale. Salutabis domum et symmystas tuos. Tiguri 26. Maii anno 1548.

Bullingerus tuus.

9) *Hic vir summus immerito notatur. Duo scripsit consilia, rogante Mauritio electore (Corp. Ref.* VI. 839 *sqq.) et candide declarat se suam conscientiam tali libro obstringere vel potius eo accepto onerare non posse, in quo plausibilibus quibusdam plura plane impossibilia misceantur.*

10) *Cf. Sleidan.* III. 133. *Vierordt, Gesch. d. Ref. in Baden.* I. 368. *Idem, Gesch. d. Prot. in Konstanz, in Schreibers hist. Taschenb.* 1841 *etc.*

11) *d.* 19. *April appulerant.*

12) *Atrebatensis, non Arelatensis, Granvella iunior. Constantienses frustra ab Helvetiis auxilium exspectaverant quum Turicenses, qui satis in id inclinabant catholicorum pagorum metu ferre non auderent. Caesar urbem suae ditioni submittere gestiebat.*

13) Quid futurum sit *F.*

19) vos *F.*

1026.

CALVIN A DE FALAIS.

Au sujet d'une affaire d'argent avec une personne de Lyon.

(Orig. autographe. Bibl. de Genève. Vol. 194, f. 81. — Éd. d'Amst. p. 178. Éd. Bonnet I. 251.)

A Monseigneur Monsieur de Falez.

Monseigneur, ie vous ay envoie ce porteur a cause que ie receuz hier lettres de Lion, qui contiennent la clausule icy couchee: „Si le personnaige avoit devotion de besongner avec moy, certes il en seroit temps. Car iay divers moiens demployer les deniers a profict honeste, dont iespere, moyennant la benediction du Seigneur, que chascun seroit content. Ien attens a toute heure response. Et vous prye que ce soit en brief. Car vous scavez quil advient en une heure ce qui ne faict en cent. Et ie voy plusieurs fenestres ouvertes qui me sont a propos. Mais la principalle seroit que ie peusse voler un bon coup au lieu ou... etc." Ce nest point par deffiance que ie ne vous ay mande loriginal, mais pour raison qui vous contentera, quant il plaira a Dieu vous amener iusque icy. Ie scay quil y a bien a prendre conseil en matiere de telle importance. Mais vous scavez de quoy vous maviez requis. Cest quil se fist quelque chose pour ceste foire. Qui ma faict solicite plus hastivement. Il vous souvient de loffre quil vous faict par les aultres lettres. De lhomme, ie vous en ay dict ce que ien congnois. Cest quil est dune industrie grande et de preudhomie en laquelle ie moseroye bien fier iusque au bout. Ie vous prye doncq, Monseigneur, de me vouloir mander vostre intention, affin que iaye a luy faire response par Nicolas Picot. Qui sera lendroict ou ie prieray nostre Seigneur de vous avoir en sa garde, vous envoyer ce quil congnoit vous estre expedient et a Madamoiselle, me recommandant a vostre bonne grace de tous deux. Ce mercredy. [1])

Vostre humble frere est serviteur,

Iehan Calvin.

1026. 1) *La lettre n'est pas datée, et tout ce qu'on peut dire c'est quelle doit avoir été écrite peu avant le départ de M. de Falais pour Genève. Au dos il y a seulement ce mot:* Respondu.

1027.

GUALTHERUS VIRETO.

Calvinus et Farellus Turici negotium Lausannense exposuerunt, innocentiam Vireti vindicarunt facile credentibus fratribus. Nihilominus suspiciones quibus ille cum suis obnoxius est aliquatenus excusandae, tam quoad ministrorum dignitatem nimis elatam, quam quoad articulum de coena in quo cum Bernensium confessione minime consentire videntur.

(Autographon non exstat. Reperies coaevum exemplar, ab ipso Gualthero correctum, si quidem Simlerum audias, in Cod. F. 41 bibl. Civic. Turic. olim. Archiv. Hottingeri MS. Tom. VI. fol. 147. — Simler. Vol. 67.)

Eruditione et pietate insigni viro D. Petro Vireto Lausannensis ecclesiae fidelissimo pastori fratri in Christo dilecto Rodolphus Gualtherus Tigurinus.

Gratiam et pacem a Domino nostro Iesu Christo. Venit ad nos hisce diebus [1]) clarissimus vir et dilectus in Christo frater Ioannes *Calvinus* comite *Farello*, cuius singularis pietas et ardens erga Christi gloriam et ecclesiae salutem zelus iam olim omnibus nostris abunde perspectus est. Et quamvis horum adventus nobis gratissimus esset, vehementem tamen dolorem attulit quum Lausannensis ecclesiae periculum, et quo in discrimine tu, *Virete* colendissime, cum reliquis ministris verseris, exponerent. Doluit ea res mihi cumprimis tum propter amicitiam communem et tua in me beneficia, tum propter ecclesiae periculum quod pios omnes terrere debet. Quo vero minus per *Calvinum* scripserim, haec una causa est quod hunc meum affinem ad vos profecturum scirem, qui meis literis tibi commendandus erat. Neque tamen nunc opus fore existimo ut, quae omnium nostrum de vobis et propositionibus vestris [2]) sententia sit, exponam multis, quum nihil horum a *Calvino* omissum putem. Certe quum propositiones has ante *Calvini* et *Farelli* adventum accepissemus [3]) videbamini quibusdam nescio quid alti spirare, et non tam ministerium verbi quam ministrorum personas nimis extollere. Sed non eam vobis mentem esse *Calvinus* exposuit, et si ego te satis novi illius verbis facile fidem habeo: quum nunquam mihi is visus sis, qui tuam potius gloriam quam fidelium salutem quaerere coneris. Interim dolendum est eam rem tantas vobis turbas dedisse. Nam de iis quae Bernae acciderunt nihil scribo, quum non propter vestras duntaxat propositiones illius ecclesiae ministri ab officio repulsi sint, sed propter iurisiurandi fidem, [4]) ut legatus Bernensis retulit, saepius violatam. Et quantum ipse pro mei ingenii tenuitate videre possum, non potuit illi ecclesiae melius consuli propter partium studia, quae radices nimis utrinque alte egerunt. Vestrae autem ecclesiae commodius subveniri posse spero: siquidem ea vobis mens est quam *Calvinus* esse dixit et nos facile credimus. Multum certe hic proderit simplicitas et quaestionum non necessariarum rarior tractatio. Quum enim vobis cum *Bucero*, [5]) ut multi firmiter credunt, conveniat, is autem nostrarum ecclesiarum doctrinam de coena publice damnet, non mirum videri debet si multis suspecti sitis. Augent vero suspicionem hanc de ministerii excellentia et dignitate disputationes, ut non desint qui vos ad illud fastigium aspirare putent unde superba episcoporum et papisticorum praesulum turba deiecta est. Ne ergo tam suspiciosis occasionem demus etiam atque etiam curandum erit. Et plus utilitatis tam ad nos quam ecclesias nostras redire posse credo, si frequentius de humilitatis officio quam excellentia nostrae dignitatis cogitemus, quum ipse etiam Dominus noster Iesus Christus frequentius de illa quam hac suos discipulos admonendos esse duxerit. Quod coenae negotium attinet, nemo certe tam vecors et stupidus est quin multorum doctrinam cum Bernensi disputatione plurimum discrepare intelligat. Nec id obscurum est, quum Genevae libelli et gallice et latine editi sint, [6]) in quibus *Zwinglii* et *Oecolampadii* de coena doctrina, expressis etiam illorum nominibus, reiicitur, talesque inducuntur sanctissimi viri qui praecipuam huius sacramenti partem minus exacte tradiderint. Atque illi ipsi sunt quorum labore et studio Bernensis disputatio maxima ex parte peracta est. Quod si ergo illorum doctrinae et proinde Bernensi disputationi hac in re multum deesse quidam ex vestris noverunt, nunquam certe in illius verba iurare debuissent, quum sanctior sit et fidei christianae et iurisiurandi religio, quam ut

---

1027. 1) *Redux fuit C. Genevae pridie nonas Iunias. Bullingerus ad eum literas, dedit d. 26. Maii. Sequitur eum ultimis mensis diebus Turici fuisse, et probabiliter non diu haesisse.*

2) *De ministerio.*

3) *A Kilchmeiero N.* 1007.

4) *Hundesh. p.* 209.

5) *De hoc male sentiebat, vel saltem ei diffidebat ex quo concordiam Wittembergensem quam vocant procuraverat satagendo. Postea in peiore loco habuit quum Apologiam Turicensium contra Lutherum scriptam a.* 1545 *improbaret. Vide ep. ad eum datam d.* 12. *Mart.* 1545 *ap. Hess, Bullinger I.* 454. *Ibidem p.* 470 *habes aliam eiusdem ep. ad Blaurerum post Lutheri obitum scriptam d.* 11. *Mart.* 1546 *ubi inter alia:* Ego, *inquit*, melius sperare inciperem, si Bucerus quoque vocaretur ad Dominum. Non enim vivit hodie alius qui plus spei aperiat papistis et de coena Domini disputet obscurius quam ipse.

6) *Haec oblique Calvinum ipsum spectare videntur. Vide maxime Opp. V.* 458 *sq.*

quis in ea vel paululum tergiversari debeat. Puto igitur, mi *Virete*, ad pristinam simplicitatem redeundum esse, ne, dum indies novas loquendi formulas etiam pacis studio recipimus, et ecclesiae suspecti reddamur, et pacem turbemus maxime. Nec enim video pacem inter ecclesias coire, si formulis utantur ambiguis, quas singuli suae sententiae accommodantes ceu ceram tractare et retractare velint. Haec eo animo accipias velim quo a me scripta sunt. Nisi enim et te amarem et ecclesiae vestrae studio tenerer, maiori etiam quam credi possit, nunquam ea scribere instituissem quae a nonnullis sinistrius accipi queant. Vale. Tiguri Calendis Iunii 1548.

1028.

VIRETUS CALVINO.

Calvino iam Genevam reverso nova quaedam ex collegio collegarum Vadensium nunciat.

(Ex autographo Cod. Gen. 111ᵃ fol. 169.)

Eximio Christi servo Ioanni Calvino fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Quum hic esses [1]) oblitus sum abs te repetere scripta illa nostra quae Tigurum tulisti, tu quoque ea nobis relinquere. [2]) Proinde fac ut primo quoque tempore per fidum nuncium referantur, quia iis nobis erit opus, [3]) et quam cito nobis incertum. Ex tuo hinc discessu nihil contigit novarum rerum, nisi quod interea, dum classis consultabat de eligendo ministro qui Neopagi sufficeretur, quidam nostri colloquii Lausannensis, qui e numero fuerat scholasticorum stipendiariorum, clam se Bernam recepit, et effecit suis et suorum artibus ut ille ecclesiae pastor constitueretur. Vides ut modis omnibus Satanas ecclesiam turbare conetur et omnia pervertere. Nobis magis dolet quod nihil tale de eo homine suspicabamur, quamvis non deessent qui aliquid subolfecissent. Consule quid nobis putes super hac re faciendum. Suspicamur praeterea unum ex eorum numero Bernam ea causa profectum, ut huic, qui hac via in illam ecclesiam se intrusit, sufficeretur in ministerio quod hic in proximis pagis exercebat. Quid effecerit hic secundus nescimus necdum satis nobis constat an id tentarit. Vehemens tamen est suspicio, neque dissimile veri est inter hos fuisse collusionem. Sed Dominus omnia revelabit. Salutant te nostri omnes. Saluta uxorem meo et meae uxoris nomine. Vale. Lausannae 4. Iunii 1548.

Tuus Petrus Viretus.

1028. 1) *In itinere Turico Genevam versus, Calendis fere Iuniis vel postridie.*
2) *scil. oblitus es.*
3) *Erant hae, nisi fallimur, ipsae Lausannensium propositiones de ministerio, et fortassis alia ad causam Bernae actam et agendam pertinentia.*

1029.

CALVINUS VIRETO.

Paucis attingit modo a Vireto relata, consilium addit de persequenda Bernae causa. Uxoris suae adventum Lausannae nunciat.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 218 verso. Scripta est enim in eadem charta quae habet Vireti ep. ad Gualtherum N. 1034. Descripta legitur manu Ionvillaei in Cod. 111ᵃ, fol. 27 v., Turretini Cod. 111, fol. 156, tum etiam in Arch. Bern. Epp. VII. p. 880 et apud Simlerum Vol. 67.)

Fideli Christi servo Petro Vireto fratri carissimo.

Quando tibi *Enardus* [1]) satisfecit, gaudeo: semper enim optavi talem esse qualis ab initio nobis visus fuerat. Ex pecunia quam tibi miseram intelligere potuisti Davidem *Verandum* [2]) mihi fuisse curae. Sed quando aliter cecidit quam putaveram, viaticum illi dedi. De illicitis obreptionibus [3]) quid aliud consulerem, quam ut *Hallerum* monendum curetis, deinde ut senatus admoneatur. Crede enim mihi, nunc tam bonorum quam malorum in vos coniecti sunt oculi. Observant utrique quidnam sit vobis animi. Cordate agendo et apud illos retinebitis eam quae nunc fere periclitatur opinionem et his ferociam minuetis. De statu nostro, ubi deferbuerint insaniae nostrorum hominum, tibi scribam. [4]) Vale, frater amicissime. Saluta fratres et uxorem, quae simul ac partum ediderit uxorem

1029. 1) *An Pichon? De quo tamen dubitare possis quum Vireto cum hoc nihil negotii antea fuisse videatur.*
2) *Veranum vocabat Garnerius N.* 910.
3) *Vide Vireti praecedentem.*
4) *Pridie nonas Iunias C. in senatu denuo de quorundam insolentia questus erat.* (*Reg. du Conseil.*)

meam accersat.[5]) Fratres quoque mei vobis omnibus salutem dicunt. 9. Iunii.[6])

Ioannes Calvinus tuus.

1030.

VIRETUS CALVINO.

A Mercerio sibi epistolas quasdam subreptas queritur, si quidem ille vera dicat, quibus vulgatis ipsum apud principes pessime auditurum minatur:

(Autographon exstat in Cod. Genev. 111ᵃ, fol. 73. Praeterea vide Cod. 116, fol. 101, Epp. Bern. VII. p. 883 et Simleri Vol. 67.)

Fidelissimo Christi servo Ioanni Calvino Genevae.

S. Literas meas tibi redditas puto in quibus narro historiam nostri *Ludovici*.[1]) Si eas perlegeris miram vidisti hominis impudentiam et ingenii perversitatem et perfidiam. Sed audi alia quae longe graviora et intolerabiliora iudico. Postridie eius diei quo ita deprehensus et convictus a nobis fuit, ad diaconum communem accessit, coepit de me conqueri et accusare quod essem vindictae appentiss.[2]) adeo ut, si quem semel persequi coeperim, nusquam desinam donec funditus ille perierit: unde colligebat sibi iure esse a me metuendum, futurumque ut sibi nullam concederem quietem. Verum ut me cohiberet ab ista vindictae cupiditate, adiiciebat minas quibus me terreret, eam scilicet ob causam ut ea mihi a diacono referrentur. Eo enim spectabat eius oratio. Neque id dissimulabat. Asserebat autem literas habere[3]) apud se, tum meas ad amicos, tum amicorum ad me, in quibus ne principibus[4]) quidem parceretur: quibus se iactabat, me sibi esse obstrictiorem quam se mihi, quibusque plus mihi quam me sibi incommodaturum gloriabatur, si non quietus manerem et eum pergerem insectari. Rogat diaconus, unde[5]) has literas venatus sit? Respondit ex meis aedibus, quum apud me ageret. Quum diaconus argueret hominis perfidiam, respondit se in eas incidisse quum forte sparsas domi invenisset et neglectas, aut in f..cis,[6]) aut aliquo domus angulo. Quum rursus diaconus urgeret, hoc quoque grave esse facinus et insignem perfidiam, quod iam mihi hero suo et homini benefico tam longo tempore struxisset insidias, respondit, se non asservasse in eum usum, sed ut elegantius pingere disceret, quod essent in iis literis interdum quaedam quae iuvaret imitari.

Nonne haec sunt horrenda auditu? Quis unquam haec vel a perfidissimo nebulone eoque omnium deploratissimo exspectasset? Non dubito quin mentiatur: nam de principibus neque ego neque amici scribimus tam procaciter et inconsiderate, nisi forte dum de statu ecclesiae interdum scribimus liberius et familiarius, sed ita ut suus maneat principibus honos. Saltem si literas in suum usum reservavit quarum characteres imitaretur, tu hac in parte es extra omne periculum constitutus. Quod si quid tale haberet, non distulisset hactenus eas proferre, quum tam perfido et hostili tamdiu in me fuerit animo. Vides cum quibus viperis, aspidibus et scorpionibus nobis etiam domestica consuetudo fuit. Si voluit literas suffurari, id ei facile fuit, quum eum saepe in museo meo solum reliquerim. Sed Dominus nos liberabit ab omnibus perditorum insidiis.

Ex quo ita a me convictus est, etiam praesente *Ruffo*[7]) nostro qui eum aperte damnare coactus est, frequentissime cum illo fuit: querebatur tamen se destitutum omni consilio, *Comitis*[8]) autem adventum exspectare se dicebat, cuius uteretur consilio. Hinc coniicere licet quo ille pergat pede in coepto itinere. Consule mihi quid rursum censeas faciendum. Quam optarim duorum testimonio posse probari quod iactavit apud diaconum. Nam impudentissime omnia negabit si illud ei obiecero.

Franciscus *Paulinus* et Guilielmus *Hubraquius*[9]) sunt Bernae. Solverunt hinc dominico die. Eorum exspectamus adventum et profectionis eventum. Salutant te nostri omnes, praesertim uxor, quae praestabit quod uxor tua requirit, si Dominus nobis benedixerit. Eam mea resalutat et se vestris precibus commendat mittitque pecuniam quam nostra causa apud myropolas insumpsit. Saluta fratres meo nomine. Vale. Lausannae 13. Iunii 1548.

Tuus Petrus Viretus.

---

5) *Vide infra N.* 1030 *et* 1041.

6) *Annum praeter alia sistit mentio parturientis uxoris Vireti et locus in Cod. autographo.*

1030. 1) *Lud. Mercier, de quo iam N.* 905 *et* 907. *Ipsae Vireti literae quarum hic mentio fit non exstant. Cf. etiam infra N.* 1041.

2) *sic autographon. Caeteri lacunam praebent, voce omnino omissa. Viretus sine dubio scribere volebat:* appetentissimus.

3) *N.* 1041 *et Hundesh. p.* 229 *seq.*

4) *Bernensibus.*

5) *Hoc voc. minus distincte scriptum in apographis omnibus omissum est, relicto vacuo spatio.*

6) *Pars vocabuli atramento cooperta, quod ideo apographa totum omiserunt.*

7) *N.* 1011.

8) *Beati, qui tum in thermis Badensibus lavabat.*

9) *Uterque Vadensis minister. De eorum rebus gestis v. proximam Calvini ad Bullingerum.*

Mitto ad te literas *Gualtheri* [10]) Tigurini ut videas et ad me per hunc tabellarium cum tuo iudicio remittas, quia iis nondum respondi.

1031.

CALVIN A * * *

Cette lettre est adressée à un Français nouvellement converti qui avait demandé s'il lui serait permis de prendre part à la Cène avec les Catholiques.

(Minute originale. Bibl. de Genève. Vol. 107a, fol. 353 avec souscription autographe. — Éd. Bonnet I. 252.)

La dilection de Dieu nostre pere et la grace de nostre Seigneur Iesuschrist soit et demeure tousiours sur vous par la communication de son esprit.

Trescher frere, ie loue nostre Seigneur de ce quil vous a reduyt a la pure et simple congnoissance de sa verite, vous delivrant des erreurs ou il permect les siens mesme tomber quelque foys, afin de les humilier. Maintenant advisez de cheminer en ceste simplicite de la foy, affin que Dieu vous y conferme [1]) de plus en plus. Et questant uni en ce monde avec nostre chef Iesuschrist, et estant membre de son corps, comme il a pris nostre chair, affin davoyr plaine fraternite avec nous, et vivant en lobeissance de son evangille qui nous enseigne de chercher en luy tout nostre salut, vous parveniez a la vie qui est prommise aux fidelles, en attendant quil nous resuscite tous ensemble en sa gloyre: comme il nous fault avoir esperance que cependant que noz corps dorment en terre, que noz ames vivent avec luy.

Aureste quant a la question que vous me demandez, assavoir sil est point licite a ung homme chrestien de communiquer a la cene de Iesuschrist qui se fait au lieu ou vous estes, la responce seroit facille que oy, moyennant quil y eust cene de Iesuschrist: mais quant vous aurez bien tout regarde, il ny a nulle conformite ny similitude entre la cene et la messe papalle, non plus quentre le feu et leau. Il est vray que les ordonnances de Dieu ne peuvent estre empirees, par la malice ny ygnorance des hommes: mais ie vous nye que Iesuschrist ait institue la messe: mais plustost comme en despit de luy elle a este forgee de Sathan, affin de destruyre la saincte cene, car cest une chose toute contraire, daultant quils en font un sacrifice atribuant a un acte follement invente la vertu de la mort et passion de Iesuschrist. Il y a davantaige des ydolatries manifestes, non seullement en ce que le pain y est adore, mais quon y prie pour les trespassez, quon a son refuge au merite et intercession des sainctz; quon y faict beaucoub de choses semblables que Dieu reprouve: [2]) parquoy il nest non plus permis aux fidelles de communiquer a une telle supperstition, quil estoyt anciennement de sacrifier en Bethel. Car cela contredit plainement a la confession de foy que Dieu demende de nous. Mais pour ce que cest argument est desduyt plus au long, aux livres [3]) qui en sont expressement escris, ie vous prie de les lire deligemment, vous recommandant a Dieu, a ce quil luy playse vous monstrer sa vollunte, et vous ouvrir les yeux pour bien discerner le blanc davec le noir, et allors ie croy que vous aurez de quoy contenter vostre esprit, ne vous donnant plus licence de faire semblant en facon que ce soyt dapprouver limpiete des meschans. Surquoy ie priray nostre bon Dieu quil vous augmente de plus en plus sa grace, et apres quil vous aura declare ce qui est bon, quil vous donne vertu et constance de le suyvre et y adherer. De Genefve, ce 13. iour de Iuing. [4])

Vostre bon frere,

Iehan Calvin.

---

10) *N.* 1027.

1031. *) Lettre sans indication de personne et d'année.

1) conforme *Bt.*

2) repousse *Bt.*

3) *Contre les Nicodémites et autres.*

4) *M. Bonnet a placé cette lettre à l'année* 1548. *Nous l'y laissons, bien que nous ne voyions pas le moindre argument à faire valoir pour cette année plutôt que pour toute autre.*

1032.

LE SÉNAT DE BERNE A VIRET.

Viret est mandé à Berne pour le premier Juillet.

(Copie de la main de Viret, ajoutée en Post-scriptum à sa lettre à Calvin N. 1041 du 29. Iuin.)

A honnorable doct scavant nostre cher et bien ayme Me. Pierre Viret ministre de la parolle de Dieu a Lausanne.

Ladvoye et conseil de Berne: nostre salutation. Honnorable doct scavant cher et bien ayme. Nous

avons entendu ce que tu nous as escript sus noz letres touchant les presidens, disputans et notaires des disputations publiques tenues a Lausanne lannee 1536. Surquoy avons ordonne que toy, messire Girard *Grand*, Nicolas de *Wattenvill* et nostre secretaire regardent diligentement le premier transcript de Loys *Mercerie* lequel nous a rendu ces iours passes. Et a ce faire estably iour, a scavoir le premier iour du prochain moys de Iulliet a comparoistre icy en nostre ville de Berne.[1]) Dont est nostre vouloir et commandement que tu te transporte pardeca pour entendre avec les susnommez audict affaire, et que tu apporte avec toy ton volume de ladite disputation. En ce nous sera faict grand plaisir et service a remunerer. Datum 16. Iunii 1548.

1033.

HOTOMANUS CALVINO.

Petit ut praefationem quandam sibi emendatam remittat et omnino scribat.

(Ex autographo Cod. Goth. 405, fol. 126. — Simler. T. 57. Edidit Liebe p. 72.)

A Monseigneur Monsieur D'espeville
La part ou il sera.

S. Equidem quid ad te scribam nihil habeo, nisi quod precibus me tuis perpetuo commendo, quam possum cupidissime studiosissimeque. Nuper ad te literas una cum praefatione, quam exspecto. Nisi tibi, amantissime domine, molestum est, iterum te oro eam ne gravere emendatam ad me quam primum remittere. Quum eris otii nactus plus paulo tabellarius tibi narrabit quam utiles essent tuae ad me literae, quibus pseudo-Nicodemorum sapientes excusationes aperte et nominatim (nihil est enim quod mea causa vereare) eluderes. Sed de hoc aliisque omnibus pro tua singulari prudentia, mi pater, ut statues, ita mihi videbitur. Dominus te spiritu suo gubernare pergat et ecclesiae suae incolumem quam diutissime conservare. Vale. 17. Iun. Lugduni.[1])

Tuus ex animo
F. Hotomanus.

1032. 1) *Pour toute explication nous renvoyons les lecteurs à la lettre de Viret du* 29. *juin* (1041).
1033. 1) *Simlerus ad a.* 1545 *refert. Mense Nov. a.* 1547 *Lausannae adhuc erat, postea Lugdunum concessisse constat.*

1034.

VIRETUS GUALTHERO.

Causam ministrorum Lausannensium denuo agit, eorum sinceritatem vindicat, a piissimis principibus optima quaeque sperat, dummodo iniuste accusatos audire velint.

(Duo exstant huius epistolae exemplaria autographa, alterum in Cod. Genev. 106, fol. 218, in eadem scilicet charta cuius tergo inscripta fuerat Ep. Calvini N. 1029. Inscriptionem habet simplicem: *Rodolpho Gualthero*, et fortasse cum Calvino communicata fuit antequam Turicum mitteretur, vel saltem autor vacua alterius epistolae pagina ad hanc concipiendam usus fuisse videtur. Alterum, quod hic sequimur, in Bibl. Turicensi civica exstat MS. F. 42 olim Archiv. Hottinger. T. VII. p. 269. Simlerus habet Vol. 67.)

Singulari eruditione et pietate ornatissimo D. Rodulpho Gualthero ecclesiae Tigurinae pastori fidelissimo fratri et symmystae suavissimo
Tiguri.

S. Tam mihi gratae fuerunt tuae literae quam prius exoptatae, quibus responderem in praesentia prolixius si per tabellarii discessum liceret. Quia vero nunc non licet, malo nihil de praecipuis rerum nostrarum capitibus attingere, quam pauca scribere: quum eius sint generis ut paucis perstringi non possint, et eadem opera iis satisfacere qui falsis de nobis sparsis rumoribus fidem habuerunt. Malim itaque haec omnia in aliud differre tempus et ei me integrum servare. Interea forsan nobis innotescent magis criminationum et calumniarum adversus nos capita et magis Dominus prodet eorum ingenia qui harum turbarum autores nobis fuerunt.

Quod ad causam nostram attinet, nihil est quod nobis merito timeamus, nisi ea gravetur praeiudiciis et sinistris suspicionibus, et malis eorum artibus qui suae potius gloriae quam Christi consultum cupiunt. Est enim nobis cum prudentissimis et vere piis principibus negotium, qui non delectantur ecclesiae offendiculis.[1]) Atque utinam tam seriam eius haberent rationem ii qui eos et nos et totam ecclesiam conturbant.[2]) Haud dubie his molestiis omnes careremus, et pergeret ecclesiae profectus felice quo coeperat pede. Sed Dominus omnium cogitationum studiorum et operum arbiter iudex et vindex, atque etiam fidelissimus testis, aliquando tandem tribunal conscendet suum has controversias decisurus. Patefaciet illius iudicium quae nunc in tenebris latent. Nobis bona spes est, modo respon-

---

1034. 1) *Haec fere scripta videntur ut occurrant rumoribus ex Mercerii minis fortassis orituris.*
2) *Zebedaeus et Comes.*

dendi et agendi causam nostram locus concedatur, et purgandi nos adversus horrendas illas calumnias, quibus passim traducti fuimus. Id vero quomodo non speraremus a tam prudente, iusto et aequo senatu, tamque christiano, quod sub ethnicis quoque principibus non fuit olim Paulo denegatum. Satis est ad defensionem causae nostrae simplex veritatis oratio et rei gestae narratio: quam aliquando, si dederit Dominus, plenius a me intelliges, idque citra fucum omnem et simulationem aut dissimulationem. Neque dubito quin sinceri coram Deo et bonorum conscientiis Christi ministri, sicuti hactenus, ita et deinceps inveniamur, quidquid quidam adversus nos mentiantur.

Haec volui duntaxat obiter et in genere velut indicare, ut intelligeres nos non esse tam monstrosis opinionibus quam fortasse quidam vobis persuadere conati sunt, quibus facile fuit mortuos in tenebris iugulare. Sed si aliquando contingat propius et praesentibus congredi, tunc patefiet tot mendaciis et calumniis oppressa veritas.

De scholasticis nostris disputationibus, de iureiurando[3]) et iis de quibus ad me scripsisti suspicionibus, nihil agere in praesentia constitui, donec se offerat occasio qua rem omnem altius repetere et plenius narrare liceat. Hoc solum adiiciam, Satanam nobis invidisse eam quam ferebamus studiorum tranquillitatem, et scholarum successum, et gloriam quae inde ad pios nostros principes erat reditura, et in omnes ecclesias uberrimum profectum, ad quas huius scholae fructus pervenire poterat. Nam videtur bonis studiis bellum indixisse. Sed Dominus eum aliquando sub pedibus nostris conteret.

Quod ad affinem tuum attinet, gaudeo hospitem et praeceptorem tam idoneum nactum esse. Ego quidquid potero praestare officii non denegabo. Mihi optimae spei et indolis esse videtur. Si quid vero est in quo tibi queam gratificari, persuade tibi me et mea omnia non secus tua esse quam mea. Interea te per Christum obtestor, ut quidquid sinistri de nobis audias, a quibuscunque et quantacunque autoritate praeditis, alteram nobis aurem servare memineris. Quod si quidam fecissent, ecclesiae nostrae iam in eo non versarentur quo sunt discrimine. Sed prodibit in apricum suo tempore veritas, quae omnes calumniarum, imposturarum et sinistrarum suspicionum nebulas discutiet, etsi fortasse ad tempus eam Dominus opprimi voluerit. Salutant te nostri omnes. Saluta, obsecro, meis verbis D. ***Bullingerum***, ***Pellicanum***, ***Bibliandrum***[4]) et reliquos fratres et symmystas tuos nobis in Christo plurimum observandos. Scribam et ad D. ***Bullingerum*** proximo quoque tempore, si se fidus offerat tabellarius. Vale. Lausannae 18. Iunii 1548.[5])

Tuus Petrus Viretus.

3) *Cave legas:* disputationibus de iureiurando, *absque distinctione; nam de iureiurando non disputatum est. Caeterum vide Gualtheri ep. ad quam haec respondet. Suspiciones vero, quas dicit hic noster, articulum de coena spectabant.*

4) *Post hoc nomen aliud in Cod. Turic. sequitur difficillimum lectu. Cunradum scriberemus, nisi iam Pellicanum nominasset.*

5) *Exemplar Genevae praebet* 15. *Iunii. Quod facillime expedies. Hoc scil. die Viretus ep. concepit, d.* 18. *descriptam signavit.*

1035.

CALVINUS SULZERO.

Narrat quis itineris Turicensis quod cum Farello Bernensium ministrorum causa susceperat fructus fuerit, scilicet nullus.

(Ex codice Bibliothecae Tronchinianae fol. 47. Calvini manu superscriptum est: *Optimo fratri meo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori.* Et infra: *Exemplar epistolae ad Sulzerum.* Textus ipse ab alia manu.)

Quum Berna reversus esset *Viretus* ac indicasset nullam illic esse spem, reliquum nihil mihi prius agendum esse duxi quam ut Tigurum concederem periculum facturus numquid aliquod malis remedium illic inveniri posset. Veniebat enim illud in mentem:

Vulnus Achilleo quae quondam fecerat hosti,
Vulneris auxilium Pelias hasta tulit.

Iter feci Neocomo unde *Farellus* se comitem adiunxit. Initio parum laeti vultus. Alioqui honorifice et amice sumus accepti. Unum maxime displicuit quod, de causa si verbum fieret, testati sunt sibi fore grave adeoque non passuros. Pauca tamen verba fecimus, sed ut nos ad seriam colloquutionem admitterent impetrari non potuit: nec tamen quidquam praetermisimus quod ad conciliandam audientiam faceret. Identidem illud responsum volitabat, satis esse aequitatis ubi legitima esset cognitio. Diximus quod tempus ferebat. Quum opem tanquam a fratribus posceremus, negarunt se tantum fecisse quantum putaremus: sibi plus satis esse oneris domi, ut alienis negotiis se non interponerent, nec tantum se valere Bernae hoc ut auderent. Denique experti sumus nihil esse levationis ab eo foco exspectandum, nec aliud in praesentia restare nobis

video quam ut ecclesiae calamitatem defleamus, quando mederi non licet.

In *Vireto* et reliquis nihil adhuc mutatum. Suspicor tamen non diu quietos fore. Quum essemus iam ocreati, imo quum equi fraenati ad fores cauponae starent, redierat forte *Hallerus* ex agro, qui mox ad nos salutandos properavit.[1]) Iuvenis est, quantum ex brevi colloquio divinare potui magis quam iudicare, modestus et ingenuus, et quem spero nihil saltem improbe aut proterve acturum. Nam ad bonum naturae accedit etiam liberalis institutio, nec puto a timore Dei esse vacuum. Longiori tamen experientiae tutius credetur.

Nos ita stamus post principia, ut non procul tamen absimus a iactu telorum. Nec desunt flabella quae incendium excitant. Bene habet quod nihil improvisum accidet, deinde quod, quidquid acciderit, ad id ferendum erimus parati.

Porro quis te nunc locus habeat,[2]) ecqua tibi statio appareat, f...... cupio. Ut nunc quidem res habent, nullus iam est an .... ret misera ....[3])

1036.

CALVINUS VIRETO.

Plures epistolas ad diversos eius causa se vel scripsisse vel scripturum esse dicit. Contra Mercerium severe agendum ut meretur. Uxori prosperum partum gratulatur.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 217. Ter descripta reperitur in Cod. 111ª, fol. 30 v., Cod. 111, fol. 156 v., et ap. Simler. Vol. 67. Anglice versa exstat in ed. Edinb. II. 152. Inscriptio adest nulla.)

S. *Farello* dices me iam prius *Bucero* scripsisse[1]) quam eius literae ad me pervenirent. Epistolae ad *Sulzerum* exemplar tibi mitto.[2]) *Bullingero* et *Hallero*,[3]) si licuerit otiumque datum fuerit, scribere institui. Haec causa est cur nunc *Gualtheri* literas non remittam.[4]) *Ludovici* minas in fratrum cognitionem pertrahi necesse est. Ubi convictus illic fuerit, non dubito quin iure cum eo agendum sit. Quae autem actionis formula mihi placeat, proximis literis indicabo. Vale, frater in Domino carissime et amice integerrime. Prosperum uxori partum et tibi novam sobolem ex animo gratulor. Utinam baptismo possem interesse. Hoc mihi tecum certe commune votum est. Sed animus meus erit vobiscum. Dominus tibi benedicere in omnibus pergat. Amen.

1037.

HOPERUS BUCERO.

Multus est in commendanda pace et moderatione maxime in negotio eucharistiae tractando, in quo neque Lutherus neque Calvinus ipsi satisfecerunt.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 108, olim Epp. Tom. IV. P. I. fol. 378. Subscripsit autor: *Verum exemplar ad verbum*, scilicet Bullingero traditum, nisi fallimur. Alia manus inscriptionem fecit: *Exemplar literarum ad D. M. Bucerum ad verbum.* — Simler. Vol. 67. Edita est in Epp. Tigurinis pag. 28 et anglice in Zurich letters III. 44. Latinitas parum tersa passim asteriscos flagitabat ne tu typographo aut editoribus tribuas quae autoris sunt.)

S. P. Pridie quam has literas scripsi D. *Pellicanum* conveni, quem tuo nomine ac iussu salutavi. Is recepit hospitio viduam D. *Matthiae*,[1]) piam ac probam mulierem. Ex quo intellexi te per illam ad me dedisse literas, ac iussit, si aliquid ad te rescriberem, in crastinum pararem: nam eo die vidua a nobis esset discessura. Nolui igitur ut ad vos sine meis literis rediret, ne pia tua epistola indignum me existimares, quam non sine summo desiderio ac animi voluptate legi. Bene dicis: in hoc cognoscent omnes quod Christi discipuli sumus si dilexerimus nos mutuo. Diligamus igitur, non ore, non lingua, sed opere et veritate. Nam dilectio testimonium certissimum est iustificationis nostrae, et coeleste sigillum acceptationis nostrae in Christo

---

1035. 1) *Id Turici factum esse, non Bernae, vero simillimum est. Hallerum quidem iam ante Idus Maias Bernae fuisse ex N.* 1014. 1020 *certo certius novimus. Verum post pentecosten Turicum rediisse ut familiam et supellectilem inde abduceret aliunde constat.* (*Bern. Mausol.* II. 507.) *Etiam ea ratio qua haec ad Sulzerum scribit sic postulare videtur.*

2) *Ignorabat ergo tunc Sulzerum Basileam se contulisse.*

3) *Reliqua cum lacerata charta perierunt. Caeterum hanc proxime ante eam scriptam fuisse patet cum qua huius exemplar Vireto misit Calvinus.*

1036. 1) *Non exstant hae literae.*

2) *Vide N.* 1035.

3) *ad Hallerum nulla hoc tempore scripta exstat. Ad Bullingerum sequetur d.* 26. *Iunii scripta. Haec nostra ergo praecessit.*

4) *Ergo scripta est haec post Idus* (*vide N.* 1027. 1034) *et c.* 19 *Iun. commode collocabitur.*

1037. 1) *Zellii Argentoratensis, d.* 9. *Ianuarii* 1548 *defuncti. De vidua et alioquin clara v. Roehrich, Mittheil. T.* III.

Iesu, ut Ioannes dicit: Omnis qui diligit ex Deo natus est et cognoscit Deum, qui non diligit non novit, quoniam Deus caritas est. Siquidem gustavimus quam benignus sit Dominus, abiiciamus opera tenebrarum, induentes arma lucis, tanquam in die composite ambulantes, non contentione et aemulatione, sed induentes Dominum Iesum Christum, ut fratrum infirmitates spiritu mansuetudinis instauremus, vel patienter feramus. Exsulet malitia, omnis dolus, simulationes ac invidentiae: nam modo nati sumus, lac illud animi quod dolum nescit ut appetamus et per illud subolescamus. Mi domine, te oro in Christo Iesu, ne nimium tribuas invidis ac maledicis calumniatoribus.[2]) Non ignoras quod obtrectatio invidiae semper solet lacerare plerosque, obtrectatores multa fingere, et fraternam caritatem invidia et obtrectatione impediri. Valeant qui inter te et istos homines dissidium volunt. Hoc tibi polliceor quod amice ac cum honore saepius mentionem tui faciant. Et quanquam a tua sententia in causa *εὐχαριστίας* dissentiunt, uti et ego, non tamen a christiana caritate dissident, multo minus hostiliter odiunt*, sed suis precibus et te et quos Dominus tibi in sua ecclesia commendavit sollicite adiuvant, ut tu vicissim pro illis facias maxime sperant. Ne sitis igitur propter Christum, qui suo ipsius sanguine omnes inimicitias, infernum et peccatum, in cruce perlitavit, contentione et aemulatione discordes, ut ne amplius litigetis lingua, neque aures praebeas iis quibus nihil abest nisi res et virtus. Componatur dissidium autoritate verbi. Nemo mordicus suam sententiam defendat: recurramus potius ad viam veritatis, et humiliter errata nostra agnoscamus, quam semper male currere et non poenitere, ne errasse videamur. Meminerimus ad amicitiam et concordiam esse conditos, ut hic in tristissimo saeculo mutuis officiis aliorum miserias sublevemus, et in futuro sempiterna felicitate cum Christo conregnemus. Quis enim est furor? Quae amentia aut insania, ut illum hic odio prosequamur, qui, si in Christo diem suum obierit, transit a morte ad vitam (quo etiam ego duce Christo post has tenebras evolare spero) cum quibus* perpetua caritate, perenni gaudio conglutinabimur? Rogo, mi domine, ne propter *Lutherum* aliquid dicas vel scribas contra caritatem aut pietatem, et urgeas conscientias hominum verbis illius in sacra coena. Quamvis libenter cum gratiarum actione cognosco dona Dei in homine iam mortuo, tamen non carebat suis vitiis. Hoc non dico in contumeliam defuncti hominis, quia scio quod nullus vivens est *ἀμύμων*, omnes egentes sumus gratia Dei. Posteaquam incaluit conflictio de coena cum *Zuinglio* et *Oecolampadio*, multis locis scripturae vim intulit (ut sunt isti: Ascendit ut adimpleret omnia: ego sum vobiscum ad consummationem saeculi: et nos sumus caro de carne eius et os de ossibus eius) ut corporalem praesentiam corporis Christi in coena statueret. Quam perperam, status locorum indicat. Illos locos ad stabiliendam suam sententiam non esse efficaces, facile omnibus probaremus, si hoc nostrum tempus non potius consolatione quam disputatione indigeret. Quibus calumniis et conviciis etiam mortuos proscidit nemo ignorat. Christus aliam doctrinam docuit suos. Increpavit Iacobum et Ioannem qui volebant ignem de coelo cadere ut consumeret Samaritanos. Et iussit inimicis bene facere et bonum precari maledicentibus. Cuius spiritu, bone domine, fecit ut tanta ira in ministros verbi Dei accenderetur, iudicet qui novit abscondita cordium. De morte tamen illius ministri huius ecclesiae omnes dolebant, non ac si adversarium aut obtrectatorem, sed socium potius ac consortem gloriosi laboris amiserant*. Haec mihi humanitatis ac caritatis magna sunt et vera indicia. Haec non scribo in contumeliam doctissimi, sed ut nemo iuret in verba illius, ac si quidquid ille scripserit esset Apollinis oraculum aut Sibyllae folium.

Scribis, colende domine, te non posse credere sacramenta nuda esse signa. Absit ut Christianus ineruditissimus crederet. Sacra coena non est nudum signum, nec mihi in ea ullo modo supernaturali vel coelesti exhibeatur* verum ac naturale corpus Christi corporaliter: tamen religiose ac omni honore veneror et colo institutionem Christi propter alios fines: quandoquidem sit signum voluntatis Dei erga me, et externum testimonium additum promissioni gratiae. Non quod per aliquod sacramentum applicetur mihi illa promissio, sed quod per illud promissio prius per fidem mihi applicata confirmetur. Sic ecclesia Dei baptismo publice eum recipit qui prius erat receptus per gratiam. Sic Abraham, inquit Paulus, accepit *σημεῖον περιτομῆς σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως τῆς ἐν τῇ ἀκροβυστίᾳ*, hoc est testimonium quo Deus testatus est eum receptum esse in gratiam, non quod per sacramentum esset recipiendus, sed in ea potius confirmandus. Sic sacra coena est testimonium gratiae et mysterium redemptionis nostrae, in qua testatur Deus nobis donata beneficia Christi, non ut ibi applicetur remissio peccatorum, quae in fidelibus omnem usum sacramentorum praecedere debeat, nec ut exhibeatur cum pane verum corpus Christi quod in coelis est et non in terris, sed ut confirmet illam fidem quam habeo in morte et passione illius corporis vivi mortui et resuscitati. Et minister dat quod est in sua potestate, nempe panem et vinum et non corpus Christi, nec aliter in coena exhibetur

2) *Vide an haec de ipsis Turicensibus dicta sint. Cf. Gualteri epistolam Cal. Iun. scriptam.*

a ministro et comeditur a recipienti, quam in verbo praedicato, lecto vel cogitato. Et comedere corpus Christi nihil est quam credere, ut ipsemet docuit Iohannis 6. Oportet igitur in fide adferre Christum ad sacramenta, et non quaerere illum ibi. Et sic promissio gratiae fide accipitur, sic etiam sacramenta, cuius rei sunt testimonia et sigilla. Alii multi sunt fines, sed is est praecipuus. Qui sic utuntur sacramentis non faciunt ea nuda signa. Sic Ioannes Baptista dicebat se aqua baptizare, et quod post illum venturus erat qui baptisaret spiritu sancto. Habuit in manu sua aquam, per quam in credentibus confirmabatur remissio peccatorum, sed non habuit in manu spiritum sanctum, ut omnibus baptisatis daret remissionem peccatorum: nam multos hypocritas baptisavit. Ex istis ergo sensibilibus fides docet insensibilia et invisibilia cognoscere.

Haec pio animo suscipias, quaeso. Non disputationis gratia scribo, sed ut apud te testarer quod sacramenta nobis non sunt nuda signa. Nam si fides in animo recipientis praeluceat, sponsus sponsae suberratur,* ut nemo separet quos Deus coniunxit.

Quod de *Calvino* scribis non recte intelligo. Ego nunquam in illum vel *Farellum* cogitavi calamum movere, quamvis illius commentarii in epistolam Corinthiorum priorem valde mihi displicuerunt. In Interim scripsissem meas cogitationes nisi pro certo nobis fuisset dictum, te hoc facturum. Quod ut facias vehementer oro, qui habes dona Dei magna et insignia, et mille modis ad hanc rem magis idoneus es quam ego, qui sero ac cursim adhuc graecas literas attigi. Dominus Iesus servet te semper ad gloriam nominis sui corpore et anima. Uxor mea te salutat. Tiguri 19. Iunii 1548.

Tui amantissimus

Io. Hoperus.

1038.

HALLERUS BULLINGERO.

Lausannenses iterum Bernae causa Crissiacensis ministri senatui frustra commendata infecta re discesserunt. Iudicium de Calvino.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 115 olim Scrin. B. Epp. T. VIII. p. 2826. — Simler. Vol. 67.)

Clarissimo viro D. Heinrycho Bullingero domino et compatri suo perpetuo colendo.

Tiguri.

— — — — — — — — — — — — — — — — —

Habes quid hic agatur. Lausannae sic se res habet. Scripsit ad me *Viretus*: metuunt et trepidant omnes, abdicationem vel relegationem timentes. Orant omnes mitigari Dominos. Exponunt aliquanto clarius nunc suas sententias. Irritaverunt tamen non parum de novo Dominos nostros (quos illi Principes vocant), siquidem denuo miserunt huc Crissiacensem [1]) illum qui propter suam vocationem et examen occasio quasi fuit totius actionis, uti nosti, quem reprobavit *Zebedaeus* reliquis approbantibus. Illum, inquam, denuo miserunt huc, ut vel saltem a nobis examinetur, audiatur eius sententia. Addiderunt ei professorem quendam graecum, [2]) et tantum non etiam propter loquacitatem graculum. Is vehementer urgebat ne bonus ille homo causa sua inaudita ita damnaretur. Nos relegabamus eos ad principes, ut si illi vellent eum a nobis audiri, tum nos acquiescere velle: [3]) sine illorum imperio non licere nobis examinare quenquam. Ad *Naegelinum* ubi ventum est, tam eos tractavit principaliter ut magna hinc denuo cum indignatione et (ut ipsi putant) iniuria discesserint. Metuunt hinc sibi omnes. Consul mihi quoque retulit, propediem *Viretum* vocandum esse, cui tamen ille propter probitatem hominis non male vult. Sine tamen singulari censura non evadet. De *Calvino* audimus quam nescio quae splendida praedicet de Tigurinorum cum illo concordia. Mirantur boni omnes quid Tiguri egerit. Ego expono, et simul quid vos cum ipso egeritis. Amant omnes eius eruditionem, sed vagam illam mobilitatem deplorant. — — — — — —
Bernae in ipso die Ioannis Baptistae 1548.

Tuus perpetuo
Ioannes Hallerus.

1039.

CALVINUS BULLINGERO.

Sententiam suam de sacra coena vindicat, simul etiam Buceri acta et personam. Graviter accusat

---

1308. 1) *De Crissiaco vico v. N.* 867, *not.* 3.
2) *Quo munere post Gesnerum fungebatur Hispanus Petrus Nuñez, qui a.* 1549 *successorem habuit Bezam* (*Ruchat* IV. 437).
3) *sic!*

Iesu, ut Ioannes dicit: Omnis qui diligit ex Deo natus est et cognoscit Deum, qui non diligit non novit, quoniam Deus caritas est. Siquidem gustavimus quam benignus sit Dominus, abiiciamus opera tenebrarum, induentes arma lucis, tanquam in die composite ambulantes, non contentione et aemulatione, sed induentes Dominum Iesum Christum, ut fratrum infirmitates spiritu mansuetudinis instauremus, vel patienter feramus. Exsulet malitia, omnis dolus, simulationes ac invidentiae: nam modo nati sumus, lac illud animi quod dolum nescit ut appetamus et per illud subolescamus. Mi domine, te oro in Christo Iesu, ne nimium tribuas invidis ac maledicis calumniatoribus.[2]) Non ignoras quod obtrectatio invidiae semper solet lacerare plerosque, obtrectatores multa fingere, et fraternam caritatem invidia et obtrectatione impediri. Valeant qui inter te et istos homines dissidium volunt. Hoc tibi polliceor quod amice ac cum honore saepius mentionem tui faciant. Et quanquam a tua sententia in causa *εὐχαριστίας* dissentiunt, uti et ego, non tamen a christiana caritate dissident, multo minus hostiliter odiunt*, sed suis precibus et te et quos Dominus tibi in sua ecclesia commendavit sollicite adiuvant, ut tu vicissim pro illis facias maxime sperant. Ne sitis igitur propter Christum, qui suo ipsius sanguine omnes inimicitias, infernum et peccatum, in cruce perlitavit, contentione et aemulatione discordes, ut ne amplius litigetis lingua, neque aures praebeas iis quibus nihil abest nisi res et virtus. Componatur dissidium autoritate verbi. Nemo mordicus suam sententiam defendat: recurramus potius ad viam veritatis, et humiliter errata nostra agnoscamus, quam semper male currere et non poenitere, ne errasse videamur. Meminerimus ad amicitiam et concordiam esse conditos, ut hic in tristissimo saeculo mutuis officiis aliorum miserias sublevemus, et in futuro sempiterna felicitate cum Christo conregnemus. Quis enim est furor? Quae amentia aut insania, ut illum hic odio prosequamur, qui, si in Christo diem suum obierit, transit a morte ad vitam (quo etiam ego duce Christo post has tenebras evolare spero) cum quibus* perpetua caritate, perenni gaudio conglutinabimur? Rogo, mi domine, ne propter *Lutherum* aliquid dicas vel scribas contra caritatem aut pietatem, et urgeas conscientias hominum verbis illius in sacra coena. Quamvis libenter cum gratiarum actione cognosco dona Dei in homine iam mortuo, tamen non carebat suis vitiis. Hoc non dico in contumeliam defuncti hominis, quia scio quod nullus vivens est *ἀμύμων*, omnes egentes sumus gratia Dei. Posteaquam incaluit conflictio de coena cum *Zuinglio* et *Oecolampadio*, multis locis scripturae vim intulit (ut sunt isti: Ascendit ut adimpleret omnia: ego sum vobiscum ad consummationem saeculi: et nos sumus caro de carne eius et os de ossibus eius) ut corporalem praesentiam corporis Christi in coena statueret. Quam perperam, status locorum indicat. Illos locos ad stabiliendam suam sententiam non esse efficaces, facile omnibus probaremus, si hoc nostrum tempus non potius consolatione quam disputatione indigeret. Quibus calumniis et conviciis etiam mortuos proscidit nemo ignorat. Christus aliam doctrinam docuit suos. Increpavit Iacobum et Ioannem qui volebant ignem de coelo cadere ut consumeret Samaritanos. Et iussit inimicis bene facere et bonum precari maledicentibus. Cuius spiritu, bone domine, fecit ut tanta ira in ministros verbi Dei accenderetur, iudicet qui novit abscondita cordium. De morte tamen illius ministri huius ecclesiae omnes dolebant, non ac si adversarium aut obtrectatorem, sed socium potius ac consortem gloriosi laboris amiserant*. Haec mihi humanitatis ac caritatis magna sunt et vera indicia. Haec non scribo in contumeliam doctissimi, sed ut nemo iuret in verba illius, ac si quidquid ille scripserit esset Apollinis oraculum aut Sibyllae folium.

Scribis, colende domine, te non posse credere sacramenta nuda esse signa. Absit ut Christianus ineruditissimus crederet. Sacra coena non est nudum signum, nec mihi in ea ullo modo supernaturali vel coelesti exhibeatur * verum ac naturale corpus Christi corporaliter: tamen religiose ac omni honore veneror et colo institutionem Christi propter alios fines: quandoquidem sit signum voluntatis Dei erga me, et externum testimonium additum promissioni gratiae. Non quod per aliquod sacramentum applicetur mihi illa promissio, sed quod per illud promissio prius per fidem mihi applicata confirmetur. Sic ecclesia Dei baptismo publice eum recipit qui prius erat receptus per gratiam. Sic Abraham, inquit Paulus, accepit *σημεῖον περιτομῆς σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως τῆς ἐν τῇ ἀκροβυστίᾳ*, hoc est testimonium quo Deus testatus est eum receptum esse in gratiam, non quod per sacramentum esset recipiendus, sed in ea potius confirmandus. Sic sacra coena est testimonium gratiae et mysterium redemptionis nostrae, in qua testatur Deus nobis donata beneficia Christi, non ut ibi applicetur remissio peccatorum, quae in fidelibus omnem usum sacramentorum praecedere debeat, nec ut exhibeatur cum pane verum corpus Christi quod in coelis est et non in terris, sed ut confirmet illam fidem quam habeo in morte et passione illius corporis vivi mortui et resuscitati. Et minister dat quod est in sua potestate, nempe panem et vinum et non corpus Christi, nec aliter in coena exhibetur

2) *Vide an haec de ipsis Turicensibus dicta sint. Cf. Gualteri epistolam Cal. Iun. scriptam.*

a ministro et comeditur a recipienti, quam in verbo praedicato, lecto vel cogitato. Et comedere corpus Christi nihil est quam credere, ut ipsemet docuit Iohannis 6. Oportet igitur in fide adferre Christum ad sacramenta, et non quaerere illum ibi. Et sic promissio gratiae fide accipitur, sic etiam sacramenta, cuius rei sunt testimonia et sigilla. Alii multi sunt fines, sed is est praecipuus. Qui sic utuntur sacramentis non faciunt ea nuda signa. Sic Ioannes Baptista dicebat se aqua baptizare, et quod post illum venturus erat qui baptisaret spiritu sancto. Habuit in manu sua aquam, per quam in credentibus confirmabatur remissio peccatorum, sed non habuit in manu spiritum sanctum, ut omnibus baptisatis daret remissionem peccatorum: nam multos hypocritas baptisavit. Ex istis ergo sensibilibus fides docet insensibilia et invisibilia cognoscere.

Haec pio animo suscipias, quaeso. Non disputationis gratia scribo, sed ut apud te testarer quod sacramenta nobis non sunt nuda signa. Nam si fides in animo recipientis praeluceat, sponsus sponsae suberratur,* ut nemo separet quos Deus coniunxit.

Quod de *Calvino* scribis non recte intelligo. Ego nunquam in illum vel *Farellum* cogitavi calamum movere, quamvis illius commentarii in epistolam Corinthiorum priorem valde mihi displicuerunt. In Interim scripsissem meas cogitationes nisi pro certo nobis fuisset dictum, te hoc facturum. Quod ut facias vehementer oro, qui habes dona Dei magna et insignia, et mille modis ad hanc rem magis idoneus es quam ego, qui sero ac cursim adhuc graecas literas attigi. Dominus Iesus servet te semper ad gloriam nominis sui corpore et anima. Uxor mea te salutat. Tiguri 19. Iunii 1548.

Tui amantissimus

Io. Hoperus.

1038.

HALLERUS BULLINGERO.

Lausannenses iterum Bernae causa Crissiacensis ministri senatui frustra commendata infecta re discesserunt. Iudicium de Calvino.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 115 olim Scrin. B. Epp. T. VIII. p. 2826. — Simler. Vol. 67.)

Clarissimo viro D. Heinrycho Bullingero domino et compatri suo perpetuo colendo.

Tiguri.

— — — — — — — — — — — — — — — — —

Habes quid hic agatur. Lausannae sic se res habet. Scripsit ad me *Viretus*: metuunt et trepidant omnes, abdicationem vel relegationem timentes. Orant omnes mitigari Dominos. Exponunt aliquanto clarius nunc suas sententias. Irritaverunt tamen non parum de novo Dominos nostros (quos illi Principes vocant), siquidem denuo miserunt huc Crissiacensem [1]) illum qui propter suam vocationem et examen occasio quasi fuit totius actionis, uti nosti, quem reprobavit *Zebedaeus* reliquis approbantibus. Illum, inquam, denuo miserunt huc, ut vel saltem a nobis examinetur, audiatur eius sententia. Addiderunt ei professorem quendam graecum,[2]) et tantum non etiam propter loquacitatem graculum. Is vehementer urgebat ne bonus ille homo causa sua inaudita ita damnaretur. Nos relegabamus eos ad principes, ut si illi vellent eum a nobis audiri, tum nos acquiescere velle:[3]) sine illorum imperio non licere nobis examinare quenquam. Ad *Naegelinum* ubi ventum est, tam eos tractavit principaliter ut magna hinc denuo cum indignatione et (ut ipsi putant) iniuria discesserint. Metuunt hinc sibi omnes. Consul mihi quoque retulit, propediem *Viretum* vocandum esse, cui tamen ille propter probitatem hominis non male vult. Sine tamen singulari censura non evadet. De *Calvino* audimus quam nescio quae splendida praedicet de Tigurinorum cum illo concordia. Mirantur boni omnes quid Tiguri egerit. Ego expono, et simul quid vos cum ipso egeritis. Amant omnes eius eruditionem, sed vagam illam mobilitatem deplorant. — — — — — —
Bernae in ipso die Ioannis Baptistae 1548.

Tuus perpetuo
Ioannes Hallerus.

1039.

CALVINUS BULLINGERO.

Sententiam suam de sacra coena vindicat, simul etiam Buceri acta et personam. Graviter accusat

---

1308. 1) *De Crissiaco vico v. N. 867, not. 3.*
2) *Quo munere post Gesnerum fungebatur Hispanus Petrus Nuñez, qui a. 1549 successorem habuit Besam* (*Ruchat* IV. 437).
3) *sic!*

Bernensium ministrorum erga Lausannenses hostilem animum.

(Duplex exstat autographon autoris, alterum quod prius scripserat, et Vireti censurae subiecerat Cod. Genev. 106, fol. 220, alterum quod postea passim mutatum Bullingero misit in Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 166 olim Epp. T. XXIV. fol. 6. Prius illud bis descriptum in Cod. 111. fol. 157 et 181 v., inde bis in Epp. Bernens. T. VII. p. 61 et 895, posterius a Simlero Vol. 67. — Edita legitur ap. Füsslin. p. 259 et Henry T. II. App. p. 128. — Anglica versio Tom. II. 154 ex Turic. exfluxit. Variantes minoris momenti significare supervacaneum duximus.)

Praestantissimo viro D. Henricho Bullingero Tigurinae ecclesiae fido pastori fratri et symmystae plurimum colendo et carissimo. [1])

S. Literae tuae [2]) octavo demum post die quam domum appuleram mihi redditae fuerunt. Neque *Reystius* [3]) ipse eas attulit sed *Rosetus*. Quia magistrum invenerat absque nostra opera, puto minus fuisse de illis reddendis sollicitum. Ambo tamen ei nostra officia comiter detulimus. Quod ad libellum tuum attinet, cuius illic facis mentionem, [4]) utinam, mi *Bullingere*, quum istic nuper essemus, tibi collegisque grave non fuisset nobiscum de tota illa causa verbis placide conferre: fuisset certe aliquid profectum. [5]) Neque enim ad theatricam actionem compositus veneram, quae mihi non minus quam vobis displicet. Ut de *Farello* taceam, cuius ingenium quantopere ab ostentatione abhorreat ipsi quoque nostis. Sed cupiebamus familiariter, procul amoto certandi studio, vobiscum ea discutere de quibus inter nos minus convenit. Et sane ea esset optima ratio inter fratres: quam fructuosam experti essemus, nisi me valde fallit opinio.

Nam quod ad sacramenta in genere spectat, neque illis gratiam Dei alligamus, neque ad ea transferimus spiritus sancti officium aut virtutem, neque in ipsis locamus salutis fiduciam. Diserte enim profitemur solum Deum esse qui agit per sacramenta, et totam efficaciam spiritui sancto ferimus acceptam, et hanc actionem non apparere nisi in electis testamur: nec aliter docemus sacramenta prodesse, quam dum ad Christum nos manu ducunt ut in eo quaeramus quidquid est bonorum. Non video sane quid in hac doctrina merito desideretis, quae a Christo solo petendam esse salutem tradit, Deum solum facit eius autorem, et sola arcana spiritus operatione percipi affirmat. Atqui docemus, sacramenta gratiae Dei esse instrumenta. Nempe quum in certum finem instituta sint, usum ipsorum qualis esse debet esse otiosum negamus. Quod ergo illic figuratur dicimus electis exhiberi, ne Deus fallaci spectaculo oculos deludere credatur. Ita qui baptismum vera fide recipit, ab eo remissionem quoque peccatorum percipi dicimus. Sed explicationem simul addimus, ne salutis suae causam baptismo quis adscribat, remissionem illam provenire a Christi sanguine. Proinde non aliter per baptismum conferri, nisi quia eius ablutionis testimonium est, quam filius Dei sanguine suo in cruce effuso nobis comparavit, et quam fruendam evangelii sui fide offert ac spiritu suo in cordibus nostris perficit. [6]) Idem et de renovatione sentimus.

In coena quum nobis signa carnis et sanguinis Christi porrigantur, dicimus non frustra porrigi quin res quoque ipsa nobis constet. Unde sequitur nos edere Christi corpus et sanguinem bibere. Ita loquendo neque rem ex signo facimus, neque utrumque simul in unum confundimus, neque includimus corpus Christi in panem, neque rursus infinitum esse fingimus, neque somniamus carnalem in nos Christi transfusionem, neque ullum aliud tale commentum statuimus. Vos in coelo Christum esse dicitis, secundum humanam naturam. Fatemur et nos idem. Coeli nomen loci distantiam vobis sonat. Id quoque libenter amplectimur: Christum scilicet locorum intervallo a nobis distare. Negatis corpus Christi esse infinitum, sed sua circumferentia contineri. Annuimus, imo ingenue hoc et palam testamur. Negatis signum cum re miscendum esse. Nos sedulo alterum ab altero distinguendum esse admonemus. Vos impanationem acriter damnatis. Subscribimus. Quae igitur sententiae nostrae summa est? Quum hic in terra panem et vinum cernamus, erigendas esse in coelum mentes ut Christo fruantur. Ac tum praesentem nobis esse Christum, dum supra huius mundi elementa ipsum quaerimus. Neque enim fas nobis est, fallaciae Christum insimulare, quod fieret nisi veritatem simul cum signo exhiberi sentiamus. Et vos etiam conceditis signum nequaquam esse inane. Tantum restat ut definiamus quid in se contineat. Quum breviter respondemus, nos fieri carnis et sanguinis Christi participes, ut in nobis habitet nosque in ipso, et hac ratione bonis eius universis fruamur: quid est, obsecro, in his verbis aut absurdi aut obscuri? Praesertim ubi disertis verbis excludimus quaecunque in mentem venire possent deliria. Et tamen [7])

1039. 1) *Ex. Genevense simpliciter:* Bullingero.
2) *N.* 1025.
3) Roystius *S.*
4) cuius . . . mentionem *om. H. Libelli de sacramentis Bullingerus in sua epistola mentionem nominatim non fecerat.*
5) perfectum *H.*

6) proficit *H.*
7) *Ratio huius loci pluribus explicanda. Henry ad marginem scribit:* Hic a Calv. deleta: Et tamen: Gualtherus suis ad Viretum literis nos vidimus. (!) *Quod plane absurdum. Autor primum scripserat (Cod. 106):* Gualtherus suis ad V. literis nos perstringit. *Voc.* videmus, *supra lineam scriptum sed deletum, ad alium sententiae tenorem quem meditabatur pertinuisse videtur. Cf. Gualtheri ep. N.* 1027.

perstringimur quasi a simplici puraque evangelii doctrina desciverimus. Atqui velim scire quaenam sit ista simplicitas ad quam sumus revocandi. [8]) Nuper quum essem apud vos idem urgebam, sed nihil responsum fuisse memoria tenes, ut arbitror. [9]) Neque hoc tam expostulandi causa a me dicitur, quam ut testatum faciam nos de nihilo quibusdam bonis viris [10]) suspectos esse.

Quin etiam animadverti pridem gravari nos ea communicatione [11]) quae nobis cum *Bucero* intercedit. Sed obsecro te, mi *Bullingere*, quo iure nos a *Bucero* alienaremus, quum huic nostrae confessioni quam posui subscribat? Ego virtutes et raras et permultas, quibus vir ille excellit, in praesentia non praedicabo. Tantum dicam me ecclesiae Dei gravem iniuriam facturum, si hunc vel oderim vel contemnam. Taceo ut de me privatim sit meritus. Et tamen sic eum amo et colo, ut libere quoties visum est moneam. Quanto ipsius de vobis querimonia iustior censebitur? Nam aliquando conquestus est vos adulescentibus Tigurinis, qui Argentinae agebant, usum sacrae coenae in ea ecclesia interdixisse, quum tamen non alia ab ipsis confessio quam vestra exigeretur. [12]) Ego sane causam in hac parte non video cur ita scindantur ecclesiae. [13]) Quid autem est causae cur nobis succenseant pii homines, si amicitiam colimus cum eo homine [14]) qui per se minime stare profitetur quo minus vobis amicus sit et frater? Sed quoniam in hoc cardo vertitur, ostendite, si potestis, me *Buceri* necessitudine impediri quominus libere quod sentio profitear. Videor forsan; sed rem ipsam testem facio. Quare ne tam suspiciosi ubi non oportet simus. [15])

Caeterum Lausannam quum venissem, consilium dedi fratribus ut primo quoque tempore ad *Hallerum* mitterent: me enim sperare aequa omnia ab eo impetraturos. Et *Hallerus* quidem spem a me datam non fefellit. *Iodocus* autem et *Ebrardus* nescio quis gigantum frater adeo qui missi erant atrociter insectati sunt, ut mox se recipere coacti fuerint. [16]) Haec tantae iracundiae causa erat quod Tigurum profectus essem. Quasi vero mihi non licuerit tam vicinae ecclesiae periculo commoveri et apud fratres opportunum remedium quaerere. Minaciter dixit se scire *Iodocus*, quid egissem apud vos. Atqui nihil egisse me gloriabor quod non fide mea dignum esset. Sed quid proterviam et convicia utriusque vobis recenseam? Sic in summa habete: adeo perculsos fuisse duos fratres, et apprime doctos et graves et cordatos, ut mature discedendum sibi putaverint. En fraterna mansuetudo. Paucas tamen voces operae pretium est referre, unde initium et finem aestimes. Primo statim congressu salutationis loco: Quis movit has tragoedias? Quum responsum esset, a *Zebedaeo* sciri profectas, tunc inclamat *Ebrardus*: Imo bonus ille vir, quia detexit vestras fallacias, indigne a vobis traducitur. Quum sibi fallacias istas ostendi peterent fratres: Habemus, inquit ille, disputationem Bernensem, ex qua vos et vestra omnia iudicamus. Obsecro te, mi *Bullingere*, si ita agendum est, quid profecimus tyrannide papae excussa? [17]) Agnosce etiam quam apta fuerit *Iodoci* interrogatio: quis me vocasset ut Lausannae concionarer? Tandem, ut primis ultima responderent, iussi sunt fratres abire et facessere cum suo Calvinismo et Buceranismo. Et haec omnia furioso prope impetu et insanis clamoribus. Quid durius aut truculentius a papistis exspectes? Quod si hanc bacchandi intemperiem patienter feramus, Dominus tamen inultam non sinet. Parisiis, et in multis regni partibus, [18]) accensa est de integro impiorum saevitia. [19]) Rex ipse in suo furore pergit. Ita impletur illud: foris pugnae, intus timores. Quanquam *Iodocus* non timores modo intus nobis sed apertas quoque pugnas ciet. Nos vero paucitas ipsa ad coniunctionem stimulet.

Vale, ornatissime vir ac frater mihi honorande, una cum tuis collegis quos omnes cupio nomine

---

8) ad quam nos revocant qui ita loquuntur. H. *Primum scil. scripserat:* revocat (*nempe Gualtherus*), *deinde nomine in praecedentibus suppresso ea posuit quae ex Cod.* 106 *in apogr. eius transierunt. Nos Turicense exemplar sequimur.*

9) *Hic primum scripserat:* Me vero proprie Gualtherus perstringit quum libros Genevae editos fuisse commemorat in quibus . . . *Quibus deletis superscripsit:* Accusor etiam propterea quod librum ediderim in quo . . . . *His quoque cancellatis posuit:* Nominatim taxantur Zuinglius et Oecolampadius. Ego certe nunquam putavi id mihi a vobis (*in margine*: ab eorum studiosis) obiectum iri unquam. Illic de utroque loquor ut de praeclaris et felicis memoriae Christi servis decuit. Caeterum non potui, nisi impudenter, negare quod omnibus notum erat, dum ad coarguendam idololatriam quae invaluerat refellendasque crassas superstitiones toti sunt intenti, minus ad plenum de communione quam nobis secum in coena Christus praestat disseruisse. *Omnia haec absunt ab autographo Turicensi. Rationem harum emendationum declarabit Vireti ep. N.* 1041.

10) *Pro:* quibusdam bonis viris *primum scripserat:* vobis.

11) At nos forte gravat communicatio *Cod.* 106. 111 B. H.

12) *De hoc negotio v. N.* 836. 860 *etc.*

13) scindamus ecclesias 106 *etc.*

14) homine *om. iidem.*

15) Quod si vigeret apud nos quae debet caritas, non tam suspiciosi, ubi non oportet, essemus 106 *etc. Locus tamen in apographis varie corruptus.*

16) *Quae hic narrantur ad m. Maium referenda esse sequentia docent. Cf. etiam Ep. ad Sulzerum N.* 1035. *Caeterum, qui missi fuerunt fratres Lausannenses, scimus fuisse Franc. Sampaulinum et Guil. Holbracum. V. Hundeshagen p.* 228.

17) si ita agendum est, utrum generosius saltem fuit Bernae an Romae subiici? *Cod.* 106 *cum suis asseclis.*

18) et in multis regni partibus *om.* 106 *etc.*

19) ad pios exurendos *add. iidem omissis quae sequuntur:* Rex . . . . pergit. *Constat interea neque Historiam eccles. neque Hist. Martyrum quidquam speciatim tale ad h. a. annotare.*

meo diligenter[20]) salutari. Uxori quoque tuae plurimam salutem, et toti familiae. Dominus Iesus vos omnes tueatur ac regat. Amen.[21]) De Constantiae statu parum laeta nunciantur. Dominus eos respiciat eripiatque e faucibus leonis. Genevae 6. Calendas Iulii 1548.

Ioannes Calvinus tuus.

Has literas, si videbitur, potius supprimes inter vos quam ut maius incendium Bernae excitent. Mira est enim quorundam impotentia.

1040.

CALVINUS VIRETO.

Tradit ei exemplaria literarum ad Bullingerum et Hallerum scriptarum. Excusat uxorem quae per ipsius debilem valetudinem Vireti puerperae non multum officii praestare potuit.

(Exemplar authenticum aetatem non tulit. Ionvillaei apographon exstat in Cod. Genev. 111a, fol. 37 v., Turretini ibid. Cod. 111, fol. 156 v., Bernense Epp. VII. p. 882, Simleri Vol. 67. Anglice legitur T. II. p. 153.)

S. Quas *Bullingero* et *Hallero* literas scripseram [1]) tibi descriptas curavi, ne aliter reddantur quam si iudicaveris ita expedire. Nam quod ad me attinet literae ipsae animi mei sententiam continent: si ratio reddenda est, non tantum respicio quid ingenuos homines deceat, sed quia vereor ne demus graves poenas si nostra servilis dissimulatio barbaris hominibus tyrannicum, quod iam palam usurpant, imperium stabiliat. Serviamus sane *Iodoco* et talibus bestiis, modo ne impediant quominus serviamus Christo. Sed ubi opprimitur Dei veritas, vae nostrae ignaviae si dissimulanter hoc patimur. Ne hoc quidem ferendum esset, si iniuria fieret homini innoxio. Nunc et plures servi Christi impetuntur et ipsa doctrina: annon tempus est quo et omnes pii simul et singuli etiam capita sua opponant? Et tamen, ut libere iudices, posthabito sensus mei praeiudicio, non tantum per me tibi licebit, sed te quoque rogatum velim. Si *Farellum* facere lectionis participem visum fuerit, exemplar alterum illi curato, ut quod tibi mitto recipiam.

Mihi certe dolet quod uxor mea tanto vobis oneri fuerit, neque enim multum officii praestitit puerperae, quantum divinare possum, quae assiduis propter valetudinem officiis aliorum indiget. Hoc mihi solatio est quod mihi persuadeo vobis molestam non fuisse. Vale, frater et amice integerrime. Dominus te regat totamque familiam tueatur. Amen.[2])

1041.

VIRETUS CALVINO.

Uxoris Calvini praesentia fuit gratissima. Bernam vocatus est ut protocollum disputationis Lausannensis sistat. Literae Calvini ab inimicis male interpretandae in alienas manus cecidisse dicuntur. Iudicium amici de dedicatione libri sui sibi expetit. In literis ad Bullingerum nonnulla mutanda antequam Turicum mittantur.

(Ex autographo Cod. Genev. 111a, fol. 74. Exstat praeterea in Cod. 116, fol. 102, Bernae in Epp. VII. p. 886 et ap. Simlerum Vol. 67.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori fidelissimo fratri et symmystae quam carissimo

Genevae.

S. Ago tibi gratias immortales uxoris tuae causa, sororis nobis carissimae, quod eam nobis concesseris, ei vero quod nos non sit aspernata. Fuit enim eius nobis adventus gratissimus, et magno solatio, praesertim uxori meae, cui plurimum eius praesentia contulit.[1]) Dominus ei rependat. Non fuit a nobis excepta ut merebatur, sed nos sumus ea usi familiariter. Illa de toto familiae nostrae statu te faciet certiorem.

Mihi Bernam eundum est iussu principum,[2]) sed non causa nostri negotii, sed disputationum publicarum[3])

---

20) diligenter *om. iidem.*

21) *Quae sequuntur add. ex Turic. Caeteri nihil nisi subscriptionem et post-scriptum.*

1040. 1) *Priorem modo legisti ex qua etiam huius diem natalem definire poteris. Altera non exstat.*

2) *Etiam quae de Calvini uxore dicuntur, citra dubium iam Genevam reversa, huic ep. ante sequentem locum suum assignant. Turretinus ad* 15. *Iun. referebat, responsum Vireti ex errore ad* 16, *scil. P. S. i. e. Bernensis senatus epistolam ad Viretum cum ipsa huius ep. confundens.*

1041. 1) *Vide N.* 1029, *not.* 5.

2) *N.* 1032.

3) *Lausannae m. Oct.* 1536 *habitarum. De quibus cf. Opp. IX. Prolegg. p.* 53. *Verum qua de causa nunc earum protocollum revisere voluerint nescimus. Viretus authenticum exemplar apud se asservabat quocum iam Lud. Mercerii secretarii textus conferri debebat. Nic. Wattenvillius Consulis Io. Iacobi frater erat, Ger. Grand senator et Ictus Lausannensis. Petrus Fabri Lausannensis Eviani obierat. Fortassis et haec collatio ad controversiam pendentem pertinebat. De Mercerio, Zebedaei amico, v.* 905. 907. 1030.

de quibus prius ad me scripserant. Elegerunt tres praesides qui adhuc sunt superstites mecum, ad conferendum exemplar *Mercerii* scribae cum archetypo. Praesides sunt Nicolaus *Wattevillius*, *Gironus*, Girardus *Grandis* Lausannensis. *Faber* canonicus vita defunctus est, qui quartus erat. Literae quae ad me scriptae sunt admodum sunt amicae. Spero fore adventum meum hac occasione gratiorem, et fortasse aliquid profuturum causae nostrae et ecclesiae.

Conveni coram fratribus *Mercerium*. Ille suo more tergiversatus est. Negavit quod dixerat publico diacono, ac etiam aliis quibusdam. *Fortunatus* narravit mihi se vidisse in scrinio et manibus *Zebedaei* tuas quasdam ad me literas, quibus ipse iactabat se tibi aliquando exhibiturum negotium.[4]) In iis dixit fieri aliquam mentionem de quorundam vestrorum syndicorum electione, inter quos tu *Perrinum* nominas, quos scribis praetextu Christi se ipsos quaerere aut moliri aliquid adversus Christum, aut aliquid simile. Non satis teneo verba. Si quid aliud habeant nescio. Fassus est *Mercerius*, se nihil habere literarum mearum, praesertim in quibus principes sugillem. Num autem literas domo mea abstulisset ab amicis ad me scriptas, id neque aperte negare neque aperte fateri voluit. Respondit, se alibi responsurum si interrogaretur. Mirareris si audires quae quotidie nobis referuntur de impudentia et calumniis horum nebulonum. Sed Dominus dabit aliquando finem.

Misi exemplaria literarum utriusque ad *Garnerium* cum meis literis. Mitto ad te epistolam, quam statueram praefigere libro meo de ministerio,[5]) de qua re quia scripsi prolixius ad *Girardum*, quem etiam iussi tibi literas communicare, brevius agam tecum. Unum est de quo te praecipue volui admonitum, hoc est, de ratione consilii mei, quia in ea sum prolixior quam forte voluisses. Studui quantum potui argumentum contrahere, quod mihi futurum fuerat facilius, nisi me temporis iniquitas ad alia coegisset. Si fuisset solum dedicandus liber, paucioribus perstrinxissem. Sed necesse esse iudicavi paulo diutius immorari in explicando consilio meo, quo adactus sum ad haec scribenda, et rationem quam sequutus sum, ne lector, incertus quid sibi inde esset exspectandum, facilius offenderetur et mea scribendi ratione. Praeterea quia ea distinctio horum adverbiorum: corporaliter et spiritualiter adeo exagitata est, et sparsa inter tam multos, et aliae id genus loquendi formae quas interdum recenseo nec penitus exsecror[6]) ut solent plerique, volui arripere occasionem huius admonendi, praesertim quum habeamus veteres et neotericos quorum autoritate sententiam nostram tueri possumus. Potuissent illa suo loco commodius tractari: sed quia tunc locus non occurrebat et quia res nondum tam erant exulceratae, non se obtulit tunc occasio. Si tibi tamen non probatur quod ago, tibi ius omne permitto, teque obsecro ut corrigas quod videbitur, addas, detrahas non secus ac si res tua ageretur: et postquam hoc iam mihi officium praestitisti, ut non sis lectionem dedignatus libri totius, ne mihi deneges hunc postremum laborem in quo paene plus est periculi. Si putes non esse dedicandum, tu facile videbis quae sint resecanda. Rem totam tuo committo arbitrio. Reliqua ex literis ad *Girardum* intelliges, et quae sit *Farelli* sententia et fratrum super hac re, cum quibus hic contuli. De titulis nonnihil est disputatum.[7]) Sunt qui putent appellandos esse principes, alii non. Ego, quia parum istas titulorum distinctiones novi, omnia ad tuum iudicium refero. Sicut velim magistratibus suum honorem deferre, ita velim ab assentatione quam longissime abesse. Quod si quid in hac parte desideres, si tamen illis putes esse dedicandum, te oro, ut corrigas, non solum salutationem, sed reliqua omnia.

Has iam hactenus perscripseram, quum rediit meus famulus cum tuis literis.[8]) Scripsissem ad te per illum, si certo sperassem eum ad vos iturum. Mitto ad te exemplar literarum Bernensium ad me.[9]) Perlegi exemplaria tuarum literarum ad *Hallerum* et *Bullingerum*. Non dubito quin novas nobis furias excitent, si iis communicentur[10]) quos magis premunt. Quod omnino metuo futurum. Scis enim quae sit consiliorum communicatio inter eos. Perferam tamen quae ad *Hallerum* scribuntur: neque quidquam me remoraretur quominus tuas ad *Bullingerum* mittendas curarem, nisi vererer ne iis offendi posset *Gualtherus* et mihi fieri infensior.

---

4) *Epistolam quam supra legisti N.* 613 *Vireto aliquis suffuratus erat, quam postea Calvini adversarii Genevae per tabernas circumferebant. Mense Sept. huius anni res satis invidiosa in senatu tractata fuit.*

5) *Liber Vireti:* De la vertu et vsage du S. Ministere etc. *nondum ergo prodierat. Epistola illa de qua loquitur dedicatoria erat ad Senatum Bernensem, exhibens consilium et dispositionem operis. Quam tamen Girardus prelo non submisit. Opus ipsum non vidimus. A.* 1554 *autor illud latine edidit cum nova dedicatione ad eundem senatum et prolixa praefatione ad lectorem, quibus sine dubio illam olim suppressam inseruit. Dedicatio signata est a. d.* 12. *Cal. Iul.* 1553; *ipsum opus in molem excrevit* 448 *pp. form. max. Sed iam eodem anno prodiit alius eius liber latinus:* De verbo Dei sacramentis et ecclesiae ministerio. *Uterque in nostra exstat collectione.*

6) *haec vox in omnibus apographis omissa.*

7) *Nuper Hallerus* (*N.* 1038) *riserat, quum Lausannenses Senatui Bernensi scribentes amplissimos viros principes appellassent, quasi illi tales honores detrectassent.*

8) *proxime praecedentibus.*

9) *N.* 1032.

10) *Kilchmeiero et Rumlangio.*

Nam videris satis acerbe expostulare cum eo, quod ei gravius erit quam si ad te scripsisset et tu ei responderes. Sed quia ad me scripsit ut ad amicum, fortasse aegre feret, si sentiat te ita fuisse offensum, et interpretabitur in peiorem partem. Voluissem itaque quod scribis de *Gualthero* paulo aliter temperatum, ita ut nihil dissimulares quod ad rem ipsam attinet, tantum aliquid adiiceres quod *Gualtherum* mitigaret. Tuo tamen iudicio omnia relinquo. Nosti quam facile sit eos irritare apud quos iam sinistris suspicionibus et odiis premimur. Quia rogasti ut libere meam proferrem sententiam, dixi quod sentiebam. Reliqua quae scribis de sacramentorum ratione, mirabor si non admiserint. Quae scribuntur in alios non dubito quin illis futura sint intolerabilia. Sed, ut scribis, non est ferenda tam barbara tyrannis. Postquam experti sumus illas feras magis lenitate efferari, tractandae sunt pro dignitate. Nam quid iam possunt evomere veneni quod non in nos evomuerunt? Nisi Dominus, qui furentes leones qui Danielem erant devoraturi compescuit, hos quoque compescat, nulla nobis spes est reliqua. Hactenus remediis quae quaesivimus adeo nihil est profectum ut potius morbum auxerint. Nihil video superesse nisi ut christiana utamur constantia et libertate, et Domini in manibus successum relinquamus. Non dubito quin multa in hac peregrinatione rursum mihi audienda sint, quae me non parum angent. Sed Dominus nos consolabitur.

Caeterum quod scribis de uxore adeo nobis fuit molesta ut aegre passi simus eam a nobis tam cito discedere, haudquaquam passuri, nisi tui habuissemus rationem. Certe adeo fuit uxori et nobis omnibus solatio ut gravissimam nobis factura fuerit iniuriam si non venisset.

Remitto *Bullingeri* literas ea gratia quam attigi, quia id mihi expedire visum est. Scribe de *Gualthero* sed ita ut non sentiat, se perstringi. Si quid est durius dicendum, praestiterit id a me fieri ad quem scriptum est, ne putet me autore ea abs te scripta.[11]) Nam ipse statui prolixe de rebus omnibus scribere. Age tamen causam tuam, ut agis. Rursum in eo loco, in quo agis de Bernens. et Roma. subiectione, velim abs te aliquid additum quo palam ostenderes te ea velle ad ministros, de quibus prius loquutus es, quam de magistratu referre, sicut res ipsa id per se satis loquitur. Sed viam oportet praecidere occasiones quaerentibus.[12])

Hic prius frater Franciscus *Compagniacus*, qui cum uxore tua Genevam profectus est, tibi, nisi fallor, satis notus est. Tu ab eo poteris de ipsius statu audire. Si iuvari aliqua ratione posset ad discendum artificium aliquod apud vos, pium esset admodum opus. Est et tonsor quidam qui tuam uxorem alloquutus est. Visus est nobis vir bonus. Sed vereor ne isthic ei tam sit difficile sibi quam hic victum sua arte parare. Uxor mea te plurimum salutat, et fratres omnes. Vale optime et diutissime. Lausannae 29. Iunii 1548.

Tuus Petrus Viretus.

Nunciatum nobis est Io. *Veberum Iodoci* Diaconum peste fuisse correptum et in magno esse mortis discrimine.[13]) An obierit nescio. *Zebedaeus* fere semper aegrotat, aut fingit se aegrotare. Uxoris *Barbarini* frater, qui erat numero discipulorum eius, nuper quum in lacu lavaret submersus periit.

---

11) *Hic habes quibus explices variantes lectiones exemplaris Genevensis ep. N.* 1039.

12) *Viretus non sine causa timidior erat quam Calvinus, et nihil dici voluit quod bilem iis moveret qui se dominos etiam in rebus ecclesiasticis agnosci postulabant.*

13) *rumor vanus.*

BRUNSVIGAE, TYPIS M. BRUHNII.


3 2044 020 663 621


H

